Viri Illustris,

DN. ERICI MAURITII,

Jurisconsulti Consummatissimi,

In supremo Augustæ Cameræ Imperialis Judicio,

Adsessoris Eminentissimi,

DISSERTATIONES ET OPUSCULA,

De selectis Jurispublici, feudalis & privati
vati argumentis conscripta, & seorsim antehac
diversis locis edita,

Jam verò explendis eruditorum diuturnis desideriis,

In Unum Volumen collecta.

Accessit Præfatio,

DN. JOANNIS NICOLAI HERTII, JCti,

Antecessoris in Academia Hasso-Giessena
Amplissimi,

Succinctam Illustris Auctoris memoriam & vitæ delineationem complexa,

Cum Indice rerum & materiarum copioso.

Excudebatur Francofurti ad Mœnum,

Sumptibus CHRISTOPHORI OLFEN,

Bibliopolæ Wezflariensis,

ANNO M. DC. XCII.

CORNELL UNIVERSITY
The
President White
Library
RECEIVED 1891.
~~7440M397~~
A. 8053
Dv

ILLUSTRISSIMO atq; GENEROSISSIMO DOMINO,

DOMINO

WOLFGANGO JACOBO,

S.R. IMPERII COMITI DE LEIBELFING in RHENA & OBERMORGINGA,

Serenissimi Electoris Bavariæ Hereditario Dapifero & Cubiculario, &c.

Nec non

PERILLUSTRI & GENEROSISSIMO DOMINO,

DOMINO

JOHANNI ADAMO ERNESTO DE PYRCK

EQUITI,

Assessoribus Cameræ Imperialis, quæ nunc Wetzlariæ est, eminentissimis

Dominis suis propitiis & gratiosissimis,

Gloriam, Salutem, Incolumitatem perpetuam.

SI, quas vivo *Illustri Auctore* institueram publicare Disputationes atque opuscula, Augusti Collegii Patribus, honoratissimis Collegis suis obtulisset ipse, gratissimum haut dubie & vel eo nomine æstimandum munus id futurum erat; nunc quando mors inopinatò publicæ rei eripuit summum Virum, paranti mihi novam hanc editionem cogitandum seriò fuit, quorum patrocinio fortissimæque tutelæ ille foetus, quem suô modo recte appellavero pôsthumum, commendaretur. Occurristis autem *Vos*, quorum *Generosissimis, Perillustribus, Excellentissimisque* Nominibus hoc publicæ venerationis monumentum inscriberem atque dedicarem, idque pluribus de causis, quas inter primum locum occupat; quod *Illustrem Virum* summâ semper benevolentià prosecuti estis, memoriamque defuncti adhuc ami-

amicissimè conservatis; Insuper sperare sustineo, favoris ansam in virtutibus Vestris reperturas, si quid gratiæ Dissertationibus hisce ex *Illustris Viri* obitu, cum ejus consilio auspiciisque editionem hanc apparare non licuerit, decessit. Postremum in mentem veniebant merita illa eximia, quibus me, in communi illa calamitate, Spira (altera Patria) profugum, benigne habuistis ac fovistis; quibus hâc ratione gratum animum probare saltem voluisse, quando alia non suppetunt, in bonam partem acceptum iri non dubitavi. Quod restat, æternum Numen veneror, ut *Vos*, lucidissima summi Tribunalis sidera, in publicam patriæ salutem felices, magnificos, gloriosos, cum Generosissimis, Perillustribusque Familiis rebus secundis sustentet, conservet ac tueatur.

Illustrissimorum Vestrorum ac Generosissimorum Nominum

Cultor devotissimus.

Christophorus Olffen,
Bibliopola Wezflariensis.

A & Ω.

BENIGNO LECTORI JOH. NICOLAUS HERTIUS *S. P. D.*

ERICI MAURITII, illustris Viri, *Dissertationes atque Opuscula*, sive edita antehac in diversis locis, sive inedita in unum volumen revocari bonum visum est consilium. Multi id jam dudum optaverunt, qui ex paucis, quorum compotes facti, reliquorum bonitatem æstimabant. Amici etiam ab ipso sæpius efflagitare, ut illorum, quæ in lucem jam emissa essent, ac velut parente orba vagarentur, aut quæ adhuc emitti vellet, auspiciis suis, novam editionem adornari pateretur. Verùm res intra votum desideriumque stetit, & tandem mors senem, licèt non parvo Reipublicæ literarumq; damno, humanis rebus exemit. Quod, cùm nuper acciderit, non incongruens reor, memoriam tanti Viri, nec minùs ingenii monumentis quàm nomine suo celebratissimi, hoc loco saltem adumbrari. Natus est seculi hujus anno supra tricesimum primo,

 quar-

quartò idus Augusti, ITZEHOA Holsatiæ oppido, in quo majores ejus, Westphaliâ oriundi, per centum & amplius annos floruerunt, præcipuosque magistratus gesserunt. Patrem habuit ERICUM MAURITIUM, qui per varios honorum gradus impigrè laudabiliterque progressus, demum Serenissimi DANIÆ REGIS FRIDERICI III. Consiliarium Regiminis & Vice-Cancellarium in Ducatibus Slesvici & Holsatiæ egit, id quod septuagenarii anno MDCLXIIX. defuncti supremis honoribus scribens, edecumato hoc carmine complexus est summus temporibus nostris Poëta, DANIEL. GEORG. MORHOFIUS:

Prima Tibi orandis ducuntur tempora causis:
Indè senatorem patria terra vocat.
Diceris hinc Consul: Plœnensem dirigis aulam,
Consiliisque jubet Cimbria adesse suis.
Extremum est à Rege decus, quô, majus ut esset,
Denique dat summus munera summa Deus.

Hujus, quam anno MDCXXX. in matrimonium duxit, conjux, & nunc magno natu anticipatam filii mortem acerbè deflens, MARGARETHA GORGESIA, honestissima matrona, liberorum ipsum quinque fecit parentem. Ex quibus ERICUS noster natu maximus, cùm annum ageret duodecimum, missus est HAMBURGUM, & sub D. JUNGIO, qui tum magnâ ingenii atque dexteritatis laude

de Gymnasium regebat, in liberalibus disciplinis eximiè profecit. Hinc anno MDCXLVII. WITTENBERGAM migrans Academiæ civem dedit, Dissertationesque duas diligentiæ suæ in ea testes reliquit, unam *de Lege*, proprio, quod ajunt, Marte elaboratam, & sub Præsidio D. MICHAELIS WENDELERI, Philosophiæ Practicæ Professoris defensam; Alteram *De rebus, quæ in feudum dari possunt*, Præside D. GOTTFRIDO SUEVO, JCto celeberrimo, habitam, quæ inter Exercitationes Feudales Suevianas nunc est quarta. Wittenbergâ digredientem FRANCOFURTUM (ubi spectatissimæ probitatis pariter ac Doctrinæ JCtum D. JOH. BRUNNEMANNUM ad gloriam suam semper retulit habuisse Præceptorem) & tandem, perlustratis cæteris Saxoniæ Academiis, Anno MDCL. GISSA nostra excepit. Heic in Academiâ novè instauratâ biennium integrum est commoratus, & sub amœnissimi ingenii Viro, Juris Antecessore & Consiliario Hasso-Darmstadino, Doct. GREGORIO TULSNERO, luculentum eruditionis suæ specimen exhibuit Dissertationem *De Abolitione*, huic quoque volumini insertam. Jamque matura ejus studia enitescere cœperunt, & cùm anno MDCLIV. Tubingæ, prò summis in utroque Jure honoribus, Præside D. WOLFGANGO ADAMO LAUTERBACHIO consummatissimo JCto, pro more disputasset, propositis Positionibus; quæ in cal-

ce voluminis hujus nunc attextæ leguntur, DUX HOLSATIÆ PLOENENSIS, D. JOACHIMUS ERNESTUS dignum existimavit, qui Principis filii sui D. CAROLI HENRICI moderaretur juventutem. Huic igitur appositus, spectatis ambo præcipuis Germaniæ regionibus ac Aulis, tandem VINDOBONAM petiverunt, ut uno quasi obtutu magni illius Imperii, quale erat Augustissimo IMPERATORE D. FERDINANDO III. gloriosissimæ memoriæ, genium & formam penitus contemplarentur. Anno abhinc MDCLVII. de peregrinatione in exteras terras cogitationes suscepit, more quidem juventutis nostræ, sed alio, quàm plerique solent, instituto. Agitabat enim cum animo, ut viros ubique doctos salutaret, contractâ cum iis familiaritate, bibliothecas insigniores inspiceret, quæ scopo suo inservire videbantur, quàm diligentissimè annotaret, denique ad civilis vitæ usum rerumque publicarum inprimis notitiam facientia magnâ accuratione observaret. Cujus rei postea in familiaribus sermonibus ac scriptis suis tot & tam illustria dedit documenta, ut multis esset admirationi. Hoc igitur proposito GALLIAM adire primùm placuit, & in eâ LUTETIAM PARISIORUM, ubi annum integrum, velut in Galliæ compendio, consumsit. Hinc ANGLIAM, SCOTIAM, HYBERNIAM cùm esset pervagatus, OXONII aliquamdiu substitit; & cùm ITALIÆ quoque

vi-

visendæ studio teneretur, quatuor ipsum menses detinuit PATAVIUM. Indè regressus, in BELGIUM concessit, neque tantùm FOEDERATORUM POPULORUM, quasque illud habet Academias LUGDUNENSEM, ULTRAJECTINAM, GROENINGENSEM, sed & HISPANIAM, & in eo LOVANIUM, perspexit. Inter cæteros ejus fructus tum felicitati duxit innotuisse viro summo NICOLAO HEINSIO, qui postea anno MDCLXXIV. SPIRAM NEMETUM profectus amicitiam recoluit, & crebras cum eo per multos dies habuit familiaritates. Hæc meta fuit exteræ peregrinationis, cui biennium & amplius impendit, neque tamen in Patriam maluit reverti, sed denuò in interiora Germaniæ se conferens, HEIDELBERGAM delatus, concedente *ELECTORE PALATINO D. CAROLO LUDOVICO* Principe docto, atque acerrimo ingeniorum æstimatore, Jus, quod vocant, Publicum docere ibi cœpit. Verùm annum vix totum eo loci hæserat, cùm anno MDCLX. *TUBINGAM À DUCE WURTENBERGIÆ D. EBERHARDO III.* ut in Academiâ Juris Publici & Feudorum traderet doctrinam, evocatus inter Professores Juris Ordinarios locum occuparet. Quanta autem de eo jam tum fuerit opinio, quâ ingenii laude, quantâ assiduitate docuerit, meum non est hoc loco pluribus exponere, cùm norint multi, qui sunt adhuc in vi-

vis, atque à Doctissimi viri ore pependerunt. Hæc inter alias sanè causas fuit, quamobrem *DUX HOLSATIÆ D. CHRISTIANUS ALBERTUS*, cùm novam KILONII excitaret Academiam, *Illustrem Nostrum Mauritium* anno MDCLXV. sub annuo quadringentorum thalerorum salario, adsciscere, ut in ea primo loco jus profiteretur, cui conditioni libenter ille parens, quòd Holsatiæ peculiariter obstrictum se putaret, inaugurationi Academiæ interfuit, & huic pariter ac sibi novam addidit claritudinem, ut ad tanti Viri famam passim concurrerent, qui solidioribus doctrinis eruditi cupiebant. Collegas juxta alios Viros Clarissimos tum habuit fratrem NICOLAUM MAURITUM, Moralis Philosophiæ Professorem; &, quo cum summam semper amicitiam coluit, cujusque obitum paulò ante mortem suam deploravit, laudatum antè MORHOFIUM. Post lustrum jam eo loco exactum à CIRCULO SUEVICO summo Germaniæ Tribunali, quod SPIRÆ NEMETUM erat, editus, cùm Relationem, ut consuetudo fert, in arduâ causâ doctissimè conscriptam, obtulisset, anno MDCLXXII. Illustrissimo Collegio inter Assessores solenni more est adscriptus. Ad extremum cùm tristissima inciderent tempora, quorum sempiterni erunt testes trophæa in antiquissimarum Germaniæ Urbium cineribus erecta, *Illustris Noster*, Spiram sub an. MDCLXXXIX. initium relinquens,
quan-

quanquam salvis rebus suis omnibus, & inprimis Bibliothecâ, quam varii generis rarioribusque libris possidebat instructissimam, primum FRANCOFURTI habuit receptum, deinceps WEZFLARIAM, ut summo illi Tribunali sedem præbeat, hucusq; delectam, incolumis pervenit, ubi sexagenario major pridie Idus Octobris anno proximè præterito piè ac placidè compositus decessit, ibidemque sepulto in majore templo hæredes monumentum statuerunt. Liberos reliquit nullos: nam & amantissimam conjugem MAGDALENAM D. JOHANNIS CHRISTOPHORI SCHONBACHII, Ducatuum Slesvici & Holsatiæ quondam Cancellarii, filiam, quam anno MDCLXVII. tertio Idus Septembris sibi junxerat, ab acidulis SCHWALBACENSIBUS. KILONIUM redituram anno MDCLXIX. prid. Kal. Novembr. itinere per Belgium suscepto GRONINGÆ amisit, eoque loco comitantibus Academiæ civibus, funeri ejus justa fecit; neque postea novas ut cogitaret nuptias amici persuadere potuerunt. Quod si & illud adjicere licebit; in supellectile ejus librariâ repertus ANTONII MERICUTII de feudis Codex, sive, ut titulus fert, *Nova collectio Bononiensis*, cujus unicum manuscriptum exemplum in membranis pulcerrimè descriptum, velut pretiosissimum thesaurum, in libris suis numerabat, quemque toties ab eo docti & præcipuè amici, publico ut donaret, expetebant, neque

tamen

tamen ut faceret precibus ullis rationibusque potuit adduci, identidem obtendens, ne ampliùs, credo, urgeretur, MORHOFIO donatum, qui post mortem suam in lucē esset editurus. Cæterùm Vir erat moribus facilimis, animo candido ac aperto, naturâ lenis ac mitis, comitate affabilis, vitâ erat honestissimus. Innocentia, integritas, abstinentia, in tam perversis seculi moribus, in eo semper eminebant, publicis etiam vocibus deprædicata. Amicos summâ fide, maximo studio, & quibus potuit officiis amplexus est, coluit, observavit. Memoriam habuit capacissimam, judicium non vulgare, adhæc in eligendis sententiis, quæ interdum studia scindunt, moderatum, Angustum ipsi videbatur solo Romanæ Jurisprudentiæ studio detineri; à primâ enim ætate, in liberalibus artibus non illiberaliter eruditus, per disciplinarum genus omne sagacem animum circumferebat. Indè non tantùm multiplice diversarum linguarum cognitione utebatur, sed & nullum genus Jurisprudentiæ, nihil quod illustriorem eam faceret, ignorabat. Quantâ sanè rerum Germanicarum, ut exteras omittam, notitiâ fuerit instructus, abundè loquuntur, quæ nunc prostant, scripta, magis locutura, si, quorum spem subinde fecit, voluisset publicare. In Theologicis quoque, Medicis, Chymicis, ac Naturalibus rebus non mediocriter erat versatus. Indè cujuscunque disciplinæ libros, eosque semper rariores avidè coëmebat,

mebat, & aſſiduâ eorum lectione animum ad extremam usque ætatem oblectabat. Indè porrò factum, ut eruditi undecunque venientes, ſive Germani, ſive exteri, frequentes eum adire, & fructuoſa expetere colloquia, complures alii per literas ſolerent compellare. Verùm fuſius hæc & multa alia commemorare non eſt loci hujus, nec inſtituti noſtri. Quare, ut ad propoſitum novæ hujus opuſculorum atque diſſertationum editionis oratio revertatur, primùm ſumma cura fuit, undiquaque ut conquireretur quicquid ab Illuſtre Viro ſive in Tubingenſe ſive in Kilonienſe Academia unquam publici juris factum; quin & illa, quæ veteres λόγυς ἐξωτερικὺς dixerunt, neque elaborationis induſtriâ cæteris reſpondent, ut ne aliquid periret, adjicere fuit viſum. Nunquam porrò antehac lucem aſſpexerunt breves illæ quidem, ſed eruditæ in Auguſtiſſimi & verè Magni IMPERATORIS D. LEOPOLDI noſtri Capitulationes Notæ; & Nomenclator ſcriptorum Feudalium, de quibus *Illuſtris Auctor* aliâ methodô prolixiùs tractare inſtituerat, cùm ſchedæ manuſcriptæ paſſim lacunas oſtentarent, in hanc formam curâ noſtrâ eſt digeſtus. Quæ verò ſub novo titulo nunc prodit in Praxin Forenſem Introductio, ſectionibus ſive paragraphis, quibus antea carebat, diſtincta, multas ob cauſas fronti Conſiliorum Kilonienſium detracta in volumen hocce transmigravit. In compingendis denique hiſce ordinem

quendam materiarum ſervare animus fuit, nimirum ut *primum* locum argumenta Juris publici, inprimis Germanici, ordine quoque ſuo compoſita; *alterum* Feudalia; *tertium* reliqua tenerent. Enimverò, quòd non ſtatim ſingula ad manum eſſent inter properantes operarum manus, propoſitum hoc, quanquàm levi damno, aliquoties mutavit. Cæterùm ſi quid boni ſolidique eſt in hoc Volumine, ut ex lectione deprehendes ipſe, id omne Illuſtri Auctori, Benigne Lector, imputa, mendas typographis adſcribe, mihi juvandi publici boni conſcientiam relinquas. Scribebam GISSÆ in muſeo, ſexto Idus Februar. Anno MDC XCII.

Monumenti cujus facta modò mentio hæc est.

SISTE. VIATOR. GRADUM.
CANDIDO. ENIM. HOC. MARMORE.
CANDOR. VEL. IPSE. CONDITUR.
ILLUSTRIS. AC. MAXIME. STRENUUS.
DN. ERICUS. MAURITIUS. JCTUS.
VIR. MULTÆ. ERUDITIONIS. FAMA.
LONGE. CONSPICUUS.
IN. ALMIS. GERMANIÆ. ACADEMIIS.
TUBINGENSI. & KILONIENSI.
JURIS. QUONDAM. ANTECESSOR.
UNDIQUAQUE. CELEBERRIMUS.
S. CÆS. MAJEST. CONSILIARIUS.
ET. IN. SUPREMO. S. IMPERII. JUDICIO. CAMER.
SENATOR. ET. ASSESSOR.
CIRCULI. SUEVICI. LEGATUS. PERPETUUS.
AD. SUMMA. QUÆQUE. EX. ILLUSTRI. MAURITIOR.
FAMILIA. NATUS. ITZENHOÆ. HOLSATOR.
A. O. R. CIƆ. IƆC. XXXI. D. X. AUG.
LUSTRATISQUE. AUSTRIÆ. PANNONIÆ. ITALIÆ.
GALLIÆ. ANGLIÆ. SCOTIÆ. BELGII. FINIBUS.
SUMMIS. JUGITER. MUNIIS.
CUM. INTEGRITATE. ET. PRUDENTIA. SUMMA.
PERFUNCTUS. PIE. TANDEM. ET. PLACIDE. VITA.
DEFUNCTUS. HEIC. WETZLARIÆ.
A. O. R. CIƆ. IƆC. DIE. X. SEPTEMBR.
ÆTATIS. LX. MENS. I. D. V.
POSTEROS. EX. SE. NULLOS. POSTERITATI. VERO.
SCRIPTA. RELIQUIT. CEDRO. DIGNISSIMA.
QUEIS. VEL. ÆVO. COÆVA. FAMA. SUPRA.
TANTI. VIRI.
RUINAS. STAT. NUNQUAM. RUITURA.
QUI. TRANSIS. HÆC. HABE. ET.
FAVE.

SYL-

SYLLABUS OPUSCULORUM ATQUE DISSERTATIONUM.

***

1. De Principiis Juris Publici, Germanici inprimis.

RESPONDENTIBUS

Joh. Bernhardo Meininger. Durlaco-Marchico.

Joh. Petro Spring. Kircho-Teccio.

Exercitationes habitæ Tubingæ Anno M DC LXII. pag. 1.

*

2. De Libris Juris Communis, horumque usu.

Disputatio habita Kilonii.

Respondente Christiano Ehrenfried / Charisio Francofurt. March. pag. 91.

*

3. De Imperii Recessibus.

Dissertatio habita Tubingæ anno M DC LXIV.

Respondente Eitel Bernhard Lib. Barone von Stein. pag. 123.

*

4. De Sacri Romano-Germanici Imperii Matricula.

Von des Heil. Röm. Reichs Matricul.

Dissertatio habita Kilonii anno M DC LXVII.

Respondente Joh. Wernberger. Norimberg. pag. 169.

De

*

De Origine Electorum & Comitiis Electoralibus vulgò Wahltägen
Dissertatio habita Kilonii anno M DC LXVII.
Respondente Dethlevo Rantzovio Equ. Holsat. pag. 251.

*

De Nobilitate inprimis Germanica.
Dissertatio habita Tubingæ anno M DC LX.
Respondente Jacob. Munzio, Alffdorffensi. pag. 285.

*

Introductio ad Praxin Forensem antehac Consiliis Kiloniensibus præmissa. pag. 337.

*

D. S. Cæs. Maj. & Imperii Judicio Aulico vom Kayserl. Reichs-Hoff-Raht.
Dissertatio habita Kilonii anno M DC LXVI.
Respondente Cajo Rantzovio Equ. Holsat. pag. 388.

*

De Jure Interventionis.
Dissertatio habita Kilonii anno M DC LXIX.
Respondente Antonio Winckler. Lubecens. p. 425.

*

De Secularisatione bonorum Ecclesiasticorum, Ex

Jure Divino & Humano, præsertim Instrumento Pacis ac novissimis Imperii Constitutionibus.
Dissertatio habita
Respondente Ludovico Rothmalero p. 495.

*

11. De Citatione, quam vocant, Ad Reassumendum.
Dissertatio habita Tubingæ anno MDCLX.
Respondente Balthasaro Ham, Linga Westph. p. 547.

*

12. De Judicio Rothwilensi, vom Kayserl. Hoff-Gericht zu Rothweil.
Dissertatio habita Kilonii
Respondente Henrico Otterstedt. p. 588.

*

13. De Potestate Principis, Lege Regia, & Jurisdictione.
Dissertatio habita Kilonii anno MDC LXIIX.
Respondente Nicolao Prikio, H. C. C. p. 631.

*

14. Nomenclator Scriptorum Juris Feudalis. p. 659.

*

15. Positionum Juris Feudalis controversi Decades XVI. pag. 692.

Suc-

*

Succinctæ annotationes in Capitulationem Leopoldi Imper. Aug. pag. 767.

*

De Vitæ Densensionis Favore.
Dissertatio habita Kilonii anno M DC LXVII.
Respondente Anton. Guntero ab Hatten. pag. 891.

*

De Duellis
Tractatus à D. Samuele Rachelio Jur. Nat. & Gent. in Academ. Kiloniensi Prof. P. Ord. ad hanc formam adornatus, qui fuit antehac Dissertatio ab ipso sub Præsidio Mauritiano, in Academiâ Kiloniense habita anno M DC LXVI. p. 933.

*

De Denuntiatione Sagarum
Dissertatio habita Tubingæ anno M DC LXIV.
Respondente Christophoro Daurer. Hamburg.
Accessit huic novè appendicis loco Consilium ejusdem argumenti ab Auctore conscriptum. p. 135.

*

De Abolitione
Dissertatio Gissæ Hass. anno M DC LII. Sub Præsidio D. Gregorii Tulsneri Consiliarii Hasso-Darmstadini & Profess. Pandect. Ab ipso Mauritio ejus auctore proposita. p. 1169.

De

*

21 **De Æstimatione.**
Dissertatio habita Kilonii anno M DC LXVI.
Respondente Joh. Georgio Pellicero, Ven. Capitulo Lubec. à secretis. p. 1208.

*

22 **Positiones Juris controversæ Inaugurales**
ab Auctore propositæ Tubingæ anno M DC LIV.
sub Præsidio D. W. A. Lauterbachii. p. 1246.

De

PRINCIPIIS JURIS PUBLICI, GERMANICI INPRIMIS.

CAPUT I.

JUris vox variè ſumitur, 1. Ejus explicatio neceſſaria, 2. Quod agnoſcunt Juriſconſulti, Scholaſtici, Theologiæ Moralis Scriptores, Molina, Leſſius, ac alii. Seldenus, Hobbes, Gaſſendus, 3. Significationes ſeptem variæ, 4. Grotius vindicatur à Feldeni nota, 5. Fibigius & Scokius plures ſignificationes tradunt, 6. Quæ expenduntur & rejiciuntur, 7. Bonum, jus dicitur in relatione ad legem, ſive id ſit naturâ ſive ex poſitione tale, 8. Id quod lege præſcriptum eſt, idem eſt cum lege, 9. Sententia quo reſpectu jus dicatur? 10. Sanctio quando jus dicitur, nihil diverſum eſt à lege, 11. Poteſtas quando jus vocatur, idem eſt cum Facultate, 12. Meritum quoque & debitum ad Facultatem referenda, 13. Jus pro juris univerſi compage ſumptum, vel jurisprudentiam notat vel leges Reipublicæ, 14. Hugo Grotius ſaltim tres tradit diverſas acceptiones vocabuli hujus, 15. Eas unde deſumpſerit? 16. Antonius d' Eſcobar, itidem ternario contentus ex mente Moraliſtarum, 17. Dominici Soto nonnulla improbantur, 18. Publicum variè aliquid dicitur ac recenſentur diverſæ acceptiones, 19. Difficultas definiendi jus publicū, 20.

Paurmeisterus & Lampadius non definiunt, 21. Arumæus & alii Definitionem in principio non exhibent, & de illis Limnæi judicium, 22. Ulpiani, verba in §. ult. Inst. de Justitia & Jure nec definitionem nec descriptionem accuratam juris publici continent, 23. Id ostenditur, 24. nec ex Ciceronis verbis lib. 1. de Oratore effici potest plena descriptio, 25.

I.

JUris nomen non uno sensu latinis Scriptoribus usurpatur, illis inprimis qui legibus impendunt operam. Tantum autē momenti esse in recta vocis hujus explicatione aliqui contendunt, ut in jure universo cæcutire eum statuant, qui hæc neglexerit, Dn. Hahn. *ad Wesenb. libr. 1. tit. 1. n. 14.* Quæ causa est, quòd non JCti solùm ad tit. de Justitia & Jure, sed Scholastici etiam ad *secundam secundæ quæst. 57. D. Thomæ.* quique illos sequuntur recentiores Theologiæ Moralis scriptores, varios vocis hujus sensus sibi judicarint colligendos. vid. Molina. *de just. & jur. tract. 1. disput. 2.* §. 1. Lessius *de justit. & jure. lib. 2. cap. 2. disput. 2.* Fecit idem eruditissimus Seldenus *in opere de jure natur. & gent. pag. 45.* Hobbes *tract. le Corps Politique part. 2. cap. 8. num. 5. & in Elementis Philosophicis de Cive cap. 14. num. 3.* Gassendus *phil. morali pag.* 1551. Nos quoque de publici juris Principiis acturos, propositi urget ratio, ne sicco hæc pede prætereamus.

II. Videtur autem huc redire summa rei, jus aliquando idem esse quod Facultas, quam habet quis in relatione ad certam personam vel rem: unde est, quòd alieno juri quis subjectus dicitur, *princip. instit. de his, qui sunt sui vel alieni juris.* Et habere vel non habere jus testandi. *princ. instit. quibus non est permissum facere testamentum.* Interdum autem significare cognationem, affinitatem, aut necessitudinem, quomodo juris voce utitur Marcianus *in l. 12. ff. de justit. & jur.* Est quoque ubi judicii locum denotet, quod observavit Paulus *l. 11. ff. dict. loc.* Sæpe etiam jus jurisprudentiæ nomen est, quo sensu accipit ipse Ulpianus *l. 1. in princ. ff. de justit. & jur.* Sed & status & conditio personæ aliquando juris nomine veniunt. Confer inscriptionem *tit. de jur. perso-*

sona-

sonarum, cum altera. *ff. de statu hominum*, ubi quod in Institutionibus jus personarnm dicitur, id Digestis est status vel conditio earum. Titulum quoque, quo quid acquisitum, vel legitimam posidendi causam, jus vocant JCti. vid. *l. 10. si servitus vindicetur. l. ultim. de aqu. pluv. arcenda*. At plerumque, & quantum videtur maximè proprio vocabuli sensu, jus cum lege idem est, quoties largissimè sumitur, & consuetudinem lege non improbatam ambitu etiam suo complectitur. *l. 3. 4. 5. & 8.* coll. cum *l. 6. & 32. ff. de legibus Senatus Consultis s. & longa consuetudine*. Nec rarò id etiam jus vocatur, quod legibus nullis vetitum, adeoque injustum non est, vel (quod cum priori idem esse Grotius existimat) naturæ societatis ratione utentium non repugnat, quomodo voce hac Florentinus JCtus, Cicero, Seneca, ac Chrysostomus utuntur, adductis à Grotio locis, de jure belli ac pacis. *lib.* 1. *cap.* 1. *num. 3. & in notis*. Quam significationem tamen magis negantem quàm ajentem vim continere, ibidem rectè observat vir incomparabilis. Vellicat quidem hæc Hugonis Grotii Feldenus in *Annotatis*, ac imitari eum ait ineptias Scholasticorum, qui distinctiunculis suis res ipsas confundentes, vocum proprietates tollunt; sed immeritò vellicat. Non enim adeò obscurum erat Grotio ingenium, ut distinctiunculis ineptis, quæ solius plerunque ignorantiæ infelicia arma sunt, involvere lectorem vellet, cui lumen accendere promiserat, sed verum vocis & receptum vulgo ac doctis usum, qui varius erat, distinguit. Tantum autem abest incognitam esse hanc vocabuli juris usurpationem, ut maximè propriâ definitione, jus nihil aliud esse, quàm libertatem naturalem, à legibus non constitutam, sed relictam, existimaverit Hobbeus *in Elem. Philosoph. de cive, cap.* 14. *num. 3.* Aliter respondet Graswinckelius, sed ita, ut non satis videatur tueri Grotium.

III. Præter eas, quas enumeravimus modò, plures habent, è recentioribus, Fibigius, qui novem diversas vocabuli hujus significationes memorat in Electis juris publici, *semidec.* 1. *quæst.* 1. *n.* 2. *ad* 17. *usque* Dn. Hahnius *in observatis ad Wesemb. Paratitl. ad tit. de justit. & jur. n. 14.* ubi decem recenset, & qui reliquos superat Martinus Scokius *de jure naturali, thes.* 1. *num. 3.* Er sanè probant rem, adductis vel juris interpretum vel aliorum autorum locis. Arbitramur tamen ea huc

commodè redigi posse, quòd vel idem cum dictis, significent, ac vocabulis saltem non re ipsa differant, vel juris nomen non eo quo ipsi arbitrantur respectu, sed alio eoque tali, quem thesis secunda jam complectitur, iis tribuatur. Nam quod existimant Dn. Hahnius & Scokius jus sumi materialiter pro æquitate, æquali, seu æquo & bono, quod justitia in rebus constituit. arg. *l. 32. ff. de rebus creditis. l. 15. ff. de ædilitio edicto l. 31. ff. depositi*, quod Aristoteles *5. Ethicorum* δίκαιον vocet, opponatque iniquo quod injuriam involvit; Verum quidem est, esse bonum quoddam etiam in operationibus humanis nonnullis, quæ ideo præcipiuntur jure naturæ, quia bonæ sunt, non autem bonitatem suam primùm ex legis præcepto accipiunt, quod & cognovisse videtur Aristoteles *lib. 5. Ethicorum. cap. 10.* confer Molinam *de just. & jur. tom. 1. disput. 3. num. 2.* Franzkium *Comment. ad Pandect. ad tit. de justit. & jure. num. 116. & seqq.* sed id bonum & honestum etiam jus vocari, quatenus bonum citra respectum ad legem saltim naturalem, id non probarunt hactenus, qui ita accipi existimarunt. In adductis legibus, id bonum vocatur quidem æquum, sed æquitatem etiam respicere legis virtutem ostendit. *l. 31. ff. deposit.* & prædicari de bono hoc, quatenus lege naturali &c. aliquid de eo definitum est, ibi, *eam utrum æstimemus ad merum jus gentium*, & deinceps, *si tantum jus naturale & gentium intuemur*, & paulo post *si jus & legum ordinem.* Cùm ergo jus appelletur, quatenus est id quod lex naturæ præcipit, atque adeò lex naturæ; vel saltem libertas illa per legem naturæ relicta, consequens est, immeritò hanc significationem addi, quæ à reliquis nihil discrepat. Nec alia differentia est, quando bonum illud legitimum quod lege præcipitur demum, & ex præcepto legis tale esse incipit, jus dici ajunt; Hoc enim vel omnino non, sed lex solùm cum bono hoc conjuncta, vel ei ita arctè innexa, ut propter hanc conjunctionem, rem non satis exactè æstimantibus, idem esse videantur, id nominis fert; vel vocatur ita, quia materiæ respectu, qua conveniunt bonum hoc & lex, cum lege idem, ac adeò ajente sensu, ut vocant, jus est, vel quia lege non vetitum, & ita negante sensu, jus est. Quæ omnes significationes thesi secundâ jam continentur, ut ne sic quidem aliâ significatione opus sit.

IV. Sed & illa significatio, quâ jus vocant illud, quod lege præscriptum,

ptum, cum ea quæ legem denotat, coincidit. Lex enim est mandatum, est jussum superioris, quod adeò verum, ut multis placuerit definire legem, mandatum vel jussum. Mandatum ergo & jussum legis, si bene considerentur, cum ipsa lege idem sunt, ac verbis discrepant quidem, reipsa, quæ natura synonymorum est, non discrepant. Nec aliter, quando Jus dicitur sententia judicis, vel jus applicatum aut redditum. Falluntur enim qui sententiam ipsam simpliciter jus dici putant, cùm lex, quam sequitur sententia, jus sic dicatur solum; Quod confundunt qui sine illo respectu jus sententiam interpretantur. Ipse Paulus *in l. 11. ff de justitia & jure*, iisdem verbis unde hanc sententiam deducunt Autores *Prætor*, ait, *jus reddere dicitur, etiam cum iniquè decernit, relatione scilicet factâ, non ad id quod ita Prætor fecit* (promulgavit autem sententiam iniquam, ad quam respectus nullus est.) *sed ad illud, quod Prætorem facere convenit*. Ideo ergo vocatur sententia justa, quia fas est justam esse, hoc est, cum legibus convenire. Convenit autem cum legibus quæ idem jubet quod lex, adeoque cum lege, vel parte ejus idem est; ut hoc sensu iterum juris acceptio, ab ea, qua pro lege sumitur, vix differt. Sed & qui sententiam iniquam hujusmodi jus appellaverit, is, ni sibi ipsi contradicere velit, hoc solum vult, esse legem quæ caveat, vel ratum esse velit, ut sententiæ latæ pro legitimis vel convenientibus cum lege habeantur, atque adeò hæc acceptio juris idem est cum illa quæ legem significat.

V. Id quoque, quando pro actu, hoc est, jussu & sanctione quæ justum illud præcipit, accipi videtur inter alios Dn. Hahnio *d. n. 14. accept.* 4. non diversum quid efficit, vel enim intelligunt ipsum promulgandi actum, atque hunc jus dici non probant, nec de eo commodè intelligi posse ostendunt, quæ subjungunt exempla, ubi hoc sensu volunt jus aliud esse naturale, gentium, & civile; vel illud quod ex sanctione & promulgandi actu oritur. Atqui tum habemus illud quod à lege nihil differt. Illæ duæ autem acceptiones, quibus idem aliquando cum potestate, sæpe cum potestate publica esse dicitur Scokio, non valde nobis se probant: præterquam enim quòd prima acceptio alteram includit (est nempe potestatis nomen generale, quod tam de publica quàm privata dicitur) jam tum ea continetur facultatis nomi-

ne, quo & illa significatio, qua tribui dicitur juris nomen rebus incorporalibus, pertinet; hæc enim quandocunque jura dicuntur, non alio sensu accipitur juris nomen, quàm quo facultatem exprimit, eo modo quo in initio thesis secundæ illam descripsimus. Meritum quoque & debitum cum jure idem esse Fibigius vult *ex l.10. in princ. D. & princ. Inst. de just. & jur.* non video autem quid hoc aliud sit quàm facultas, eodem illo sensu, quo ipse etiam descripsit, quam quis habet relatione ad certam personam vel rem. Sckokius etiam hoc nomine venire vult juris universi compagem, qua civitas utitur; sed & in hac acceptione nihil ego invenio quod vel à jurisprudentia vel à legibus & consuetudinibus civitatis diversum sit, ut nec hoc quidem additamento opus fuerit.

VI. Apud Hugonem Grotium de jure Belli & Pacis *lib. 1. cap.* 1. *n. 3. 4. & 9.* non extat nisi triplex vocabuli juris usurpatio. Meminit enim duntaxat illius, quam primo, & duarum, quas ultimo loco thesis secundæ recitavimus; aliarum non meminit, qua in parte pressisse illum vestigia Scholasticorum, ac qui hos sequuntur Casistarum, & Moralis Theologiæ Scriptorum, dubio vacat. Ad eorum mentem Antonius d' Escobar, qui libro Theologiæ Moralis viginti quatuor societatis Jesu Doctorum doctrinam se complecti profitetur: Tractat. tertio Examine 1. *cap.* 1. §. 1. *Jus*, ait, *accipitur tribus modis, 1. pro justo & æquo. 2. pro lege. 3. pro facultate ad aliquid, quo pacto quis dicitur uti jure suo*, quæ eadem ferè sunt cum illis Grotii. Confer & Molinam *de justit. & jure, tom.* 1. *tractat. 1. disput. 2. num. 4.* cum Grotio *thes. 4. cap.* 1. & pleraque disputationis illius cum *thes. 3. 4. & 9. dicti capitis.* sed ostendimus plura significare juris vocabulum, vel solis illis, quæ in Romanæ jurisprugentiæ libris extant exemplis, quæ quare omittenda putaverit vir summus, illa causa esse potuit, quòd earum vel non multa sint apud alios Autores exempla, nam statum aut necessitudinem jus dici non ita frequens aliis quàm juris scriptoribus, vel si quæ est diversa significatio, ea sensui orationis nihil officiat; Quamvis enim locus judicii aliquando jus dicatur, ea tamen ambiguitas cùm statim pateat, neminem facilè decipiet. Quin imò locum judicii non satis aptè jus dici, disputat è scholasticis Dominicus Soto *lib. 3. d. justit. quæst.* 1. *art.* 1. *in fin.* quod

tamen

tamen non JCtis solùm placuit, sed & Divo Thomæ, & Terentio quoque in Phorm. *scen. 8. act. 5.* Non negligenda tamen fuisset illa, qua jus pro jurisprudentia sumitur. Sanè & frequens est, & usu recepta melioris notæ scriptoribus, quicquid contra disserat Dominicus Soto, & Celso, & Ulpiano JCtis, & Moralium Scriptoribus agnita, non enim omnes ternario illo contenti sunt, plures agnoscit Molina *d. l.* & Cardinalis Lugo *de justit. & jure. disputat.* 1. *sect.* 1. *n.* 2. ac etiam alii nonnulli.

VII. Et hæc de juris vocabulo hactenus. Publicum quoque non una ratione aliquid dicitur. Sæpe enim à constituente id nominis, rei constitutæ adhæret, quòd id vel publicâ omnium, vel eorum saltim, qui rei summæ præsunt, autoritate natum sit, quomodo jus omne, etiam quod privatum nuncupamus alioquin, publicum dici potest. Sanè ita accepit Papinianus, cui testamenti factio hac acceptione videtur dici publici juris. *l.* 3. *ff. qui testamenta facere possunt.* ac idem Autor in *l.* 15. §. 1. *ff. ad legem falcidiam. & l.* 29. *ff. de testament. tutela.* ac qui Papinianum præceptorem habuit, Ulpianus *in l.* 8. *ff. de tutelis.* Impropriam tamen esse hanc significationem non immeritò notat Fibigius *in Electis juris publici, semidec.* 1. *num.* 19. & à causa efficiente desumptam, Dn. Hahn. ad Wesenbec. *tit. de justit. & jur pag.* 30. Franzkius *Comment. ad Pandectas ad eundem tit. num* 91. Aliquando id publicum est, quod vel ipsum vel ejus usus jure gentium ad omnes, vel alio jure, ad populum singularem vel universitatem demum pertinet, ea enim omnia publica dicuntur: Confer §. 2. 4. & 5. *instit. de rerum division. cum l.* 14. & 65. *ff. de acquirendo rerum dominio.* §. 2. *in princ. instit. de inutilib. stipulation. l.* 15. 16. 17. *ff. de V. S.* Ac ita rebus applicatur notio hæc, non solùm iis quæ ex commodo sunt Reipublicæ, sed etiam si ejusdem damnum contineant, quomodo non infrequens est dicere, damnum & scelus publicum, ut sic objectum quandoque solum, non etiam finem respiciat. Interdum cum objecto finem conjungit, ut quando jus dicitur publicum. §. *fin. institut. hoc tit.* & alibi passim publicum munus, quod ad utilitatem populi & circa res ac negotia ejus geritur. Qui finis, cùm sæpe proximus sit, adeoque in intentione jus ferentis, primarius, ac immediatè cum objecto cohærens,

sæpe

ſæpe remotior, &c, ut ita dicam, ſecundarius, dum ad privatam civium utilitatem propius reſpicit Legislator, & mediatè ſolum, interveniente adhuc alio ſcopo, publicas res promotas vult, utrumque hoc jus publicum dicitur quidem, ſed illud eminentiori quodam modo, & ſuo quaſi jure.

VIII. In promptu hinc eſt æſtimare, circa juris publici notionem ex æquivocis hiſce vocibus compoſitam, facilè fuiſſe offendere Scriptoribus etiam cætera eruditis; ſed & alii omnino ejus definitione ſibi abſtinendum rati ſunt, quorum non neminem eo nomine perſtringit Limnæus de jure publico. *vol.* 1. *lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 3. *In hoc*, ait, *vel maximè lapſus eſt, quòd nova methodo jus publicum Comitiis ſapientum exhibuit planè acephalum, hoc eſt, omiſſa definitione, quæ cujusque rei potiſſima pars, per quam cognoſcitur ut per caput homo.* Sanè apud Paurmeiſterum de jurisdictione imperii Romani, Jacobum Lampadium quoque tractatu de Republica Romano-Germanica, Viros & judicii inſignis, & prudentiæ laude ac juris publici eximiâ claros, nihil tale reperias, quòd mireris meritò ab iis intermiſſum, illis libris quibus quaſi per Epitomen doctrinam publici juris Germanici exhibent. Alii illam in extrema rejiciunt, quod placuit Arumæo, apud quem, ſi tamen extat juris publici definitio, nulla prior eſt ea, quæ nonnullis creditur pro tali habita fuiſſe ab Ulpiano, quam exhibet Papenheimius *vol.* 1. *discurſu* 33. *cap.* 2. *th.* 1. quod ipſum non diſplicuit etiam Dn. Reinkingio, qui juris publici definitionem altera illa Arumæi meliorem, & quam ipſe probat, exhibet demum *lib.* 2. *claſſ.* 2. *cap.* 6. *n.* 1. *& ſeqq.*

IX. Præter rem fuerit examinandis omnium definitionibus immorari, de Ulpiani verbis tamen *in* §. *ult. inſtit. de juſtit. & jure.* quia nonnulli pro definitione juris publici ea habent, & quidem aliqui etiam pro accurata, paucis diſſerere operæ fuerit pretium. Probant illam ac retinent antiqui interpretes plerique *ad* §. *hunc.* & recentiorum multi. Quod faciunt etiam è publici juris ſcriptoribus, Juſtus Sinoldt. cognomento Schutz. *vol.* 1. *diſput. de jure public. th.* 3. Arumæus *adducto antea loco*, Limnæus *libr.* 1. *cap.* 1. *n.* 7. quæ utut aliquam deſcriptionis Romani juris publici ſpeciem referat, non eſſe tamen eam, vel definitio-

rionem, vel descriptionem, paulo accuratiorem, satis apertum videtur. Verba hæc sunt: Jus publicum est, quod ad statum rei Romanæ spectat. *Iuris* verò nomen quod omittitur, ac loco generis repetendum est, ambiguum esse, antea declaravimus, nec additur tamen, quo sensu hic capiatur. *Status* quoque non uno modo sumitur, unde meritò Hippolithus à lapide dissertatione de ratione status in princip. multos quid sit status, planissimè ignorare scribit, ac plura significare statum in solis libris juris Romani, ostendit Limnæus *juris publici tom. 1. cap. 10. n. 1.* Et ex Mercerio *tom. 4. juris publici in addit. ad caput. 10. num. 1. & seqq.* & in *dissert. Apologetica de statu imperii sect. 1. num. 2. ac seqq.* Sed & quæ sequuntur verba *Rei Romanæ*, ita controversa sunt, ut putarit Rævardus errore descriptoris corruptum locum. Plerique de republica Romana interpretantur, quos sequitur Fibigius *in Elect. semicl. 1. q. 2. n. 8.* iis tamen, qui ita sentiunt, dicam scribit Justus Sinold. Scutz Giessensis olim Academiæ Cancellarius *Collegii publici de statu Rei Romanæ vol. 1. disp. 1. thes. 3. lit. b.* qui ideò Imperatorem Rei Romanæ mentionem facere existimat, non Reipublicæ, quod Romanum Imperium desiisset esse Respublica quo tempore præerant imperatores, ὥσπερ δὲ ἐν ταῖς ἀποδείξεις, δεῖ τόγε συλλογίσεσθαι ὑπάρχειν, οὕτω καὶ ἐν τοῖς ὅροις τὸ σαφές. *sicut autẽ in demonstrationibus conficiendis necesse est, ut insit in demonstratione necessaria concludendi ratio, ita in definitionibus inprimis videndum ut apertè & perspicuè res doceatur*, quæ Aristotelis verba sunt. *Analyt. posteriorum lib. 2. cap. 15. in princip.* ut ipsum latinè loquentum dedit Nicolaus Gruchus, & cum aliorum Philosophorum traditis consentiunt. Demum, nimis arctè & ad solos Romanos, jus publicum illa descriptio restringit, cùm tamen certum sit, nullam esse Rempublicam, quæ non publico suo jure gubernetur. ἀεὶ δὲ ἐστι πᾶς ὅρος καθόλου, οὐ γὰρ τινὶ ὀφθαλμῷ λέγει τὸ ὑγιεινὸν ὁ ἰατρὸς, ἀλλ' ἢ παντί, ἢ εἴδει ἀφορίσας. *semper autem res universa est quæ definitione explicatur, neque enim Medicus cùm definit quodnam sit salutare oculis medicamenttm, definitionem ad hunc vel illum oculum tantùm accommodat, sed aut in genus universum oculorum, aut in aliquam sanè speciem, vult transferri*, ut iterum loquitur Princeps Philosophorum *Post. Analyt. lib. 2. cap. 14. in fin.* Unde definitionem perfe-

ctam his verbis non contineri agnoscit ipse Dn. Schutzius Junior, felicioris ingenii Vir, ac hodie Consiliarius & Assessor judicii Aulici Imperialis *in MSst. positionib. juris publici in exposit. posit. 1. lib. 1.* Nec multò meliorem alii dant ex Ciceronis illis, quæ extant *lib. primo de Oratore* distinctione 50. secundùm exemplar quod Gothofredus edidit. Ubi *jus publicum* ait id esse, *quod est civitatis & imperii.* Tale enim quid esse, etiam privato juri congruit, ut ambiguam vocabuli juris acceptionem, & alia, quæ efficiunt, ne definitio esse possint verba hæc, taceam.

CAP. II.

Quomodo describi possit Jus publicum, 1. Ejus descriptio explicatur, 2. Jus publicum diversum apud diversas gentes, 3. Ius publicum Gallicum *unde petendum? 4. Commentarii legatorum* Gallicorum *MS. in Bibliotheca Seguiriana, 5. Autores consuetudinum Regni* Galliæ *nonnulli recensentur, 6. Iudicium de Notitia Regni Francici Dn. Limnæi, & de Hotomanni Franco Gallia, & Claudi Seselii libro de Regno* Galliæ*, 7. Observatio ad caput secundum libr. 1. addit. Limnæi, 8. Ius publicum* Angliæ *quale ætate priorum Regum? 9. Autores apud quos descriptum extat, 10. Quale tempore tyrannidis quam exercuit Protector? 11. & quale modo? 12. Unde Danicum jus publicum disci possit, ostenditur, 13. Laudatur Isaacus Pontanus & Huitfeldius, 14. Hodiernum ejus regni jus publicum, 15. Svecorum jus publicum, 16. Liber qui id magnam partem continet, 17. Mutationis ejus tempora explicant Loccenius, Paulinus, Iohannes Georgii, 18. Oxenstiernii Cancellarii Libellus MS. huc pertinens, 19. Recessus Regni Suecici ultimus,*

timus, 20. Forma Regiminis ante annum & quod excurrit constituta, 21. Tractatus MS. Iohannis Loccenii de jure publico Sueciæ, 22. Polonorum jus publicum, 23. Orichovius inprimis laudatur, 24. Iudicium de Paulo Piasecio ejusque Chronicis, 25. Hispanorum jus publicum, 26. De Mariana & Hieronymo Connestagio judicium, 27. Venetorum jus publicum, 28. De Ianoto judicium Bodini, 29. De libro, qui sub nomine Squinitii de rebus Venetis prodiit Scriptoris Anonymi, 30. Ejus autor creditus esse Peirescius, Albizius, Marcus Velserus, 31. Ius publicum Unitarum Belgii Provinciarum & ejus Descriptores, 32. Ius publicum Helvetiorum, 33. MSS. Historiæ Anhornii & Hospiniani apud SanGallenses, 34. Ius publicum Romanum antiquum quale, 35. Guido Pancirollus laudatur & descriptiones rerum publicarum ab Elzeviriis editæ, 36. Observationes quinque necessariæ, 37. Non confundendum jus publicum Germanicum cum jure publico Gentium aliarum, 38. Non cum jurisprudentia Publica, 39. Esse jurisprudentiam publicam contra Fibigium ostenditur, 40. Iurisprudentia publica & Politica differunt, 41. Facta publica distinguenda à jure publico, 42. Iuris publici Germaniæ definitio à Fibigio allata examinatur, 43. &, quid illud sit, subjungitur, 44.

I.

Diximus de juris ac publici vocibus, & definitionibus etiam aliquorum, quas non sufficere existimamus: superest ut quid nobis sententiæ sit hoc capite explicemus. Videtur autem magnâ ambiguitate liberari posse juris publici descriptio, si loco vocabuli juris substituamus

mus synonimum vocabulum legis, quando largissimè sumitur, quâ usurpatione Grotio *de jure belli & pacis, lib. 1. cap. 1. n. 9. est Regula actuum moralium, obligans ad id, quod rectum est.* Ita enim & minus ambiguitatis, & plus perspicuitatis habebit descriptio. Sanè jus constat vel scripto, vel sinè scripto §. 3. *instit. de jure Natural. Gent. & Civili*, quorum illud quidem lex est latè sumto vocabulo eodem §. 3. hujus verò, consuetudo partem magnam facit §. 9. *eod. tit.* Utrumque autem lex latissimâ usurpatione, continet. Quare jus publicum nihil nobis diversum esse videtur à Legibus, quæ directò & principaliter, vel, quod idem est, executione & intentione ad constitutionem & conservationem alicujus Reipublicæ spectant. Est nempe jus publicum ex eorum genere, quæ Entia per accidens, & quidem per aggregationem & ordinem Philosophis vocantur, quale quid etiam legē esse, dubio vacat. In eorum autē definitione loco generis, vel accipitur vocabulum aliquod compositionem significans, vel latius aliquod ens per ordinem, quod tamen ante sit definitum. Sunt verò leges, jure publico, proprio sensu dicto, aliquid latius, & ante definitæ; ut legitimum adeò hoc sit genus. Nolui autem uti vocabulo, quod significaret compositionem, vel, ut Philosophorum aliqui vocant, coordinationem; Qualecunque enim id esse poterat, sinè confusione aliqua jurisprudentiæ publicæ & juris publici, quæ differunt tamen, adhiberi non poterat. Dixi, quæ directò & principaliter spectant ad bonum commune alicujus Reipublicæ, ut eò meliùs distinguatur à jure privato; nempe in hoc etiam *intentione quidem respicitur commodum publicum, quod ex privatorum rebus bene se habentibus demum exsurgit, at non directò tamen id agitur. Nec Legislator executione suâ in iis causis respicit ad aliud bonum quàm privatum*, ut bene observat Franzkius *Comment. in Pandectas ad tit. de justitia & jure num. 92.* cujus & hæc, quæ recitavimus, verba sunt. Alicujus Reipublicæ; non autem Germanicæ solùm, ideò diximus, ne in generali Publici Juris definitione peccaretur, descendendo ad speciale Jus Publicum Germaniæ nostræ, quod non Brautlachius *libr. 1. cap. 1. §. 3.* solùm, sed plures recentiorum alii faciunt, qui duo hæc, noxio errore confundunt.

II. Et

II. Et verò singulæ Gentes suum habent, idque peculiare jus publicum, sæpe etiam, ac plerumque, tale, ut cum alterius gentis publico jure ea in parte, qua jus publicum expositione oritur, pugnet; Quod ne novum alicui videatur post Wesembecium, Connanum, Marcum Lyclamiam, quos ipse testes advocat, tradit etiam Frantzkius *d. Comm. num. 98.* Et Fibigius *quæst. 2. in Elect. num. 7. Quot*, ait, *sunt imperia legitima, tot etiam sunt jura publica*, quod & more suo accuratè observat Hermannus Conringius *in MSS, notis ad Lampadium de Republica, in præfat.* Ita Gallorum longè aliud est Jus Publicum, quàm nostrum, cujus magnam partem ex eorum libris discere est. Qualis Bodinus de Republica, Stephanus Pasquierius libris *des recherches de la France*, & illis, quibus collectæ exhibentur Epistolæ ipsius, tomis duobus, libris verò 22. Cardinalis d'Ossat libris 9. literarum ad Regem Henricum, & præcipuum Regni ministrum. Bret *de la Souverainete du Roy.* Lupanus de Magistratibus & Præfecturis Francorum. Cassan. libris inscriptis *Recherche des droits, & pretensions du Roy.* Loyseau *des Ordres. L'Estat & succez des Affaires de France* du Girad, & imprimis libellus recens Dn. du Verdier, cui nomen fecit *L'Estat de France*, Liber qui continet *Les Negotiations du President Ieannin*, ac plures ejus generis, quibus Legatorum Gallicorum Commentarii, instructiones, ac negotia continentur, quos utinam ex Manuscriptis quæ habet celeberrima Seguiriana Parisiensis Bibliotheca aliquando editos videret eruditus orbis. Non parùm quoq; ad hujus juris publici Gallici peritiam faciunt Commentarii in consuetudines: quales extant, Petrus Gvenois insigni libro, cui nomen fecit *La Conference de coustumes tant generales que locales & particulieres du Royaume de France*- Molineus ad Parisienses. Ad Britanniæ Argentræus, Burgundiæ Bartholomæus Chassanæus, Burboniæ Johannes Pappo, Aurelianenses Dyonisius Gothofredus, Pictavienses Petrus Rat. ac alii. Sed nec frustra aliquis consuluerit Petrum Matthiam Principem Galliæ historicum, saltem qui post Æmilium & Cominæum fuit, Scipionem du Pleixen, Histoire Generale de France, ac l'Inventaire du Serres. Thuanum quoque & Gramondum. Ausim tamen adserere nullo uno volumine hactenus tantum juris publici Gallici, ac tanta varietate collectum, quantum continetur illo, quod sub nomine Notitiæ Regni Franciæ publicavit diligentissimus

Limnæus. Hotomanni Franco-Galliæ locum propterea hic nullum tribuo, quòd antiquioribus potius, quàm nostris temporibus convenire videatur, utpote quâ, dum eam, quæ Regi propria est potentiam etiam populo ex parte tribuit, saltem ad veros seculi hujus mores parùm congruit. Nec aliter sæpe Claudius Sesellius de Regno Galliæ, qui libro suo alioquin eruditissimo, affectu, (cujus causas nôrunt plurimi) non veritatis studio actus, eam adsuit maculam, quòd Statum Galliæ, (quod secus esse ignorare non potuit) mixtum facere passim conetur. Quo loco id negligendum minimè est, quod Dn. Limnæus in additiones suas retulit, *tom. 4. c. 2. ad n. 17.* ex Mercurio Gallico *tom. 12.* prohibuisse Ludovicum XIII. in Gallia de potestate Regis Galliæ, reliquorumque Regum ac Principum, sine expressa permissione Regia quicquam vel in affirmativam vel in negativam partem decernere; id hodie omnino non obtinere, cujus rei fidem abundè fecerit vel solus libellus inscriptus L'Estat de France, Le Ministre d'Estat du Mons. Silhon, aliique plures.

III. In Anglia jus publicum repetebatur Regum tempore ab antiquis ac recentioribus eorum Historicis, Legibus ac Jurisconsultorum quoque libris. Talis Fleta libris *de differentiis Curiarum.* David. Jenkinsius libello, cui titulus *Lex terræ.* Bractonus, ac alii. In eam rem multa egregia habet illustris Salmasius *Defensione Regia*, *c. 8. 9. & 10.* & opere posthumo, quo ludos fecit Johannem Miltonum. Nec pauca etiam collegit illud Angliæ suæ decus Johannes Seldenus, qui plerisque libris quos edidit, aliquid juris publici Anglorum attigit. Sed & utile fuerit huc pertinentia quædam repetere ex erudito libello Thomæ Schmidii de Republica Anglicana, & Cambdeno, nobili Angliæ Historico. Ea ætate, qua post condemnatum ac interemptum Regem, per summum scelus, & pudendum seculo nostro, inauditi prorsus exempli nefas, Cromwellus tyrannidem veriùs quàm Imperium in Anglos exercuit, Jus publicum iisdem turbis, quibus integer populus, agitatum fuit. Hinc lepide ad Miltonum Salmasius in opere posthumo, quo ipsi respondit, *Mas sit, an Fœmina, an Hermaphroditus ista vestra Respublica, nemo potest dicere, cujus & formam nondum bene constitutam esse agnoscis ipse.* Quædam tamen Juris publici illius temporis hauriri pos-

possunt ex libello, cui titulus: *Ratio constituta nuper Reipublicæ Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ, cum Insulis aliisque locis ejus ditioni subjectis, penes Dn. Protectorem & Parlamentum*, quem jussu Cromwelli editum, & ex Anglico versum, deinceps typis suis Hagæ Comitis, describi curavit anno 1655. Adrianus Vlacq. Hodie, ex quo Regem suum recepit, felix eo nomine Anglia, juris publici Anglici pauca adhuc literis prodita sunt, vel saltem nobis innotuerunt, qui nihil ejus rescire potuimus hactenus, nisi quod vel narrârunt acta vel typis in Diario Europæo, ut vocant, descriptum legitur.

IV. Regni Daniæ jus publicum antehac ex latis in Comitiis Regni legibus, magnam partem desumi poterat. Earum recentiores prodiisse non memini; Veterum præcipua & quæ ad Rempublicam inprimis pertinent, apud Saxonem Grammaticum, cujus egregiam editionem dedit Stephanius, Meursium, ac, cujus accuratissima in his conquirendis & digerendis cura fuit, Isaacum Pontanum, reperias. Sed & multa ejus generis extant apud Huitfeldium vernaculum quidem, sed rerum patriarum apprime gnarum Scriptorem, in historia Danica. Cæterum, quæ hodie sit juris publici in illa gente, ratio, mutato in melius tot turbis obnoxio, ac rebus gerendis minus idoneo, qui ante hæc tempora invaluerat statu, id ex iis quæ indies promulgantur, & novis Regni post Epocham mutationis, natis constitutionibus, repetendum est.

V. Quæ ad Suecorum statum pertinent, publicæ leges, earum antiquissimæ ex volumine juris Suedici, quod vernacula ipsorum cùm sæpe aliàs tum nuperrimè Anno 1656. Holmiæ excusum sub nomine Schweriges Landz och Stadzlagh / & præ cæteris ex titulo primo, quem Königs Balcker / hoc est, Regium titulum ipsi appellant, peti queunt. Et verò ejus hodieque non pauca usu obtinent; sensit tamen & illud suas vices, pluribus immutatis, eo tempore, quo Gustavus primus, post ejectum Christianum II. rebus præfuit. Quod ex Recessibus Regni Orebrugensibus & Norcopensibus, aliisque discere est. Quo tempore etiam, quod electitium hactenus fuerat Regnum, consensu statuum factũ est hæreditarium, sed tum solùm, si masculi superessent. Gustavi autem hujus primi tempora, in quam epocham primaria incidit

dit juris publici Svecici mutatio, qui accuratè descripta legere velit, is ea commodissimè repetierit ex Historia Sueo Gothica Johannis Loccenii, Holmiæ ante annos paucos typis descripta. Consuli possunt & Paulinus in Historia Arctoa, & Johannes Georgii, cujus tamen omnia linguâ saltem habentur Svedicâ. Johannes quoque Messenius operibus plerisque aliquid juris publici Svedici attigit, inprimis in Sveo Pentatropoli Ætate Gustavi Adolfi secutæ aliæ publici juris mutationes, & delata Regni successio etiam ad fœminas, quod iterum loquuntur Recessus: illud verò, quod obtinuit post Gustavi fata ad annum usque 1644. quo Christina Regina ipsa Regnum administrare cœpit, Regni Cancellarius Axelius Oxenstierna egregio libello complexus est, qui lucem tamen publicam hactenus non vidit, sed manuscriptus saltem inter bibliothecarum rariora servatur. Ejus exemplar est, penes Cl. Virum Nicolaum Rittershusium JCtum & Professorem Noricum in Academia Altdorphina. Postremus Recessus prodiit anno 1660. die 3. Novembris, quibus iisdem Comitiis & alia composita est Regiminis forma, quorum ille quidem in Germanicam linguam versus habetur, hæc autem nondum, quod sciam, alia quàm Svecica lingua legitur. Audio autem ab iis, qui hæc tractantem audiverunt, peculiari & accurato opere MSS. jus publicum Sveciæ magnam partem complexum, Virum eruditissimum Johannem Loccenium, Honorarium modò Professorem ac Bibliothecæ Præfectum supremum in Academia Ubsaliensi: quod tamen an lucem publicam visurum sit aliquando, valde, haud levibus de causis, ambigitur.

VI. Polonorum jus publicum comitiorum decretis fermè totum niti nemo nescit. Ex Martino Cromero de origine & rebus Polonorum, Simone Starovolscio, quem nuper edidit Hermannus Conringius, & inprimis Orichovii Annalibus, quas de rebus Sigismundi Augusti prorsus egregias, ipse ex regni Proceribus edidit, præcipua cognosci possunt, inprimis ea quæ sunt superiorum seculorum; Nam quæ nostram ætatem spectant, ea Paulus Piasecius in Chronicis gestorum in Europa singularium luculentius subministrat, quo scriptore sæpe usus est laudato nomine ejus Hermannus Conringius, Epistola, quam titulo justitiæ armorum Suecicorum in Polonos, sub nomine Cyriaci Trasi-

machi

machi ſcripſit. Negant tamen Piaſeccio in omnibus ſecurè fidem adhiberi aliqui, & certum eſt non eſſe ipſum ab omni in Hiſtoria errore immunem.

VII. Hiſpanorum juris publici paſſim apud eorum JCtos, Hiſtoricos & Reipublicæ deſcriptores, extant veſtigia. Hiſtoricos collectos habes uno opere, quod ſub Hiſpaniæ illuſtratæ nomine prodiit, & non multo pauciores 70. autoribus, continet. Ex iis præcipuus Johannes Mariana, quem id præſtitiſſe in Hiſpaniæ rebus narrandis credit Gabriel Naudæus libello Gallico, *Advis pour dreſſer une bibliotheque*, quod in Francicis Æmilius, in Germanicis Beatus Rhenanus Seleſtadienſis. Fortaſſis tamen non longo intervallo eum ſequitur, Hieronymus Conneſtagio Italus. Reipublicæ Hiſpanicæ conſtitutæ rationem deſcriptam etiam reperire eſt inter Reſpublicas minori forma in Hollandia typis deſcriptas.

VIII. Venetorum pleraque Caſpar Contarenus libro de Magiſtratu & Republica Venetorum, Gionatus vel Janotus, utroque enim nomine appellant autores, Donatus, qui Contareneum, licet & ipſum autorem egregium, erroris nonnunquam convincit, & Andreas Maurocenus, Hiſtoriæ Venetæ princeps, ſuppeditare idonei ſunt. De Janoto hoc ita ſentit Bodinus *libr. 2. de Republica. cap. 1.* Eum Reipublicæ Venetæ Statum à primordiis, & quidem accuratiſſimè deſcripſiſſe. Quædam etiam, eaque rariora, ad antiquitates, & jura publica Reipublicæ ſpectantia, continet liber Italus, qui titulo Squinitii prodiit, ac creditus eſt ob eximiam eruditionem, quam paſſim oſtendit, non alium autorem habere poſſe, quàm Nicolaum Claudium Fabricium Peireſcium, cujus vitam incomparabili opere deſcripſit Gaſſendus, quem vide in eam rem, ad annum 1612. paulo poſt initium libri tertii, ubi tamen vel Antonium Albizium, vel Marcum Welſerum, quod ipſi verò ſimilius videtur, ejus autorem facit.

IX. Unitæ ſeptem Belgii Provinciæ cum iis quæ eo pertinent ditionibus, & ipſæ ſuo fruuntur Jure Publico, quod collegit partem magnam Guicciardinus in Belgii deſcriptione; majori tamen artificio & minori mole in Commentariolo, de ſtatu confœderatarum provinciarum, expoſitum cernitur, quem Marco Zuerio Boxhornio tribuunt.

Superat autem reliquas prima ejus editio, quòd in ſequentibus ſublata quædam ſint, decreto, ut fertur, publico, quæ in prima utiliter legebantur. Ante annum & quod excurrit, prodiit Philippi Zæſii à Zelen, Leo Belgicus, hoc eſt, ſuccincta narratio, exordii, Progreſſus, & denique ad ſummam perfectionem redacti ſtabiliminis, ac interioris formæ & ſtatus Reipublicæ fæderatarum Belgii Regionum, quo ea, quæ priori libro tractari diximus, prolixius etiam exequitur.

X. Helvetiorum quoque Reipublicæ ſeparatum eſſe à reliquis Jus publicum, non poteſt eſſe obſcurum. Ejus paſſim extant quædam apud Bodinum in methodo Hiſtoriarum & de Republica libris. Sunt autem illis accuratiora, quæ dedit Simlerus, Franciſcus Guillimannus, ac alii eorum Hiſtorici, de quibus diſſerit non ineleganter Dn. Johannes Henricus Hottingerus in methodo legendi Hiſtorias Helveticas. Habes autem eam in tractatu, qui ab ipſo inſcribitur Diſſertationum Miſcellanearum Pentas, quinto loco. Superſunt verò paſſim in Bibliothecis Helveticis manuſcriptæ hiſtoriæ plures, quæ res illius Reipublicæ doctè & verè, ſæpe etiam ex rarioribus monumentis explicant, quàm faciunt editæ pleræque. Tales in Bibliotheca civitatis Sangallenſis Anhornius, qui novem libris majoribus ipſe deſcripſit res ſua ætate geſtas, ac deinceps Bibliothecæ urbis legavit, ac Hoſpinianus, etiam qui parem operam ſua ætate impendit, uterque autem ibi manuſcriptus ſervatur adhuc, aliquot in folio, ut vocant, voluminibus.

XI. Jus Publicum Romanum antiquum, paſſim exhibet vetus Hiſtoria Romana, inprimis liber inſcriptus, Notitia utriusque Imperii, in quem extat eruditiſſimus Clariſſimi Guidonis Pancirolli Patavini JCti Commentarius, quem auro contra charum habent doctiores. Aliorum Imperiorum Status, aut publicæ rei Autores, perſequi, non eſt hujus loci, nec noſtri in præſens quidem inſtituti. Conſulere interim qui velit poterit Reſpublicas diverſas, quales illas ediderunt Elzevirii. Saltem enim de plerisque ibi aliquid reperiet, quod ſi non ſatisfacere, delectare tamen poſſit. De Germanico noſtro præcipuè inſtituta eſt hæc tractatio, eoque unde petendum illud ſit, pluribus deinceps tractabimus.

XII. Et hæc quidem Prima ſit, eaque neceſſaria obſervatio, ne quis

quis vel existimet non esse hæc Jura Publica, vel idem esse cum jure publico generaliter dicto, aut cum jure publico Germanico.

Altera isthæc; quamvis Jus publicum sint solæ Leges aut Consuetudines illæ, de quibus antea diximus, non ea sola tamen propterea enarrare Jurisprudentiam publicam, sed adjungere etiam omnia illa, quæ ad eas dextre intelligendas, ac, si ambiguæ sint, interpretandas faciunt. Hinc & in definitionibus rerum, ut quale sit jus publicum, quid sit Status Imperii, quid Comitia, interdum in obscura dignitatum origine, historica enarratione occasionum, quibus urgentibus leges publicæ latæ sunt, Genealogica Stemmatum enumeratione, explicatione & collectione Matricularum, & ejus generis aliis versatur, quod videre est ex Commentatoribus Juris publici omnibus: quæ ad jurisprudentiam publicam omnino necessaria sunt, nec minus etiam ad intellectum juris publici, sed tamen propterea ipsum jus publicum non sunt, nec dici propria acceptione queunt.

XIII. Unde patet etiam tertia Observatio. Differre jus publicum à prudentia juris publici. Et sanè ad eum modum, quo à corpore naturali differt, quæ id explicat, Scientia, haud secus à jure publico diversa est, quæ id tractat, doctrina, utque isthæc Physica, ita hæc jurisprudentia est publica. Gotfridus Fibigius Antecessor Academiæ Jenensis in Electis juris publici *Semidecade 2. quæst. 3.* nullam agnoscit specialiter ita dictam jurisprudentiam publicam, ideò quia una Jurisprudentia Romana objectum habet jus civile Romanum, quatenus consideratur ut totum integrale, dispesciturque in partes integrantes (non autem species.) privatum & publicum jus. Qua in re tamen haud dubiè fallitur. Sanè Demosthenes in Timocratem de jure dixit, ἐςὶν δύο εἴδη; εἴδη autem species est. Et Theophilus, fidus plerumque interpres in paraphrasi Græca §. 4. pro eo quod in Institutionibus est, sunt duæ positiones, δύο εἰσιν θέσεις, id exponit, ἤγουν εἴδη, quod benefactum ex Harmenopolo & autore Ecclogarum probat in notis ad eum Gotofredus. Nec aliter Hugo Grotius, quo nemo felicius Græcos vertit, in florum sparsione ad jus Justinianeum eodem hoc §. ubi illa Demosthenis vertit, *Duæ sunt positiones*, ut satis appareat, speciem & positionem hic illum pro uno eodemque habuisse. Consenti

Wesemb. *ad tit. ff. de just. & jure n. 14.* Vinnius *ad* §. *4. instit.* plures nominare nihil attinet. Et si partes solùm sint Jurisprudentiæ, quo modo indè consequeretur nullam esse Jurisprudentiam publicam, ideò, quia una jurisprudentia versetur circa publicum jus & privatum, id enim dari jurisprudentiam publicam probat, non infert non dari, quod ille existimat; Nempe Jurisprudentia totalis continet jurisprudentiam privatam & publicam, ut partiales jurisprudentias, quod pridem observatum Philosophis in artibus & scientiis fieri, ut artes, & scientiæ totales (ita ipsis dictæ) plures contineant artes & scientias particulares. Quicquid sit, id certum est, qui negant jurisprudentiam hanc, litem intendere saltem de nomine: cæteroquin dari prudentiam, quæ versetur circa jus publicum, ipse Fibigius non diffitetur: Est verò hoc ipsum quod jurisprudentiam nos appellamus publicam.

XIV. Sed & IV. notanda est insignis differentia inter juris prudentiam publicam & Politicam tanto acuratius, quo plures hæc confundunt, ferè tamen recentiores solùm, inter quos miror esse subtilissimi ingenii JCtum Bernhardum Sutholdt, *qui Dissert.* I. *n. 43.* id vocat politicam specialem: in quam sententiam etiam ea de re differit Cyriacus Lentulus, in nova, ut appellat, meridiatione de Republica, quæ cis paucos menses Cassellis prodiit *parte anteriori p. 16.* Sed hujusmodi politicam & Aristoteles & interpretes ejus, ac politici hactenus alii melioris notæ ignorant. Est enim de natura ejus, ut ad singula neutiquam se demittat politica: nempe nihil sigillatim de ulla Republica in individuo præcipit; sed in communi de illis saltem ac generatim tractat. Juris prudentiæ publicæ alia est ratio, utpote quæ ad specialem aliquam Rempublicam pertineat. Politica non jubet quid agendum sit ex decretis ante factis, sed quomodo ipsa sint decreta condenda, quid observandum, quid immutandum, qua de re operæ pretium est, afferre integrum & elegantem Hermanni Conringii locum, excerptum ex præfatione, quam Cornelii Taciti de moribus Germanorum libello prolixam præmisit, cujus postrema se nobis valde probant, *Apparet* (verba ipsius sunt) *cuivis vel leviter in hanc publici juris scientiam intuenti, nihil illam aliud polliceri, quàm notitiam eorum, quæ circa publica hoc in Romano Germanorum imperio sunt constituta, adeoque sive consen-*

su

ſu ordinum aperto, ſive tacitâ conſuetudine vim legis acceperunt, à quo profectò multum diverſa civilis prudentia eſt. Hæc enim nihil ſigillatim de hac noſtra Republica, ut nec de ulla alia præcipit, ſed in communi tantùm occupata, ut natura eſt artium omnium & ſcientiarum, ad ſingula neutiquam demittitur; Hæc non reſpicit unius ſolùm civitatis ſalutem, ſed omnium omnino in univerſum æqualem habet curam. Hæc denique non jubet quid agendum ſit ex decretis ante factis, ſed quomodo ipſa ſint decreta condenda, quid eorum obſervandum quid mutandum & qua cautione, uſu id ipſum poſtulante. Tanto ſcilicet diſcrimine diſtat utraque hæc cognitio, quando medica ars ipſa ab ea cognitione abeſt; quâ novit Medicus quid in Socrate E. gr. ſanum ſit aut invalidum. Reſpondet enim medicina prudentiæ civili, & juris publici ſcientia penè gemina eſt illi notitiæ quam de Socratis valetudine ſibi Medicus comparavit. Pluribus ea de re diſſerit in notis manuſcriptis ad Lampadium, quæ quia brevi emendatiores & auctiores typis expectantur, adducere in præſens ſuperſedimus. Confer & Dn. Struvium *Syntagm. Pandect. tit. de juſtitia & jure, num. 43.* & Fibigium *in electis juris publici ſemidec.* I. *quæſt.* 3.

XV. Neque verò V. prætereundum ſollicitè diſtinguenda eſſe à jure publico, quæ publicè fiunt ſaltim, etiamſi id fiat non ab uno aliquo, ſed interdum pluribus & in conventu, quamvis magno, modo tamen non eo, qui jus publicum in Republica conſtituendi poteſtatem habeat. Sanè is lapſus tanto majori curâ præcavendus, quo totam juris publici rationem nullus magis conturbat, & quo majori ſtudio ii aliquando, qui in Imperiis præcipuas partes ſuſtinent vulgo illum ſæpe perſuaſum volunt. Sed vanitatem tamen ſententiæ hujus, quæ factum & jus publicum confundit, tum alia, tum ipſa imperii praxis arguit. Vidimus noſtrâ ætate multa hujusmodi facta circa jus publicum ex jure publico reſciſſa, quod accidit paci Pragenſi; quamvis Imperator, plerique Catholici ac Proteſtantium aliqui eam probâſſent. Et gravamina, quæ in comitiis proferuntur, non aliud ſunt, quàm Facta contra juris publici rationem inducta aut ſaltem quæ talia eſſe perhibentur. Utque facta hæc à jure diſcernantur, ideo magnam partem Comitia, omnino autem Aulicum & Cameræ, imperialia judicia inſtituta ſunt.

Ea tamen Facta excipio, quæ & apta nata, ut indè legitima consuetudo exurgat, ista enim & juri publico sæpe normam dant.

XVI. Ex generali hac descriptione, cum iis, quæ indè deduximus consectariis, haud difficulter quidem constare potest, quid sit jus publicum Imperii vel Germaniæ nostræ, qua in parte tamen plerique, qui id definiendum sibi existimarunt, vix satisfaciunt. Et quia ad intelligentiam juris publici præcipuè facit non decipi falsis ejus descriptionibus, saltem eam quæ reliquis melior plerisque visa est, ac quam dedit nuper Dn. Fibigius in electis *Semidecade 1. quæst. 2. in fine.* considerare operæ fuerit pretium. *Jus publicum Romano-Germanicum est Reipublicæ Romano-Germanicæ proprium jus publicum, Cæsaris statuumque Imperii consensu promulgatis legibus constitutum ac definitum.* Prætereo alia, quæ circa hanc definitionem (quomodo illam appellat Fibigius) admoneri possunt, & illa etiam quæ in illa deesse existimat Dn. Schutz Junior in lectionibus juris publici *in Exposit. Positionis secundæ*, quæ manuscriptæ in nonnullorum manibus versantur. Sequentia autem vix permittere videntur, ut quis pro accurata eam habere possit. Vocat Rempublicam nostram, Romano-Germanicam, quod ut defendi possit, quia in controversiam vocatur tamen, ab Italis, Gallis & etiam nostris scriptoribus nonnullis, partem definitionis facere non debuit. Deinceps illud proprium jus esse ait Reipublicæ nostræ, quod ut de complexione illa universi juris verum sit, de particularibus tamen eis legibus, quæ sæpe communes aliis Rebuspublicis sunt, dici nequit; Requirit ut id sit legibus Cæsaris statuumque consensu promulgatis constitutum, qua ratione nullus relinquitur locus consuetudinibus. At magna tamen illis passim in Imperii Recessibus, magna in ipsa Caroli IV. Bulla, *tit. 1. in princ. tit. 2. §. Et quia tit. 4. §. 1. tit. 5. cod. vers. invenimus.* tribuitur autoritas. Quare id non magis probari videtur posse in definitione juris publici Germanici, quàm illud in altera juris publici in genere accepti, quod vult ad communem omnium utilitatem id pertinere. Qua ratione in Regno pleno ac παμβασιλεία cujus Aristoteles meminit, cùm alibi tùm *lib. 3. cap. 16. Politicorum*, (cujus in Africa & Asia & olim erant, & nunc supersunt exempla multa & qualia ferè in Europa sunt Turcicum & Moscorum Ducis Imperium) nullum

fuerit

fuerit jus publicum, ad dominantis enim commodum, non ſubditorum rei omnia referuntur. Commodius jus publicum imperii noſtri idem eſſe dicitur cum legibus, quæ directò & principaliter, (vel quod idem eſt) intentione & executione ad conſervationem & conſtitutionem Reipublicæ Germanicæ ſpectat.

CAP. III.

PRincipium quid ſignificet? 1. quotuplex ſit, 2. ac quæ differentia inter principia cognoſcendi & eſſendi, 3. Jus Naturæ Principium Juris Publici, 4. Id probatur, 5. Autores conſentientes, 6. & Diſſentientes, 7. Loccameri argumentum in contrarium, 8. cui reſpondetur, 9. Obſervationes duæ ad hujus controverſiæ explicationem neceſſariæ, 10. Jus publicum quando mutatur, non mutatur Jus Naturale, 11. De Iure Naturæ novæ recentiorum ſententiæ, 12. Ægyptiorum ſententia inquiritur, 13. Eorum mundus intellectualis & ſenſibilis, 14. & indè nata probabiliter de lege cœleſti & divina præter Naturalem, opinio, 15. Errores Ægyptiorum circa ea quæ ſunt juris Naturæ, 16. Indorũ ſententia de Iure Naturæ, 17. & quæ ab illis contra Ius naturæ peccantur, ex Herodoto, Strabone, Boullaio & Mandelschloe, 18. Sinenſium de Iure Naturæ opinio, 19. Eorũ ſex præcepta, quibus id exprimunt, 20. Conſenſus Confutii primarii illorum Philoſophi, 21. Errores Sinenſium circa Ius Naturæ, 22. Iudæorum de jure naturæ ſententiæ, 23. Philonis & Joſephi; ac in latinè verſis operibus ejus, etiam Maimonidis ſilentium, de capitibus juris Noachidarum, 24. Opus Yad Mo-

Mosis Ben Maimon laudatur, 25. Ex Talmude & Talmudicis petenda eorum de jure naturæ sententia, 26. Quod eorum Corpus juris, 27. Præcepta septem illustriora Noachidarum, 28. Eorum interpretatio, 29. Filaccii, Bolduccii, Genebrardi, errores circa eorum recensionem, 30. Seldeni judicium de Iudæorum hac opinione, 31. Nonnulli addunt duo alia præcepta de esu sanguinis & Sabbathi observatione, 32. Quod communiter Iudæis improbatur, 33. Modus quo cognita fuerint præcepta hæc Adamo ex mente Iudæorum, 34. Pœnæ in violatores septem præceptorum, Illustriorum Noachidis præscriptorum à Iudæis irrogatæ, 35. Eæque præter temporales etiam creditæ æternæ, 36. Capita minora vel obscuriora juris naturæ, 37. Eorum numerus incertus, ac tota de iis traditio obscura, & divisio in duas classes, 38. Recensentur exempla, 39. Obscura cur vocentur? 40. Sententia hæc Iudæorum expensa, 41. & erroris convicta, 42. Non probari potest illorum opinio, qui plura, septem enumeratis, præcepta illustriora faciunt, 43. Non illorum qui ad literam explicari volunt septem præcepta, 44. Nec explicatio Talmudistarum, 45. Neque etiam *Seldeni interpretatio, 46.* Nec *admitti potest illorum sententia, qui jus naturæ putant cognosci ex præceptis illustrioribus & obscurioribus conjunctis, 47. Incolæ novæ Belgicæ quid de jure naturæ sentiant? 48. Exempla gentium Orientalium ac aliorum, qui contra jus* N*aturæ deliquerunt, à quibus collecta? 49. Digressio ad sequens caput 50.*

Pro-

I.

PRoximum est, ut post ea, quæ disseruimus prioribus capitibus, propiùs accedamus ad juris publici principia. Cùm varia autem denotet principium, nos eo sensu usurpamus, ut significentur prima illa fundamenta, ac quidam quasi fontes, è quibus jus publicum emanat, unde certitudo ipsius aut probabilitas dependet, cujus secundo loco mentionem facit Aristoteles *Metaph. 4. cap. 1.* ac tale esse ait, *unde quodque optimè fiat.* Cùm autem duplicis generis sint Principia hæc, ut eodem loco monet Aristoteles; Vel *ea unde aliquid est, seu fit*, quæ *principia rei, & essendi* Philosophis vocantur; Vel *unde cognoscitur*, quæ *cognoscendi aut cognitionis principia* dicuntur; De utrisque nobis agere animus est. Sunt quidem Principia rei (quæ & essendi Metaphysicis dicuntur) & ipsa Principia cognoscendi, quoniam (liceat nobis uti ipsorum verbis, quamvis nonnihil barbaris.) *Ex quibus aliquid dependet in esse, ex iis etiam dependet in cognosci*, adeoque simpliciter & absolutè considerata Principia quæ vocant essendi, non differunt à principiis cognoscendi, sed sub eis comprehenduntur: Quia tamen evenit aliquando, ut principium quoddam, solum tale sit, unde aliquid cognoscatur, non etiam unde constituatur; nec ad rem, sed cognitionem solùm rei, in animo nostro referatur, adeoque exclusionem alterius interdum involvat notio hæc, justa est hæc invicem distinguendi causa. Vid. Stalium in *Metaphysic. cap. 3. distinct. 3.* Et verò in jure publico utriusque generis principia dari, ostendent sequentia.

II. Faciemus autem ab illis, quæ id constituunt, initium, desinemus in reliquis unde cognoscitur solùm. Ex illis primum locum damus juri naturali. Cùm enim à ratione, communi principio proficiscatur jus hoc, omnes homines eò adstricti tenentur. Reipublicæ corpus verò ex hominibus constat. Tenetur ergo eò Respublica, nec quicquam in quocunque negotio, etiam publico & ad constitutionem ac conservationem suam pertinente, contra admittere, aut eo non uti, potest, ubicunque aliquid imperat. Sed & experientiâ indice, in omnibus Rebuspublicis constat, partem juris publici facere leges naturæ, quæ si desint, non in negotiis solùm privatis, sed multo magis in publicis quidvis potius, quàm Respublica, hujusmodi con-

ventus fuerit. Eleganter in eam rem disserit Bachovius in *Comment. ad primam partem Pandectarum, titulo, de justitia & jure* in *l. 1. §. 1. p. 77. Non omne jus publicum*, ait, *Romanorum esse inventum, ratio satis manifesta, quin & ipsa probat rei evidentia: Nam sicut ipsæ Civitates sunt ex Iure Gentium, & quasi ex instinctu quodam Naturæ; Cùm homo naturâ suâ sit animal* ἀγελαστικόν, *ita & Iura Sacrorum & Magistratuum sine quibus nulla planè consistere potest Civitas: Deinde Ius Publicum suum Romani non exiguam partem desumserunt, ex Sabinorum, & præcipuè Hetruscorum disciplina, quin & à Græcis acceptum in XII. Tabulas retulerunt, ut vel ille Ausonii versiculus testatur:*

Jus triplex tabulæ quod ter sanxére quaternæ.
Sacrum, profanum, & populo commune quod usquam est.

Ubi *in specie sumit Publicum & opponit Iuri sacro. Quin Religio erga Deum pertinet ad jus publicum, & ea in l. 2. hoc.* 1. *ad jus gentium refertur.* Hactenus ille? Atqui hanc sententiam & alibi ad Treutl. *vol.* 1. *disput. 1. th. 3. lit. b.* tuetur, quæ & placet Domino Hahnio *in observat. ad* Wesembec. *ad n. 14. de justitia & jure, ad verba, facile ut intelligi possit p. 40.* Dn. Limnæo *tom. 1. juris publici libr.* 1. *cap. 1. num. 17.* ubi *Gæddeum, Vultejum, Giphanium, de Lopezium* pro eadem sententia laudat. Dn. Schultz Collegio de statu rei Romanæ *vol. 1. thes. 5. lit. a.* ubi Hunnium ejusdem sententiæ Patronum nominat. Dn. Ludwel. *in Comment. de justitia & jure n. 3.* & Harprecht. *ad* §. *4. instit. de justitia & jure*, (ubi consentire monet Hotomannum, Winclerum, Kubachium, Hænonium, Gerhardum, Nigrinum,) & Wurmsero *Exerc. 1. juris publici quæst.* 3. qui in eadem etiam sententia fuisse Besoldam, adducto quodam loco ipsius probat, & argumento dissentientis Ungepaueri respondet; ac Arnold. Vinnio *ad. d.* §. *4. instit.*

III. Scio quidem, esse etiam JCtos eruditissimos qui aliter sentiant, argumentis nec levibus nec condemnendis. Inter quos plerique referunt Wesembecium *ad tit. de justitia & jure num.* 14. ut mihi videtur, immeritò; nisi fortassis, quod in locis aliquot observavi, & hic varient diversæ ejus editiones. Neque enim simpliciter scribit, jus publicum non collectum esse ex præceptis naturalibus; sed additâ limitatione hac: *Magna sui parte.* Videtur autem ita sensisse post Lyclamam

mam, Cujacium, & qui illum vix unquam destituit, Borcholtum, Treutlerum, Alciatum ac alios, Loccamerus *in quæstionibus Justinianeis quæst. 6.* Ubi, postquam quæsivisset, *an etiam jus publicum collectum sit ex præceptis naturalibus, gentium & civilibus?* Negativè respondet, ac sententiam suam specioso argumento tuetur, quod firmissimum appellat Biccius *in præloquio rerum quotidianarum num. 32.* Est verò illud tale. *Quodcunque jus universum ad statum certæ civitatis spectat, ejusque proprium est, id nulla ex parte collectum est ex præceptis naturalibus & gentium §. 1. institut. de jure naturali. Atqui jus publicum universum ad statum certæ civitatis spectat, ejusque proprium est §. ult. instit. de just. & jure.* Ergo *jus publicum nulla ex parte collectum est ex præceptis naturalibus & gentium.*

IV. Videtur autem, salvâ JCti celeberrimi autoritate, non esse impossibile dissolvere hunc nodum. Jus publicum universum enim, duo significare potest, vel leges publicas, quatenus unum constituunt corpus, ac congeriem, ut ita dicam & massam unam, adeoque respectu ac ratione totius alicujus integrantis: vel leges has separatim & seorsim, ut singulas consideratas. Si priori sensu accipitur, in prima argumenti propositione, ea certè minime firmo subsistit talo. Neque enim ulla est consequentiæ ratio, quia legibus hisce omnibus simul sumtis non utitur Respublica alia, ideo etiam non uti illam unâ vel alterâ vel multis legibus, quæ hoc cumulo continentur; neque id probat, §. 1. *instit. de jure naturali, gentium, & civili*; Traditur enim ibi saltim, quid sit jus civile strictè acceptum, ac tum significare dicitur, id quod quisque populus sibi constituit. Jus publicum autem Reipublicæ alicujus, ut totum consideratum, non est jus civile in stricta significatione, sed in altera illa latiori, quâ continetur omne jus quo utitur Respublica, sive id ex naturæ, aut gentium, aut strictè dictis civilibus legibus constet. Nota autem hæc & certa est juris civilis distinctio, quæ fundamentum non ex re ipsa solùm, unde præcipuè res hæc æstimanda, sed finalibus etiam verbis §. hujus repetit, vid. & Arnold. Vinnium *ad* §. 4. *instit. de justitia & jure.* in verbis: *Tripartitum est* & §. 1. *instit. de jure naturali, gentium, & civili.* ac Harprecht. *ad* §. 2. *instit. de jure natur. gent. & civ.* ubi *Giphanium etiam* & Winclerum hujus distinctionis testes habet.

Molinam de *justitia & jure tom.1.tract.1. disp.3.num.6.* Bachovium ad *τὰ πρῶτα p.25.* Quod, si jus universum publicum, hic leges publicas quidem, sed singulas in prima propositione significat, ut eadem sit propositio hæc cum illa: Cujuscunque juris singulæ leges ad statum certæ civitatis spectant, eique propriæ sunt, id non collectum est ex præceptis naturalibus: Agnitâ majore, nego minorem; neque enim propriæ sunt, cum exclusione aliorum, hujusmodi leges omnes, uni civitati certæ, neque ad statum certæ civitatis solummodò, sed ita spectant, ut simul etiam usum sui aliis concedant Rebuspublicis. Neque quicquam ita explicato negotio officit §. *ult. instit. de justitia & jure*; Non enim dicitur ibi singulas leges juris publici, Romani proprias esse vel solùm pertinere ad statum Reipublicæ Romanæ. Et si utrumque de jure diceretur, de toto corpore & collectione legum publicarum, non de singulis legibus accipiendum id fuerit.

V. Res ergo hæc omnis confici posse videtur, si probè observentur duo ista. Primò, jus publicum dici & considerari posse vel ut totum quoddam, compositum ex omnibus legibus publicis, propriè ita dictis, & tum certum est, id proprium esse unius Reipublicæ: vel ratione partium, & in respectu ad singulas leges, ac tum illud proprium esse uni solùm aut alteri Reipublicæ negandum esse judicamus. Quod si quis existimet, leges has, aliis communes, ideo publici juris esse dici non posse, quòd non pertineant ad jus civile leges, quas non ipse populus sibi constituerit proprias *d.* §. *1. instituit. de jure natur. gentium & civili*, tum jam alterâ distinctione opus est, inter jus civile latè sumtum, quod complectitur totum illud jus, quo civitas utitur, ex naturalibus, gentium & civilibus strictè dictis præceptis, constans & strictè acceptum, quod non nisi leges civiles, ex mera populi illius constitutione tales continet. Ut aliquid sit juris publici Reipublicæ alicujus, necesse quidem est, ut sit juris civilis, sed latè dicti, non item ejus quod stricta solùm acceptione tale est. Qua ratione haud difficulter solvi posse existimamus, quæ objici possunt sententiæ, quam veram esse persuasi sumus.

VI. Sunt levioris momenti reliqua quæ aliqui opponunt. Quale illud est, quod in *l.* 1. §. 2. *ff. de justitia & jure* & §. *ult. institut. de justit.*

justit. & jure. de solo privato jure dicitur, *quòd collectum sit ex naturalibus præceptis, aut gentium aut civilibus.* Bene subtilis Bachovius *Commentar. in primam Pandectarum partem ad hunc ipsum* §. 2. *l. 1. Equidem*, ait, *ex hoc loco id non potest solidè colligi, cùm in promtu sit dicere, ideo jus privatum ita distributum, tum quòd in jure privato hæc res esset manifestior, tum quòd Ulpiano fortè tantùm de jure privato tractare propositum esset, cùm & jus vetus publicum magna ex parte esset sublatum: Cæteroquin publico quoque juri hæc divisio non inepte accommodatur.* In eandem sententiam Vinnius ad §. 4. *institut. hoc tit. num. 4.* scribit. *Notat Iustinianum Rudolphus Agricola libr. 2. de inventione Dialectica, quòd duntaxat jus privatum ex triplici illo jure collectum dicat, quasi hoc ipso negaret jus publicum ex iisdem præceptis collectum esse. Sed hoc minimè sequitur. Nam satis Iustiniano visum, causam & originem indicare ejus juris, de quo dicturus erat, nimirum privati, insuper habito an ex eisdem præceptis etiam originem traheret jus publicum.* Similia etiam apud alios passim reperias. Nobis hos adduxisse sufficiat, quod omnia scribant, quæ respondenda huic objectioni putamus.

VII. Movet aliquos, quòd vident mutari quandoque jus publicum, cùm jus naturæ immutabile sit & dicatur §. 11. *institut. de jure natur. gentium & civili.* Confer. & Wesemb. *ad digest. de justit. & jur. n. 14.* Cæterùm & promta & certa est responsio, jus publicum non solùm ex jure naturæ, ut principio, deduci, sed etiam agnoscere principia alia. Unde, quando evenit mutatio, ea non fit circa eas leges, quæ ex naturali ratione descendunt, sed circa alias, quæ ex hominum positione: haud secus, ac jus civile privatum etiam mutatur, quamvis & illud collectum sit ex jure naturæ.

VIII. Manet ergo Principium juris publici esse jus Naturæ, ab eaque sententia non valde alienus esse videtur etiam Biccius *in præloquio rerum quotidianarum th. 32.* Quo loco, cùm dixisset, leges fundandæ & administrandæ Reipublicæ qua tales non esse à natura dictatas. Subjungit *in notis lit. 9.* ubi hæc explicat. *In jure publico* omnino *distinguendum esse inter principia & principiata*, ac illa *non ad solum jus civile referenda esse* monet. Probat verò etiam satis apertè Dn. Johann

Otto Tabor. *Selectarum quæstionum ad Wesembec. disput. 1. num. 6.* ubi exsertè scribit: Materialiter *nonnulla juris publici capita ex his etiam fontibus hausta sunt, non item formaliter & efficienter, quomodo multa juris naturæ & gentium capita integra per nudam approbationem in civitatem Romanam sunt recepta.* Qui autem agnoscit concurrere ad jus publicum naturæ jus ut materiam, idem fatetur concurrere illud ut causam; causa verò est principium, quod notum ex Metaphysicis. Idque concedit etiam Dn. Frantzkius *Comment. ad instit. §. fin. de justitia & jure. Licèt*, ait, *& publicum jus principia sua suo modo à jure naturæ & gentium dependentia habeat, ut Deum esse colendum l. veluti 2. ff. de justitia & jure, communitatem per certos Magistratus esse regendam, non ideo tamen ita ut jus privatum ex naturalibus præceptis collectum dici potest.* Quæ posteriora aliis explicanda, & nisi ratione modi intelligantur solùm, etiam defendenda relinquimus.

IX. Quando autem de Naturæ jure omnibus seculis ferme natæ controversiæ, ne nostrâ quidem ætate desinunt: & verò de eo disquirere his temporibus tantò magis necessarium videri possit, quòd eruditissimi nonnulli, Gallorum, Anglorum, & aliarum etiam gentium scriptores non solùm novas quasdam ejus indagandi rationes invenisse sibi visi sint, quæ & multis sese satis probant; sed eorum etiam aliqui id omnino nullum esse asserere ausi sint, operæ fuerit pretium, paulò aliùs repetitâ ejus doctrinæ origine, & investigatis diversarum Nationum ac Philosopum non unius sectæ, sententiis, ad id demum perveni-re, quod recentioribus sententiis antiquorum doctrina mutatum. Unde non difficulter & id apparebit, firmo talo ea subsistant an minus.

X. Faciemus initium ab Orientalibus populis, & qui vicinas orienti regiones incolunt. Inter eos Ægyptii sapientiæ & reconditioris doctrinæ laude non ultimi. Sanè ea causa fuit, cur Pythagoras, Plato, Democritus, Eudoxus & è Græcis alii eò concederent, ut domum redirent doctiores. Vid. Diodorum *lib. 2.* Jamblichium *de mysteriis Ægyptior. in princ.* Lactantium *libr. 4. divinarum instit. cap. 2.* Ac apud Herodotum, quidem ac Strabonem, & Diodorum etiam de jure naturæ ad Ægyptiorum mentem nihil reperias, quanquam alioquin leges civiles ac destinatas pœnas in quædam naturæ jure prohibita apud

Dio-

Diodorium *lib.2.* reperire sit. Neque aliquid ejus rei extat apud Jamblichium *de mysteriis Ægyptiorum*, aut in *descriptione vitæ Pythagoræ* quo loco, quid ab Ægyptiis acceperit ille, recenset. Hecatæi autem *de Ægyptiorum Philosophia* opus, quod Laërtius *in Proœmio libri de vitis Philosophorum* memorat, quodque Viris doctis, Moralis eorum Philosophiæ placita. Theologiam & jurisprudentiam complexum continuisse, non immeritò existimatur, ævi incuria intercidit. Quando tamen Pythagoras ac Plato, qui Ægyptios Sacerdotes Præceptores habuerunt, jus naturæ agnoscunt; idque ex ratione recta atque ejus dictato repetunt, credibile est haud diversum quid à Doctoribus accepisse discipulos. Et verò Platonis illa distinctio legis, quâ illam dividit in *Divinam, Cælestem, Naturalem & Humanam*, aliquid Ægyptiacum sapit. Nempe Ægyptiorum Sacerdotes persuasi erant, præter mundum hunc sensibilem, & ea quæ in ipso sunt, esse alium intelligibilem, qui & hunc mundum exhibeat, & quasi producat & contineat res omnes, quales sunt in hoc mundo, adeò ut nullum hic animal, nullam plantam, nullam virtutem in inferiore orbe existimarent, cujus non similis exstaret in superiori; quod eruditè passim explicat Athanasius Kircherus è Societate Jesu, in eximio opere quod ante annos paucos sub nomine *Oedipi Ægyptiaci*, de universa Ægyptiorum Philosophia edidit, ac S. Cæs. Majestati, Imperii Electoribus, ac Principibus aliis inscripsit. Acceperant eandem ab Ægyptiis doctrinam Plato & Platonici. Dißertè Plotinus ex interpretatione Marsilii Finici, *Enneadis sextæ libro 7. cap.12. de mundo altero illo, quem intellectualem vocat. Profectò*, ait, *cùm concedamus hunc mundum, velut ad illius exemplar effingi, oportet illic quoque multo prius omnia animalia esse, atque si omnino perfectum esse ejus existit, esse cuncta.* Et paulò pòst, *esse in eo terram quoque non vacuam sed multo magis ibi viventem, vitæq́ plenam, esseq́ in ea animalia omnia, quæcunque hic gradientia & terrestria nuncupantur, plantas insuper, videlicet in vita fundatas &c.* Similia repetit alibi passim: Vide eundem *Ennead. 5. libr. 7. cap. 1.* & ibi *Mars. Ficinum & Ennead.6. lib.4.cap.2.* Quæ quamvis, ita ut verba sonant accepta, falsa sint, quia utrisque tamen & Ægyptiis & Platonicis credita, necessitatem iis inferebant agnoscentibus naturæ legem in orbe hoc sensuali, aliam quo-

que

que ei similem in intellectuali orbe agnoscere, quàm Cœlestem, atque cùm intellectualis orbis non nisi accepta, à Deo virtute inferiora secundum ideas, quas ipse habet, ex eorum mente, producat, & tertiam Divinam fateri. De toto autem hoc negotio & quid veri habeat, infrà ubi de Platonis sententia agendum erit, dispiciemus.

XI. Atque in genere quidem vix dubito quin de jure Naturæ vera quædam assecuti sint homines in multis sapientissimi. Lapsos tamen & illos in varios errores eosque jure naturæ improbatos nimis ex Historicis est evidens. Illud de Apide & hirco pro Deo habitis apud Ægyptios, ac etiam de aliorum animalium, Ichneumonis, Ibidis, felis cultu, apud Diodorum Siculum *lib. 2.* & Herodotum *libr. itidem 2.* quàm est à jure naturæ alienum ac ei adversum. Quin etiam ad porrum & cæpe porrecta veneratio, & ab his abstinere jussæ manus quæ piæ esse vellent, unde illud Flacci jocosè, tanquam de impia cæde dictum:

Si porrum & cæpe trucidas.

Et alterius.

O sanctæ gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina.

Atque hoc factum contra naturæ legem illustris docet locus Sancti Apostoli in Epistola *ad Rom. cap. 1. vers. 23.* & præced. Sed & in eo error est, quod, qui tantopere colebant animalia ea, etiam vellent juris hujus naturæ perita. Eam enim sententiam sequi, qui Metempsychosin & commutationem animarum inter homines & bestias statuunt, ostendit ex Porphyrio de abstinentia animalium *lib. 3.* & Sexto Empirico adversus Mathemat. *lib. 8. cap.* περὶ θεῶν Johannes Seldenus de *jure naturali & gentium juxta disciplinam Ebræorum libr.* 1. *cap. 5.* Ægyptios verò agnovisse Metempsychosin ex eodem Diodoro *lib. 2.* liquet, loco quo de Apide agit. Quin imò ab his dogma hoc accepisse Indos & vicinas gentes alias vult, & probare contendit passim Kircherus dictis ante libris. Cæterum non invitandas in juris naturalis communionem bestias deinceps ostendetur.

XII. Indorum quoque celebris ac in multis culta, & in plures gentes distincta natio. De eorum justitia, quam summam fuisse scripsit,

psit, & moribus ac ritibus pluribus egerat ex antiquis Ctesias iis libris, quibus Indica persequebatur, ut quidem recenset Photius *in Excerptis*. An verò leges solùm positivas memorarit quod facit & Diodorus Siculus *lib. 3. Historiarum*, an verò quid de naturæ præceptis senserint, adjecerit, nec ipse ait, nec affirmare in promtu est. Herodotus quoque, &, quod magis mirum Philostratus descriptor vitæ Apollonii Thianæi illorum de jure naturæ sententiæ non meminit, qui tam multa tamen alioquin curiosa de Indis & eorum Philosophia etiam, prodidit. Quando tamen naturæ in universum magnam eorum sapientes exhibuisse reverentiam scimus, quod ex Mandatis Indi Philosophi ad Alexandrum M. Oratione apud Strabonem *libr. 15. Geographiæ.* cuivis colligere integrum est, non existimandum est, neglectas ab illis esse, quas tales existimabant, leges, *qui in omnibus naturæ parendum, nec veste ideo utendum, nec victu, nisi necessariò arbitrabantur. Atque imperfectam Græcorum Philosophiam, quòd hæc negligeret*, existimabant. Idem Strabo, ex Nearcho *d. l.* ait, *Indos legibus teneri, aliis quidem non scriptis & communibus: aliis verò propriis, quæ ab aliorum legibus valde sint aliena.* Et agnosci ab illis rectum quoddam, quod non apud Indos solùm tale sit, sed Romanos etiam, ac alias nationes, ex Pori Regis eorum Potentissimi ad Cæsarem Augustum literis patet, *ubi paratum se esse ait, in quibuscunque rectum fuerit, ei opitulari*, apud Strabonem *d. l.* Accedat locus Megasthenis apud Clementem Alexandrinum, quem observatum debemus Johanni Seldeno *de jure nat. & gent. libr. 1. cap. 2. pag. 24.* quemque ibi latinè vertit. *Quicquid ab antiquis de natura dictum est, docetur etiam ab eis, qui extra Græciam Philosophantur, veluti apud Indos à Brachmanis &c.* Sed & observari ab iis multa quæ nos juri naturali adscribimus, satis liquet. *De furtis altum apud Eos silentium.* ait, *d. l. Strabo*, & alias eorum virtutes memorat *libr. 2.* quo itinera sua ac moram apud Indos, Gallico sermone jussu Christianissimi Regis Ludov. XIV. nuper explicavit Boullaye le Guz Andegavensis Nobilis: & consentit Johannes Albrechtus de Mandelslo, qui itidem sumtibus Serenissimi Holsatiæ Ducis eas oras ante vicennium lustravit. An autem naturæ legi, an verò præceptis Ramæ, quem Magnum Legislatorem divinis propemodum

 hono-

honoribus observant, ad cultum earum invitari se dicant, id quidem ipsi prætereunt. Quamvis nec incongruum sit utrumque simul esse, quomodo Christiani hæc præcepta colimus, tum Jure Naturæ tum Morali id dictitante.

XIII. Sunt tamen & in India gentes, quæ ea faciant, quæ cum Juris Naturæ capitibus aliquot disertâ fronte pugnent; atque ita quidem, ut prævalente impio more, nihil amplius turpe in actibus hujusmodi animadvertant. Herodotus *libr. 3.* Indos, qui Callatiæ nominantur, *vesci* ait *parentibus*, atque invitantem Darium, ut immanitate hac abstinerent, *meliora ominari jubebant*. Idem eodem *lib. 3.* De Indis pecuariis quos & Padæos vocat. *Quoties*, ait, *civium aliquis, aliquave ægrotat, Virum quidem sui maximè familiares interimunt, quòd dicant illum morbo tabescentem carnes ipsis corrupturum, & licèt se neget ægrotare, nihilominus isti non ignoscentes necant eum, epulanturque. Mulieri verò suæ maximè necessariæ idem quod viri viro faciunt. Qui autem ad senium pervenit, eo itidem mactato, pascuntur. Ideoque cum hac de causa, tum quia omnes, qui in morbum incidunt, necantur, non multi sanè eorum ad senectutem perveniunt.* Hodie tamen secus esse, ac comburi in *India cadavera omnia*, narrat Mandelsso *libr. 1.* Itinerarii Orientalis (Morgenländischer Reisebeschreibung.) *cap. 38. in fine.* Paulo pòst idem Herodotus, *Venere uti Indos in publico* ait *velut pecora.* Quod si verum sit (de quo dubitare ideo licet, non solùm quod hodie nihil tale commemorent, qui eas gentes lustrârunt, sed & quòd moneat disertè Strabo d. l. *autorem esse Eratosthenem, plerosque qui de India scripsere falsa narrasse*, in jus naturæ eo peccatum dubio vacat. Cæterùm & illud, quòd sua sponte igni se tradant eorum Philosophi, cujus rei exemplum habemus Calanum apud Curtium & Strabonem *d. lib. 15. in princ.* & alterum, qui se Athenis combussit, cujus idem Strabo meminit, (quod hodie etiam recentibus exemplis indies probari tradit nuperrimè Boullayus) ad legem Naturæ non magis congruit, quàm illud, quòd fœminæ, mortuo marito hodieque se igni, more inter multas Indiæ gentes recepto, devoveant, ut unus idemque ignis, & mariti defunctum, & (quæ viva flammam ingreditur) uxoris corpus in cineres redigat, quod vidisse se Mandelslous testatur, ac historiam totam recitat

tat *cap. 23. lib. 1.* idque etiam de Brachmanorum uxoribus idem asserit *cap. 38.* ejusdem libri in fine. Illud quoque quàm juri naturæ adversum est? quod de illis memorat Boullayus, simiæ unius, quam à ministerio fuisse volunt Ramæ, dentem, divino cultu prosecutos, quemque ideo flammis, ne ultra ad idololatriam eo abuterentur, à Lusitanis traditum, frustra ingens pretium pro ejus redemptione offerentibus Indis, idem autor recenset.

XIV. Non longè ab India absunt Chinenses, vel, ut verius alii scribunt, Sinenses, Hi doctrinam moralem & politicam satis accuratè persequuntur, Legem Naturæ agnoscunt, atque etiam rationis lumen pro juris hujus norma habent, quin & lumen hoc sollicitè excolunt. Nicolaus Lombardus è societate Jesu *literis de 18. Octobr. 1598. ad Claudium Aquavivam, ejusdem Societatis Generalem p. 28.* secundum Moguntinum exemplar: *Vt diligentius vacent*, ait, *contemplationi luminis naturalis & se ipsi reforment, revocando se ad primum statum, in quo, ut ipsi loquuntur, de cælo conditi sunt, magnifaciunt secessum ad villas & loca solitaria.* Quin coacto plurium literatorum cœtu de Jure Naturæ sollicitè disquirunt. *Vnde*, pergit, *& in multis partibus floret quædam congregatio hominum literatorum, qui contemtis aulicis distractionibus, & oneribus gubernationis, tranquillam in suis ditionibus vitam agunt, jam dictis exercitationibus dediti, & aliquando in unum locum convenientes ad instar Veterum Patrum in eremo collationem inter se instituunt.* Imò quemadmodum Decalogus, excepto eo quod est de Sabbatho præcepto, nobis Jus Naturæ exhibet, utque id Ebræis facere censentur septem illa Noachidarum præcepta, ita illi sex capitibus ea definienda existimarunt, quorum tamen quinque priora magis specialia sunt, sextum autem latiùs patet, sunt illa I. *Obedire Patri & Matri.* II. *Revereri majores & superiores.* III. *Pacificare proximos.* IV. *Instituere liberos & nepotes.* V. *Officio suo facere satis.* VI. *nihil mali agere, ut occidere alios, fornicari, furari, &c.* *Atqui*, verba recito ejusdem Nicol. Longobardi ex Epistola ante laudata, *ne ullus obliviscatur eorum, quæ facere debet in sui renovatione, puerique una cum lacte combibant bene vivendi præcepta & leges, confectum est Summarium Sex Præceptorum ab omnibus observandorum, quod voce viva publicè commendatur, à certis hominibus mer-*

cede conductis, in singulis urbis plateis, idque decimo quinto quoquo die, nempe in novilunio & plenilunio. Ita fit ut eodem non solùm tempore, sed etiam die uno, eadem hora, per totam Chinam, quanta est, per omnes plateas, dicta sex præceptorum doctrina tradatur. Atque in his quæ juris naturæ sunt explicandis, etiam versati doctrinam Confutii, (ipsi sua lingua proferunt Kum-fu-cu) qui Philosophorum apud ipsos, ut apud nos Aristoteles, Princeps est, ex Trigautii Epistolis *anni 1610. & 1611.* videre est. Similia passim quoque apud Scriptores Synicos, *Martinum Martinium in Historia Sinensi*, & *Ferdinandum Mendez Pino* Scriptorem Lusitanum, (qui Gallicè etiam hodie, Jussu Cardinalis Richelii versus, legitur) observari queunt. Cæterum quod scripsit Johannes Seldenus *de Jure Naturali & Gent. lib. 1, cap. 7. pag. 90. Personare quidem passim,* ὁ νόμος ἐστὶν λόγος ὁ ὀρθός: *lex maximè naturalis est recta ratio, in quod unamines satis consentiunt, etiam qui de recta ratione immane quantum (sicut de gustu solemus,) interim dissident. Perinde ac si de mensura nomine quidem tenus, veluti pedis ulnæ satis essent concordes, de utriusque interea quantitate mirè discrepantes*, id in Sinensibus etiam manifestis exemplis patet. Quod inter præcipua est Juris Naturalis capita, *Deum agnoscere & colere cognitum*, quodque toties ex naturali lumine solo monstrarunt cùm Theologi tùm Philosophi nostri. Vid. & Apost. in *Epist. ad Rom. cap. 1. vers. 19.* id illorum multi pro tali non habent. *Chinenses maximam partem sunt Athei*, ait N. Lombardus adducta ante Epistola *p. 4.* & repetit. *p. 30. & 31. Chinenses Athei sunt, maximè literati, unde nihil etiam pendunt, sive colantur, sive non colantur Pagodi.* Ac deinceps, *in summam nos rapit admirationem, homines tanto judicio præditos, literis tam egregiè perpolitos, virtutum, omnisque honestatis tam amantes, in rebus tanti momenti & tam perspicuis cæcutire, ùt quòd unus sit Deus opifex & gubernator cœli, &c. maximè cùm hæc dogmata facilè possint colligi etiam ex ipsorum libris & priscis traditionibus, & picturis.* Similia tradit Nicolaus Trigautius literis Sinensibus de anno *1610. p. 4. 5. &c.* passim.

XV. Atqui quod de naturæ lumen in præcipua hac parte supprimentibus, ait Apostolus, relinqui illos libidinibus & peccatis gravissimis. Ejusdem *cap. vers. 23.* id ills etiam factum apparet, qui eo

cæci-

cæcitatis redacti leguntur, ut fœdissimum turpissimæ libidinis crimen, non perpetrent solùm, sed etiam pro crimine non habeant. Horrenda sunt, & Juri Naturæ extremè adversantur quæ de utrisque & Sinis & Japponiæ incolis, apud Bernhardum Varenium in descriptione regni Japonensis *cap. 20.* ea de re extánt, quibus similia ante eum scripserat Xaverius, qui nec Sacerdotes abstinere infandis criminibus his notat, cùm flagitii odium & horrorem ipsa sustulerit consuetudo. Quin admoniti à Christianis *ipsi eorum Sacerdotes Bonzii, ut à tam fœda libidine sibi temperent, risu & facetiis objecta elevare conantur.* quæ verba sunt Xaveri in Ep.

XVI. Asiæ partem etiam Judæi habitant, Gens Deo olim in deliciis: atqui his datam ab ipso rerum Moderatore legem, quæ & Naturæ præcepta continet, extra controversiam est, neque ea contineri hæc ipsi abnuunt. Ast quia & immixta Pentateucho alia, quæ civilia fuerunt, ac Reipublicæ ipsorum propria, ut difficilè sit hominibus rudioribus, sæpe etiam doctis, ea invicem discernere, propterea, illa sibi seligenda existimarunt, ac illa quidem sibi propria, reliqua Noachidarum præcepta, ad quæ universum genus humanum obstringi voluerunt, dixerunt. Ex hoc jure Noachidarum descendere officia illa universalia & Philosophiam moralem, quâ humanum genus, mox ab ipsis rerum initiis teneri, tum erga Deum T.O.M. tum invicem inter se docent. Vide Joh. Selden *lib. 1. de jure Natural. & Gent. ad Disc. Ebræorum c. 3. in fin.* De capitibus his Juris Noahidarum, altum est quidem apud Philonem Alexandrinum, & Josephum, silentium, qui græcè extant rerum Judaicarum Scriptores, ipsi Judæi: quamvis ipsius Juris Naturæ non unico loco mentionem esse apud Philonem in libris *de congressu quærendæ eruditionis gratia.* De *Nominum mutatione,* De *mundi opificio.* inprimis libro *probum omnem liberum esse*, manifestum sit, ubi (veba recito latina Interpretis, ne bis repetendo eundem locum nimis excrescat dissertatio.) *vera,* ait, *lex recta est ratio, non ab hoc vel illo mortali mortalis, in lapide aut charthulâ inanimâ inanimis notata, sed ab immortali natura, in mente immortali, impressa & insignita.* Sed nec facile aliquid reperias apud *Moysen Ben Maimon* Jurisprudentiæ Hebraicæ facile peritissimum, quo illum elogio

ornat Buxtorffius *in præfatione libro ejus More Nevochim* præfixa, (quique primus ex suis nugari desiit. Scaligeri in Epistola ad Casaubonum, ac Casauboni in Exercit: contra Baronum *Exercit. 16. num. 77.* judicio) saltem *in Doctore ut vocat Perplexorum* More Nevochim ac *Porta Mosis*, quam ante sexennium primus edidit & ex Arabico vertit *Eduardus Pokokius*. Parcè admodum dictis libris de Jure Naturæ loquitur, ita tamen ut id indicet verius aliquando, quàm monstret. In capitulis octo præmissis *Commentario in Pirke, Aboth. p. 189. edit Oxoniens.* vertente Pokokio, agnoscit in homine *partem rationalem quæ distinguat inter actiones turpes & honestas*, idque *facere partem hanc, quando sana est, hoc est, non corrupta sed bene se habens.* addit *p. 192.* Atque sunt & alia in libro More Nevochim unde agnovisse illum naturæ jus colligere est. vid. *part. 3. cap. 26. & 28.* ferè in medio, ubi illud, subobscurè tamen indicat. Fortassis autem luculentius de toto jure hoc egit, volumine, quod inscripsit Yad, *quo totum corpus Juris Hebræorum ex confuso & intricatissimo ordine, è lingua impura & varia, in certum ordinem, lingua Hebræa, stylo facili & eleganti redegit*, quod Johannes Buxtorffius filius *in Præfatione More Nevochim*, memorat. Id opus nondum hactenus latinè versum, in Germania duobus majoribus in folio tomis possidet Cl. *Hottingerus*, qui subtilissimè de pluribus juris materiis eis libris disserere Maimonidem profitetur, atque ex eo opere haud dubiè desumsit, quæ ex Maimonide hoc tam sæpe adducit, ad explicanda septem præcepta Juris Noachidarum, doctissimus Seldenus.

XVII. Ex solis ergo libris Talmudicis ferè quæ de communibus his præceptis Noachidarum, hoc est, hominum extra Judæos reliquorum omnium, supersunt, peti possunt, inprimis ex corpore Talmudico, quod in Jure Ebraico idem præstat, quod in Romano Pandectæ & Codex. Seldeno teste *de Iure Natur. & Gent. cap. 2. p. 28.* Vid. et: Boxhorn. Historia Universali *p. 209.* Quemadmodum nempe Pandectæ nostræ ex variis collectæ juris peritorum scriptis, præferunt adhuc singularum legum autores, ita & illorum opus hoc, ex Rabbinorum nonaginta & unius judiciis & decisionibus legalibus depromtum, (quorum nomina colligit Maimonides in edita & versa nuperrimè à Pokokio *præfatione in Seder Zeraim*) in sex partes, libros 60. & tit. 532.

divi-

divisum est. Atqui ex his scriptis, nostro ac superiori seculo, tum alii Viri eruditi, tum inprimis Johannes Seldenus Anglus, eorum mentem scrutatus est, ac reperit quidem, Jus illud, quod *Ius mundi*, *ac præcepta filiorum*, seu *posterorum Noachi*, appellitant, quoque cum *Naturali* idem esse judicant, definiri ab illis *septem capitibus*, quæ ipsi vocant *Illustriora*, & appendicibus deinceps aliquot, quæ *minora seu obscuriora juris naturalis capita* appellat. Illustriora exequitur libri primi de Jure Natur. Gent. *cap. 10.* atque eorum primum esse vult *de cultu extraneo.* II. *de maledictione Numinis*: vel ut in ultimo opere *de Synedriis libr. 1. cap. 2.* vertit, *de Blasphemia in Deum.* III. *de sanguinis effusione*, *vel Homicidio.* IV. *de incestu*, *seu turpitudinum revelatione.* V. *de captu seu furto.* VI. *de Iudiciis seu Regimine Forensi ac obedientia civili.* VII. *de membro animalis viventis non comedendo.* Hæc deinceps verò ita explicat: ut primo *Idololatriam prohiberi*: Secundo etiam *benedictionem divini nominis contineri.* Tertio *homicidium illicitum*, *non etiam illud, quod observat moderamen inculpatæ tutelæ*, *nec supplicium*, *quod exigitur ab eo, qui pœnam capitalem scelere meruit*, *aut quod fit in bello justo, complecti.* Quarto *etiam adulterium.* Quinto *omnigenam alieni juris usurpationem, fidei ac pactorum violationem prohiberi.* Sexto *Iudices, qui de his negotiis, si contra peccatum, jus dicant, exigi*, *ex mente Ebræorum* velit. Vid. *passim lit. 2. & seqq.* Seldenum de *Iur. Nat. & Gent.* & brevius ea de re differentem *de Synedriis veterum Ebræorum lib. 1. cap. 2.* Aliter hæc recensentes Filesaccum, Bolduccum, Genebrardum adducit quidem, sed & confutat ut parùm accuratos Seldenus dict. *cap. 10.* Atque de toto negotio ita pronunciat *esse ea sic explicata & generatim ex avitis eorum scriptis deprompta, Christianæ Religioni, Veritati Catholicæ & moribus, quibus utimur, adeò consona, ut si unicum, quod est de membro animalis hactenus viventis, seu, ut volunt etiam aliqui, itidem illud de esu sanguinis excipias, non omnino ea dissona reperiantur lib. 1. cap. 2. p. 33.* Quinimo planè ex his fontibus jus naturæ deducere velle ipse videtur.

XVIII. Non contenti sunt Septenario hoc Judæorum aliqui, vel saltem ita interpretantur, ut plura contineat. Sunt enim qui & sanguinis esum lege universali (quæ ipsorum sententia cum Naturali idem est)

eſt) prohibitum dicant, in quam rem vide quæ ex Rabbi Chanania Ben Gamaliel adducit Seldenus *de I. N. & G. libr. 7. cap. 1. p. 787.* & ſeqq. ſunt qui etiam Sabbathum Judaicum huc referendum exiſtiment. Sanè recentiorum aliquot Judæorum opinione illud juri Naturæ accenſeri Petrus Galatinus, & alii monent, apud Seldenum *lib. 3. cap. 13. conf.* Chriſt. Helvicum *Elench. Judæorum 6.* §. 2. nec abludere videtur Menaſſes Ben Iſraël Rabbinorum noſtræ ætatis Princeps *libr. de Creatione Probl. 8.* Quin hanc ſententiam Viri Doctiſſimi atque inter eos Jacobus Gothofredus JCtus notis in opus Tertulliani ad *nationes lib. 1. cap. 13.* ex Joſephi *libr. 2. contra Appionem* & Clementis Alexandrini *libr. 5. Acroamatum* tuetur, neque aliter Deſiderius Heraldus *ad 16. cap. Apologetici Tertulliani.* Cæterùm plerisque Judæorum improbata utraque hæc opinio, quare & præcipui ipſorum Magiſtri ſeptem his ut illuſtrioribus præceptis contenti vivunt, quod de ſanguinis eſu oſtendit Seldenus libro de *Iur. Nat. & Gent. lib. 7. cap. 1. p. 787.* de Sabbatho *lib. 3. ejusdem tract. cap. 12. tot.*

XIX. De his ſeptem autem ita ſentiunt, cognitia fuiſſe Adæ primo Parenti & poſteris ejus, beneficio rationis, illuminatæ tamen ſpecialiter vel à Numine & Angelo, aut Intelligentia, Miniſtro Numinis. Rationem enim ſimplicem, ac quando non reſpicit alicujus humana natura ſuperioris indicationem ſive autoritatem, non ſufficere ad indicationem boni, malive natura & ex ſe talis. Intellectum ergo Adami & poſterorum, ab Intellectu agente, qui vel Deus, vel Dei miniſter Angelus, aut Intelligentia fuerit, illuminatum, bonum vel malum naturâ tale, etiam legem Dei eſſe, agnoviſſe & agnoſcere. Atque hunc intellectum Activum non aliter ritè intelligendi actum menti humanæ, ſemper præſtare, quam Sol ceu corpus lucidum oculo videndi actum: quæ fermè ſumma eſt eorum, quæ valdè obſcurè diſſerit Seldenus *cap. 7. 8. 9. libr. 1. de Iure Nat. & Gent. ad diſciplinam Ebræorum.* Cæterùm ſex prima ſaltem Adamo hoc modo, & ita diſtinctè imperata volunt. *Selden. ex Maimonide lib. 1. de Iure Nat. & Gent. cap. 10. num.* 19. & de Synedriis Vet. Ebræorum *lib. 1. cap. 2. p. 10.* Septimum autem tum quidem fuiſſe ſupervacuum, quòd ante diluvium

carnis

carnis esum hominibus permissum fuisse agnoscere nolint, quod cùm permitteretur deinceps Noacho & Posteris *Gen.9.v.3.4.* id eliciunt ex interdicto carnis cum sanguinis esu: quamvis hac ratione, si rem spectes, ne illud quidem Adamo recentius erit, quin potius fuerit tum primum saltem exceptio Juris illius edendi carnem, quod Noachi posteris permissum arbitrantur, quomodo id observat etiam Seldenus *de Iur. Nat. & Gent. lib.7. cap.1. pag.788.*

XX. Sed & pœnas in Violatores septem hujusmodi præceptorum acres, & ipsi constituêre Ebræi, & constituendas aliis gentibus arbitrati sunt. Idque ipso exigente Jure Naturæ secundùm ipsorum mentem, quod Judicia quibus animadverteretur in sontes hujusmodi requireret. Unde capitis pœna semper expiarunt in Noachidis ditioni ipsorum subjectis violationem unius ex septem his præceptis, si tamen contra verba ejus expressè fecisset; Ac sufficere adeò in hujusmodi negotio unum judicem existimarunt, cùm in capitalibus alioquin Judæorum causis non pauciores essent illi quàm viginti tres. Neque aliud violatori legis hujusmodi, quàm gladii supplicium expectandum erat, quo nullum ex Disciplina Judæorum turpius mortis genus fuisse Seldenus persuasum habet de Jure Nat. & Gent. *lib.7.c.6. in fin.* Cæteris tamen gentibus, sui juris, fas esse judicabant, sive ultimum supplicium, sive pœnas qualescunque leviores sancire. Quin Judæis ipsis capitale non erat contra quodcunque præceptorum horum peccasse, sed saltem Noachidis apud ipsos viventibus, in quos severior statuta pœna. Judæus enim, si contra tria posteriora peccasset, capite non plectebatur, sed compensatione damni, pœnâ dupli, quadrupli, quintupli vel verberibus. Reliqua verò ipsi capitalia ita erant, ut gladio tamen propter solum homicidium plecteretur: propter reliqua, strangulatione, lapidatione, &c. quæ honestiora mortis genera arbitrabantur. Neque solùm temporali in hac vita pœnâ, qui contra hæc peccarent præcepta Noachidas, plectendos existimabant; sed & alterâ post hanc vitam; Cùm interim qui hæc observassent, iis, ut piis ex Gentibus partem in futuro seculo tribuerent. Quæ omnia fusè adductis Rabbinorum ac Juris peritorum Judaicorum autoritatibus probat Seldenus de *Iure Nat. & Gent. lib.7. passim* inprimis *cap.5.6.10.*

XXI. Præter illustriora hæc septem juris hujus capita, addunt & alia Judæi, quæ Minora vel Obscuriora vocant, eorum verò nec numorum certum, nec certas de iis extare sententias, monet rerum hujusmodi peritissimus Seldenus *de Iur. Natural. & Gent. lib. 7. cap. 2.* Alibi tamen ejusdem *libr. 7. cap. 3. in fin.* ex Gemara Babylonica triginta præcepta memorat, quæ Noachidæ in se susceperant. Unde facili calculo minora hæc præcepta illos agnovisse 23. concludere quis possit. Sed quando tamen ipse addit, *nihil* sese *ea de re hactenus comperire potuisse*, neque ego numerum eorum hìc definire velim. Id expeditum est, in duas Classes hæc præcepta ab illis dividi, ita ut alterum genus sit eorum, *quæ Majoribus & Illustribus ita cohærent, ut illa vel præcedant, vel necessariò sequantur*, quæ & appendices eorum vocant; quo referunt Multiplicationis generis humani, & Matrimonii, Dominii etiam jura, ac pœnarum modum in judiciis. Ut hac in parte ferè eandem differentiam esse vilint inter præcepta illustriora & obscuriora hæc, quam nos observamus in Naturæ legibus, quarum aliquæ principia sunt, aliquæ principiata. Alterum verò præceptorum aliorum, quæ priora nec præcedunt, nec necessariò consequuntur. Talia esse volunt hæc: Ne commisceantur invicem & committantur diversi generis animalia, ne e arbores diversi generis inserantur, ne vel homo vel animal quodcunque castretur: (quæ præcepta etiam inter septem illustriora numerant JCti Hebræorum aliqui) & ejus generis alia, de quibus primus è Christianis Scriptoribus egit doctissimus Seldenus, opere de Jure Nat. & Gent. *cap. 2. & 3. integris.* Cæterum obscura hæc vocant, non ratione objecti aut finis, sed quia in Proselytorum domicilii, ut vocabant, professione, non hæc, sed septem illa exigebant, neque eorum violatio omnino plecteretur in Noachidis, qui continebantur ditione Israëliticâ; nec de iis cognoscebat tribunalium aliquod, ex Maimonide Seldenus dict. *lib. 7. cap. 2. num. 6.* quamvis talia hæc esse agnoscerent, propter quæ violata capitalem vel aliam pœnam constituere possent, aliæ sui Juris gentes. Idem Seldenus *d. lib. 7. cap. 5.*

XXII. Non possunt autem, hæc Judæis de Jure Naturæ prodita, exactam ejus dignoscendi normam præstare, (quicquid etiam Seldenus sentire videatur.) Sive enim illorum sententiam, qui his præceptis

ptis addunt esum sanguinis prohibitum, & Sabbathi observationem, eo die, quo Judæi id colunt, ad examen vocemus, pro Jure Naturæ hæc haberi nequeut, ac utrumque & Theologi & Jurisperiti nostri, juris naturalis esse rectè negant. Quamvis enim extet etiam Apostolicum decretum de non edendo sanguine *Actor. 15. vers. 28. & 29.* idque anxiè apud Christianos veteres observatum ex antiquitate ostendat Hugo Grotius *in florum sparsione ad Ius Iustin. p. 340.* ut botuli sanguine distenti tentamenta essent Christianorum. Unde & gravis adhuc illa insecutis seculis in eos comminatio, qui sanguinem in cibos verterent, ut *& bonorum publicationi subjiciantur, & acerbum in modum flagris cædantur, & perpetuo Patriæ exilio multentur. in Nov. Leonis 58.* Et libri pœnitentiarii scripti ante annos quadringentos, pœnam adhuc imponant contrà facientibus; atque ideo & ex aliis rationibus, ante biennium adhuc, Stephanus Curcellæus Diatribam suam *de esu sanguinis inter Christianos*, publicæ luci exposuerit, qua ostendere conatur, ab ipso rerum ortu ad hanc usque ætatem prohibitum fuisse sanguinem comedere: quod & hodie ita persuasum habere Græcos, Moscos, Abyssinos, & Maronitas *cap. 13.* tradit, ac *Grotium* ibi, *Salmasium, Vossium, ac Blondellum* pro sua sententia laudat: rem tamen secus se habere ac legem hanc *Act. 15.* positivam esse saltim, non Naturalem, ideo latam gentilibus, ne aversarentur fideles è Judæis conversi, cæteros quos sanguine alioquin ante legem hanc sinè discrimine vesci viderent; & sublato adeò impedimento, è Judæis & Gentibus una coalesceret Ecclesia, nostris meritò probatur. Unde quamvis duraverit aliquandiu ea lex, cessante tamen ejus causa, ipsa quoque cessavit, idque jam Augustini ætate, cujus in hanc rem egregia sunt, & planè cum vera sententia congruentia verba 32. *contra Faustum cap. 13.* quæ vide omnino. Consule & Georg. Calixti *Epitome Theologicum Morale p. 88.* Ac ne ipse quidem Maimonides sanguinis prohibitionem jure Naturæ, sed alias ob causas factam credit, easque indicat in More Nevochim *part. 3. cap. 46. pag. 484.* Neque magis Sabbathum ad Jus naturæ spectat, ut ex erronea loci Josephi interpretatione crediderunt etiam eruditi Viri aliqui: quod ita dilucide multis capitibus de *Iure Nat. & Gent. c. 9. 10. 11.* inprimis *12. & seqq. ad 20.* usque ostendit Seldenus, ut addi non multa

 possint.

possint. Conferri possunt, qui de Sabbatho occasione Controversiæ hujus scripserunt, Thomas Brodeus Anglus, Johannes Coccejus in Indagatione Naturæ Sabbathi, & quietis Novi Testamenti. Atque nuperrimè ipse etiam Andreas Essenus Dissertatione de perpetua moralitate Decalogi, adeoque specialius etiam Sabbathi, qui morale id præceptum ita esse vult, ut tamen non sit juris naturalis, sed divini positivi, quod libenter & ultro se agnoscere scribit. *p. 85.*

XXIII. Neque magis ad hæc Judæorum præcepta, ut regulam, examinare Jus naturæ integrum erit, si septem illa illustriora capita saltem pro legibus Naturæ habeamus. Considerari quidem possunt illa tripliciter, primùm ut verba sonant, quomodo illa accipiebant Judæi, quando propter eorum violationem, pœnam capitis dictabant Noachidis; vel ut explicantur à Talmude & Talmudicis quibuscunque; vel demum ut à Seldeno & selectioribus eorum. Primâ consideratione facilè patet, pro Regula Juris Naturæ haberi non posse. Quàm multa enim quæ juris naturæ sunt, omittunt? ac illud de prohibito animalis viventis esu addunt, quod scimus non esse jure naturæ vetitum, neque id diffitetur Seldenus *lib. 1. cap. 2. p. 33.* Alterâ verò consideratione etiam minus pro tali haberi queunt, quod ex eodem Seldeno non difficile mihi videor conficere posse. Capitum enim horum, *ex eorum traditionibus sumptæ interpretationes subtiliores, partitiones, negotiosæque scrupulositates, tametsi sæpius quidem Christianæ religioni & rationi, quam sequi solemus, aut consonæ sint, aut non adversæ, subinde nihilominus sunt, ut & aliæ apud Ebræos non paucæ, planè dissonæ, nec à Viro Christiano admittendæ*, ut ipse loquitur. *d. p. 33.* Unde & in decreto anni 1563. in literis Apostolicis Directorio inquis. subnexis *fol. 20.* Inquisitores à Julio III. Pontifice constituti, de corpore ipso Talmudico non vanè pronunciant, *adversus Naturæ & honestatis leges ea ibi concedi, quæ humanæ aures audire perhorrescunt*, & agnoscit Seldenus effectum esse *interpretationibus his, ut permissi sint concubitus nonnulli nefandi, & incestus contra naturam.* Sed nec tertiâ consideratione v. ideo quomodo admitti pro norma hac possint. Nam ne sic quidem deest illud de membro animalis viventis, & desunt quæ deesse non debebant: quale illud,

illud, Honorare parentes, & alia. Sed & quædam juris merè civilis, multa quæ nec juris naturæ, nec positivi amplius sunt, illa habet explicatio, quod ex toto Seldeni opere à *lib. 2. ad 7.* usque apparet: ut trium eorum modorum nullus pro iis haberi possit, quæ accuratum jus naturæ contineat; quamvis ejus capita quædam potiora attingant. Neque v. etiamsi quis conjungat majoribus his & illustrioribus præceptis etiam minora, rem confectam dabit. Sunt n. illa, Seldeno ipso teste, incerta admodum, non solùm quo numero sint, sed etiam quid sint. Selden. *de jur. natur. & Gent. l. 7. cap. 2. in princ.* & quæ ipse commemorat, magnam partem, utpote *de diversi generis animalium admissione, & de diversi generis arboribus non inserendis*, à Christianis Theologis & JCtis pro talibus minimè habentur. Sed neque ipsi quidem Judæi ea in Proselytorum domicilii professione exigebant, neque propter eorum violationem in judicium vocabant Noachidas quod *dict. cap. 2.* tradit Seldenus. Unde vix seriò existimare potuerunt, eorum violatione in naturæ legem peccari. Aliarum Asiaticarum, Africanarum etiam & Americanarum gentium de jure naturæ generales sententiæ, vel peculiarem & accuratam observationem, non merentur, vel nobis non innotuerunt hactenus, præcipuè cùm recentiores etiam Lusitanorum, Anglorum & Belgarum, qui earum gentium mores diligentiùs linguâ sibi vernaculâ explicant, descriptiones, unde fortassis aliqua depromi possent, magnam partem, dum hæc scribo, ad manus non sint. Unum tamen illud adjiciam adhuc de novæ Belgicæ incolis, quam Provinciam ad 44. gradum à Meridionali puncto versus occidentē, nostro seculo, cùm incognita esset hactenus, repererunt Belgæ, ac Belgarum linguâ anno 1655. primus non negligenter descripsit Adrianus van der Donck, J. U. D. qui ibi per novennium integrum vitam exegit. Is ergo *pag. 74.* memorat, adeò populos hos colore naturæ & gentium jura, ut præter hæc alia civilia vix agnoscant: ut verum de illis sit, quod de Germanis antiquis dixit Tacitus, *plus ibi posse bonos mores, quàm alibi bonas leges.* Fidem & contractus servare, incestus, furta, vitia alia, pro naturæ, & ejus legibus adversis (quamvis pleraque nulla expresse lata lege pro talibus declarata) habere tamen, atq; exprobrare Christianis (quando ea etiam disertè iis vetita audiunt) cur tam multa contrà admittant,

cùm ipsi minus peccent, sola naturæ lege prohibente quàm illi, utraque & naturæ & morali lege vetante, vid. *p. 73. & 77.* Atqui quod mirum est, observant magis illi naturæ jura, quàm Europææ gentes, (ut quidem ille memorat) licèt nulla in multis ejus capitibus, si contrà peccetur, constituta pœna, ut docet Donkius *pag. 73.* solum enim homicidium morte plectitur, idque non à Magistratu, sed consanguineo, qui occisum proximè sanguine attingit, idque tantùm intra 24. horas proximas, post quod tempus nonnisi pecuniâ expiatur, vid. plura apud Donkium, *capite de bello & armis eorum, pag. 72. de justitia & pœnis, p. 73. de naturæ & gentium jure, p. 74. & seqq. capitib. de Regimine, Politia & Religione eorum.*

XXIV. Adderem & exempla gentium nonnullarum, quæ circa singulas naturæ leges lapsæ, varia in contrarium designarint, sed quando labore eo nos liberavit industria G. Calixti *in Epit. Theologiæ Moralis, n. 49. usque ad 59.* (qui id, collectis ex omni antiquitate, & recentioris etiam ævi exemplis plurimis, exequitur: cui addi potest Johannes Eichelius libro, quo explicat obligationem, quam ex præcepto naturæ parentes liberis, & hi illis vicissim debent *thes. 4.* & Seldenus *de jure nat. & gent. lib. 1. cap. 6. pag. 49. & seqq.*) operæ hujus fieri potest compendium. Atque transimus adeò ad proximum caput, quo quid ex reliquiis antiquorum Græciæ Philosophorum ad juris hujus notitiam repeti possit, quantum quidem per temporis angustiam licet, ex eorum monumentis disquirere animus est.

CAP. IV.

SECT. I.

Europæarum gentium de Jure Naturæ sententiæ inquiruntur, & primò Græcorum 1. Secta Italica 2. Ejus autor creditus Pythagoras 3. Scripta Pythagoræ 4. Ex iis, ut & Ocello Lucano nihil de Jure Naturæ promi potest, 5. Quædam de Iure Naturæ ad Pythagoreorum mentem ex Jamblicho, 6. Modus indagandi Ius Naturæ Pythagoreorum,

rum, 7. Hieroclis locus egregius, unde, quid de Iure Naturæ senserint illi, apparet, & consensus eorum hac in parte cum Scholasticis, 8. Sententia Pythagoreorum de Iure Naturæ, bestiis cum homine communi, 9. Cujus fundamentum Metempsychosis, 10. Consensus Ægyptiorum, Indorum, Sinensium, Gallorum in hac opinione, 11. Linscotanus, Mandelslous, Trigautius corriguntur, quòd Indos à Pythagora didicisse Metempsychosin scribant, 12. Jus Naturæ bestiis commune faciunt, qui rationem in illis agnoscunt, quales præter antiquiores Philosophos, Galenus, Quintilianus, Lactantius, Albertus Magnus, Telesius, Rorarius, Pasquierius, Charron, Dn. de la Chambre, ac aliquando Cl. Salmasius, & alii, 13. Ius Naturæ in bruta cadere videntur etiam patres aliqui credidisse, 14. Ambrosii, Lactantii, Hieronymi, etiam Cassiodori, Guilielmi Alverni, quædam in eam rem, 15. JCti veteres quoque & recentiores multi pro eadem sententia, 16. Quid Vlpiano ac Iustiniano de hoc negotio visum, 17. Bacchovius & Vinnius ad nimis paucos restringunt numerum JCtorum ita sentientium, 18. JCti Orientales aliqui quid docuerint ea de re? 19. Quid multi recentiores? 20. Quàm in diversa eant JCti, qui Ius Naturæ commune brutis esse existimant, eorumque quatuor distinctæ sententiæ, 21. Ius Naturæ non cadere in bestias probatur, 22. Respondetur Mæstertio & Ungebaur, qui vim argumenti primi infringere nituntur, 23. Consensus in hanc sententiam Ebræorum, Græcorum, Theologorum, JCtorum, Philosophorum, 24. Lex & Ius quando à bonis scriptoribus

brutis

brutis & inanimatis tribuuntur, id fit valde impropriè, 25. Bestiæ an puniantur aliquando? 26. Ex sacris literis, Maimonide, Iure Wirtembergico, Præjudiciis Facultatis Juridicæ Tubingensis, Scabinorum Lipsiensium, Judiciorum aliorum, videri posse puniri quandoque bruta, 27. Ostenditur non pœnæ ratinem habere, si quid propter damna illata, aut delictum ab homine cum eis patratum, patiuntur bestiæ, 28. & exemplis ac rationibus evincitur, 29. licèt Ius Naturæ in bestias non cadat, ad gravitatem tamen delicti facit, si homo peccet contra ea, à quibus inclinatione Naturali abhorrent bruta, 30. Exspectatio de Philosophia Pythagorica Johannis Schæfferi, & Democratica Petri Borelli, 31.

I.

VIdimus nonnullorum ex Oriente populorum sententias, repetenda hoc capite est EUROPA & ex ea primùm vicina Orienti GRÆCIA, Philosophis antehac maximis celebris. Inter eos, ex ITALICA quidem SECTA, cujus memoria superfit, primus PYTHAGORAS. Quamvis n. antiquior eo celebretur Pherecydes Syrus, Pythagoræ præceptor, ut est apud Diog. Laertium *de vitis Philosophorum lib. 1. non longè à principio*, & Ciceronem *Tusculanarum quæstionum, lib. 1.* Ipse Pythagoras tamen, Italicæ hujus sectæ autor nominatur Laertio: & de Pherecyde unicum illud ferè saltem constat, docuisse illum immortalitatem animarum, quod dogma ipsius servavit Cicero *d. l.* Floruit Pythagoras Olympiade sexagesimâ, & deinceps, ferè eo tempore, cùm apud Romanos penes Tarquinium Superbum, apud Persas penes Cambysen, apud Ægyptos penes Amasin, regnum esset, seculo sexto ante Nativitatem Salvatoris nostri. Et Pythagoræ ipsius opera Laertio *lib. 8. in vita Pythagoræ* memorata; *de Natura, Civilitate, & Institutione*, nostram ætatem non attigerunt: ut hinc quidem nihil subsidii sit. Ex Pythagoreis supersunt præcipui? Ocellus Lucanus

canus ejusque libellus *de universi Natura* (cujus ex MSS. libris egregiam editionem non ita pridem adornavit Carolus Emmanuel Vizzanus Bononiensis) Aristoteli etiam laudatus, Jamblichus Descriptor *vitæ Pythagoræ*, & aureolus, sed rarissimus libellus Hieroclis, quo commentatur *in aurea Pythagoreorum carmina*: quibus & accensere potest, qui velit, Laertium *dict. l. 8.* Et ex Ocello quidem nihil, quod pertineat ad indagandam Pythagoreorum de Jure Naturæ sententiam, hauriri posse video. Quamvis enim præter Physica, postremâ sui parte etiam Ethica attingat quædam, ea tamen omnia circa unam occupantur temperantiam, & prolis legitimæ susceptionem. Libellus autem ejus de legibus ad Pythagoreorum mentem, quem tanti fecit Plato, (de quo vide Carolum Emmanuelem Vizzanum in *Prolegom*, *in Ocellum*) ævi injuriam sensit. Jamblichus verò observat, *præcipua Pythagoræ studia fuisse, de legibus accuratiùs quædam disserere* Unde & Pythagorei omnium optimi deinceps fuerint legislatores: & commemorat inter eos Gharondam, Zaleucum, Timaratum, Aristocratem, Theætetum, Phytium, & alios. vide eum ex editione Johannis Arcerii Theodoreti, *cap. 27. pag. 122. & cap. 30. pag. 154.* Sunt autem optimi legislatores, quorum leges proximè ad Jus Naturæ accedunt. Ut adeò id ab illis sedulò excultum dubitandum non sit.

II. Originem Juris Naturæ Deo Pythagoram adscripsisse *c. 18.* docet Jamblichus. Ubi simul habes modum, ab eo traditum, inveniendi quid sit juri naturæ congruum. *Enimverò* (ait Jamblichus ex Arcerii versione) *cuncta, quæ de eo quid vel faciendum, vel non faciendum sit, discernunt, ad cœleste lumen collinearunt, atque hoc initium est, ut universa vitæ ratio composita & instituta sit ad Deum sequendum. Atqui hic sermo est. Hæc Philosophiæ sunt. Ridiculè enim homines faciunt, qui aliunde, quod honestum est, quodque rectè fit, quærunt, quàm ab ipso Deo*; & post pauca, *quia DEUS est, & ipse omnium Dominus, in confesso est, quicquid bonum & honestum est, ab ipso Domino esse.* In virtutum divinarum imitatione ergo naturæ legem ponebat. Sed & sunt in Jamblicho *cap. 13.* vestigia ejus sententiæ, quam Pythagoræ & Empedocli, ex Sexto Empyrico & Porphyrio tribuit Seldenus de Jure Naturæ, *libr. 1. cap. 5. pag. 63.* & ex eo Hugo de Roy *de eo quod justum est*, *tit. 2.*

n. 6. de Iur. & Iust. hominum brutorumq; communi, ibi enim *& belluas justitiam docuisse Pythagoram*, tradit.

III. Hierocles, in egregio illo, quem diximus, Commentario, Pythagoræ mentem eximiè explicat. Ex quo autore satis patet, in multis convenire cum Scholasticorum doctrina Pythagoræ dogma. Ad primum versum Pythagoræi carminis de lege, cujus ibi est mentio. Lex (ait) *quidem mens est opifex*, (ὁ δη μιουργικὸς νοῦς) *ipsaque voluntas divina, quæ omnia perpetua producit, semperque conservat.* Quod vix aliud est, quàm quod Patres & Scholastici ac alii, dicunt Legem Æternam. vid. Augustin. *lib. 1. de lib. arbit. c. 6.* Thomam 1. 2. *q. 39. art. 1.* Meisner. *de legib. l. 2. q. 1. pag. 88.* Sed eo modo etiam deinceps in iis, quæ sequuntur, disserit: *Legis nomine immutabilis DEI opificis actio venit, à qua divina genera producuntur, & quæ in perpetuum, nullâque factâ mutatione, ordinantur.* De Lege Naturæ pulchre ex Pythagoreorum mente quædam tradit *pag.* 170. *&* 171. quem locum, quòd in paucissimorum manibus sit Hierocles Philosophus, integrum dabo, versum tamen solummodo, quod prolixior sit. *Socratis illud imitemur, quo se dicebat nulli suorum posse assentiri, nisi rationi, quæ recta monere visa esset. Sunt verò nostra, non autem nos, omnia illa, quæ ad rationis ministerium data sunt, ira, cupiditas, sensus, corpus ipsum, quod instrumenti vice Facultatibus istis in usum conceditur, quarum nulli decet credere, ut ait, nisi rectæ rationi; id est, parti illi ratione præditæ, quæ secundùm naturam se habeat: potest enim & illa perspicere, quæ dicere & facere conveniat. Est verò idem rationi parere atque Deo. Natura enim, quæ rationis est particeps, cùm splendorem suum suamque lucem sortita est, ea ipsa amplectitur, quæ divina lex statuit, nec discrepat à DEI sententia animus, qui secundùm Deum se habeat, sed divinitati atque splendori intentus, ea facit, quæ facit.* Atqui hinc est, quòd passim, Naturæ leges etiam divinas nominet (τοὺς θείους νόμους) quin hasce leges suscipere vult rationem, *quæ hoc modo sibi efficiatur vigilantissimus judex*: & alicubi etiam, pro Mensura naturalis hujus officii, expressè sumit τὸ συνειδὸς αὐτὸ *conscientiam ipsam.*

IV. Id tamen in Pythagorica de Jure Naturæ sententia, præcipuè censuram meretur, quòd bestias quoque ad consortium Juris Naturæ admiserit, ut vidimus ante: putabat enim hæc consequi Metempsychosin,

sin, quam seriò ille statuebat; neque enim (quod aliquibus videtur) fabula est, vel commentum Pythagoræ tributum. Quam cùm crediderint etiam *Ægyptii*, ac, quod miror, è Judæis, (licèt sint, qui id in dubium vocent eruditorum aliqui) Pharisæi, indice Josepho disciplinæ eorum, qua & imbutus erat, apprime gnaro, *de bello Iudaico lib. 2. cap. 7.* ac credant hodienum Indorum nonnulli, ut testatur Hugo Linscotanus, qui Indiam diu & diligenter lustravit. *lib. 1. cap. 38.* & Mandelslous in Morgenländischer Reißbeschreibung *cap. 37. p. 113.* atque Chinenses, ut videre est ex Trigautio. Epistola de anno 1610. Druides quoque Gallorum apud Cæsarem, *lib. 6. de bello Gallico*, & Diodorum *lib. 5.* ac alii apud Historicos passim hanc sententiam secuti legantur. Apparet sic satis multas, easque eruditas gentes, aut præcipuos inter eos viros convenisse in hanc sententiam. Quo loco tamen id probare nequeo, quod scribunt tum Linscotanus, tum Mandelslous & Trigautius, ac viri eruditi alii, discipulos hac in parte esse Indos Pythagoræ. Sententiam enim hanc ab Ægyptiis ad reliquas Orientales gentes, ne exceptis quidem Chinensibus, ut alia etiam multa, pervenisse, fortassis pauci, post eam operam, quâ hanc rem expeditam dedit in Oedipo Ægyptiaco Kircherus, dubitant. Et Pythagoras juvenis adhuc, consilio Thaletis, in Ægyptum & alias Orientis regiones concessit, non ut ipse doceret Philosophos eorum; sed ut disceret. ut scimus quidem ex Jamblicho *de vita Pythagoræ, cap. 2. in fine*.

V. Neque aliter, quàm commune esse hominibus cum bestiis Naturæ Jus, sentire posse videntur illi, qui rationem brutis tribuunt. Quamvis enim se mutuò hæc non consequi velit, Johannes Seldenus de Jure Naturæ & Gentium, &c. *lib. 1. c. 5. in fin.* id tamen omne, cùm innitatur præsupposito, quod nos inter certa non habemus, meritò à veritate alienum existimamus. Jus ergo Naturæ in bestiis agnovisse judicamus, quotquot illis rationem non negandam existimarunt, quales Anaxagoras teste Plutarcho, *lib. 5. de placit. Philosophorum cap. 20.* & Aristoteles de anima *lib. 1.* Melampus, Tyresias, ac Thales, si Porphyrio credimus. Parmenides & Democritus *ex Stobæo libr. 1. Eclog. Physicarum.* Chrysippus, qui illis etiam Dialecticæ peritiam adscribit, ut ex Sexto Empirico *libr. 1. Pyrrh. Hypoth. cap. 14.* apparet, ubi & canium

num Chrysippi syllogismum recitat: ac post Stoicos, Galenus *in protreptico*, qui quamvis dubitare alicubi videatur, magis tamen in hanc sententiam inclinat, quod & facit Quintilianus *lib. 2. Orat. Instit. cap. 16.* ubi hæc reperias: *In brutis, moliri cubilia, & nidos texere, & educare fœtus, & reponere in hiemem alimenta, opera quædam nobis inimitabilia efficere, non nullius fortasse rationis est: sed quia carent sermone, quæ id faciunt, muta atque irrationabilia vocantur.* Porphyrius libris de *sacrificiis*, præcipuè iis *de Abstinentia.* Lactantius *lib. 3. divinarum Institutionum, cap. 10.* & de *Ira Dei, cap.* 17. Sed nec horum errorem corrigunt, verùm defensum volunt, aliquot eruditi viri seculorum recentiorum; Ut non memorem Albertum Magnum, & Antonium Cittadinum, Laurentius Valla *lib. 9. Dialect.* ac Bernardinus Telesius Calaber, (qui primus in Aristotelem nostris seculis calamum strinxit, vir alioquin doctissimus, & quem præceptoris loco habent viri celebres, Franciscus Patritius & Thomas Campanella) *lib. 8. de rerum Natura, c.* 16. Hieronymus Rorarius Exlegatus Pontificius, libris duobus, *quòd animalia bruta ratione utantur melius homine*, quos edidit primus è bibliotheca sua, & Puteanis Fratribus inscripsit Gabriel Naudæus. Stephanus Pasquierius *Epistolâ* in eam rem peculiari *ad Adrianum Turnebum.* Charron *de la sagesse, liure premier, cap. 34. num. 6.* Ac notæ sunt acres eo de negotio concertationes Dni. Chanetti, qui Charronum oppugnavit, ac qui ejus partes defendendas suscepit Dn. de la Chambre. Quin huic sententiæ, quod miror, aliquando subscripsit, quam tamen deinceps ætate maturior mutavit Cl. Salmasius: Verba ipsius hæc sunt in Animadvers. *in Epict. & Simpl. pag. 139. Liber impleri posset exemplis, quibus probaretur ratione etiam non destitui animalia, quæ creduntur rationis expertia.* vide & eum lineis aliquot sequentibus. Atque hanc mentem seriam fuisse etiam Plutarchi, libellis duobus πότερα τῶν ζώων φρονιμώτερα & altero περὶ τοῦ τὰ ἄλογα λόγῳ χρῆσθαι. eruditorum aliqui, quamvis (ut verè observat vir judiciosissimus Lud. Vives *de Anim.*) falsò volunt. Id saltem ex iis, quæ antè notavimus, satis constat, ex re & vero scripsisse, Chrysosthomum illum aurei oris patrem, *Hom. 4. in Acta*, quæ subjungo Latinis interpretis verbis, quia solum id exemplar ad manus est.

eſt. *Per Philoſophos* (inquit) *hoc ſemper egit Diabolus, ut oſtenderet, noſtrum genus nihil à brutis differre, quando nonnulli in opinionem tam abſurdam venerunt, ut animalia rationis expertia ratione prædita eſſe dicerent.*

VI. Neque alieni ab hac ſententia, *Jus Naturæ in bruta cadere*, videri alicui poſſent è ſanctis Eccleſiæ Patribus aliquot. Ambroſius aſinorum & equarum, mixtiones *in Hexaem. libr. 5. cap. 3.* adulterium jumentale vocat: & aves non ſcripta, ſed nata lege obſtringi, *cap. 17. & 18.* vid. & ejus *lib. 6. Hexaem. cap. 4.* ubi haud ſecus ac Lactantius, brutis rationem tribuit. Hieronymus *in Epiſt. ad Epheſ. cap. 5. lib. 3. beſtiis ipſo Naturæ jure præſcriptum, ut prægnantes ad partum usque non coëant*, Aurelius Caſſiodorus *Epiſt. 37. libr. 1.* jus quoque Naturæ brutis commune facit. Atque eſt in eam rem elegans locus Guilielmi Alverni, cujus ætas in ſeculum decimum tertium incidit, ubi omnia genera animalium etiam juſtitiam exercere putat, *cap. 5.* Exempla plurima habes apud Seldenum, ac profanorum autorum dicta, *lib. 1. cap. 5.* Unde ſua *lib. 1. tit. 2.* non laudato nomine ejus deſcripſit Hugo de Roy. Jcti quoque tum veteres, tum recentiores non pauci in hanc ſententiam eunt, cum aliquo tamen, ut patebit deinceps, diſcrimine. In eam rem Ulpianus *l. 1. §. 3. ff. de Juſtit. & Jur. Jus Naturæ eſt, quod natura omnia animalia docuit: nam jus iſtud non humani generis proprium, ſed omnium animalium, quæ in mari naſcuntur, avium quoque commune eſt. &c.* quod iisdem ferè verbis Juſtinianus *in Inſtitut. in princ. tit. de jure Natur. Gent. & Civil.* retulit. Neque ſolius fuit hæc Ulpiani etiam ex veteribus JCtis ſententia, ut poſt Bachovium in comment. *ad prim. part. Pandect. tit. de juſtit. & jure, num. 6.* exiſtimat Vinnius, *ad princ. Inſtit. de jur. Natur. Gent. & Civili*, id enim, niſi de iis JCtis, qui ante compilationem Pandectarum vixére, intelligatur, (de quorum tamen ſententia nihil certi conſtat) falſum eſſe docent Orientalium JCtorum libri, vid. Baſil. *lib. 2.* Harmenop. *Procheir lib. 1. tit.* 1. Selden. *cap. 4. in princ. libr. 1. de jur. Nat. Gent. & Civ.* Hugo de Roy *de eo quod juſtum eſt, libr. 1. tit. 2.* adde & Theophilum, *ad tit. Inſt. de Jur. Natur. Gent. & Civil. in princ.* De recentioribus

bus autem id adeò verum non eſt, ut communem Doctorum opinionem eſſe, jus Naturale eſſe homini cum brutis animalibus commune ſcripſerit Frantzkius *Exercit. 1. quæſt. 3.* quod tamen, qui calculum rectè inierit, ei minimè concedet.

VII. Video autem non eodem modo hic mentem ſuam explicare JCtos, qui commune putant brutis cum hominibus Naturæ jus: Alii enim propriè intellectum volunt, quam ſententiam tuetur Ungepaur *Exercit. 2. quæſt. 1.* ubi Lopezium, Coraſium, Rævardum, Loriottum, Albericum Gentilem, Marcum Lyclama, & Stuckium, idem defendere notat, Mæſtertius *de juſtit. legum Romanarum dubit. 7.* ubi Seldeni argumentis in adverſum ſatisfacere fruſtra contendit Dn. Ludwell. *ad* θ. *1. Inſtit. de I. N G. & C. n. 2.* Confer eundem *in notis MSS. ad Weſemb. Parat. ad num. 14.* Michael de Luna & Arellano *de jure Naturæ lib. 1. c. 4.* adductus à Dn. Struvio, *ad tit. de I. & I. n. 50.* Alii jus Naturale duplex eſſe volunt: unum commune homini cum beſtiis, & alterum quod vocant Jus Naturale rationale, quod poſt alios exiſtimat Hugo de Roy, *tract. de eo, quod juſtum eſt. tit. 3. libri 1.* Alii diſtinguunt ac jus Naturæ materialiter, ùt ipſi loquuntur, brutis tribuunt, formaliter non item. h. e. Jus Naturæ duabus partibus conſtare volunt, Materia & Forma, Materiam appetitum & naturæ inſtinctum vocant, quem brutis communem eſſe ajunt: Formam verò rationem, quæ his moderatur & imperat, quam ſententiam Bachovius *ad Treutler. Diſput. 1. theſ. 4. lit. c.* Antonio Fabro, & aliis tribuit; neque ipſe valde improbat in *Comment. ad 1. part. Pandectarum ad tit. de Iuſtit. & Iure pag. 21.* ubi tamen non fuiſſe eam Ulpiani & Juſtiniani ſententiam fatetur, & ita rem expedit etiam Hunnius *ad princ. Inſt. de I. N. G. & Civ.* ac Gæhauſ. *peric. Acad. part. 1. q. 2.* Neque aliter ferè ſentire videntur illi, qui quod jure facit homo, ſi faciat naturali incitatione idem beſtia, eſſe volunt juris naturalis: quam elegantem Goveani, Cujacii, Giphani & Heigii diſtinctionem vocat Dn. Harpprechtus *ad princ. de Iur. Nat. Gent. & Civil. n. 2.* Quia tamen ultimi hi agnoſcunt duo requiri ad id, ut aliquid verè ſit juris Naturæ, materiam & formam, quorum alterum idque præcipuum deeſſe in brutis agnoſcunt, itidem neceſſariò nobis dant, non eſſe homini cum brutis communionem juris hujus Naturæ

adeò-

adeóque cum illis non plus nobis negotii erit, quàm cum iis, qui impropriè Jus Naturæ brutis tribuunt, eo enim ipso, quòd hoc dicunt, negant propriè illis competere, de iis autem solis, quæ propriè vera sunt, nos in præsens quærimus.

VIII. Non sunt verò juris naturæ capaces bestiæ. Jus enim omne & lex, rationem requirit, & sinè ea, inprimis Naturæ lex esse non potest. Neque est quare argumentum hoc eludant Mæstertius de Justitia legum Romanarum *libr. 1. dubit. 5.* Gregor. Lopez. *libr. sing. animadv. c. 2.* Ungepaur. *Exercit. 2. quæst. 1.* ubi requiri rationem in subjecto (ut barbarè vocant) mensurante & regulante solùm, non mensurato & regulato volunt, hoc est, in eo requiri rationem qui fert legem, non qui accipit. Cognitio enim legis, ac electio boni illius, quod lex jubet, ac aversatio mali, quod vetat, quæ in subjecto cui leges feruntur, necessariæ sunt, cùm absque ratione fieri non possint, eam etiam in illo exigunt, quo bestias vacare concedunt dissentientium plerique. *Non est autem ex tali cognitione objecti tanquam boni & honesti, quicquid hujus humano juri aliqua parte analogum in brutis deprehenditur, sed ex inclinatione merè naturali & necessaria,* ut eleganter loquitur vir doctus Epitome Theol. Moralis *p. 48.* Sed nec propriè & sub peccato obligantur bruta, quod tamen non postremum est legis officium, verùm impetu ut diximus naturali feruntur, & impositâ quasi necessitate agunt. Conf. Frantzkii *Comment. ad Pandectas, tit. de I. & I. num. 106. & 107.*

IX. Neque esse potest jus, inter quos neque lex est, neque justitia, neque injustitia, quo argumento utitur Aristoteles *libr. 5. Ethicorum 10.* ex quo capite & aliæ pro nostra hac sententia rationes colligi possunt. Quin & jure nostro, ab ipso Ulpiano, dicuntur bruta expertia esse injuriæ, unde pauperiem, cùm damnum dant, non injuriam facere dicuntur. *l. 1. §. 3. ff. Si quadrupes pauperiem. & princ. Instit. eod.* quod autem injuriam inferre non potest, nec juris alicujus propriè dicti est particeps, *arg. l. 1. in princ. D. Injuriis.* Seldenus *de Iur. Natur. Gent. &c. libr. 1. cap. 5.* Frantzkius *in Exercit. quæst. 3.* Non est quidem argumentum hoc tale, ut causam decidere possit; quia non ex legibus civilibus, aut ex solis JCtorum verbis finiri potest quæstio, an naturaliter solùm injuriam inferre

inferre possint bestiæ? sed ex ipsa rei natura; quia tamen id, quod naturâ verum est, viderunt & veteres JCti, malim etiam ad illa, quæ naturâ talia sunt, confirmanda, illorum sententiis & verbis, quàm meis uti. Alia argumenta ex Philosophia, & ipsa rerum Natura petita, collegit Riemerus, quibus quædam non satis cohærentia opponit Ungepaur, *Exercit. 2. quæst. 1.* & qui præ cæteris legi meretur Johannes Seldenus *de Jure Natur. & Gent. ad disciplinam Ebræorum, lib. 1. cap. 4. & 5.* integris.

X. Et sanè hanc sententiam nostram Ebræis placuisse ostendit Seldenus de Jure Naturæ & Gentium *lib. 1. cap. 5. & 6.* Sed & Hesiodo antiquissimo post Homerum Græcorum, qui quidem hodie extet, non diversum aliquid visum in Ἐργ. & Ἡμερ. ubi de reliquis animalibus præter hominem.

ἔσθειν ἀλλήλους ἐπεὶ οὐ δίκη ἐστὶν ἐπ' αὐτοῖς.

Se mutuò devorare, quia nullum illis jus est quo obligentur. Nec aliter Plato in Menex. *Nostra terra ex omnibus animantibus hominem genuit, qui cæteris intelligentia præstat, solusque jus ac Deos animadvertit.* quod & vidit Bachovius *ad Treutl. Disput. 1. th. 4. lit. C.* & qui ex eo sæpe sua mutuatur Vinnius ad §. *1. Instit. de Iur. Natur. Gent.* Aristotelis quoque elegans in eam rem locus est, *5. Ethic. 10.* unde & argumentum paulò antè desumpsimus. Cicero *de officiis primo: In equis, in leonibus* (ait) *justitiam non dicimus.* Plutarchus *in vita Catonis Majoris: lege & justitia adversus homines tantùm utimur.* ut mirer virum doctum in ea esse sententia in *Comment. ad Inst. ad* §. *1. de Iur. Nat. Gent. & Civil.* propriè hunc etiam brutis rationem tribuisse. Atqui hic locus etiam idoneus est, ostendere non seriò factum, quod alicubi rationem bestiis tribuere videtur Plutarchus in adductis libris. Seneca *1. de ira cap. 3.* Lactantii, Juvenalis ac aliorum loca in hanc rem habes apud Hug. Grotium, *de Iur. Bell. & pac. libr. 1. cap. 1. n. 11.* & in notis. Atqui ita etiam sensisse Cajum ac Florentinum Ictos, (quibus adde & Paulum) probat *ex l. 9. & arg. l. 3. de Iustit. & Iure.* Bachovius *Comment. ad Pandectas, ad tit. de Iustit. & Iure, num. 6.* Et video non antiquis solùm, sed recentioribus etiam eam probari, tum Theologis, tum Ictis ac Philosophis eruditissimis, tã multis, ut ausim asserere, haud dubiè falli

Frantz-

Frantzkium, qui contrarium ut communem tribuit JCtis. Sanè brutis jus negant, (ut aliquos saltem eorum, sed ex præcipuis recenseam) Divus Thomas 1. 2. *quæst.* 91. *artic.* 2. loco adeò egregio & claro, ut nec explicandum sibi putarit in Commentario suo ad eum Thomas de Vio Cajetanus, quo ostendit, *participationem, legis æternæ in sola rationali natura vocari legem Naturæ, in creatura autem irrationali, quia non participatur intellectualiter & rationaliter*, (ita ipse loquitur) *ideo non posse ipsam esse legem, nisi analogicè*, quem locum Divi Thomæ etiam observavit Hahn *ad Wesemb. p.* 43. *&* 44. Johannes Seldenus *dict. lib. cap.* 5. *&* 6. ubi quæ contra objiciuntur sollicitè & eâ curâ, cui vix aliquid addi potest, diluit, quare & responsiones desiderantem eò remittimus. Hugo Grotius *de Iur. bell. & pac. lib.* 1. *n.* 11. & ibi in notis, Claudius Salmasius *de Usuris cap.* 9. Jacobus Cujacius ad instit. *tit. de justit. & jure.* & in Epitome Pandectarum *lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 1. §. 11. quamvis non ignorem aliquos pro contraria adducere Cujacium. Alexander Turaminus Patritius Senensis, JCtus, & in Neapolitana Academia primæ sedis Professor tractatu Florentiæ ante annos septuaginta typis descripto ad rubricam de legibus, *lib.* 1. *cap.* 2. Frantzkius *in Exercit.* 1. *quæst.* 3. & Comment. *in Pandectas ad tit. de justit. & jur. n.* 106. ac Comment. *ad Instit. ad tit. de Iur. Nat. Gent. & Civil. num.* 5. *& seqq.* Bachovius *ad Treutl. vol.* 1. *disp.* 1. *thes.* 4. *lit.* C. & luculentiùs in Comment. *ad pr. partem Pandectarum, tit. de justitia & jure, pag.* 21. *& ad Instit. princ. tit. de Iure Nat. Gent. & Civili.* Vinnius *princ. Instit. de I. N. Gent. & Civil.* & ibidem Hotomannus, Hortensius, Eguinarius Baro, Harprechtus, vid. & Connanum *libr.* 1. *Comment.* 4. *num.* 7. Albertum Bolognetum, *de jure & æquitate, cap.* 5 6. & 16. Wesembec. *in Paratitlis ff. de justit. & jur. num.* 14. & ibi inprimis Dn. Hahnium, Hugonem Donellum *Comment. de jure Civil. libr.* 1. *cap.* 16. Dn. Struvium *ad tit. de just. num.* 50. Vallens. *in juris Canonici proœmio*, §. 3. *num.* 3. Georgium Calixtum, *Epitome Theolog. Moralis pag.* 48. Conradum Horneum *Philosophiæ Moralis lib.* 4. *cap.* 3. *n.* 21. *& seqq.* Guil. Amesium de conscientia *lib.* 5. *cap.* 1. *quæst.* 3. Gassendum *in Syntagm. Philosophiæ Epicuri, cap.* 27. Hobbeum *in Elementis Phil. de Cive, cap.* 2. *n.* 1. *in fine.* quibus addo demum verba Suazerii ex tract. ejus

de legibus & legisl. lib. 1. cap. 1. n. 2. cap. 3. n. 8. Animalia bruta (inquit) *non sunt capacia propriè legis, sicut nec obedientiæ; cùm nec ratione nec libertate utantur. Efficacia ergo divinæ virtutis, & necessitatis naturalis, quæ in rebus carentibus ratione indè resultat, per metaphoram lex appellatur, & licèt bruta in hoc differant ab insensibilibus, quòd non sola vi naturæ, sed etiam cognitione & instinctu naturali ducantur, qui instinctus est illis quasi lex & hac ratione videatur posse sustineri illud: Jus etiam in bruta cadit. Tamen nihilominus illa acceptio juris vel legis est simpliciter metaphorica, & valde analoga*, Hactenus ille. Nempe nihil rarum est, impropriè sumi vocabulum legis, etiam bonæ notæ scriptoribus, pro actu naturæ plerumque constante, ita Seneca *quæst. Nat. lib. 3. c. 29. legem barbæ*, (ait) *& canorum nondum natus infans habet.* Virg. de Apibus *4. Georg. - - magnisque agitant sub legibus ævum: leges ventis scribere*, est apud Senecam, *in Medea act. 2.* Canones etiam & regulæ Mathematicæ leges vocantur. Selden. *libr. 1. de Iur. Natur. Gent. & Civil. cap. 4. p. 58.* & offerent sese quærenti similia alia. Nobis plura adjicere præter necessitatem esse existimatur.

XI. Videtur quidem interdum, pœnam irrogari etiam brutis, tum in divinis, tum humanis legibus, propter delicta graviora Jure Naturæ prohibita. *Levit. 20. v. 15. 16. & 27.* ait divinus Legislator: *Vir qui posuerit concubitum suum cum bestia, interficiatur, & bestiam quoque occidetis. Mulier verò, quæ accesserit ad quamcunque bestiam, & succubuerit ei, occides mulierem, atque bestiam, morte interficiantur, sanguis eorum sit super eos.* Idque observasse Ebræos ex Maimonide & aliis, docet Seldenus *lib. 1. cap. 4. pag. 52.* in bestiis quidem sinè ullo ætatis discrimine, in homine tamen requirunt, ut puer novenni, puella trienni major esset: ante hanc enim ætatem congressum in lege interdictum fieri posse, non admittunt eorum JCti. Sed & bos cornupeta, qui hominem occiderat, *Exodi 21. v. 28.* lapidandus dicitur. Quam legem ultra Politiam Judaicam extendit Ludovicus Dunte *de casibus conscientiæ, cap. 10. sect. 2. quæst. 15.* Sanè Wirtembergico Provinciæ hujus jure Novell. Constit. Ludovici Ducis *de anno 1586.* §. 27. etiam constitutum reperio, ut Sodomitæ cum bestiis concumbentes, & convicti criminis, krafft der Kayserlichen Satzungen / und peinlicher Halßgerichts-Ordnung/

nung/mit dem Feuer neben dem Vieh vom Leben zu Tod zurichten verurtheilt und erkant werden sollen. Atqui ita plus simplici vice in Facultate Collegii nostri juridici pronuntiatum memini, addito tamen hoc moderamine, ut bestia antea occideretur à carnifice, ac deinceps flammæ traderetur cadaver. Guido Papæ: *decis. 238.* in Burgundia se vidisse, ait, porcum, quod puerum interemisset, ad furcam condemnatum & suspensum. De Bove, qui hominem occiderat, præjudicium recens est apud Carpzovium *Pract. crim. part. 3. quæst. 131. num. 25.* Daß der Ochs / zur Verhütung fernern Unglücks und Schadens / billich abgethan werde. Et verò propriè puniri hac ratione bestias credebant etiam Zaducæi, ut patet ex More Nevochim Mosis Ben Maimon *part. 3. cap. 40.* ubi tamen ipse illos confutat. Cæterum in his & aliis hujusmodi exemplis, non pœnæ rationem habet, quod patiuntur bestiæ. Idque ipsi Ebræi agnoscunt, atque ex iis inprimis Gemara Babylonica, docet doctissimus Seldenus *de I. N. G. libr. 1. cap. 4.* Sed vel ut tollatur Scandalum, vel ne ignominia hominis sodomitæ jam mortem passi, superstite & omnium oculis obvio animali peccati ipsius objecto, ultra modum augeatur; vel ut atrocitas delicti hominibus innotescat; vel in aliis, quæ hominem occiderunt animalibus, ne noceat ultrà animal, quod mortem homini inferendo, semel grave damnum dedit; utque etiam Dominus pecoris, propter non adhibitam custodiendæ bestiæ, quam debebat, curam, plectatur damno ipsius, quod egregiè ibi ex rarioribus JCtorum Ebræorum scriptis explicat Seldenus.

XII. Quare non magis pœnæ rationem hæc habent in adductis exemplis, quàm in loco *Deut. 13. vers. 15. & 16.* ubi jumenta & pecora Cananæorum gladio delenda dicuntur, & bona comburenda, & sculptilia etiam ac luci eorum, non quòd ipsa deliquissent, sed quòd delinquendi instrumenta hominibus idololatris fuissent, & ut memoria nulla ultrà, prohibiti cultus extaret, & simul criminis hujus atrocitas Israëlitis innotescet. Ipsis enim pœna non fuit irrogata propriè, non magis quàm ex Atheniensium legibus, lapidi, ligno, securi, id genus aliis, quoties homicidii fuissent instrumenta, quæ tamen in judicium deducebantur velut in pœnam. Et Theaginis statuæ, ex lege Draconis, & sen-

sententia Thasiorum in mare projectæ, ob cædem casum ipsius insecutam, quod tradunt Demosthenes *Oratione contra Aristocratem*, Pausanias *in Eliacis*. Suidas *in Nicone*. Pœna enim solùm est peccantis, peccare autem non est nisi ejus, qui utitur rationali voluntatis arbitrio, quod in omnibus mortalibus animantibus, nonnisi homini est divinitus attributum. *Sed aliud est, cùm propriè loquimur, aliud est, cùm verba ex aliis rebus transferendo vel abutendo mutamus*, quæ egregia sunt verba Augustini, haud dubiè Patrum omnium Principis, quantum quidem eorum nobis restat. *lib.* 1. *de adult. Conjugiis & Polleut. cap.* 16. conf. Seldenum *cap.* 4. *libr.* 1. *de Iur. Natur. & Gent.* & Horneum Philosophiæ Moralis *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 22. *inprimis.* quibus addi potest Alexander Turaminus *tract. de legib. lib.* 1. *cap.* 2. Ex quibus id satis patet, ùt equidem arbitror, Jus Naturæ ad bestias non pertinere. Quia tamen sunt inclinationes & operationes quædam, quæ communes hominibus sunt cum brutis, non item cum plantis ac aliis rebus anima carentibus, quæque in homine propter rationem, quæ ea sibi suæque naturæ convenire novit, Juris Naturæ sunt, hinc non improbamus illorum sententiam, qui existimant, peccatum hominis facientis contra illas inclinationes Naturales, quas cum brutis habet communes, ex hac ipsa comparatione jure meritòque majus haberi: quale est peccatum, cujus in *l.* 31. *C. ad legem Juliam de adulteriis* mentio vid. ea de re Guil. Amesium *de consc. libr.* 5. *cap.* 1. *q.* 3. *in fine.* Felden. *ad Hug. Grotium, cap.* 1. §. 11. ubi promittit pluribus ea de re se acturum in Commentario ad instituta. Frantzk. *ad Pandect. ad tit. de justit. & jure. num.* 110. ac ex Moralium scriptoribus Dominicum Bannes, *tract. de justit. & jure, quæst.* 57. *art.* 3. *concl.* 2. Atqui totam hanc Pythagoreorum de Jure Naturæ sententiam, pluribus fortassis explicabit, Vir Cl. Johannes Schæfferus, qui diu jam in eo est, ut quod in Philosophia Epicuri fecit Gassendus, quodque eridito orbi promisit pridem de Democriti doctrina doctissimus, idemque amicissimus Petrus Borellus Christianissimi Regis Medicus, id ipse libris aliquod in restituenda vita & Philosophia Pythagoræ præstet.

SECT. II.

DIversa sententia Philosophorum è Jonica secta à Pythagoricis, 1. Ex ea Archelaus, Aristippus, Carneades Ius Naturæ negant, 2. Argumenta Carneadis à Lactantio recensita, 3. Theodorus & Diagoras itidem Ius Naturæ negasse videntur, 4. Aristoteles gentes integras observat, quæ Ius Naturæ negligant, 5. Argumentum aliorum contra Ius Naturæ ab Aristotele allatum, 6. & Sexto Empirico, 7. Etiam nostra ætate id negasse Ostorodum, Michaelem de Montagne, Thomam Anglum; Hobbeum modò negare modo asserere leges Naturæ, 8. De Feldeni novo argumento contra Ius Naturæ judicium, 9. ostenditur necessario dari Ius Naturæ ex Existentia, Omnipotentia, & Prudentia divina, 10. quæ præsupposita itidem vel ex sola ratione probari possunt, 11. quod factum jam à Raimondo Sebondo, Ludovico Vive, Mornæo, Grotio, Cornelio Martini, & Dn. Johan Adamo Osiandro, 12. Ex his præsuppositis quomodo lex æterna, quomodo Naturalis certò inferatur. 13. Ius Naturæ à posteriori arguit conscientia, 14. Id argumentum plenius explicatum & ab objectionibus vindicatum, 15. Apostolus etiam indè Ius Naturæ concludit, 16. Et vim argumenti agnoscunt in scriptis suis Ethnici, 17. Ac cognoverunt in seipsis qui conscientiam esse non crediderunt ante, Tiberius, Nero, alii, 18. Probatur Ius Naturæ ex societatibus Naturalibus, 19. Quæ ex Aristotele probantur, 20. Evincitur hominem esse naturâ sociale animal, 21. Et laudantur aliqui qui dissentientem Hobbeum refutarunt, 22. Alexander quo-

quoque Aphrodiſæus jus Naturæ ex Naturali ſocietate & ejus appetitu probat, 23. Ex conſenſu gentium & ſingulorum hominum, in hanc ſententiam pauciſſimis exceptis, efficitur Ius Naturæ, 24. Qui collegerint dicta Autorum qui Ius Naturæ agnoſcunt, 25. Carneadis, Epicuri, Sexti Empirici, Montani argumentis in contrarium reſpondetur, 26. Nil concludit argumentum ab utilitate, quam homines ubique quærunt, Iuri Naturæ adverſa, 27. Cui reſpondetur ex Grotio, 28. Nihil etiam alienum à mutabilitate Iuris, 29. quod ex Ariſtotele, Michaele Epheſio, Andronico Rhodio diluitur, 30. Locus Ariſtotelis ambiguus interpretatur, 31.

XIII.

ET hæc quidem, occaſione Pythagoricæ de Jure Naturæ ſententiæ. Cæterùm non eadem cum Pythagoricis ſenſére ex Jonica ſecta non pauci. Ex iis ſeculo octavo ante Chriſti Nativitatem vixit Archelaus, Socratis etiam, ſi Laertio in vita illius fides, præceptor, ſeculo quarto verò Ariſtippus, & ſeculo ſecundo Carneades. Eorùm omnium hæc de Jure Naturæ doctrina fuit, illud nullum eſſe, μηδὲν τὲ εἶναι φύσει δίκαιον ἢ αἰσχρὸν, ἀλλὰ νόμῳ καὶ ἔθει *nihil naturâ juſtum eſſe, aut honeſtum vel turpe, ſed conſuetudine ac lege*: ubi legis nomine, civilem ſolùm venire volunt. Quod de Archelao & Ariſtippo in vita eorum Diogenes, de Carneade verò, non quidem in vita ejus ille Autor; ſed tamen ex Ciceronis libris deperditis narrat Lactantius *libr. 5. Divinarum Inſtit. cap. 17.* (quod omnino integrum legi meretur, ad indagandam Carneadis ſententiam & argumenta, cùm partem ejus ſaltem retulerit Hugo Grotius in Prolegomena Tractatus de jure belli ac pacis) atque addit, poſtquam ea recenſuiſſet: *arguta hæc planè ac venenata ſunt, & quæ Marcus Tullius non potuit refellere.* Theodorus quoque ac Diagoras Melius, nullum videntur Naturæ Jus agnoviſſe: eos ſanè *nullos Deos aſſeverando, timorem omnem, quo humanitas, regitur, venerationemque penitus ſuſtuliſſe*, ex Minutio Felice in Octavio narrat Seldenus de *Iure*

Natu-

Naturæ & Gentium, &c. lib. 1. cap. 7. p. 90. & nota ex Diogene Laertio in vita Ariſtippi, & Heſychio in vita ejus, Theodori ſententia, furtum, adulterium, ſacrilegium, non habentis, inter jure Naturæ prohibita. Ariſtoles etiam *ad Nicomach. 7. c. 6.* obſervat nationes, *quæ ex natura rectorationis uſu carentes, & ſenſu ſaltem viventes inſtar ferarum erant:* in quem locum conſule interpretes ejus, Averroem inprimis, & Andronicum Rhodium virum doctiſſimum: vide & alterum Ariſtotelis locum, *Polit. 8. cap. 4.* & inprimis *5. Ethicorum 10.* ubi *nonnullis omnia jura videri eſſe*, ait, *legitima, quia quod eſt Naturâ, immobile eſt & ubique eandem vim habet, quemadmodum ignis, qui & hic & apud Perſas urit, jura verò moveri vident.* quo argumento etiam utitur Sextus Empiricus *Pyrrhoniarum hypotypωσεων lib. 3. cap. 22.* Quamvis enim Sceptici, *rationes ſolùm diverſa ſentientium expendentes, & poſtquam eas comperiſſe æquales ſibi viſi eſſent, veritatem nulla de re haberi poſſe* exiſtimarint. vid. *d. l. Empirici & cap. 9. l. 2.* ac Lucianum *in vitarum auctione*; attamen, & qui dubitat de Jure Naturæ, is id non concedit, ac ideo in praxi non raro haud dubiè peccat contra illud, & negantis non dubitantis argumenta ſunt, quæ Empiricus affert allegato ſuperius loco. Seneca quoque *in Troad. act. 5.* hujusmodi gentium meminiſſe videtur, quibus nullum agnoſcatur Naturæ jus: hinc illa apud ipſum.

> *Quæ Caſpium tangens mare*
> *Gens expers juris auſa.*

XIV. Atque utinam deeſſent qui noſtra ætate dari jus Naturæ negant. Oſtorodus (ùt quidem illius ſententiam recenſet Balthaſar Meisnerus) circa initia ſeculi hujus, in inſtitutionibus Racoviæ typis excuſis, id negare auſus eſt. Nec video, quorſum tendant, niſi ad deſtruendum Naturæ jus, quæ ſeculo jam, quod noſtrum anteceſſit, ſcripſit Michael de Montagne *lib. 2. des Eſſais, cap. 12.* quod inſcribit *Apologiam Raimondi. pag. m. 596.* Locum ipſum Gallicè quivis ex ipſo autore repetere poteſt, nos illum, quia prolixus eſt, dabimus ſaltem, ut Latinè vertimus: *Lepidi*, ait, *illi ſunt, qui mutabilitatem* [illegible] *excuſatam volunt* (de hac enim antè loquitur) *quando, ut legibus addant à certitudinem autoritatem, ajunt eſſe earum aliquas firmas perpetuas & immutabiles,*

quas

quas ipsi nominant Naturales , inscriptas humanō generi , & impressas ex conditione ipsius essentiæ humanæ : atque harum legum alii tres , alii quatuor , nonnulli plures , atque etiam aliqui pauciores esse volunt , quo indicio constat rem hanc non magis dubio vacare quàm reliqua , de quibus diximus. Cæterum adeò infortunati sunt, (quomodo enim illos aliter appellem, quàm infortunatos) quòd ex numero infinito legum ne unica quidem reperiatur, quæ forte fortuna ubique recepta sit consensu Nationum omnium, & è tribus vel quatuor his legibus electis , ne una quidem sit , cui non contradicatur, non ab una aliqua natione , sed à pluribus. Jam verò , sola maximè verosimilis nota est , unde argumentari possint esse leges nonnullas Naturales , quòd universaliter illæ approbentur : quod enim Natura nobis revera præscripsit , sinè dubio communi consensu sequeremur , neque solum integræ nationes sed singuli etiam mortalium, vim & impetum sentirent, quem legibus his afferrent , qui ut contrà peccarent, illos adigere vellent. Talem autem legem ego lubens cernerem. Addit deinceps Protagoram quoque ac apud Platonem Trasimachum non aliter sensisse de legibus quàm nullas eas esse præter superiorum jussa & commoditatem. Ante biennium & quod excurrit, edidit iterum Samuel Sorberius Syntagma Philosophiæ Epicuri Petri Gassendi , is ejus libri *part. 3. cap. 25.* agit de jure seu justo, à quo justitia dicta, scribitque quæ sequuntur. *Ac sunt quidem, qui existimant ea , quæ justa sunt , esse secundùm propriam invariatamq; naturam justa ; & leges non ipsa justa facere , sed duntaxat præscribere, juxta eam quam habent Naturam: verùm res non ita se habet , sed eo potius modo quo se habere observatur cæteris in rebus , quæ sunt utiles , ut quæ ad sanitatem spectant, sexcentæque similes , quæ utiles illis , noxiæ istis sunt ; sicque à scopo sæpenumero tam communiter , quàm privatim aberrant ,* idque probat ratione , quæ eadem est cum illa ab Aristotele memorata , ac Carneadi, Sexto Empirico, Montano, usurpata , *justa non ubique semper & omnibus talia haberi , quod fieret , si aliquid tale naturâ esset.* Videtur quidem alibi nihil minus quàm Naturæ Jus negare, *dict. cap. Necesse est,*ait,*ut id quod jus. seu justum , quippiam secundùm Naturam sit , ac naturale dicatur* ; sed fraus facilè patet, ex iis quæ præcedunt, *quia unusquisque id, quod sibi bonum , natura duce , expetit ,* & quæ sequuntur : *quocirca , ut propriè loquamur , jus sive justum Naturale,*

nihil

nihil aliud est, quàm tessera utilitatis; seu ea, conspirantibus votis proposita utilitas, ut homines ad invicem neque lædantur; atque adeò securè degant, quod, ut bonum est, sic natura duce quisque expetit: utile proinde ac bonum pro eodem hìc habeo, censeoque ut quippiam justum sit, seu jure servetur, duo quidem exigere, unum ut utile sit, alterum ut sit ex communi consensu societatis præscriptum.

XV. Neque ab hac sententia interdum alienus est Thomas Hobbes. Quamvis enim variè de Jure Naturæ scribat, ac in præfatione Elementorum Philosophicorum, *dictamen rationis* Legem Naturalem, appellet: quod repetit sæpe *cap. 1. p. 12. & 13. thes. 9.* & alibi, atque etiam in ultimo ipsios scripto de Homine quod ante triennium Latinè edi fecit Londini, ubi *th. 5. cap. 14. Deum, eo ipso, quòd homines fecerit rationales, ipsis mandata quædam præcepisse, ac cordibus omnium hanc legem insculpsisse, ne quisquam quicquam faceret, quod alium sibi facere iniquum duceret*; vicissim tamen, passim ea scribit, ex quibus fortassis non immeritò quis concludat, eum Jus Naturæ inficias ire. *In præfatione ad Lectorem de Element. de cive* laudat eos, *qui ostenderunt rationibus firmissimis, Doctrinas de justo & injusto, bono & malo, præter leges in unaquaque civitate constitutas esse nullas. cap. 1. eod. lib. art. 10. In statu Naturali mensuram juris esse utilitatem*: & ne quis meliora deinceps putet hisce prætulisse, postremo de Homine Tractatu, eodem ex quo antè quædam pro Jure Naturæ ejus verba adduximus *cap. 10. in fine*, scribit, quæ subjicio. *Scientia justi & injusti, æqui & iniqui, à priori demostrari potest, propterea quod principia, quibus justum & æquum, & contra injustum & iniquum quid sint cognoscitur, id est, justitiæ causas, nimirum leges, & pacta, ipsi fecimus. Nam ante pacta & leges conditas, nulla neque justitia neque bonum neque malum publicum, naturâ erat inter homines magis, quàm inter bestias.* Unde satis liquet de jure Naturæ ita ambiguè scripsisse autorem hunc, ut quid sentiret non omnibus patere vellet. Et verò etiam ex eadem gente vir aliàs doctrinæ laude apud multos celebris, Thomas Anglus, è generosa Albiorum prosapia, in Institutionibus sacris, exstructis super fundamentis in Peripatetica Digbæana jactis, libello, ob paucitatem,

quæ excuſa ſunt, exemplarium, & prohibitionem Doctorum Sorbonæ rariſſimo, idem defendere anno adhuc 1652. aggreditur. *lib. 1. lect. 11.* Quod factum tamen ab ipſo ſcio, haud ſanè ad mentem Illuſtriſſimi Herois Digbæi, quam alioquin in aliis ſcriptis exprimere ſeſe ait. Ex ejus enim libris contrarium oſtendi non difficulter poteſt; Et memini ipſe præſentibus multis Gallorum in conventu eruditorum Pariſienſi, in Collegio Harcurtiano ipſum Jus Naturæ & agnoviſſe & defendiſſe. Quin nec probè hìc ſenſiſſe videtur etiam Helmontius, ùt ex libello quem inſcribit *Venatio ſcientiarum* liquet, qui in volumine, cui nomen fecit initia Phyſices ac Med. inaudita, typis deſcriptus extat: ibi enim de ratione ita loquitur, ut quicquid illa dictitat, aut quod ullo modo ad eam refertur, merum eſſe judicet figmentum, ac neſcio, quam mentem ei adverſam ſomniet. Johannes Feldenus quoque in annotatis ad Grotium de jure Belli & Pacis, quamvis ipſe dari Jus Naturæ non neget, viſus tamen ſibi eſt, Nota prima, ad Prolegomena, reperiſſe novum argumentum, quod iis objici poſſit, qui jus Naturæ defendunt, quod addere ideo omiſi, quia connexionis nullam vim in eo quidem diſcurſu ego reperio, conſulere tamen poteſt eum, cui lubitum fuerit.

XVI. Cæterum ab errore non immunem eſſe quæ Naturæ Jus negat ſententiam, non ſolùm reliqui præter hos quos enumeravimus, & alios ignoti nominis non multos, perſuaſum habent homines; ſed & argumentis iiſque certis & evidentibus probari poſſe judicamus. Rem autem Deo auſpice ita aggredimur. Præſupponimus modò Deum eſſe, Deum eſſe Omnipotentem, Prudentiſſimum, ac rerum humanarum habere curam, quæ Chriſtiani quidem omnes, ac etiam Muhammedani, ac paganorum longè maxima pars non negat: iis autem qui negant, facilè ſolidè ex ipſa ratione demonſtrari poſſunt. Quod fecerunt poſt alios plures è Hiſpanis Raimondus Sebondus, ac Ludovicus Vives, è Gallis Philippus Mornæus Pleſſiaci Dominus, è Belgis Hugo Grotius in initio ingenioſiſſimorum, *de veritate Religionis* librorum. Atqui videatur inprimis in hanc rem, erudita & ſolida demonſtratio *in Theologiæ Compendio* Cornelii Martini, Philoſophi maximi, quem librum utinam fine non mutilaſſet autoris mors, quæ quamvis ſenem, tamen

tamen incredibili planè rei literariæ jactura eum rebus humanis exemit. confer & doctissimas dissertationes *de notitia Dei innata* Dn. Johan. Adami Osiandri, Theologi Academiæ nostræ celeberrimi. Ex hac Dei Omnipotentia ipsius Imperium in creaturas omnes, nulla excepta, liquet, ex Prudentia autem, & rerum infimarum cura, id Imperium non esse fortuitum, sed tale quod secundùm ideam in mente divinâ formatam, rebus his inferioribus communicetur. Licèt enim negarint Deum duci rerum humanarum cura Philosophorum aliqui, post alios tamen, contra Epicurum solidè iterum ex principiis certis ejus veritatem ostendit Petrus Gassendus *in Syntagmate Philosophiæ Epicuri animadv. tertia. vid. imprimis p. 137. edit. quæ Hagæ Comitis anno 1659. prodiit §. Porrò ut prætereamus.* Atque hoc ipsum Imperium Dei, in creaturas, cum providentia conjunctum, est illud, quod æternæ legis nomine appellant Scholastici: Fit autem hæc communicatio æternæ legis, inferioribus his, diverso modo. Reliquis enim præter hominem animantibus ac rebus inanimatis, ita ut necessariò obtemperent, nec possint aliter quàm obedire: hominibus verò, ut animalibus ratione utentibus, ac ideo voluntate & intellectu præditis, ut afficiat etiam utramque hanc partem, adeóque possint contrà peccare, vel aliquid admittere. Hæc ergo lex æterna, communicata hominibus, nec ore, nec scripto. (quod plerisque non factum scimus) est ipsa lex Naturæ. Eamque qui negant vel asserere necesse habent, Deum non esse Omnipotentem, vel si sit Omnipotens, hominem non esse hominem, h. e. animal rationale, vel intellectu & voluntate præditum, vel desinere esse tale post leges à Deo acceptas, vel Imperium exerceri posse sinè mandato, jussu, legibus, vel leges omnibus populis à Deo ore aut scripto datas: quæ omnia absurda, eorum autem opposita, demonstratu facilia sunt.

XVII. Sed & à posteriori ostendi potest, dari legem Naturæ. Homines omnes, qui mali quid egerunt, saltem aliquando in vita observant, se ideo terreri, atque esse aliquid intra se, (conscientiam vocant) quod ideo naxietate animum perfundat, & illum metu quodam affligat. Quamvis enim multi reperiantur (prout sunt diversi impietatis gradus) qui vix unquam domesticum hunc tortorem audiant;

est tamen extra controversiam, illos sentire saltem aliquando vim ejus, licèt non admittant, aut dictatis ipsius obtemperent. Atque qui id negant, illi cum id reipsa in seipsis experiantur, & verum esse sentiant, in speciem verbis negant. h. e. studio contradicendi aliis, sibi ipsis contradicunt. Et verò terrentur hoc modo, & metuunt sibi, non solùm Christiani & Judæi, qui legem scriptam à Deo acceperunt, quæ mala hæc speciatim prohibet, vel aliæ gentes, quorum licèt falsa religio, hæc tamen delicta, scriptis aut promulgatis legibus vetat: aut quorum legibus civilibus illa in vetitis sunt: aut qui audire tenentur leges civiles; sed etiam gentes, quæ legem à Deo scriptam aut expressè traditam nullam habent, & nec habere se persuasi sunt, quorumque nec civilis Magistratus, nec Ecclesia illa disertè prohibuit: & inter illos, qui à pœna legum civilium sibi non timent, vel quòd Principes sint, vel quòd occultissimè gesta res nullā metus causam iis præstare possit. conf. *c.3.th.23.* Non metuunt autem nec terrentur aliunde, quàm quòd pœnam exspectant, non exspectarent autem à justo judice, qualē esse universi Dominum norunt, nisi contra legem ejus se egisse scirent. Non cognorunt autem legem ejus, ii de quibus inprimis loquimur, & quos ante descripsimus, homines pagani, vel ut scripto vel ore promulgatam, vel ullo alio possibili modo præterquam eo qui solus superest, ut ipsis insita sit naturalis legis hujus certa notitia. Licèt enim fuerint etiam gentes, quæ multa juris naturæ præcepta susque deque habuerunt, tamen nec omnia abjecerunt, sed unum, aut duo, vel aliquot, v.g. de furtis, incestu, parùm pensi habuerunt ac veri in his scintillas malo more oppresserunt, in reliquis à Naturæ Imperio non recesserunt: & si recessisse aliquos ab omnibus probetur, non ideo existimandum est, illis defuisse notitiam peccati ea in parte sui, sed ut solent à gentibus etiam, ut à singulis, impia interdum, reluctante quamvis, & contrarium suadente conscientiâ, patrari; ita & hic similis facti exemplum, idque luculentissimum fuerit. Atqui hoc illud argumentum est, quod ipse urget Apostolus, *Epist. ad Rom.2.v.14. Cùm gentes, quæ legem non habent, Natura suapte faciunt ea, quæ legis sunt, isti legem non habentes sibi sunt lex: ut quæ ostendunt ipsum opus legis mentibus suis inscriptum, simul testimonium reddente*

dente

dente ipsorum conscientiâ, & cogitationibus sese mutuò accusantibus, aut etiam excusantibus. Et verò argumentum hoc à conscientia egregiè explicat Chrysostomus *hom. 17. in Genesin, & in explic. Psal. 7.* ubi, *etsi millies*, ait, *quis improbus fuerit, non interiit judicium conscientiæ. Est enim Naturale, & à Deo ab initio insitum, etiamsi quis ambitiosè se millies jactet & glorietur, instat illud vociferans, castigans, condemnans, & nemo est eorum, qui vixit in scelere, qui non innumerabiles dolores sustineat, & de malis consultans, & consilium exequens.* Consule & subtiliter ea de re differenrem, ac ex conscientia legem Naturæ, & Judicem Supremum probantem Dn. Joh. Adamum Osiandrum *Disput. 5. de Notitia Dei contra Atheos, th. 40.* ubi propositionem, *qui naturale quoddam habet judicium de bene vel malè factis, illum habere etiam legis alicujus (Naturalis) cognitionem, quæ jubeat bonum, & vetet malum*, probat per reductionem terrorum conscientiæ, in aliquod principium excitans, quod deinceps, nec ipsius hominis, ut sponte elicientis, cùm vitia sua celare & excusare potiùs nitatur, nec à proximo, sed à sola hujusmodi lege, & ejus autore Deo, esse posse, luculenter ostendit.

XVIII. Neque quod docet Apostolus id Ethnici ipsi quoque scriptores ignorarunt, quin id sedulo urgent, idque omnis ipsorum Historia loquitur. Tiberius Cæsar nihilminus quàm de conscientia solicitus antè, nec legis divinæ scriptæ gnarus, nec civilibus subditus, adde etiam tantus dissimulator, cùm omnia posset, hos cruciatus dissimulare non potuit, cùm tortore hoc domestico urgente, ex solitudine & secessu medelam quæreret, neque inveniret tamen, ad Senatū ita literas orditur. *Quid scribam vobis Patres Conscripti, aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam, dii me deæq; pejus perdant, quàm perire me quotidie sentio, si scio.* Et subjungit qui Epistolæ initiū servavit Tacitus, *annal. 6. cap.* ex distinctione Berneggeriana *7. n. 2. Adeò facinora atq; flagitia sua ipsi quoq; in supplicium verterant. Neq; frustra præstantissimus sapientiæ firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse adspici laniatus & ictus, quando ut corpora verberibus, ita sævitia, libidine, malis consultis animus dilaceretur. Quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris, suasq; ipse pœnas fateretur.* Quē præstantissimū sapientiæ hic appellat Tacitus,

is non alius est, quàm Plato, cui primas etiam Cicero passim defert, ex cujus *lib. de Republic. 9.* desumpsit, quæ ibi de Tyranno verè monet, verba Latina ex Hugonis Grotii felicissimi interpretis versione in *Notis ad librum I. de veritate Religionis Christianæ ad* §. *24.* hæc sunt: *Mendicus revera est, si quis universum ipsius animum rectè norit inspicere, plenus formidinis per omnem vitam, plenus mœroris & cruciatuum.* confer. Suet. *in vita Tiberii, num. 67.* ubi hac Epistola, pertæsum sui ipsius, tantum non summam malorum suorum professum esse asserit. Idem Tacitus de Nerone, quem, qui conscientiam antè credidisse quàm sensisse existimat, fallitur, *Annal. 14. cap. 10.* cum antea narrasset, imperatum à Nerone parricidium, subjungit; *sed à Cæsare perfecto demum scelere magnitudo illius intellecta est, reliquo noctis modo per silentium defixus, sæpius pavore exurgens, & mentis inops, lucem opperiebatur, tanquam exitium allaturam.* Rectè Ovidius *lib. 1. Fastorum.*

Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit intra
Pectora pro facto spemque metumque suo.

& Juvenalis *Sat. 13.*

Exemplo quodcunque malo committitur, ipsi
Displicet autori, & prima est hæc ultio, quod se
Judice nemo nocens absolvitur, improba quamvis
Gratia fallacis prætoris vicerit urnam.

Plures memorare in re clara supersedeo.

XIX. Neque verò desunt & alia plura, quæ Jus Naturæ evincant. Sanè hominem naturâ esse sociale animal, atque inter ἀγέλαια, non μοναδικὰ numerandum, pridem probatum Philosophorum dogma est. Ex Hebræorum, JCtis & Philosophis sinè controversia doctissimus Maimonides, *in More Novochim. part. 2. cap. 40. in princ. Sufficientissimè*, ait, *demonstratum est hactenus, hominem naturâ esse animal politicum & civile.* Quod Aristoteles Græcorum Philosophorum, quorum opera supersunt, plurium sententia, Princeps, prolixè etiam probat *lib. 1. Pol. cap. 2. & 3. Polit. cap. 6.* in quem priorem locum consule, quæ more suo eruditè observat Michael Piccartus *Commentario in libros Politicos Aristotelis, p. 44. & seqq.* Et sequuntur Aristotelem, ut solent, Græcorum ac Latinorum plurimi. Atqui hinc, & à sola Natura esse societates, domesti-

mesticam, herilem, & eam quoque quam vicum vocamus, ingeniosè, inprimis de conjunctione maris & fœminæ, quæ ad generationem tendit, probat *dict. loc.* Aristoteles, ex negatis reliquis appetitionum formis. Cùm enim quatuor solùm sint illæ, quorum una est, Naturæ communis rerum omnium non cognoscentium: altera propria animalium, & ex sensu derivata: tertia propria nobis hominibus, quæ ex consilio & electione descendit: & quarta, voluntas mentem sequens, cujus hominicum separatis substantiis, quibus quædam mens inest, communio est. Et verò, quia nec ex electione, quod non hominum saltem, sed etiam aliorum animalium plantarumque generatio est: nec ex voluntate, quòd Angeli non generent: nec ex sensu, quòd & plantæ generent, descendat hæc conjunctio, relinqui docet, ex sola Natura ejus repetendam originem. *d. cap. 2. libr. 1.* ubi & idem de reliquis societatibus nonnullis probat. Sermo equidem distinctus, ac interioribus cogitationibus respondens, quem Natura, quæ nihil frustra concedit, homini dedit tamen, quid aliud loquitur, quàm Naturam ipsius socialem, cùm ejus non nisi ad alterum usus sit. Et satis, talem eum esse, arguit indè à prima nativitate ad vitam producendam, (cujus naturale cuique conservandæ desiderium) societatis necessitas. Infantes enim adultorum ope, vel ad victum solum omnino indigemus, adulti ob vitæ humanæ necessitates, quibus vix possibile est unum aliquem solum mederi, (inprimis si ægritudines ingruant, iis non circa extremas difficultates caremus, quod utrumq; & vidit & urget Aristoteles: primum quidem *cap. 2. lib. 1.* secundum *lib. 3. cap. 6. Politicorum.* Scio quidem, post veteris ævi Scepticos, & alios nonnullos, id in dubium vocasse argumentis non nullius momenti Thomam Hobbeum *in Elementis Philosophicis de cive cap. 1. num. 2.* ubi & solvere tentat, quæ ipsi objecerunt aliqui, in subjectis notis, & in Præfatione ad Lectorem in eundem librum, §. *videmus civitates omnes, &c.* Sed justa profectò causa est, referendi hanc ejus sententiam inter periculosa, addo & falsa axiomata, qualia quædam Hobbei ex Statu Hominum Naturali fluere, & deduci verè observat, in elegantissima Dissertatione de Studii Politici ortu & progressu, hîc habita, *Dn. Hesenthalerus th. 46.* Atqui miror adeò, quid in mentem venerit Setho Wardo, Professori Oxoniensis Academiæ, dum Exercitatio-

tationem Epiſtolicam, quam Thomæ Hobbei Philoſophiæ anno 1656. oppoſuit, ac Oxonienſibus typis deſcribi fecit, quòd non accuratè in hoc dogma ejus cenſuram ſtringere ſaltem conatus ſit. Sed nec dogma illud confutat alter Hobbei adverſarius Franciſcus Julius Chopius in *Philoſophia Juris vera*, qui id attingit tamen, & improbat etiam *lib. 3. cap. 7. in fine*. Cæterum quod Wardus & Chopius, qui ſe Adverſarios Hobbei profitentur, non fecerunt, id præſtitit ſatis feliciter, quamvis eo non nominato, ob familiaris amicitiæ vinculum, Petrus Gaſſendus Opere de Philoſophia Epicuri, *tom. 3. in Ethicis*, & Dn. Samuel Puffendorph, in vicina Heidelbergenſi Academia modò Profeſſor, in Elementis Jurisprudentiæ Univerſalis *lib. 2. obſ. 3.* ubi argumentis Hobbei ſolidè, meo judicio reſpondet.

XX. Verum igitur manet, hominem naturâ eſſe ſociale animal, & eſſe ſocietates naturales nonnullas: minimè gentium autem poſſibile eſt, eſſe vel ſubſiſtere per tempus aliquot ſocietatem ſinè juſtitia. Unde neceſſe eſt jus quoque aliquod eſſe Naturâ. Gaudeo verò ejusdem argumenti pondus agnoviſſe celeberrimum in Peripatho Philoſophum, ac primum aut ſaltem præcipuum ejus in Europa reſtitutorem Alexandrum Aphrodiſienſem ad libr. Ariſtotelis de anima, 2. *cap. 4.* ubi poſtquam in eandem nobiſcum ſententiam Naturæ probaſſet, ſubjungit qualia illius ſint præcepta; *ſuntque ejusmodi pleraque* (verba ipſius recito) *quæ appellare ſolemus, ex ipſo affectu, leges non ſcriptas, quæ communes omnibus ſunt, niſi ſint excæcati: Revereri enim ſeniores, colere Deũ, honorare atque obſervare parentes, & præſtantiores viros, ſunt jura quædam non ſcripta & communia, quæ naturaliter apud omnes homines retinentur. De his enim neque paciſcuntur ſecum, neque leges ſanciunt, ſed retinent tanquam ſtatutas & confirmatas ab ipſa natura.* Hactenus ille.

XXI. Accedit conſenſus gentium ac hominum ſingulorum, paucis illis, quos ſuprà commemoravimus, exceptis, qui communem hunc conſenſum ſuo diſſidio impedire non magis idonei ſunt, quàm apud Geographos orbis rotunditatem diſperſi per terram montes, quando cum reliqua ejus mole conferuntur. Eſt verò & hic ipſe conſenſus hominum probando juri Naturæ ſatis idoneus. *Univerſalis enim*

eſſe-

effectus, universalem requirit causam, talis autem existimationis causa vix ulla videtur esse posse, præter sensum ipsum, communis qui dicitur: ùt eleganter loquitur Grotius *de jure Belli & Pacis, lib.1.c.1.n.12.* Bene Aristoteles Nicomach, *X. cap.2.* ὃ γὰρ πᾶσι δοκεῖ τοῦτο εἶναι φαμέν. *Quod omnibus ita videtur, id ita esse dicimus*, & alibi idem, κράτιστον πάντας ἀνθρώπους φαίνεσθαι, συνωμολογοῦντας τοῖς ῥηθησομένοις, *potentissima probatio est, si in id quod dicimus, omnes consentiant*, Hesiodi, Heracliti, Josephi, Senecæ, Quintiliani, Porphirii ac Tertulliani in eandem rem sententias collegit *d.l.Grotius*, qui planè legendus est, vel solùm propter insignem Andronici Rhodii locum, qui paucissimorum dissensum, hìc susque deque habendum esse docet, & evidendi ratione probat. Loca Autorum melioris notæ, qui jus Naturæ disertè agnoscunt, afferre præter rem fuerit, cùm id tam multi fecerint, ut in immensum excrescere dissertationem necessum fuerit, si vel potiora afferre animus sit. Et verò occupata pridem est ea opera ab aliis: consulatur Dn. Eichel *de jure Naturali Parentum in liberos & horum in Parentes. thes.2.* Vinnius *ad Instit. de Iur.Nat.Gent.& Civil. §.1. num.3.* Bachovius *ad primam Pandectarum partem. p. 22.* Hugo de Roy *de eo quod justum est, lib.1. tit.3. pag.33.* Chopius *in Philosophia juris vera, lib.1.cap.2.n.10.* Scokius *in Diatribe de jure naturæ, thes.8.* Apud quos plurimorum magni nominis scriptorum, qui seculis diversis ac locis vixére, consentientes pro jure Naturæ sententias, legere est.

XXII. Neque nostrum consensum impedire debent, quæ in adversum, Carneades, Sextus Empiricus, Epicurus, Montanus & alii disputant. Quod enim præcipuum est Carneadis argumentum. *Hominem esse animal, atque non minùs indè quàm reliqua animalia, quæ brutorum nomine à nobis discernimus, utilitatem suam pro regula habere solùm, non etiam sui similium: Juris autem totam vim, ad alios referri, quod fieri non possit, ubi propria spectatur utilitas, aliorum salute sive commodo insuper habito*: ei rectè respondet Illustris Grotius in Prolegom. in libros de jure Belli & Pacis. *Quod dicitur*, ait, *non Carneadi tantùm, sed & aliis,*

Vtilitas justi propè mater & æqui,

 si ac-

si accuratatè loquamur, verum non est: nam Naturalis juris mater est ipsa humana Natura, quæ nos etiamsi re nulla indigeremus, ad societatem mutuam appetendam ferret. & deinceps, *sed Naturali juri utilitas accedit: voluit enim Naturæ autor, nos singulos & infirmos esse, & multarum rerum ad vitam rectè ducendam egentes: quò magis ad colendam societatem raperemur.* Paulò antè, cùm recitasset Carneadis argumentum, ferè ad eundem nobiscum modum, addit, quibus id confutat, quæ subjicimus, *Verum*, ait, *quod hic dicit Philosophus & sequitur Poëta*

Nec natura potest justo secernere iniquum.

admitti omnino non debet, nam homo animans quidem est, sed eximium animans, multoque longius distans à cæteris omnibus, quàm cæterorum genera inter se distant: cui rei testimonium perhibent multæ actiones humani generis propriæ. Inter hæc autem, quæ homini sunt propria, est appetitus societatis, id est, communitatis, non qualiscunque, sed tranquillæ, & pro sui intellectus modo ordinatæ, cum his quæ sunt sui generis: quam οἰκείωσιν *Stoici appellant. Quod igitur dicitur Naturâ quodque animal ad suas tantùm utilitates ferri, ita universè sumptum concedi non debet. Nam & cæterarum animantium quædam utilitatum suarum studium, partim fœtuum suorum, partim aliorum sibi congenerum, respectu aliquatenus temperant. quod in illis quidem procedere credimus ex principio quodã intelligente extrinseco, quia circa actus alios istis neutiquã difficiliores par intelligentia in illis non apparet. Homini verò perfectæ ætatis, cùm circa similia similiter agere norit, cum societatis appetitu excellente cujus peculiare solus inter animantes instrumentum habet sermonem, inesse etiam Facultatem sciendi agendique secundùm generalia præcepta, par est intelligi, cui quæ conveniunt ea jam sunt non omnium quidem animantium, sed humanæ Naturæ congruentia, &c.* Utilitas ergo constituto jam juri naturali accedit, & naturalis impetus, qui ad societatem agit hominem, eò illum agit, etiam si absque utilitate esset. societates autem naturales, sinè naturalibus legibus esse non posse jam antè monuimus. Quod si vel maximè verum fuerit, utilitatem primum esse, quod homo quærat, vel sic concludere licet, esse quoddam Jus Naturæ. Non potest enim consequi quod utile est, nisi in societate hominum, & quidem illis societatis speciebus, quæ maximè Naturales sunt. Societas autem, ubi leges desint,

ſint, nulla eſt, nec eſſe poteſt. Vidit hoc Ariſtoteles *6. Ethicor. cap. 9. ubi fortaſſis* ait, *uniuscujusque bonum ſinè familiari & civili non eſt*. In quem locum eleganter commentatur Euſtratius Nicænus: *Hoc modo*, ait, *locus hic intelligendus eſt: vel quia homo Naturâ eſt ſociabile & gregabile animal, ſpectaſſe Ariſtotelem ad hujusmodi hominis naturam credendum eſt: dixiſſeque prudentem per ſe ſolum non poſſe proprium bonum conſequi, & virtutem exercere, niſi vel in civitate, vel in domo degat.* vid. omnino Grotium *dict. loc. & in notis*, ac Johannem Eichelium *tract. jam ante laudato th. 3.*

XXIII. In altero quod à mutabilitate omnis Juris, & diverſa de eo, apud diverſas gentes opinione, promunt, qui Jus Naturæ negant, cùm ea, quæ Naturalia ſunt, aliter ſe habeant ac omnibus talia eſſe videantur, nihil quoque eſt, quod Naturæ jus infringat. Quàm eſt enim evidens fuiſſe qui manifeſtiſſima ac omnibus certiſſima inficias iverint? Anaxogoras antiquis temporibus nivem atram, Teleſius Philoſophus patrum memoriâ ignem extremè humidum dixit, Sunlungus, celebris apud Sinenſes Sophiſta, ſeculo quarto, ante Nativitatem Salvatoris, in publico Philoſophorum ſuæ gentis conventu, hominem tres habere aures, defendit, tradente Martinio Hiſtoriæ Sinicæ *lib. 5. pag. juxta primam Monachii curatam edit. 170.* & ægroto quandoque mel amarum videtur; neque tamen horum deliræ opiniones efficiunt, ut res hæ, naturâ ſuâ tales eſſe incipiant. In eam ſententiam elegans eſt Andronici Rhodii locus *Comment. in Ariſtotelis Ethic. ad Nicomachum lib. 5. cap. 7.* *Apud homines*, inquit, *rectâ ſuâque mente præditos immutabile eſt jus illud Naturæ, quod dicitur, Quod ſi his, qui morbido diſtortoque ſunt animo, aliter videtur, nihil id ad rem pertinet. Nam nec mentitur, qui mel dulce eſſe dicit, ideo quòd ægrotis aliter videatur.* Michael Epheſius, & ipſe Græcus commentator ad eundem locum Ariſtotelis. *Non eſt*, ait, *abſolutè verum id, quod nonnulli dicunt, jus omne mutari, ſed quodammodo jus immobile eſt atque immutabile, apud enim eos, qui in Naturæ terminis perſiſtunt, neque perverſi ſunt ac depravati, immobile jus Naturale ſervatur: apud eos verò, qui pravè & præter Naturam affecti ſunt, mutabile eſſe reperitur.* Ipſe Ariſtoteles ad eundem modum *cap. 34. lib. Magn. Moralium* ex interpretatione Georgii Vallæ. *Juſtorum quædam Naturâ,*

turâ, quædam lege sunt. Verùm arbitrari ita oportet, ne putemus nunquam excidere, quæ natura sunt, quæ sanè etiam mutationem subeunt: Vt inquam, si jaculari omnes semper sinistra annitantur, tandem sinistrâ manu æquè ac dextrâ utemur. Atqui à natura sinistra est: ac dextra nihilominus naturâ potiora sunt sinistris, tametsi cuncta sinistra sicut & dextra facimus. Neq; quòd mutari hæc queant, & ob hoc à Natura non sunt: verùm si ut plurimum, diutiusq; ita permaneant, & sinistra est sinistra, & dextra dextra, id quod à Natura est. Idẽ in à Natura justis, si nostro usu immutentur, non ob hoc à Natura justa non fuerint, imò equidẽ fuerint. Nam quod ut plurimum perdurat, id propalam justum à Natura est. & ad Nicomachum in Ethicis *lib. 5. cap. 7.* ex Matthiæ Bergii versione, qualem, illam nuper edidit Samuel Rachelius Dithmarsus. *Existimant autem nonnulli jura omnia esse legitima: quoniam id quod constat naturâ immobile atque immutabile est, & ubique eandem vim habet, quemadmodum ignis & hic, & apud Persas urit: jura autem quotidie vident immutari. Sed hoc non est ita, cùm sit tamen aliqua ex parte, Quanquam apud Deos fortasse neguaquam ita habens: sed utut hoc habet, apud nos certe est aliquid, quamvis Naturale, tamen mutabile: etsi non omne, veruntamen hoc non obstante, jus aliud Naturâ valet, aliud non naturâ, &c.* Quem locum tamen ambiguum nonnihil magis obscurum reddiderunt commentatorum non convenientes sententiæ, è quibus Averroes Arabs insigniter profectò nugatur, & nescio quæ inepta, quæ in mentem nunquam venerunt Aristoteli, fingit, è Latinis D. Thomas, *ad locum hunc,* & qui hunc sequitur Tarquinius Gallutius Sabinus, nec ipsi quidem Philosophi mentem assecuti videntur, inprimis quid sibi vellent verba illa: *apud Deos fortè aliter.* Magis nobis probatur Græcorum explicatio, quorum verba antea retulimus quædam, quibus addimus, quæ sequuntur in Michaele Ephesio ad explicanda Aristotelis verba, & agnoscendum responsionis Philosophi pondus. *At verò* (pergit Ephesius) *cùm inquit, quanquam apud Deos fortasse nullo modo est, spectare ad Platonis opinionem, videtur qui inter Deos quoque esse existimabat, atque tale ipsum eam, quæ per se justitia dicitur, quam* αὐτοδικαιοσύνην *appellat. Si igitur est, inquit apud Deos jus hoc, quod* αὐτοδίκαιον, *i. e. per se jus dicunt, nunquam id sanè mutatur, neque aliis diis est, aliis non: propterea quòd omnes*

omnes eodem modo sese habent, similesque sunt, neq; depravatione ulla pervertuntur. Idem hominibus eveniret: si enim omnes Naturā suam minimè depravatam conservarent, secundúmque eam viverent, nemini dubiū est, quin apud omnes jus Naturale perpetuum atque immutabile inveniretur.

SECT. III.

Democriti doctrina de Jure Naturæ à Petro Borello explicanda, 1. Epicurea à Gassendo explicata, 2. Utriusque communiter creditus consensus, 3. Zenonis laus in Morali doctrina & cum Christiana doctrina in multis consensus, 4. Ius Naturæ agnovisse Zenonem, ex Cicerone, Seneca, & antiquo Horatii Interprete, 5. Stoicorum de fato sententia tamen juri Naturæ adversa, 6. Ea explicata ex Gellio, Chrysippo, Seneca, 7. Quare cum jure Naturæ consistere non possit, ex Justino Philosopho, Simplicio, &c. 8. Autores, qui ex Ebræis, Pythagoreis, Platonicis, Aristotelicis, aliis, & recentioribus, id confutarunt, 9. Platonis de lege in genere & ejus speciebus sententia, ex Ficino, 10. Alberti Bologneti error circa legem Naturalem Platonis, 11. Lex divina Platonis eadem cum æterna, 12. Lex cœlestis ejusdem confutata, 13. Lex naturalis ejus pars legis æternæ, 14. Lex humana apud ipsum, lex est Naturæ, 15. Aristoteles quid de jure Naturæ senserit? 16. Ejus sententia, Jus Naturæ etiam extra societatem esse, defensa contra recentiores aliquos, 17.

XXIV.

SUpersunt ex Græciæ Philosophorum præcipuis sectis, qui Democritum, Epicurum, Zenonem, Platonem ac Aristotelem sequuntur. Ex iis DEMOCRITI de jure Naturæ doctrinam, accuratè expensam exspectamus, à Petro Borello. Neque verò dubitamus, posse illum eo in genere aliquid exhibere, quo satisfiat eruditis, cùm tot ex Bibliotheca regia & aliis Galliæ, MStis fragmentis, quæ ipsius Democriti

esse perhibentur, & cum aliis rarioribus ex Græcia magnis sumptibus Lutetiam delata sunt, instructus, felicius id negotium, quam nos accurare queat. Epicuri de Jure Naturæ sententiam, non negligenter explicatam reperire est apud Gassendum, vid. Syntagma Philosophiæ Epicuri, *part. 3. cap. 25.* quæ nobis quoque causa est, quare non ultrà huic sententiæ inquirendæ immorandum existimemus occupata jam à Gassendo opera. Quod si verum sit, quod doctis viris non paucis persuasum est, Epicurum sua à Democrito mutuatum, non difficile erit vel hinc Democriti mentem colligere. De ZENONE autem ac ejus sectatoribus Stoicis omnino videndum nobis, quid iis de Naturæ jure sententiæ sit. Sanè de iis Justinus, *Apologetico priore*, dixit, *fuisse in morali parte egregios.* Et Hieronymi alibi, de iisdem verba sunt. *Stoici nostro dogmati in plerisque concordant*, quæ habes *c. 10. Commentarii illius in Esaiam. Nec tantùm concordant*, inquit Lipsius, *Manuduct. ad Stoicam Philosophiam dissert. 17. sed etiam occultè ad nostrum dogma, & ad pietatem ducunt.* Ubi tamen excipienda est, quæ pietatem lædit, eorum de Fato opinio. Atque de Morali ita doctrina inprimis accipienda esse videntur hæc illorum dicta, quemadmodum & Josephi illa *in vita sua*, ubi memorat ad Pharisæorum sectam proximè accessisse illorum dogma, simili ferè modo interpretatur Seldenus. *de I. N. & G. cap. 2. p. 31.*

XXV. Cæterum & Zeno hic & discipuli ejus, Jus Naturæ in scriptis suis, & agnoverunt, & acriter pro eo decertarunt. Cato Stoicus apud Ciceronem 3. *de finibus*, *Omnia*, ait, *officia à principiis Naturæ proficiscuntur*, ac sunt alia ibi, ex quibus apparet *honestum, bonum, laudabile*, *virtutem*, saltem maximam partem illum in Natura & Jure Naturæ constituere. Seneca, ex eadem disciplina *Epistola 48. ad Lucilium juris communis generis humani*, meminit, quem locum Gruterus *in notis* malè de jure gentium interpretatur, siquidem illo vocabulo strictè uti velit. Antiquus Horatii interpres, Acronem aliqui dictum putant, ad illud ejusdem Poetæ:

Utilitas justi prope mater & æqui.

repugnat, ait, *præceptis Stoicorum, ostendere vult justitiam non esse Naturalem, sed natam ex utilitate.* Quamvis autem hæc illi ita scripserint, non video tamen ego, quomodo cum iis conveniant, quæ de Fato tra

deban

debant iidem. Extat ea de re eorum ſententia apud Gellium, *lib. 10. Noctium Atticarum cap. 1.* prolixè ex ipſis Chryſippi libellis περὶ προνοίας explicata, ut & apud Plutarchum de Stoicis ſibimet contradicentibus. Seneca, quo nemo inter Latinos huic diſciplinæ addictior *Naturalium quæſt. lib. 2. c. 35.* ad eorum ſententiam, *fata nulla commoveri prece, non miſericordiâ flecti, non gratiâ*, ſcribit, *ſervant*, ait, *curſum irrevocabilem, ex deſtinato fluunt*, & deinceps, *ordinem rerum, fati æterna ſeries rotat, cujus hæc prima lex eſt, ſtare decreto. cap. 36.* quærit, *quid intelligis fatum? Exiſtimo*, reſpondet, *neceſſitatem rerum omnium, actionumque, quam nulla vis rumpat. Hanc ſi ſacrificiis & capite niveæ agnæ exorari judicas, divina non noſti.* Longius etiam, ſed parùm profecto ex re & vero, vim fatalis hujus neceſſitatis provehit, libro. *Quare bonis viris mala accidant cùm ſit providentia, cap. 5.* ibi enim eadem illa neceſſitate, *& Deum alligat*, ac addit, *irrevocabilis humana pariter ac divina curſus vehit: ille ipſe omnium conditor ac rector ſcripſit quidem fata, ſed ſequitur.* Hæc inquam aſſerta cum jure Naturæ ego conciliare nequeo. Nam ſi nulla reliqua penes hominem fuerit agendi libertas; ſed is agit neceſſariò, nulla ipſi lex niſi impropriè dari poterit, & vel ſic dirigeretur ille non alia quàm illa, quæ æterna ſcholaſticis appellatur. Vidit id Juſtinus Philoſophus adducto jam antè Apologetico priore; *oſtendunt*, ait, *Deum ipſum tum in partibus, tum in toto in ſummis malis poſitum: & nihil eſſe virtutem, nihil vitium, quod longe abit ab omni cogitatione ſobria & recta, ratione & bona mente.* Et Simplicius ad Epictetum apud Hugonem Grotium *in libello poſthumo, quo collegit Philoſophorum ſententias de Fato. pag. 292. Tum verò, qui tollunt id, quod in noſtra eſt poteſtate, & velle & nolle, & optionem & dilectum, & acclinationem & declinationem, ac appetitus mutationem, & ſimilia, hi & eam, quæ in animo eſt, differentiam virtutis & vitii tollunt, neque juſtas laudes relinquunt aut vituperationes.*

XXVI. Sed non eſt fortaſſis, quòd metuat ſibi jus Naturæ, à Fato hoc Stoico, quando id confutarunt ſatis ſuperque, præter Theologos noſtros. Ex Ebræis quidem Maimonides in more Nevochim *part. 3. cap. 17. & 18.* quo priori etiam, de communi conſenſu ſuæ gentis Doctorum, teſtatur. E Pythagoricis Hierocles *de Deorum uſu*, in Commentario *ad illud aurei carminis:* *Quos*

Quos hominum generi sors dat divina labores.

Et Compendio *de Providentia, Fato & eo quod est nostræ potestatis.* Plato quoque *in Timæo.* Ex iis, qui Platonem sequuntur, Maximus Tyrius, exquisitissimâ dissertatione, *an data divinatione aliquid sit in nostra potestate.* Plotinus *lib. 1. Ennead.* Alcinous *de Platonicis dogmatis.* Apulejus *de dogmate Platonis.* Ex peripatheticis Græcis & melioribus, Alexander Aphrodisiensis *libro ad Severum & Antonium Imperatores de Fato,* quem ex collectione cum Eusebio & MSst. correctissimum dedit Grotius *pag. 158. Collect. de Fato.* Ammonius Hermæ *in expositione libri Aristotelis de Interpretatione.* Bardesanes Syrus apud Eusebium, *in præparatione Evangelica lib. 6. cap. 8.* Quin ipse ille, qui Philosophiæ Stoicæ Restaurationem in se suscepit Justus Lipsius, cùm alibi passim, tum in Manuductione ad Stoicam Philosophiam, cùm frustra excusare aliquâ ratione id tentasset. *cap. 18. libr. 1. de constantia,* tam verecundi oris fuit, ejusd. libri *c. 20.* ut id disertè gravibus verbis improbarit ac suum fatum, quod ipse ibi substituit, ab illo Stoicorum distinxerit. *Non*, verba sunt Langii, quem Lipsii doctorem ibi introducit de fato loquentem Lipsius, *ego vel per somnium Fatum ullum Stoicorum induco: nec anus illas recoquo, diu extinctas: modestum piumq; fatum profero, quod ab illo violento quatuor finibus abjungo.* vid. ibidem plura. Ac non indoctè nuper Fati hujus errores ex Thoma, Scoto, Bonaventura & aliis, in indagatione *sententiæ Stoicorum de fine mundi, cap. 3.* quæ extat *inter disputationes posthumas illius, de fine mundi,* ante triennium Bononiæ editas, ostendit Alphonsus Pandulphus Episcopus Comaclacensis.

XXVII. Pervenimus ad Platonem & Platonicos. Et *Platonis* quidem ipsius, de lege, sententiam, non inconcinnè argumento in Minoem, ex Timæo, Phædro, & Gorgiâ ejusdem, explicavit Marsilius Ficinus, fidelissimus haud dubiè Platonis Interpres, qui postquam legem ibi, ex mente Philosophi sui definisset, addit: *sequitur hinc, ut lex æterna sit, ac penitus immutabilis, & apud omnes gentes eadem de iisdem, si modò vera sit: nam quæ temporibus, locisq; & opinionibus permutatur, non lex, sed institutio nuncupatur. Legis autem species ut ex Timæo, Phædroq;, & Gorgia colligitur, quatuor sunt, Prima divina, quam*

pro-

providentiam Plato vocat. Secunda cœlestis, quam Fatum. Tertia movens, quam naturam. Quarta humana, quam prudentiam Naturalem. Prima in mente divina, quam Saturni legem Orpheus & Plato esse volunt. Secunda in superiori animæ parte, quam Jovis. Tertia in movente inferiorique illius potentia, quam primæ Veneris. Postrema in hominis mente, quam secundæ Veneris legem vocant, &c. Post Ficinum attigerunt Platonis hanc sententiam Albertus Bolognetus *de lege, jure & æquitate, cap. 3.* quem nollem dissimulasse accepta hæc ferenda esse Ficini industriæ. Alexand. Turaminus *ad rubric. de legibus, libr. 1. p. 7.* ubi sua se debere Marsilio Ficino ingenuè fatetur. Et Bolognetus quidem, Naturalem legē esse existimat illam tertio loco relatam: In qua ego tamen nihil nisi nomen Naturæ & legis naturæ, rem verò ipsam minimè reperio, quin potiùs, imò certò, eam sub nomine *legis humanæ* complectitur Plato. Atque hoc velle Ficinum satis indè liquet, quod eam solam, ex quatuor his legibus, *in hominis mente*, à Platone collocatam, *& in notionibus circa rationes super actus consistere*, docet, cùm tertiam, ita dictam Naturalem, *in movente, inferiorique ejus potentia, & in seminibus circa rationes supra formas*, ut ex ipsis quæ adduximus verbis, patet, versari existimet.

XXVIII. Ex his quatuor legibus, Prima illa, quæ Platoni *Divina* est, agnosci potest. Planè enim idem est, cum illâ, quam æternam vocant, cum Theologi, tum Jurisconsulti, tum Philosophi. *Gubernandarum enim rerum omnium ratio, sive norma, quæ non minus, quam creandarum ratio, ab æterno in mente divina fuit*, est lex æterna, *post alios*, Georgius Calixtus *Epitome Theol. Moralis. pag. 46.* Balthasar Meisnerus *de legibus, lib. 2. quæst. 1.* & ibi Augustinus, Thomas, Zanchius, Frantzkius *Comment. ad Pandect. ad tit. de Iust. & Iur. num. 105.* Hancque Pythagoreos agnovisse, ex Hierocle, non longè à principio capitis hujus ostendimus. Sed & aliis Philosophis prudentissimis notam hanc legem fuisse, Cicero nos doceat 2. de legibus. *Hanc igitur video, sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque scitum aliquod esse populorum, sed æternum quoddam, quod universum mundum rigeret imperandi prohibendique sapientia.* Idque etiam vult Boëtius de consolatione Philosoph. *lib. 3. met. 9. in verbis:*

O qui perpetuâ mundum ratione gubernas.

& libr. 1. met. 5. in illis:

Legemq; pati sidera cogis.

quia tamen irrationalium omnium nulla propriè & sub peccato obligatio est, lex hæc æterna, relatione factâ ad irrationalia, strictam propriamque rationem legis non obtinet, adeoque eo sensu nonnihil impropriè lex dicitur.

XXIX. Altera *Cœlestis*, quam & fatum ex Platone Ficinus d. l. appellat, quamque non in sola mente divina, sed in superiore animæ mundi parte, secundùm Ficinum, ac etiam in sphærarum siderumq; inclinatione, juxta Bolognetum, positam volunt, meritò nobis repudiatur. Quamvis enim, mundo universali, animam & rationem inesse, non minus quàm homini, crediderint, cum aliis Philosophis etiam Plato & Platonici, unde Ciceronis illa 2. de finib. verba. *Quid est verius, quàm neminem esse oportere tam stultè arrogantem, ut in se rationem & mentem putet inesse, in cœlo mundoq; non putet, aut ea, quæ vix summa ingenii ratione comprehendat, nulla ratione moveri putet*; & animam cœlo etiam Aristoteles attribuat. *2. de cœlo, tit. 13.* hæc tamen senientia ab eruditis hodie meritò exploditur. Et si quis legem hanc defensam velit, quòd non alia ratione priorem Divinam legem deferri ad homines posse existimarit Plato, quam mediante lege cœlesti, ex mente Ægyptiorum, (de qua vide passim Kircherum in *Oedipo Ægyptiaco*,) qui superiora non immediatè ad inferiora hæc pertingere dicebant, sed interveniente aliquo, quòd de utriusque natura participaret, quale quid videri possit lex cœlestis, respectu legis divinæ, & legis naturalis homini datæ. Nec is quidem rem confectam dabit: sive enim ideis hoc muneris concredamus, pridem illæ ab Aristotele & Aristotelicis refutatæ sunt, sive intelligentiis & angelis, quorum ministerio lex illa cœlestis vel fati exequenda sit, non nova fuerit illa lex, sed divina illa expedita saltem illorum ministerio, sive cum Bologneto in sphærarum & siderum inclinatione illam ponere velint aliqui, pridem ostensum est, nullam illis inesse fatalem legem, cùm ab aliis pluribus, cùm à Pico Mirandulano, ac nuper adeò à Pandulpho Episcopo Comaclacensi *in disp. de fine mundi*, aliquot ca-

pitibus à *pag. 207. usque ad 292.* Atqui hinc factum videtur, quòd ipse Cicero, tantus alioquin Platonis admirator, legem hanc cœlestem quam negare ob autoritatem Platonis noluit, cum lege divina ejusdem (à qua tamen sollicitè distinguunt Platonici cæteri) confundat *lib. 2 de legibus.*

XXX. Tertia, *Lex Naturalis* Platoni aliquibus *elementaris* dicta, quamque Bolognetus describit *d. cap. num. 6. Quòd sit vis quædam, rerum seminibus innata, quâ singulæ ad proprios actus, propriosq́ fines protendunt, & inclinant:* non videtur esse nisi pars quædam æternæ legis, quam Plato divinam vocat, fatente tandem ipso Bologneto d. l. *lex naturalis*, inquit, *non prorsus dici potest, essentiam ab æterna lege diversam & separatam habere; imò enim pars ipsius est, ab illa sola pendet ac promanat, ab illa deniq́ vim & robur suum omne assumit.* Quæ quarta superest *Humana*, eâ naturalem & gentium legem complexus est Plato, quod ex Marsilii Ficini descriptione patet. Qui eam quoque ex lege æterna repetit ac deducit, hominique propriam facit. Difficilem tamen ejus inquisitionem fateri videtur in Phædro, ubi Socrates ad Phædrum, ex versione Marsilii Ficini, *quando quis ferri vel argenti nomen pronunciat, idem omnes protinus intelligimus. PH. Prorsus. SO. Quid cùm justi vel boni nomen? nonné alius alio fertur? atque cum aliis, & nobiscum ipsi ambigimus. PH. Magnopere.* Cúmque in his rebus, in quibus ambigimus, rhetorica plurimùm valeat, ideo & facilè nos falli posse, circa ea existimat d. l. Præter hæc nihil singulare, quod ad Jus Naturæ in genere pertineat, ex Platone ipso, Marsilio Ficino, Plotino, Sebastiano Foxio Morzillo, Alcinoo de doctrina Platonis, Apulejo de dogmate Platonis, Speusyppo de definitionibus Platonis, ac Proclo etiam hactenus invenire potuimus, si quid tamen fortassis ex Chalcidio, Porphirio, Cardinali Bessarione, ejusque libris adversus calumniatores Platonis, aut Jacobi Mazzonii libris de comparatione Platonis & Aristotelis, quorum non nisi fragmenta in præsens nobis præstò fuere, illustrandæ Philosophi hujus sententiæ accedere possit, ubi eorum copiam nacti fuerimus, in tractatus appendice monebimus.

XXXI. Superest ut de Aristotele disseramus. Is Juris Naturæ sæ-

 pe

pe mentionem facit, & produximus ex eo antea quædam, sub finem sectionis 2. Capitis hujus: videri possunt 5. *Ethic. cap. 10. & 12. Eudem. lib. 4. cap. 5.* præ reliquis autem eminet locus 1. *Rhetor. c. 13.* quem hìc adscribemus, desumptum ex versione, qualem ultimæ editioni adjunxit Dn. Schraderus. *Est enim quoddam, quod augurantur omnes, Natura commune justum, & injustum, etiamsi nulla societas invicem sit, nullaq; pactio, ut Sophoclis Antigone videtur dicere, justum esse interdictum sepelire Polynicem, quasi natura id sit justum. Non etenim id nunc, & heri, sed semper fuit. & nemo scit, unde ejus ortus sit. & ut Empedocles dicit, de non interficiendo, quod animatum est: non quibusdam justum est, quibusdam verò non justum est, sed hoc quidem omnium legitimum, perq; latum æthera, omnibus in partibus extensum est, perque ingentem splendorem.*

XXXII. Ex quo loco patet, esse Jus Naturæ quoddam, ex mente etiam Aristotelis, etiamsi nulla fuisset societas hominum ad invicem, secus ac opinati sunt nostrâ ætate viri eruditi aliqui. Id sanè scripsit vir celebris è Gallis in Syntagmate Philosophiæ Epicuri *part. 3. cap. 24. §. 1. & cap. 25. §. 4.* ibi. *quod circa ut propriè loquamur, jus sive justum naturale* nihil aliud *est, quàm tessera utilitatis; seu ea, conspirantibus votis proposita utilitas ut* homines ad invicem, *neque lædant, neque lædantur.* & ab aliis viris Clarissimis, alio potius loco nominandis à nobis, quàm hîc, ubi ab illis dissentire veritatis vi cogimur, Jus Naturale omne ad societatem refertur. Neque valde alieni videntur interdum esse ab hac sententia, Cicero, Florentinus JCtus, & Seneca, adductis à Grotio locis *lib. 1. de I. B. & P. cap. 1. & 3. & ibi in notis.* Est verò Aristotelis illa longè verior, si enim nullum sit Natutæ jus nisi in respectu ad societatem humanam, quid fiet eo tempore, quo Adamus solus, ante productos alios homines, vixit? sanè nullis Naturæ legibus obstrictum fuisse, secundùm hanc sententiam dicendum fuerit, atque adeò integrum illi per hanc opinionem relinquitur, illo quidem tempore, colere Deum, vel non colere, patrare fœda alia, vel non patrare, quod absurdum esse nemo non facilè videt. sed & eadem ratio fuerit hominis remoti à societate humana, quales esse possunt Eremitæ, deportati in insulas inhabitabiles. &c. & illi enim hoc dogma-

dogmate, Jure Naturæ solvuntur. Atqui certum tamen est, illos & ad colendum Deum teneri, & ad vitanda quæ dedecent humanam Naturam. Non ergo à sola societate humana vis legum Naturæ dependet, neque eò solùm refertur, sed vel Deum respicit, vel proximum & societatem, vel seipsum, & Naturam humanam, quod eruditè observat Alexander Turaminus *ad rubric. de legibus lib. 1. c. 4. n. 12.* quos priores duos respectus agnoscunt etiam Ebræi apud Seldenum *de J. N. & G. libr. 1. cap. 10.* atque addunt etiam respectum erga animalia, quo trahunt septimum præceptum Noachidarum. Et verò triplicis hujus respectus etiam mentio est apud Ambrosium *in Epist. ad Rom. cap. 5. Lex Naturalis* (verba ejus sunt) *tres habet partes, cujus Prima hæc est, ut agnitus honoretur creator, nec ejus claritas & majestas alicui de creaturis deputetur. Secunda autem pars est moralis, h. e. ut bene vivatur, modestiâ gubernante. Congruit enim homini habenti notitiam creatoris, vitam suam lege frænare, ne frustretur agnitio. Tertia verò pars est docibilis, ut notitia creatoris Dei & exemplum morum cæteris tradatur, ut discant quemadmodum apud Creatorem meritum collocatur.*

COROLLARIA olim addita, & nunc adjecta, ne quid ex Cl. Autoris laboribus deesset.

I.

GErmanum esse Carolum Magnum multi Scriptores juris publici, cum Dn. Limnæo *libr. 1. cap. 5. num. 5.* indè probant, quia in Constitutionibus & Imperii Recessibus, Cæsares Germani, illum appellant Jhren Vorfahren am Reich / *Reformation Friderici III. de anno 1442. tit.* von den heimlichen Gerichten / R. A. zu Augspurg / *de anno 1530.* dieweilen auch die Bildnus / rc. sed vereor, ne qui huic argumento vim inesse credunt Justinianum etiam faciant Germanum: & illum enim Maximilianus I. Imper. Jn Königlicher Satzung von der Gotteslästerung *de anno 1595.* eodem modo vocat Unsern Vorfahren am Reich / Is verò in Illyrici urbe Taurisio natus est, ut scimus ex Procopii *libr. 4. de Ædificiis Justiniani*, confer Agathiam, *libr. 5.*

 ubi

ubi tamen falſo, illum Boderinæ, civitate vicinâ Taurisio, natum aſſerit, aſſerit, qualis urbs (niſi pro Boderina legendum ſit Bederina, ubi præſidium fuiſſe Procopus tradit) nulla fuit in Illyrico.

II. Haud dubiè probari nequit Electorum Originem referendam eſſe ad tempora Ottonis III. quæ vera eſt *Aventini*, *Theodorici à Niem*, *Johannis Stabii*, *Onuphrii Panvinii*, *ac Hermannii Conringii ſententia*. Neque nos movent, quæ integro libello in adverſum diſceptat Simon Schardius JCtus alioquin eruditiſſimus, & Imperialis Cameræ Aſſeſſor.

III. Falluntur, qui exiſtimant jus naturæ nullum eſſe, niſi quod refertur ad ſocietatem humanam. Sunt enim naturæ leges, quæ hominem etiam extra ſocietatem viventem obſtringunt, & obſtrinxiſſent etiam, ſi nulla unquam fuiſſet ſocietas: quale illud, Deum colere, &c.

IV. Credunt plurimi, non poſſe probari jus naturæ à priori; ſed eos falli, & certâ demonſtratione eaque à priori id oſtendi poſſe putamus.

V. Non prohiberi virum honoratum occidere eum, qui ipſi alapam impingere nititur, exiſtimant quidem, Azorius *Inſtit. Moral. part. 3. libr. 2. pag. 105.* Leſſius *de Iuſtitia & Iure, libr. 2. cap. 9. dub. 12. num. 77.* Filliucius *Theol. Moralis, tom. 2. tractat. 29. cap. 3. n. 50.* Becan. *in ſumm. 3. part. tract. 2. cap. 64. de homicid. quæſt. 8.* ubi Sotum, Silveſtrum, Navarrum, Lopez, Gomeſium ac Julium Clarum pro hac ſententia laudat, quam nuperrimè adhuc tuetur Eſcob. *Mor. Theol. tract. 1. Exam. 7. cap. 3. in praxi ſocietat. Jeſu, num. 47.* atque etiam eo extendit, *num. 49.* ſi quis ſaltem ei dicat *Mentiris*, vel ſimile quid: Quomodo & ſentiunt recentiorum Moraliſtarum, ut vocant, alii. Sed neque Eſcobarii ratio, quia *maximum in aliquibus regionibus dedecus eſt, alapam vel injurias ſinè vindicta relinquere.* Neque ille Filliucii & Becani, *quod ſicut licet Invaſorem occidere ad defendenda bona temporalia: ita & multò magis licere debere ad defendendum honorem*, id licitum & extra pœnam eſſe probant. Et contrarium rationi & juri magis convenit, vid. *art. 14. ord. crim. Carol.* Carpzov. *part. 1. pract. crim. quæſt. 30. n. 3. 4. & ſeqq.* & ibi *n. 39.* præjudicia Scabinorum Lipſienſium.

VI. Fal-

VI. Falsissimum est, quod post P. Bauny in Tractatu Gallico Som. des pech. *pag. 213.* tradit Eradus Bilius, è Societate Jesu Professor, Casuum conscientiæ in Academia Cadomensi, Tract. *de injur. & Restit. cap. 5. de Compensationibus occultis. Famulos & ancillas posse, per modum compensationis occultæ clam aliquid surripere de bonis herilibus ob stipendium inæquale suo labori & obsequiis, eamque compensationem sæpe non magis culpabilem esse, quàm aliorum creditorum: atque hanc esse communem Doctorum sententiam.* Quod extendit cum Sanchez *in consult. 1. dub. 7.* ad sartores *ut per modum compensationis occultæ retineant, è panno ex quo vestes conficiunt, segmenta residua, non tantùm modica, & quæ pro derelictis habentur, sed alicujus momenti, quando coguntur mercedem minorem justo accipere, propterea quòd alii sartores communiter spe similis compensationis non pluris locent operam suam.* Et reprehendit Sanchez, quòd non præterea etiam permittat, *famulis sartorum, ut eadem compensatione utantur contra heros, in re non absimili.* Atqui indè meritò in causa Johannis de Alba, Lutetiæ Parisiorum, anno 1647. non obstante hac exceptione, quod à Præceptoribus Jesuitis nonnullis, accepisset id licitum esse, neque adeò furtum, Dn. de Monterubeo (Mons de Montrouge) censuit, hanc doctrinam divinæ & naturali ac humanæ legi contrariam, ac fovendis domesticis furtis accommodatum, ac ideo Johannem de Alba (qui ipsis Præceptoribus & dominis suis Jesuitis, apud quos in Collegio Claremontano, Correctoris munere fungebatur, abstulerat vasa aliquot stannea) virgis ante fores Collegii publicè à carnifice cædendum, Doctorum autem ejusmodi scripta palàm cremanda, & ipsis, ne unquam quenquam simili doctrinâ imbuant, sub pœna capitali interdicendum esse. Atque rectè itidem Baunii doctrina hæc anno 1641. à Parisiensi, & deinceps Lovaniensi Facultate condemnata fuit.

VII. Feudorum originem, Plurimi Longobardis adscribunt: Hugo Grotius, ac viri celebres alii, non illis solùm, sed & aliis Germaniæ populis. Cæterum neutra sententia videtur firmo talo consistere. Non Prima, quia & antiquior, in aliorum populorum Germaniæ historia, feudorum est mentio: & plerumque quando Longobardis feuda tribuuntur, non solis illis, sed & aliis, Frisiis, Burgundis, Francis, ea concedun-

duntur. Non altera, quia quando de origine rei quæstio est, prima ejus investigantur, initia; Ut feuda autem uno eodemque momento, nullo intercedente temporis intervallo apud diversas gentes cœperint, fidem omnem superat. Quod si omnino definiendum fuerit, qui primi credi queant feudorum autores, non improbaverim sententiam Molinæi, qui Francis laudem hanc tribuit, idque sibi compertum esse, ex antiquissimis investituris, ubi disertè ipsis tribuatur feudorum inventio, scribit. Sanè apud historicos, qui extant, nullam antiquiorum esse feudorum mentionem, quàm in Francorum historia, facilè ostendi potest. Qua de re, Deo dante, uberiùs peculiari Diatriba mentem nostram aliquando explicabimus.

VIII. Prorogationem jurisdictionis, moribus nostris adhuc obtinere, defendit nupertimè Dn. Manzius: Non obtinere, tuentur plures, iique Celebres JCti, eo argumento, quòd jurisdictiones hodie factæ sint patrimoniales. Nobis prorogationem jurisdictionis, hodieque fieri posse videtur: sed modum prorogandi diversum esse, ab eo, qui apud Romanos, & seculo Justiniani obtinuit: Illorum enim moribus sufficiebat consensus solius litigantis, nostris moribus præter hunc requiritur etiam consensus superioris, vel domini ipsius, qui jurisdictionem habet patrimonialem, atque hujusmodi prorogationem ratam esse in Germania nostra, plus simplici vice, judicavit Augustissimum, quod est Spiræ, Imperialis Cameræ tribunal.

XI. Per ultimum Recessum Imperii, non potest ab inferioribus judicibus ad cameram appellari, nisi in casibus exceptis, quorum ibi mentio est, si sortis summa non attingat quadringentos thaleros, ut vocant, Imperiales. Quod si verba Recessus sequamur, non videtur computari posse in summam hanc interesse; aliam tamen mentem esse paragraphi illius, ac nonnullis casibus, eum pati etiam additionem hanc, liquet ex recentioribus Cameræ præjudiciis, & notis nuper ad Rodingii Pandectas Camerales editis.

X. Neque definitio juris Naturæ Thomæ Hobbei, neque modus ipsius indagandi jus naturæ, album calculum meretur, quicquid etiam in adversum disputet doctissimus autor apologiæ pro sententia illius, qui vel hanc legitimam esse indagandi juris rationem, vel nullam aliam reperiri posse, nimis profectò audacter profitetur.

Differ-

Dissertatio II.

De

LIBRIS JURIS COMMUNIS HORUMQUE USU.

DE
LIBRIS JURIS COMMUNIS
HORUMQUE USU
Positiones Selectiores.

NOn defuerunt hactenus, Amice Lector, qui de libris Juris nostri agerent. Et occupavit id negotium inter cæteros, Viri celeberrimi, *Alberici Gentilis*, *Riccii* etiam, & *Joachimi Hagmeieri*, industriam; ut alios non attingamus. Quando tamen sic satis multa, scriptoribus qui hactenus editi sunt, vel non animadversa, vel plerisque eorum aliter ac res ipsa se habet, tradita, supersunt, operæ pretium nos facturos existimavimus, si eorum, quę nobis, ista publicis lectionibus exequentibus obtulerunt, nonnulla, in publicæ Dissertationis argumentum verteremus. Faxit DEUS, id evenire feliciter, & Studiosæ Juventutis bono, cujus præcipua in isto scribendi genere semper, & meritò habetur ratio.

I.

REgias Leges, à Sexto Papirio olim collectas, & à Granio Flacco, (quod docet *l. 144 ff. de V.S.*) Commentario illustratas, ex *Dionysii Halicarnassæi lib. 2. Antiquitatum* plerumque, sed & aliunde, plures restituere aggressi sunt. Non dubitamus tamen accuratissimæ col-

 lectionis

lectionis laudem; cum Seldeno in *Dissertationibus ad Fletam*, Fulvio Ursino tribuere, cujus extat Romana Editio in 4to Anni 1583. Neque tamen ipse semper ipsa Legum Regiarum verba, sed interdum aliis verbis mentem earum saltem expressit. Breviter illas, sed cum cura recenset & explicat, Pighius *libris Annal. cap. 15.* Francisci verò Balduini, circa leges has insignis plane temeritas est, qua asserere non veretur Octodecim Romuli leges, se ex columna Romana descripsisse, quod ab omni verisimilitudine alienum esse, non dubitant viri docti. Recenseri autem meretur inter illas lex, cujus mentio in *l. 2. ff. de mortuo inferendo*, de Muliere, quæ prægnans mortua est, non humanda antequam partus ei excidatur Vir Summus Johannes Seldenus, in dissertatione ad *Fletam cap. 3. pag. 471. edit. Londinensis an. 1647.* eam legi putat in *l. 2. C. de mortuo inferendo.* Sed labitur, cum nullus sit in Codice ejus argumenti titulus. Extant autem non solum trium Regum, Romuli, Numæ, & Servii Tulii leges, quod video sentire doctissimum Jacobum Gothofredum in Manuali; sed & Tullii Hostilii (cujus nullas esse ipse diserte scribit) illa, quæ jubet filiis illorum, quibus trigemini nascuntur, de publico alimenta ad pubertatem usque suppeditari: quam habes apud Dionysium Halicarnassæum *lib. 3.* secundum Æmilii Porti distinctionem *cap. 5. in fine*, ait juxta recentiorem *cap. 28.* Et fuisse plures non hujus solum, sed & Anci, leges, doceat nos Tacitus *Annal. cap. 26. Nobis*, ait ibi, *Romulus ut libitum imperitaverat. dein Numa religionibus & divino Iure populum devinxit, repertaque quædam à* Tullo & Anco.

II. Leges duodecim Tabularum (quas post Oldendorpii, Forsteri, Aymarii, Rivalli, Balduini, Contii, Hotomanni, Revardi, Calcagnini, Crispini, Marcilii, Francisci Pithæi, Justi Lipsii, ac Dyonisii Gothofredi curam, legitimo ordini restitutas, ac notis & glossario auctas edidit Genevæ Anno 1653. Jacobus Gothofredus) non in eboreis tabulis, quod Pomponius in *l. 2. ff. de O. I. §. 4.* scribit, & probat Cujacius: neque in roboreis, i.e. ligneis, quales fuerunt ἄξονες, καὶ σανίδες, καὶ κύρβεις Solonis, quod Illustrissimus Scaliger Animadversionibus in Melchioris Guilandini papyrum existimat; sed in tabulis æneis publice legebantur. Idque non Dionysius Halicarnassæus solum,

lum, quod existimat Scaliger, sed & Diodorus Siculus *lib. 12. cap. 26.* & *Livius lib. 3. cap. 57.* commemorat. Quinimo adhuc Cypriani ævo inscriptæ legebantur æri, quod ipse testatur *Epistolar. libr. 2. Epist. 2.* Verba ipsius sunt: *Incisæ sint licet leges* 12. Tabularum, *& publico ære præfixo jura præscripta, inter leges ipsas delinquitur.*

III. Sed videamus, quid pro sententia sua afferat Scaliger, Sol ille literatorum, ac merito suo & doctiorum consensu, ea qua vixit ætate, Princeps? *Non fuerunt*, ait, *æreæ, quod in æs incisas solus omnium memoriæ prodidit Dionysius Halicarnassæus lib. 10. cap. 66. cæterorum scriptorum nemo. Nec eboreæ fuerunt. Nam tam beati atque adeo tam delicati tum Romani non fuerunt, ut in eburneis tabulis leges proponerent, & præterea ebur ineptissima est materia scribendo.* Objecerat Cujacius ex *princ. l. 52. ff. de legatis & fideicommissis 3tio* etiam Ulpiano notos fuisse eboreos Codices. Verum ibi quoque roboreos legendum Scaliger contendit, aut intelligendum locum de pugillatis ceratis, quæ ex buxo plebs habebat, cùm divitum essent ex ebore. Ast nimia Viro Summo memoriæ fiducia fuit, quando solum Dionysium scripsisse autumat, tabulas has fuisse æreas. Et quomodo illa ætate tam pauperes Romani? cùm jam Sellæ eburneæ, & coronæ aureæ, Tarquini Prisci ætate in populo illo noscerentur: vid. *Dionys. Halicarnassæum lib. 3. Antiquit. cap. 84. & 85.* & *Florum lib. 1. cap. 5.* & navigationum ac mercaturæ commercio cum Carthaginensibus ex fœdere, eorum res non parum proficerent, ut ex Polybii *lib. 3. cap. 23.* liquet. Qui locus non observatus erroris causam præstitit Claudio Salmasio libro *de modo usurarum p. 225. & 226.* Ubi nec navigationes, nec Mercaturam Romanorum, adhuc decem virorum temporibus agnoscere vult. Postremum quoque illud, ebur ineptissimam esse scribendo materiam, ne quidem Cujacium & Pomponium ferit, minus etiam nos, qui æri inscriptas duodecim tabulas volumus. Sane & Martialis *lib. 14. Epigr. 5.* & aliis locis, ebur scribendo inprimis idoneum fuisse, evidentissime jam docuere Salmasius in Vopisci Tacitum *p. 416.* & Vossius *lib. 1. de Arte Grammatica cap. 38.*

IV. Codices, ante Justinianeum, hactenus non nisi tres, Gregorianum, Hermogenianum, & Theodosianum, noverunt JCti. Quid

verò si his adjiciamus etiam quartum Papirianum? Collegit Papirius Justus Divorum Fratrum constitutiones, quemadmodum Gregorius & Hermogenes Imperatorum aliorum. Atqui hi libri, qui Constitutiones Imperatorias collectas exhibuerunt, Codices dicti fuere. Quid vetat ergo Codicem dici etiam hos Papirii Justi libros? quorum meminit & *l. 14. ff. de Servitutibus Urbanorum prædiorum* & *l. 7. de publicanis & vectigalibus*, ubi primi & secundi libri ejus de constitutionibus mentio. Cujacius *lib. 1. Observat. cap. 4.* eumque, ut ferè solet, secutus Dionysius Gothofredus ad *l. 14. ff. de Servitutibus.* & Guido Pancirollus de claris LL. Interpretibus *lib. 1. cap. 51.* viginti libros ejus argumenti fuisse volunt, sed unde acceperint, nemo eorum addidit, unde fortassis suspectus esse possit iste librorum numerus. Est vero plane genuinus, & tot libros Constitutionum scripsisse Justum hunc, antiquissimus Index qui Pandectis Florentinis subjicitur monstrat, ubi habes ejus βιβλία εἴκοσι.

V. Codicem Theodosianum, quo nunc utimur, & reliquas cum eo conjunctas Theodosii, Valentiniani, Martiani, Majoriani, Severi, Anthemii, Augustorum Novellas, atque excerpta quæ supersunt ex Codicibus, Gregoriano, & Hermogeniano, tum Gaii, Pauli, Ulpiani, ac Papiniani fragmenta, esse verum Breviarium Anianeum vel Alaricianum, ex Codice Theodosiano ac diversis aliis libris collectum opera Aniani JCti, jussu Alarici secundi, scribit quidem Vir eruditissimus Johannes Seldenus *cap. 5. Dissertationis ad Fletam.* Nos tamen illud de Universo Codice Theodosiano, qualis hodie extat, asserere meritò veremur. Id quidem expeditum putamus, libros illos 16. Theodosiani, ut vocantur, Codicis, quos Johannes Sichardus Professor Academiæ Tubingensis Anno 1528. Basileæ in lucem protulit, non esse nisi Breviarium Aniani: At quos Johannes Tilius edidit an. 1549. octo libri posteriores, nisi quod postremus adhuc mutilus est, legitimi & incorrupti Theodosiani Codicis pars sunt. Libri quoque, sextus, septimus & octavus, cum supplemento postremi, editi à Cujacio Parisiis anno 1566. nullam legitimam suspicandi causam, quin genuini sint relinquunt. Etiam Constitutiones de Senatus Consulto Claudiano, quas ad librum quartum Cujacianæ editioni adjecit de-

cus

cus illud & ornamentum Advocatorum Parisiensium Petrus Pithæus, è vero Theodosii Codice sunt. Restant eruendi quinque priores, si fragmentum hoc quarti libri demas, & initium libri sexti, quod in Cujaciana editione deest, quorum non habemus nisi Breviarium. Sed istos quidem hactenus, quod sciam, frustra quærunt eruditi. Codicis hujus accuratam editionem, cum notis, promiserat Jacobus Gothofredus. Et novimus ante fata absolvisse eximium virum opus difficile, sed quod mole sua, & ideo necessariis impensis hactenus ab editione deterruerit Typographos Genevenses.

VI. Persuasum est hactenus Eruditis, Codicem Theodosianum anno à nato Salvatore nostro 435. Theodosio tum quindecies, & Valentiano Augusto tertio, tum quartum consulibus promulgatum esse. Ita enim in Codicibus Theodosianis, qui typis descripti sunt, omnibus legitur *Novell. Theodos. tit.* 1. Idque unanimi consensu tum JCti tum Chronologi (unum Seldenum excipio) docuere, inter illos Contius *in Fastis Consularibus*, Sigonius *de Occidentali Imperio lib.* 12. Freymonius *in Symphonia Juris Chronologica*, Baronius ejusque Epitomatores *tom. 5. Annalium ad Annum 435*. At quomodo edi jam potuit Anno 435? cùm Edictum ad Darium Præfectum Prætorio Orientis quod in eodem isto Codice legitur *lib. 6. tit. 23. l. 6.* scriptum sit XVIII. Cal. Aprilis, post Consulatum Isidori & Senatoris, qui desinit cum Anno 436. Ut res tanto rectius intelligatur, interest Consuli Fastos Consulares, quorum hæc est circa ista tempora ratio,

Anno Christi 435. Theodosius Aug. XV. Valentianus IV.
436. Isidorus, Senator.
437. Ætius II. Sigisvultius.
438. Theodosius Aug. XVI. Faustus seu Festus.

Quare impressi Codices hic haud dubie mendo non vacant, & pro An. 435. substituendus 438. pro Theodos. Aug. XV. Coss. Theodosio Aug. XVI. Coss. Neque ratione solùm certa probatur hæc lectio, sed & Anglico Seldeni Codice MSSto, quod iste in Dissertationibus commemorat, ubi disertè legitur Theodosio Augusto sedecies Consule.

VII. Pandectarum editionem duplicem, vulgatam & Pisanam, seu Florentinam, esse scribit, Dn. Hahn. in Observatis ad Wesenbecium

cium Diſſertatione 1. p.2. Reliqui JCti triplicem volunt: Vulgarem, Noricam (quæ & Haloandria dicitur) & Florentinam: vide ex multis Riccium *Tractatu Rapſodico de librorum Juris Romani Quantitate & Qualitate n. 36. Joachimum Hagemeierum de autoritate Juris civilis cap. 4.* Nos longe plures eſſe non dubitamus. Ut enim quæ Haloandrinam ac Florentinam præceſſerunt, non una, ſed variæ editiones fuerunt, quod ex diverſis unius loci lectionibus quas gloſſa notat, & ipſis editionibus patet; Ita alia eſt à tribus hiſce, Herwagiana editio, qualis illa Baſileæ anno 1541. prodiit. Habet enim præter Græcas Modeſtini leges, & alia nonnulla, beneficio Alciati & doctorum virorum aliorum, quibus ab Haloandrina differt. Illa quoque Hugonis à Porta, quamvis ab ipſo editore Florentina dicatur, eoque referatur à Jacobo Gothofredo in Manuali, talis tamen non eſt locis longe plurimis; quod non diſſimulavit Franciſcus Taurellus, in Præfatione quam præmiſit Pandectis Florentinis. *Accepit*, ait ibi, *Hugo multa à quodam bono viro cui familiariter privatorum librorum Lælius Pater, non adeo tum emendatorum copiam fecerat. Ex quibus cum alia tum annotatiunculas deſcripſit Hugonique exhibuit nobis ignaris. Hæc ille omnia pro ſuis edidit, plurima tamen omiſit, plurima ſecus quam in Florentino exemplari habentur, tradidit.* Nec Florentina ergo, nec vulgata, nec Haloandrina dici poteſt. Ruſſardi quoque iſta, licet ad Florentinum Exemplar edita, ſummaria tamen alia & notas, Contii vero editio, licet in reliquis Florentinæ textum exprimat, additiones tamen ex Baſilicis *ad tit. de bonis damnatorum*, & titulum *de Interdictis & Relegatis* habet. Hotomanni tandem, Charundæ, Pacii, Dionyſii Gothofredi editiones, ſingulæ aliquid habent, quo à tribus illis, quas antea commemoravimus, editionibus diſcrepant.

VIII. Pandectas compoſitas eſſe ad ordinem Edicti perpetui, JCtorum etiam recentiorum communis eſt ſententia: Vid. Antonium Auguſtinum *lib. 1. Emendationum & Opinionum cap. 1.* Frantzkium *Comment. ad Pandectas in Proœmio n. 3.* ac poſt Donellum & Hilligerum, Kleinſchmidt *de Pacognitis tract. 4 ſect. 11. n. 36.* arg. § *4. Conſtit. ad Anteceſſores* & §. *5. Conſtit. tanta circa nos* de *Confirmatione Digeſtorum* & *l. 2. ff. de Statu hominum.* At ordinem hunc non ſemper obſer-

observatum Dionysius Gothofredus in Notis ad *l. 2. ff. de Statu hominum* existimat, atque ut rem probet, ex eodem cum adversariis loco, pro sua sententia argumentum ducit. Adstipulatur patri filius Jacobus Gothofredus in *Manuali*, & Joachimus Hagemeierus libro uno *de Autoritate Iuris capite tertio* ubi priorem sententiam, qua vulgatæ opinioni accedebat, re melius expensa se mutasse scribit. Atque hoc postremum nobis quoque plus probabilitatis habere videtur. Ex reliquiis enim Ulpiani, Pauli, Juliani, Caji, Commentariorum ad Edictum, non difficulter colligitur alium fuisse ordinem, quàm quo scriptas habemus Pandectas. Sane in ultimum locum ea, quæ de stipulationibus, Cautionibus, satisdationibus, egerunt, relata fuisse in Edicto, docet, inter alia, ordo Edicti perpetui quem postrema editio Belgica Pandectis præmittit, & pluribus haud dubie ostendit Antonius Anselmus in Commentario ad Edictum, quem nunc prodiisse in Indice librorum Francofurtensi legitur. Adducti verò ab adversariis textus tantum abest ut pro contraria sententia quidquam efficiant, ut nostram hanc perspicuè etiam ostendant.

IX. Pandectarum liber, qui Florentiæ nunc servatur, cum olim Pisis esset, non quidem ab ipso Justiniano aut Triboniano conscriptus est, ut cùm de alicujus loci scriptura dubitaretur, haberent homines quo venirent, quod Angelus Politianus in *Epistolis & Miscellaneis* existimare videtur; reliquis tamen, qui hodieque supersunt Digestorum Exemplis, & antiquitate & integritate sua præferri meretur. Cæteros enim libros ex his manasse, duorum librariorum errore deprehenso cognitum fuit: alter enim multas leges præposterè, sub titulo *de diversis regulis juris antiqui*, conglutinavit: alter, titulum *de venire in possessionem mittendo*, & quæ sub eo titulo scribuntur, ante titulum, *de conjungendis cum Emancipato liberis*, cum contra fieri oportuisset, scripsit. Qui errores cum in omnibus libris sint, eandem esse omnium originem ostendunt. Unde rectè Franciscus Taurellus Præfatione præmissa Pandectis Florentinis. *Liber hic vetustatem atque adeo auctoritatem plurimam vel uno argumento commendare potest, quod postremi Digestorum tituli, paginis carie disjectis & ab imperito vel indiligenti quopiam homine præposterè concinnatis atque compositis, penultima ante-*

tepenultimæ prælata est, hæcque posterioris in sedem rejecta. Hic error in omnes quos vidimus vel calamo vel typis descriptos libros irrepserat. Cum igitur nullum Digestorum volumen præposteri hujus ordinis expers, in manibus habeatur, fatendum est, & ex hoc cætera fluxisse, erroris que originem esse vetustissimam. Et Jacobus Augustus Thuanus *Historiarum vitæ suæ lib. 1. In eadem urbe* loquitur de Florentia, *in palatio cum cæteris cimeliis reservatur Pandectarum opus, quod Thuanus dum evolveret, ex scriptura antiquissimum esse, & ex ligatura archetypum, ex qua omnia nostra Exemplaria descripta sunt, animadvertit. Nam eadem quæ in extremo transpositio hodie passim habetur, illic cernitur, ut ex illo manasse in nostros libros appareat.* Atque cùm inter Baldum & Bartolum controversia esset, quomodo legenda essent verba *l. 7. §. fin. ff. de distract. pignorum*, Pisas eos misisse qui consulerent hos libros (tum enim ibi adhuc servabantur ut antea in Malfitana Apuliæ civitate) monet Alexander, *ad l. 17. §. 1. ff. Soluto matrim.* Interim mendis non omnino vacat liber hic. In *l. 52. §. 1. ff. ad l. Aquiliam*, flagelli fit mentio, in quo dolor inerat: ubi recte monet Gothofredus legendum dolon, i. e. flagellum intra cujus virgam latet pugio. In *l. 26. ff. §. 1. ff. de pignoribus*, legitur nec *metuiri*: ac *præstituiri* est in *l. 10. ff. de hæreditate vel actione vendita.* Et qui beneficio Magni Hetruriæ Ducis eum penes se non exiguo tempore habuit Antonius Augustinus *lib. 1. Emendat. cap. 1.* menda ibi agnoscit frequentia, partim sublata, partim scriptorem desiderantia: Unde haud malè colligit, quæ ablata sunt, ostendere ad alicujus libri Exemplum Pandectas Florentinas emendatas, quæ vero adhuc deprehenduntur, indicare, non ut singulare quoddam Juris monumentum, ut nunc merito habentur, initio etiam habitos eos libros. Neque ideo tamen, quod manca aliquando & lituris punctisque notata frequentius quam optimis libris faciendum erat, scriptura ejus appareat, justa causa fuit Alciato, *Dispunct. lib. 3. cap. 12.* reprehendi eos, qui iis legendis diligentiorem operam impendunt.

X. Sed ostendamus breviter, & exemplis saltem aliquot, quid præstent Florentinæ Haloandrinis, & vulgatis, ac etiam aliorum, nisi ubi Florentinam imitantur, editionibus. *L. 6. §. 4. ff. de divisione rerum & qualitate*, de Mortuo illato in alienum locum, ista habentur, in editionibus,

nibus, Haloandrina, & reliquis ante Florentinam. *In alienum locum, concedente domino, licet inferre, & licet postea ratum non habuerit quam illatus est mortuus, religiosus locus fit.* Eodem modo & §. 9. Institut. *de rerum divis.* etiam in MSStis omnibus, de quibus constat hactenus, Florentini libri contra legunt: *& licet postea ratum habuerit*, ac omittunt negativam: Ut si sensus ratihabitionem æquari mandato *l. 12. in fin. ff. de solutionib. l. 152. ff. de R. J. l. ult. C. ad S. C. Macedon.* Quam lectionem & Theophili Interpretis Græci consensus, & Juris ratio tuetur, ac alteri prætulerunt deinceps in editionibus suis, Contius, Russardus, Pacius, Charondas, Gothofredus: & probat Antonius Augustinus *libro Emendationum primo c. 2.* Iterum in *l. 52. §. 1. ad legem Aquiliam*, ante Florentinam, editiones omnes legunt; *Consulebatur, num damnum injuria videretur dedisse.* At Florentina habet, quod sensum longe alium exprimit; *Consulebat num damnum injuria non videtur dedisse, quoniam prior flagello percussus esset.* Verior haud dubie lectio Florentina, quam & Antonius Augustinus in *libris Emendationum* probat, & in sua editione Gothofredus secutus est. Magis etiam antehac exercuit JCtos lectio *l. 16 ff. de Interrogationibus in Jure Faciendis & Interrogatoriis actionibus.* Haloander legit: *Si Servus ab hostibus captus sit, de quo quis in jure interrogatus responderit in sua potestate esse, quamvis jure postliminium possit interim nos efficere dubitare, attamen non puto locum esse noxali actioni quia non est in nostra potestate.* Herwagius hoc loco *Non* pro *Nos*, edidit. Accursius in glossa notat, legi in nonnullis manuscriptis, *quamvis jura postliminii possint iterum nos efficere.* Antonius Augustinus *lib. 1. Emendat. cap. 2.* legisse se ait alicubi: *quamvis jura postliminii possint iterum nos reficere.* At dirimit controversiam vera lectione Florentinus liber, quæ est, quam subjicimus: *quamvis jura postliminiorum possint efficere dubitare nos.*

XI. Post titulum de *Usurpationibus & Usucapionibus*, in editionibus antiquis omnibus, & recentiorum nonnullis, titulus *pro soluto*, legitur. Sed Is neque in Indice, neque post tractatum de Usucapionibus est in Florentina. Et quatuor illæ leges quæ ad titulum *pro soluto* referuntur, ad illum priorem de *Usurpationibus & Usucapionibus* titulum ibi pertinent. Sed nec soluti ulla mentio in *l. 2. & l. ult.* tituli quem appellant,

pro soluto. Rubrica ergo *pro soluto*, in Pandectis, quales Justiniani tempore erant, nulla est, primaque lex tituli ejus, lex est 46. tituli de *Vsurpationibus & Vsucapionibus*. Ortus autem inde error, quod recentiori manu in margine Florentini libri addita sint ad *l. 46. ff. Vsurpat. & Vsucap.* Verba ista, *pro soluto*. Etiam libro 42. Digestorum post *l. 15. de Rebus autoritate Iudicis possidentis* irrepsit titulus, qui in Haloandrina & vulgatis legitur, & leges reliquas à 16. *ad* 39. complectitur, *de Privilegiis Creditorum*, qui in Florentina desideratur. Ibi enim sextus est de *Separationibus*, quod & sequitur, (ut in plerisque aliis Florentinæ inhæret) Gothofredus. Quin & 43. *libro, tit. 10.* In vulgatis legitur quidem rubrica, *de via publica & itinere publico reficiendo*. Apud Haloandrum, *de via publica & si quid in ea factum esse dicatur, & de ea ex edicto ædilium curulium à singulis reficienda*, & sub hoc titulo extant quatuor leges. Cæterum in Florentino libro titulus decimus est: *de via publica & si quid in ea factum esse dicatur*, atque illi unica saltem lex Græca Papiniani subjicitur. Deinde sub titulo secundo, *de via publica & Itinere publico reficiendo*, tres leges reliquæ. Causa erroris ista Viris eruditis existimatur, quod qui Græce non noverant, Latina capita descripserunt: cætera versa postea Pisis sint: quam versionem non suo loco, omisso interim ad quem pertinet titulo, addiderint negligentiores librarii. Illud quoque inter titulos Haloandriæ editionis corrigendum, quod libro secundo Pandectarum scriptus est, post titulum *de in jus vocando*, titulus ille, *in Ius vocati ut eant, vel satisdent*: & deinceps: *Si quis in jus vocatus non ierit, sive per eum caverit, per quem ex edicto non debuit*. Nec ordo enim, nec verba satis congruunt, cum Florentina editione; ibi enim titulus quartus est, *de in jus vocando*: quintus, *si quis eum vocaverit, quem ex Edicto non debuerit*. At sextus: *In Ius vocati, ut eant, aut satis, vel cautum dent*. Illa vero, quæ in fine tituli *de bonis damnatorum*, à Cujacio *6. observat. 23.* & tituli *de Interdictis & Relegatis*, à *Contio* & *Cujacio* è Basilicis restituta, literis minutioribus à reliquis legibus discernuntur, & in antiquis editionibus & Florentinis membranis desunt. Nec ideo quicquam autoritatis habent.

XII. Pandectas Florentinas, absque interpunctionibus scriptas, volunt quidem Riccius, *Tractatu Rapsodico*, ut vocat, *de librorum Iuris*

Roma-

Romani quantitate & qualitate n.40. & Hagemeierus, (qui & vidisse se Florentiæ aliquando eas testatur *cap. 4.* ac tradunt plerique alii JCti. Esse tamen, licet raras, in eis interpunctiones, qui illas diligenter versavit Antonius Augustinus, ipso à Riccio adducto loco ait, & alibi passim. Sed & alius est & gravissimus ejusdem Riccii error, quando Institutiones & Digesta, tempore Justiniani Imperatoris, typis mandata scribit, ejusdem libri §. 45. An enim typis describi potuerunt opera ista, seculis novem & amplius, ante cognitos Europæ typos?

XIII. Digesta enim Græce reddita sunt à Thalelæo ætate Justiniani: quod notat in sua *Iuris Notitia* Josephus Maria Suaresius, Vasionensis Episcopus. Eaque hac lingua se legisse Haloander in procemio ad Novellas asserit, & Suallemburgius in præfatione ad Harmenopolum. Videtur autem is Thalelæius unus ex collectoribus Pandectarum, cujus meminit Imperator in *Constitutione Omnem*, ad Antecessores, de *Conceptione Digestorum*. Matthæus Blastares, quod Antonius Augustinus commemorat ad Novellas *in prolegomenis*, Stephanum paraphrasi quadam, Græce tradidisse pandectas, Cyrillum in Epitomen redegisse, at Dorotheum mediam scribendi rationem secutum, scribit. Codicem quoque in Græcum Sermonem translatum in Insula Creta sibi visum Suallemburgius in *præfatione ad Harmenopolum* perhibet. Quin etiam in Turcicum sermonem versum Codicem extare αὐτόπτης Leunclavius in *Paratitlorum prologo* meminit. Et Maximum Patriarcham inter alios libros, καὶ τοὺς κώδικας τοὺς βασιλικοὺς. Codices Imperatoris, in Arabicum sermonem Anno 1453. jussu Muhammedis, qui Constantinopolim cepit, transtulisse, Historia Polit. Turco-Græc. *lib. 1. n. 56.* & ex ea Johannes Seldenus *in dissertatione ad Fletam cap. 5. p. 486.* meminit.

XIV. Quærunt Doctores nostri, Leges Codicis Pandectis derogent an secus? Qua de quæstione quatuor diversas DD. reperio Sententias. Sunt qui defendant Codicē omnino non derogare Pandectis, quam sententiā tuetur DN. Struvius in *Syntagm. Iurisp. Exerc. 1. th. 69.* in eamque concedere videtur Frantzkius Procemio in Cōmentarium Pandectarum *n. 17.* ubi forsan nec quinque illas Constitutiones, quæ Justiniano IV. & Pauliano Coss. editæ sunt, (quas alii eximunt) Pande-

 ctis

ctis derogare contendunt. Alii quinque illas Constitutiones *l. 2. C. de præfect. Africæ. l. fin. C. de jurejurando propter calumniam dando, l. fin. C. de testamentis, l. fin. C. de caducis tollendis*: utpote quæ post Pandectas editas publicatæ sunt, excipiunt, quod facere nonnullos monet adducto antè loco Frantzkius. Johannes Kleinschmidt in *præcognitis Jurisprudentiæ tract. 4. sect. 11. per quinquaginta decisiones, quæ in Codice continentur, Pandectas non corrigi* scribit quidem; an tamen cum prima vel secunda sententia faciat, non determinat. Vicissim alii per quinquaginta Decisiones, (quas è recentioribus, eruditis Commentariis illustrarunt, Emundus Merillius Professor Academiæ Bituricensis, & Johannes Strauchius, JCti celeberrimi) Pandectarum Jus abrogari, per alias leges non item, existimant. quod Hunnio libro de Autoritate Juris *cap. 1. q. 1.* placuit. Eamque Sententiam, licet cum Gyphanio fecerit olim, elegisse demum Goehausen *part. 2. periculorum Academicorum quæst. 2.* monet Fibigius, *Collegio Legali publico Exercit.* 1. *Semidecade* 1. *quæst.* 1. Nos iis adstipulamur, qui simpliciter, quando Codex cum Digestis pugnat, nullo habitu respectu, an sit constitutio ex quinque illis quas retulimus constitutionibus, an ex quinquaginta decisionibus una, tam in cathedra, quam in foro, præcipuam autoritatem Codicis legibus, utpote posterioribus, tribuunt, propter §. 4. *Constit. de emendatione Codicis Justiniani*, addita *l. ult. ff. de Constitut. principum.* Atque approbatores sententiæ nostræ habemus, Albericum Gentilem, cujus hic verba, quod rei explicandæ imprimis idonea videantur, adjicimus ex Disput. *de libris Iuris Civilis cap.* 1. *Quid si Codex*, scribit ille, *à Digestis dissentiret, extra illas 50. Decisiones, jus Digestorum veluti Codici priori posterius in aliis prævaleret? nusquam lectum, nusquam auditum. Tene igitur Codicem sibi parem esse ubique, & Ius recentius Iure Institutionum & Digestorum, sic autem tenendo defendes multa impugnata, expugnabis etiam defensata.* Quid, quod ipse Dn. Frantzkius in Resolut. *lib.* 1. *resolut.* 11. *n.* 61. *legem* 17. *in princ. l.* 18. *ff. de Rei Vindicatione* juncta *l.* 1. § 1 *de litigiosis* & *l.* 1. §. *ult. vers. quid ergo: ff. quæ res pignori obligari non possint, per l. 2. in fin. C. de litigiosis* mutatam asserit? quæ lex tamen non est ex posterioribus constitutionibus, sed Constantini, lata Anno 331. ut adeo in antiqua Codicis editione

tione etiam esse potuerit. Et defendit hanc sententiam Gothofredus Fibigius loco allegato prolixè. Adstipulatur & Carpzovius *Iurisprud. Forensi Romano Saxonica part. 2. Constit. 7. definit. 6. num. 7.* Dn. Hahn *ad Pand. Wesembecii tit. de restit. in Integrum n.* 1. *& tit. de Inofficioso testamento n. 8.* atque pro illa etiam *Mastertium*, *Zasium*, *Bachovium*, *Vinnium*, *Wesembecium*, *Sutholt*, *Christinaeum*, jam adduxit Dn. Lauterbach *Conclusionum Forensium Exercit.* 1. *th.* 13.

XV. Authenticas, quae titulis Codicis nonnullis subjectae cernuntur, aliquot jam seculis Irnerio adscriptas, dubio vacat: fortassis tamen haud sine errore, cum jam Burchardum Wormatiensem, & Ivonem, utrumque antequam Irnerius hanc lucem adspexisset, Authenticas ex Codice in testimonium vocasse, docuerit nuper Vir Clarissimus Johannes Strauchius, Dissertatione cui titulum fecit *Irnerius non Errans cap. 2. th. 5.* Contendit quidem idem ex Gregorii Magni Pontificis *lib. XI. Epist. 54.* probare: quem provocare putat ad *Auth. Presbyteros*, ut Codici illa jam aetate, sub titulo *de Episcopis & Clericis* insertam; sed est mihi locus ille valde suspectus, neque id facile isto jam seculo quemquam legisse crediderim, & ambigua est loci illius apud Gregorium scriptura, quod ipse Dn. Strauchius agnoscit. Illud verò quod praeterea evincere satagit Vir Magnus th. 7. Authenticas has omnes, etiamsi à Novellis, unde desumptae sunt, dissentiant, tamen juris autoritatem accepisse, si non Lotharii, saltem Friderici Imperatoris autoritate, *cùm is jura Civilia in summum provexisse* apud Radevicum *lib. 4. cap. 3.* legatur, nobis se non probat; licet idem sentire videatur Berlichius *part. 2. decis. 257. n. 44.* Ubi illas etiam eo casu Novellis praefert. Quomodo enim potuit Novellas & Authenticas dissentientes probare simul? credendus ergo probasse, quatenus cum fontibus, unde manarunt, non pugnant. Quam sententiam ab omnibus receptam Albericus Gentilis *de libris Iuris Civilis cap. 6.* scribere non veretur. Atque in *Promulside Errorum Irnerianorum Commissorum in inserendis Authenticis Codici repetitae praelectionis Imp. Iustiniani* (quae, licet eam sibi nondum videre contigisse moneat Dn. Strauchius, extat jam pridem edita in appendice Methodicae Novellarum Expositionis *p. 756.*) traditur Regula: *Authenticae sive Exempli, nullam esse*

auto-

autoritatem, nisi cum Authentico sive Exemplari, nimirum fonte, respondeat atque consentiat: vide & Stephanum in Comment. Novellarum *in procemio n. 33. & seqq.* Niellium *2. disp. Feud. th. 5. lit. e.* Arthurum Duck *lib.* 1. *cap. 4. n.* 13. Riccium *Tractatu Rapsodico n. 57.* Excipimus tamẽ illas quæ à Friderico Imperatore Codici inseri jussæ, non è Novellis petitæ sunt: his enim sua abunde constat autoritas. Quod & monet post alios Hunnius *de Autoritate Iuris cap. 3. quæst. 3. in fine.* Interim *Sylloge Errorum Irnerianorum*, quam Johannes Jacobus Wissembachius ante plures annos edidit, habet nonnulla, quæ immeritò, ut nobis videtur, in Authenticis illis reprehenduntur, alia in quibus fidem illorum ne elevare quidem, sed ordine saltem non legitimo collocatas ostendere nititur.

XVI. Novellarum Imperatoris Justiniani, præter textum Græcum, quem primum typis describi curavit Anno 1531. Haloander, ejusque versiones recentiores, Haloandri, Scrimgeri, Henriri Agylæi, & Antonii Contii, duæ Latinæ antiquiores editiones sunt. Una Juliani Patricii Exconsulis & Antecessoris Constantinopolitani; sed quæ nonnisi Epitomen habet Novellarum: prologos enim & epilogos detraxit, ipsa duntaxat legislationis summa retenta. Eam Ambrosius Calmadunensis primum Mantuæ repetit sub titulo *Iohannis Consulis de variis Quæstionibus*, quod ex ipsis Ambrosii Epistolis quas Manuscriptas habet Bibliotheca Vaticana Codice 1793. commemorat Josephus Maria Suaresius Vasionensis Episcopus in *Notitia Iuris*, eaque est quam Nicolaus Boerius primum, Ludovicus Miræus deinceps, ac Antonius Augustinus, & ex fratris Petri Bibliotheca, Franciscus Pithæus Basileæ ante años nonaginta edidit. Altera est anonymi scriptoris, qua Accursus, & veteres JCti alii, glossæ autores, usi reperiuntur. Eum Interpretem barbarum & utriusque linguæ imperitum Viglius, indoctissimum Leunclavius appellat, quod displicet Cujacio. Autorem ejus Bulgarum, vel certe ejus ætate alium, præter vulgatiores alios, etiam Alciatus 2. *Parerg. cap. 47.* eumque secutus Covarruvias, duo illa eruditæ Jurisprudentiæ inter Italos & Hispanos lumina, faciunt. Nec abludit Antonius Augustinus *in Paratit. Novell. 90.* ubi probabilius esse putat, tempore Irnerii & Bulgari repertum librum Græcum Novellarum, opera cujusdam Monachi

Ber-

Bergentionis Pisani, qui idem existimatur & Græca verba Digestorum convertisse. Nos certissimum existimamus, esse autorem hunc longe antiquissimum, & temporibus Justiniani vicinum. Qui non longo enim post Imperatorem hunc tempore vixit Gregorius primus, hujus translationis verbis utitur, apud Gratianum XI. *quæst. 1. cap. 35.* & in Decretalibus *tit. de testibus cap. 2. Novellæ 90.* caput ultimum recitat. Isidorus quoque in libro Canonum Ecclesiasticorum integram *Novellam 42. de depositione Anthimi &c.* hinc desumpsit. Meminit & Contius, *præfatione, quam suæ Novellarum editioni præmisit*, Concilii Parisiensis, tempore Ludovici pii habiti, ubi illius versionis, ex *Constitutione*, (qua voce pro Novella utitur) 123. integer locus adducitur, quem videsis apud Ivonem Pannomias suæ (hic liber antiquis temporibus Canonici Juris Studiosis pro Corpore Canonum erat) parte quinta. Quid, quod & leges Caroli Magni, & filii Ludovici, tum Burchardi Wormatiensis scripta, multa habeant, quæ nemo, nisi qui oculis & sensui vim inferre velit, neget desumpta ex hoc Interprete? Agnovit hanc nostri Interpretis vetustatem jam ante Cujacius, cujus ex *Observationum lib. 8. cap. 40.* digna sunt quæ adscribamus verba: *Veterem Interpretem Novellarum rejiciunt & adspernantur temere omnes, quod equidem fero iniquo animo, cum propter antiquitatem, (Crediderim enim Græcum fuisse, qui non multo post editionem Novellarum rogatus occidenti Latinam Interpretationem donaverit,) tum propter eruditionem hominis.* Atque subjicit deinceps argumenta, quæ eruditionem ejus & religionem summam, qua textui tenacissime inhæret, commendare idonea sunt, quæ utile fuit apud ipsum legere. Id dubio vacat, adeo placuisse hanc versionem, & alteram Epitomen Juliani, JCtis Latinis, ut textus Græcus per aliquot secula in Scholis videri desierit. Hinc de Græco textu nihil apud veteres, Johannem Pileum, Rogerium, Accursium; sed vulgatam semper in ore ipsis esse reperias. Frequenter tamen ab iis, quos diximus, invicem comparantur, antiquus Interpres, & Juliani Epitome. Hodie Albericus Gentilis *de libris Iuris Civilis cap. 7.* & Arthurus Duck *de Authoritate Juris Civilis lib. 1. c. 4. n. 16.* post alios, adeo probatam esse hanc versionem ajunt, ut ab ipsius sensu in judiciis recedere integrum non sit, etiamsi cum textu Græco, qualis

is nunc extat, non conveniat. Nec ratione, quod diximus destituitur. Ex Græco enim exemplari ut antiquiori, ita incorruptiori, vulgarem hanc translationem prodiisse, quam aut Haloandrinam aut Scrimgerianam facile animadversurum diligentem lectorem, non dubitat asserere *in præfatione ad Novellas*, Contius. Dn. Hagemeierus *libro de autoritate Iuris cap. 8. pag. 31.* diversum ab Alberico Gentili, & Arthuro Duckio, tradit, eoque casu è Græco textu, qualis is hodie extat, Latina emendari vult. Sed ista opinio autorum meliorum consensu, ac praxi, & fortassis rationibus etiam non obscuris improbatur.

XVII. Novellas Justiniani esse centum sexaginta octo, Harmenopolus, Attaliata, & Michael Blastares, omnes Græci, locis jam ab aliis laudatis prodidere, vid. Josephum Mariam Suaresium in *Notitia Juris*. Quem numerum Novellarum qui credere nolint, eos in *Expos. sua ad Novellam 166.* Cujacius (quod ita immodestè factum à Viro eruditissimo nollem) imperitos, indociles, incredulos appellat. In Juliana Epitome non sunt nisi 125. Riccius *Tractatu Rapsodico* (ut vocat) *num. 63.* in Manuscripto Exemplari Novellarum Græcarum, quod Florentiæ servatur, reperiri dicit 158. Haloandri tamen editio agnoscit 165. sed fatetur se in numerum illum assumpsisse, quas aliunde acceperit. Cujacius tribus adjectis Centum sexaginta octo edidit. Matthæus Monachus in *præfat. Collect. Constit. Græcarum* Justinianum centum septuaginta Constitutiones condidisse existimat, quod, nisi quis numerum, rotundum vicinum assumpsisse dicat, ac ita excuset, fictum est. Gentilis Justiniani Imperatoris non nisi centum viginti quinque agnoscere vult *lib. 1. de Libris Juris Civilis cap. 7.* quòd Julianus plures non redegerit in Epitomen, & credibile non sit, eum omnes in Epitomen redigere noluisse. *Discrepantiam hanc sectionibus Capitum adscribimus*, ait Hagemeierus *cap. 8. de Autoritate Juris pag. 30. Nam, cum ejusdem Novellæ sæpe plura capita sint, facile fieri potuit, ut à recentioribus in peculiares Constitutiones divellerentur.* Sed huic causæ adscribi non posse hanc numeri diversitatem, docet editionum collatio. Sunt vero natæ etiam de autoritate Novellarum lites. Gentilis ad Jus certum & usu receptum, (tempore ut videtur Irnerii, Accursii, Bulgari; alioquin enim secum ipse pugnaret,) non refert nisi 98. quas glossis & Commentariis

vere-

veteres illustrarunt. Adamus Riccius contra, *Tractatus Rapsodici n. 64.* omnes, quæ vulgo in Corpore Juris circumferuntur, vim & autoritatem Juris habere tuetur, ubi urget contra Gentilem, quod ipse agnoscat cæterarum Novellarum quoque, quas vel antiquus Interpres transtulit, vel quæ in libro MSSto Florentino reperiuntur, aut quas Scrimgerus collegit, autoritatem ita invaluisse, ut inceperint Juris mereri nomen. Nec video ego cur 98. solum pro legitimis habere velimus, cum 125. ipse Julianus Antecessor, ac plures antiquissimus Interpres habeat: quorum neutrum spurias dedisse dubio vacat. Nec est quod moveat aliquem, quod glossa non interpretatur nisi 98. Sunt enim inter illas multæ, quæ ad personas certas aut locum spectant. Talis est *Novella 24. de Præside Pisidiæ*, qualis Accursii ævo nullus, ut nec *Prætor Licaoniæ*, de quo agit *Novella 25. Thraciæ*, de quo *Novella 26.* Comes Isauriæ, *Novella 27. Moderator Helenoponti Novella 28. Prætor Paphlagoniæ*, quo pertinet *Novella 29.* & sic deinceps. Has quod nihil ad rem familiarem conferrent, quid mirum, in scholis, & à glossa, neglecta? Imprimis barbaro ævo, & cum desiissent munera hæc. Interim tamen sæpe inter extra vagantes numerari, & diligentioribus post reliquas Novellas descriptas fuisse, probat Jacobus de Bellovisu, qui commentarios ad Novellas scripsit, seque omnes illas, ad finem Lecturæ suæ adscribi fecisse testatur. Nullam tamen omnino esse, ex omnibus his Novellis, quæ in Corpore Juris hodie circumferuntur, suspectam aut suppositi:tiam, sed omnibus suam auctoritatem constare, quod videtur sentire Riccius, cum de nonnullis eruditissimi viri non immerito ambigant, nondum persuasi sumus.

XVIII. Juris Justinianæi, in novas tamen subinde formas recocti apud Orientalis Imperii subditos continuus usus fuit, à temporibus Justiniani ad annum usque 1453. quo capta est à Muhammede Constantinopolis. Quod satis novimus ex Basilicis (è quibus, manuscriptis adhuc, admirandam illam Jurisperitiam magnam partem hausit Cujacius, quasque hodie, nisi quod novendecim libri desint, è Regia Bibliotheca, septem tomis in folio edidit Vir Clarissimus Carolus Annibal Fabrottus) Attaliata, Harmenopulo, Balsamone, Zonora, Photii Nomocanone, (cujus manuscriptum Codicem habet ex Martini Crusii legato

gato Bibliotheca Philoſ. Facultatis in Academia Tubingenſi) Pſello, & aliis Græci Juris ſcriptoribus, qui paſſim extant. In occidente vero in Exarchatu, qui fuit Ravennæ, ad annum usque 752. viguit, quo ille à Longobardis deletus, eſſe deſiit, vid. Sigonium *de Regno Italiæ lib. 3. ad annum 752.* At in reliquo præter Exarchatum Occidente, in Regimine publico & civili, (Eccleſiaſtici enim, ut mox dicemus, alia fuit ratio) paulo poſt medium Seculi ſexti, vix veſtigia erunt ullius uſus Juris hujus, ad ſeculum usque undecimum, vel circiter. Nam & ipſius Juſtiniani tempore adhuc, Imperium Cæſareum ibi fermè evanuerat, quod abundè teſtantur Procopius & Agathias, coævi Juſtiniano, ac ideo teſtes idonei. Gregorius primus, qui exiguo poſt Juſtinianum tempore fuit, citat quidem adhuc Juſtiniani aliquot Novellas, & leges Codicis nonnullas, *lib. 11. Epiſtola 54. ad Johannem Defenſorem euntem in Hiſpaniam*, cujus verba repetit Gratianus *cauſ. 11. quæſt. 1. c. 38.* Sed apud Iſidorum Hiſpalenſem, qui exiguo temporis intervallo poſtea vixit, anno fere poſt Juſtinianum ſeptuageſimo *lib. 5. Origenum cap. 1. de Autoribus Legum*, de *Gregoriano & Hermogeniano Codice* aliqua attinguntur, de Theodoſiano etiam iſta leguntur, in fine capitis. *Poſtea Theodoſius minor Auguſtus, ad ſimilitudinem Gregoriani & Hermogeniani, Codicem factum conſtitutionum, à Conſtantini temporibus, ſub proprio cujusque Imperatoris titulo, diſpoſuit, quem à ſuo nomine Theodoſianum vocavit*; Sed de Juſtinianeo, utpote cujus jam tum parva ratio haberetur, nihil monuit. Quod ergo paſſim legitur, apud autores, ſeculorum poſteriorum de lege Romana, (qua perinde ut Longobardica, Salica, & Gothica, vivere poterant, qui eam ſibi ab initio eligendam putaſſent, ex Conſtitutione Lotharii, Filii Ludovici Pii, quam commemorat Sigonius *lib. 4. de Regno Italiæ*) non de Juſtinianæo Jure, Sed Theodoſii Codice intelligendum eſt. Nempe Gothi cum rerum potiri in præcipuis ditionibus Imperii Romani Occidentalibus cœpiſſent, jam ſeculo quinto, Rege Ataupho, Romana omnia in Gothicum nomen moresque mutandi, ut Romanum plane aboleretur, conſilium inierant, cujus tamen illos paulo poſt pœnituit, vid. Oroſium *Hiſtor. lib. 7. c. 43.* & Goldaſtum *Imperialium Conſtitutionum tom. 3. pag. 586.* Non poterat autem illis Imperantibus Jus Cæſareum qua tale, aut ex

Impe-

Imperatorum Romanorum autoritate, valere. Ex Regum ergo Gothorum Theodorici, Ataulphi, Alarici, & aliorum jussu, sub nomine tamen Augustorum, qui earum autores erant, legibus illis tum parebat populus, non Justinianæis, sed antiquioribus, quas opera Aniani JCti anno circiter quingentesimo, aut paulo post, ex Codice Theodosiano præcipuè, sed & ex aliis, Hermogeniano, Gregoriano, & JCtorum veterum scriptis, in Epitomen colligi fecerat Alaricus, *quæ contineret* videlicet ea *quæ necessaria causis præsentium temporum videbantur*, ut ipse Anianus in *glossa ad Codicis Theodosiani unicam de Responsis Prudentum*, commemorat. Isto libro, sub Codicis Theodosiani nomine, deinceps Gothorum Regum subditi utebantur, nisi quod apud Wisigothos Chindeswindus Rex, *ejus usum ad negotiorum discussionem*, ut verba ejus inter leges Wisigothorum *lib. 2. tit. 1. cap. 9.* habent, in Hispania, ubi tunc Wisigothi degebant, adhiberi nollet. Quod Reges cæteri ibi approbarunt deinceps; vid. *dict. loc. cap. 10.* Et quæ Codice hoc, Theodosiano dicto, sed ab Aniano interpolato, continentur, LL. Romanorum & Juris Romani nomine veniunt in Constitutione Lotharii I. qua libertas datur, in Imperio Romano profitendi, quo Jure, Romano, Francico, Gothico, Longobardico, vel alio, quis regi vellet: quæ extat legis Longobard. *l. 2. tit. 27.* Quam tamen ita interpretandam cum Seldeno *ad Fletam. cap. 5. p. 489* ut integrarum urbium, pagorum, ac territoriorum Principibus, aut præfectis, qui professionem illam elegissent, libertas illa concederetur, non Personis singulis, existimamus; Secus ac opinentur etiam eruditissimorum nostræ ætatis scriptorum plerique.

XIX. Quod diximus Theodosii Codici, non legibus Justinianæis, in Civili & publico regimine tum fuisse locum, id ejus ævi monumenta luculenter ostendunt. Præterquam quod ex Isidori silentio id collegimus, idem probant etiam, quod illa, quæ ut Romani Juris in Capitularibus Caroli Magni & Ludovici afferuntur, ex Codice Theodosii sunt, vid. *Capitulare lib. 6, cap. 281. & 307.* Inter Formulas solennes Marculphi, quæ in Carolinam ætatem incidunt, formulæ 148. expressa Theodosiani Codicis mentio est. Ac in *Addit. Ludovici 4. cap. 102.* Ubi de pœnis Sodomitarum agitur, *lex Romana, omni-*

omnium humanarum legum mater, jubere ut igne ejusmodi patratores crementur, dicitur. At lege Justinianæa, quæ est *l. 31. G. ad legem Iuliam de Adulteriis*, gladio plectuntur saltem. In Theodosii autem Codice extat, Theodosii, Valentiniani, & Arcadii lex, *l. 6. ad legem Iuliam de Adulteriis*, qua *vivi cremari jubentur*; quæ in Justinianæum corpus nunquam recepta, ut satis pateat per leges Romanas intelligi ibi Theodosianas. Hincmarus Rhemensis, seculo 9. Epistola *de coercendo raptu* publicas Romanorum leges advocat. *tom. 3. cap. 5. p. 228. edit. Antonii Sirmondi*: non sunt autem aliæ, quam quæ in Theodosiana Alarici Epitome leguntur *l. 9. tit. 24.* ac quas in Justinianæo Codice frustra quis requirat. Gregoriani tamen etiam Codicis, & ex eo tituli ad *legem Iuliam de Adulteriis*, eadem Epistola *cap. 9.* mentionem ibi facit Hincmarus. Etiam in Juonis Carnotensis decreto, & Pannomia, (alii scribunt Pannormia) ac apud Gratianum, non pauca inveniuntur ex eodem Theodosii Codice. Et Gratiani quidem illa collecta habes à Davide Blondello *Prolegomenis ad Pseudo-Isidorum cap. 12.* Adde quæ jam monuit Vir Clarissimus Hermannus Conringius *libri de Origine Iuris Germanici cap. 20.* ubi ex Gregorio Thuronensi, & Confirmatione Codicis Theodosiani, non item Justinianæi, à Carolo Magno facta, accurate colligit, eo tempore, in Galliæ, ex Codice Theodosiano, non aliunde desumi Jus solitum; quod nos in Regimine Civili & publico etiam alibi ita obtinuisse persuasi sumus. Seculo tamen undecimo lex illa Romana Theodosii, non amplius fuisse videtur ejusdem autoritatis, qualem antea habuerat. Id eo argumento nobis probabile fit, quod Burchardus Wormatiensis, qui Juris Pontificii corpus tum confecit, non solum in illam collectionem è Theodosiano Codice nihil attulit, sed nec alibi in *in lege Familiæ S. Petri*, cujus ipse etiam autor, cum occasio sæpissime esset, ad materias de Hæreditatibus, contractibus, judiciis publicis, inserendi aliqua ex Theodosianis, quidquam eo contulerit.

XX. Non tamen ignotum ea ætate Corpus Juris Justinianei, curiosioribus imprimis & Juris Studiosis, ex Ivone Carnotensi & Anselmo Lucensi, (cujus frequens mentio in notis ad Gratianum editionis Gregorianæ) discere est. Sed & apud Ecclesiasticos, inque foro

eorum,

eorum, magna passim autoritas fuit Novellarum Justiniani, & LL. Codicis, quæ ipsis conducerent. Apud Ivonem, Johannes 8. Pontifex *part. 3. cap. 98. Nostra*, inquit, *serenitas cum præscriptis Episcopis, inspectis legibus Romanis, ubi habebatur de Sacrilegiis, invenimus ibi à Justiniano Imperatore legem compositionis Sacrilegii constitutam, scilicet in quinque libras auri optimi.* lex ad quam provocat est *l. 13. C. de Episcopis & Clericis.* In Concillo Parisiensi, cujus & antea meminimus, tempore Ludovici Pii Augusti habito, apud Ivonem *Decret. part. 14. cap. 21.* Novella Justiniani de Excommunicatione adducitur & additur, *quam probat & servat Ecclesia.* Hincmarus Rhemensis, eodem elogio Novellas ornat, *opusculo 55. cap. 29. & c. 51. p. 587.* ubi de illis: *quibus debitæ*, ait, *observationis reverentiam Ecclesia exhibet.* Ivo Carnotensis circa Annum 1100. *Epistola 242.* de Novellis his: *Eas composuisse Catholicos Reges, & ex authoritate Ecclesiæ Romanæ, Catholicis populis servandas tradidisse, easque commendare & servare Romanam Ecclesiam*, scribit. Sed ista quidem ad forum Ecclesiæ Romanæ saltem, non item ad Civile Regimen spectant.

XXI. Jus Justinianæum, ab Irnerio, tempore Lotharii II. Imperatoris in lucem revocatum, ac ejusdem Imperatoris lege confirmatũ deinceps, & solum, abrogatis Longobardicis, Gothicis, Francicis, ac quæ antea ea tempora in usu erant aliis legibus, in foro autoritatis alicujus esse jussum, communi fere, Historicorum & JCtorum calculo, adhuc nostro seculo probabatur. Sigonius equidem Historia Regni Italiæ ad An. 1137. in fin: *Hanc constantem Doctorum monumentis famã esse*, Conf. Forsterum *in Iuris Historia*, Fichardum *de vitis ICtorum*, Bononienses *in Relatione 4. Doctorum*, quæ post celeberrimi Conringii *de Origine Iuris Germanici librum*, legitur *p. 309.* ubi Alidosium in libro Italico, quem inscribit: *Gli Dottori. Bolognesi de legge canonica è civile*, & Johannem Bonifacium, *in Historia Tarvisina*, pro hac sententia laudat. Ast eam tamen suspectam habet, imo commentum appellat, Fridericus Lindenburgius *præfatione ad Codicem Legum Antiquarum*: idemque placuit Georgio Calixto, *Epitomes Theologiæ Moralis pag. 112.* quem cum eo nomine perstringeret adversarius perpetuus Bartholdus Nihusius, tum in *Corollario ad Apologeticum*,

tum

tum in *Facula*, & *Epilogo ad Irnerium*, patrocinium sententiæ, eruditissimo *de Origine Juris Germanici* libro, suscepit Dn. Hermannus Conringius Communis opinio, *fama constanti in monumentis Doctorum virorum*, quod Sigonium dicentem audivimus, nititur, & lege Lotharii, quam jactant Bononienses, & ita laudant, ut ex ejus exordio tempus etiam latæ legis colligere nitantur, eamque etiam ex Alidosio & Johanne Bonifacio, Historicis, ipsorum testimonio accuratissimis, probare aggrediantur. Nec apparere ajunt, qui huic subscribunt assertioni, qua ratione in Imperio Romano omni Jus hoc tam repente introduci, nisi lege Imperatoria, potuerit. At Lindenburgius, Calixtus, Conringius suam tuentur his præcipue rationibus: quod nemo Lotharinum hoc Edictum ostenderit hactenus; quod nec autorem ejus temporis vel iis propinquorum aliquis, quin imo nec Centuriatores Magdeburgenses, nec Cardinalis Baronius, qui omnes pluteos, omnia scrinia excusserunt, ullam ejus rei mentionem faciant; tum vero quod optimi quique veterum, ea de novo exordio studii illius narrent, quæ probent haud obscurè nullam Lotharii autoritatem ad Juris hujus receptionem accessisse. Quale est, quod Abbas Urspergensis, loco quo de Lothario II. verba facit (est is in editione quam Wittebergæ anno 1540. procuravit Melanchton p. 291.) *ad petitionem Machtildæ Comitissæ renovasse*, vult, non ad Imperium Lotharii. Nec fama illos, idoneis nullis scriptoribus subnixa, sed seculo fortassis quod præcessit solum nostrum hoc nata, nec Lex Lotharii jactata quidem, nunquam tamen producta movet, de qua ipsi Bononiensis, satis se ambigere ostendunt, producturi haud dubie, si genuinam existimassent. Alidosium autem & Bonifacium, Fichardum & Forsterum, recentes autores, instituto probando, imprimis ubi dissentit Ursperngensis, auctor ut antiquior, ita fidei melioris, parum idoneos. Et potuisse propter æquitatem, & alias causas, communi consensu recipi leges istas, *cap. 23. libri de Orig. Iuris Germ.* ostendit Conringius. Nos, ut certissimum habemus, neminem hactenus genuinam legem Lotharii, qua revocatum in usum, exclusis aliis Juribus, Jus commune sit, produxisse, ita quod in Urspergensis Abbatis editis Exemplaribus legitur, ad petitionem Mahtildes Comitissæ Wernerum libros Juris renovasse, admittere veremur; licet id præter

Ursper-

Ursperngensem, etiam Sigonius, *de Rebus Bononiensibus* ad annum 1102. asseruerit. Ipse enim Sigonius alibi, in opere perfectiori, *de Regno Italiæ*, loco antea adducto, apertè in eo falsum esse Urspergensem, ait, quod dicat Mahtildis rogatu id suscepisse Irnerium, cum ea multo ante Imperium Lotharii è vita migrarit. Et Bononienses JCti ita de Sigonii opere Historiæ Bononiensis loquuntur, ut appareat morte impeditum autorem, postremam manum ei imponere non potuisse, atque hunc ipsum locum, *ne autoris fides labasceret, suppressum esse Senatus Decreto, testantibus*, ut perhibent, *publicis urbis tabulariis*. Etiam Seldenus in *Dissert. ad Fletam cap. 6. pag. 499.* illud de Mahtildæ precibus, quibus persuasus fuerit Irnerius ut jura traderet, impugnat. *Ob ætatem*, scribit ibi, *haud ita commode ferri potest, ut is anno 1102. hoc faceret, rogatu Mathildæ, quæ etiam mortua est anno 1115. se compluribus annis ante, quam Irnerium Bononiæ legisse, plerumque recipitur, i. e. sub Henrico V. Augusto, & circa decennium ante Lotharii initia. Neque sane id de Irnerio & Mathilda ad Urspergensis calcem repertum, ab ipso autore, sed ab alio quopiam temere assutum existimo. Nam ante in Chronici corpore habet ille, quod debuit de Instauratione Iuris Cæsarei jam dicti sub Lothario. Et, nescio unde in calce adjicitur, Gratinum tunc scripsisse, (quod attinet ad annum 1150. aut Friderici I. tempora) quæ male invicem conjuncta Chronographo.* Illud dubio vocat, agnoscere ipsum Melanchtonem, irrepsisse in Historiam Urspergensis quædam, etiam talia, quibus nemo securè fidem adjunxisset, quorum etiam nonnulla ipse ideo edere noluit: vid. *ejus edit. pap. 13.* Equidem, in manuscripto egregio Exemplari Chronici Abbatis Swartzheimensis, quod olim Marquardi Freheri fuit, nunc in publica Academiæ Heidelbergensis Bibliotheca servatur, quodque, ut ex collatione vidi, ubique descripsit Conradus à Liechtenau Urspergensis Abbas, ac pro suo venditavit, paucis seculi ejus, quo ipse vixit, additis, non memini me illud de Mathilda legisse. Licet autem nulla Lex Lotharii genuina hactenus producta fuerit, qua juri Civili autoritas major quam ante accesserit; à Friderico tamen I. illud autoritate Imperatoria donatum, Dn. Strauchio in *Dissert. Irnerius non Errans cap. 2. th. 7.* assentior. Si secus esset, non dixisset ipse Comitiis Roncaliensibus

ſibus apud Radevicum: *Noſtis, quod jura Civilia noſtris beneficiis in ſummum provecta, ac moribus utentium approbata, ſatis habent roboris.* Imo jam Lotharii tempore, in ipſa Angliæ auditoria penetraſſe Jus illud, docuit Seldenus *cap. 7. Diſſertationis ad Fletam.* Ac etiam in Tabulis publicis Imperii noſtri Germanici, Juſtiniani nomen, ut magni Legum Conditoris celebratur apud Goldaſtum *Conſtit. Imperial. tom. 1. pag. 26.* Et Senatores Romani carmine ita alloquuntur Lotharium:

Rex valeat, quicquid cupit, obtineat, ſuper hoſtes
Imperium teneat, Romæ ſedeat, regat orbem,
Princeps terrarum ceu fecit Iuſtinianus.

Ejusque etiam eo nomine meminit Hadrianus IV. Papa ad Epiſcopos Germaniæ, apud *Goldaſtum dicto loco pag. 226.*

XXII. Jus tamen Juſtinianæum, in Imperio Romano non ita deinceps introductum credendum eſt, quaſi abrogatis cæteris, quæ antea obtinuerunt Juribus, ſolum illud ita ſucceſſerit, ut aliud nullum deinceps ſupereſſet; Sed ita receptum fuiſſe hujus Juris uſum exiſtimari debet, ut quoties Jura interpretanda, aut lege Provinciali, vel conſuetudine, nihil definitum extaret, ad Jus hoc, veluti æquiſſimum, recurrerent Judices. Cæteroquin enim, in Germania noſtra, ex Jure Suevico & Saxonico, omnibus provinciis fere Jus dabatur, adhuc eo tempore, quo Bulla Aurea conſcribebatur. *vid. B. A. cap. 5.* Et hodie plures Civitates in Holſatia noſtra, Livonia, Pomerania, Megapoli, & inferiori Saxonica, ex Statutorum Lubecenſium præſcripto Jus reddere monet, in ipſa *Dedicatione Commentarii ad Ius Lubecenſe*, David Mævius JCtus. Ac Auſtriaci, Bavari, Palatini, Würtembergenſes, Luneburgenſes, provinciæ & civitates Germaniæ aliæ, peculiare & ſtatutarium Jus habent, quo demum deficiente Juri communi locus ſupereſt. Idem & regnis aliis ſervatur. Apud Luſitanos in civilibus judicatur quidem ex Jure Cæſareo; ſed ſi deficiat Jus Regni ſpeciale, & non adverſetur ſacris Canonibus. Verba ipſa Luſitanica hæc ſunt, Ordinazones o *libr. 2. tit. 5. Sendo materia que nom tragua peccado, mandamos que ſeja julgado po las leis Imperiaes, poſto que es ſacros Canones determinem o contrario*: quod latine ſonat: *Si ſit materia quæ non tractet de peccato, mandamus ut judicetur ſecundum leges Imperatorias, dummodo Sacri*

Cano-

Canones non determinent contrarium. Apud Hispanos Jus dicitur Tauri, & aliis Regiis Constitutionibus, quæ solæ Jus certum efficiunt, vid. *Partitas part. 3. tit. 4. l. 6.* ubi ipsorum lingua, de legibus istis dicitur: *por las leys desto libro è non por otras* i. e. *legibus hujus libri non aliis*, judicari Hispanos: vide ad dictum locum *Gregorium Lopez*, ubi ex aliis refert, Hispanos olim constituisse, ut qui leges Imperatorias allegaret, capite plecteretur. In *l. 1. Tauri* antiqua lex Alphonsi Regis, quæ ibi confirmatur, qua declarat, quo ordine & modo judicandum sit per leges proprias Hispanis in regnis eorum: additur tamen, permitti nihilominus in Hispania leges civiles in publicis Academiis doceri, & interpretari, propter earum eruditionem & sapientiam; non quia per illas judicandum sit. Inter Gallos, Choppinus de *domanio Franciæ lib. 2. tit. 15.* §. *5. Nos Galli*, ait, *de Quiritium jure ita censemus, eo scilicet uti nos, quatenus ei lex Gallica non refragatur.* Bouchel, au *thresor du dro it Francois, tom. 1. p. 1062. vers. droict. Il est defendu par l' ordonnance du Roy Philippes* III. *publicè en parlement l' an* MCC LXXVII. *& par autre ordonnance du Roy Philippes* IV. *de l' an* MCCCIV. *de alleguer les loix Romaines contre les Ordonnances & coustumes de France; & se trouve un ancien arrest, par lequel il est dit en trois mots, que les Advocats ne soient si hardis de mettre escrit contre l' ordonnance & coustume.* Plura vide in eam rem apud Limnæum, *in Notitia Regni Franciæ lib.* 1. *c. 8.* quo toto agit *de Jure, tam privato quam publico quo Francia utitur.* De usu hujus Juris in Anglia, præter observata Arthuro Duckio, legi meretur Seldenus *cap. 8. Dissertationis ad Fletam.* ubi inter cætera ex Sarisburiensis *Policratico lib. 8. cap. 22.* commemorat, Juris Justinianæi, quod Lotharii tempore in Britanniam pervenerat, adversa fata. Id enim tempore Stephani Regis prohibitum perhibet, ac vidisse se, qui libros legis deputarent igni, nec scindere vererentur, si in manus eorum jura pervenissent, vel Canones. Mitiora tamen tempora deinceps hos æstus excepere, quod ibi vide.

XXIII. Irnerium JCtum, quem Wernerum Chronicon quod nomine Abbatis Urspergensis circumferatur, Guernerium Alidosius & Johannes Bonifacius appellant, primum Jus nostrum docuisse in

 Bono-

Bononienſi Academia Dd noſtros uno ore tradere animadverto. Res tamen aliter ſe habet,& ante illum Pepo Jus Bononiæ tradidit, famam tamen præ Pepone majorem habuit Irnerius, cujus beneficio, gloriam reſtituti Juris, ſolus deinde abſtulit. Ne quis amplius ea de re dubitet, ipſa Odofredi, temporibus illis vicini admodum JCti, unde illa de Irnerio etiam ſe haurire plerique tradunt, verba adſcribemus, qualia extant in Commentariis ejus ad *l. Jus Civile 6 ff. de Justitia & Jure. Dominus Irnerius*, inquit, *fuit apud nos Lucerna Juris i. e. primus qui docuit in Civitate iſta. Nam primo cœpit ſtudium eſſe in Civitate iſta in artibus. Et cum ſtudium eſſet destructum Romæ libri legales fuerunt deportati, ad Civitatem Ravennæ, & de Ravenna ad Civitatem iſtam. Quidam dominus Pepo cœpit autoritate ſua legere in legibus. Tamen quicquid fuerit de ſcientia ſua, nullius nominis fuit. Sed Dominus Irnerius dum doceret in artibus in Civitate iſta, cum fuerunt deportati libri legales, cœpit per ſe ſtudere in libris noſtris, & ſtudendo cœpit docere in legibus. Et ipſe fuit maximi nominis & fuit primus Illuminator ſcientiæ noſtræ, & quia primus fuit qui fecit gloſſas in libris noſtris, vocamus eum Lucernam Juris.* Ex quo loco non Peponem ſolum ante Irnerium Jus Bononiæ docuiſſe, ſed & Irnerium primum omnium gloſſas ſcripſiſſe patet, quod poſtremum, ex actis haud dubie Bononienſibus, tradit quoque Sigonius in *Hiſtoria Bononienſi ad Annũ* 1102. Atque hoc velle videtur id, quod adſcriptum imagini Irnerii Bononienſi perhibent JCti Bononienſes, in Relatione de Irnerio de his verbis: *Irnerius omnium primus leges commentatus eſt, An.* 1128. Primus ergo Pepo leges docuit, at gloſſas primus ſcripſit Irnerius. Nec tamen ille in omnes partes Juris gloſſas curavit. Olim enim publico ſtipendio, non niſi Digeſtum vetus & Codicem Profeſſores interpretari tenebantur, reliquas LL. partes negligentius tractabant, nec niſi privatim ſoluta ſtipe explicabant, & ob id extraordinarias eas lectiones vocabant, ut Guido Panzirollus de Claris LL. Interpretibus *lib. 2. cap. 28.* commemorat, primusque in Infortiatum gloſſas ſcripſit Rogerius, ut dicto loco docet Panzirollus ex Odofredo, ad *l. 1. ff. ſoluto matrimonio.* Eſt hic Rogerius ille, qui primus circa medium ſeculi duodecimi Jus in Anglia docuit: (Saresburienſi appellatur Magiſter Vacarius) ut apud

Gal-

Gallos primus ejus instaurator Placentinus, circa ultima seculi ejusdem: Confer Panzirollam de *Claris LL. Interpretibus lib.3.c.20.* Atque hic idem Rogerius primus etiam summarum vel Paratitlorum autor est. Odofredus expresse ad *l. 1. ff. de Transactionibus* : *Dominus Frogerius* (Rogerius noster, interdum antiquis Fregerius, interdum Fregerius est, quod norunt qui antiquos libros legunt) *in articulo isto contradicit. Et ita invenietis scriptum in summa sua, quam fecit super C. & fuit prima summa quæcunque fuerit facta. Et tenet forte per viginti chartas. Post eam fecit Dn. Placentinus suam. Post eam Dn. Iohannes Bosianus fecit suam, quæ incipit, Quicunque vult. Et est nulla; & postea Dominus Azo fecit optimam summam qua hodie utimur.* Illud de Rogerio, primo autore summarum vel Paratitlorum, etiam Catellianus Cotta *libro de Iurisperitis*, & Guido Panzirollus, adducto ante loco, memorat.

XXIV. Jus Feudale, quomodo nunc in Corpore Juris extat, sine methodo certa, ordine conscriptum, pleriq; consentiunt. Quæ, causa est, cur collectionem ejus postremam Antonii de Prato Veteri, quam & à Friderico III. Imperatore probatam aliqui volunt, tam anxie desiderent JCti magni nominis, quod credatur Feudorum Jus in exactum ordinem redegisse, & quidem publica autoritate. Meminit ejus operis Jason *in præludiis Feudorum*, ubi testatur, laudante Rittershusio, *in Proœmio partitionum Feudalium : præstantissimum suæ ætatis Iuris Consultum Bononiensem Antonium de Prato Veteri, reformasse & in meliorem ordinem atque in compendium aptius redegisse hos libros, resectis & truncatis superfluis: quod opus dedicarit Friderico* III. *Imperatori, qui id adprobarit & mandarit, in publicis scholis prælegi.* Addit Rittershusius: *Hic liber si extaret, præsertim publica autoritate Imperii confirmatus, magna molestia nos liberaret, & vulgatos hosce libros de usibus Feudorum tanquam non scriptos abolere posset,*

Extinguit stellas exortus ut æthereus sol:

Sed ille, quod mireris, veluti quidam fœtus abortivus lucem hactenus non adspexit, quamvis valde verisimile sit alicubi in Bibliothecis vel publicis vel privatis eum adhuc latere: Vnde sperare liceat aliquando ab Indagatoribus rerum vetustate deperditarum prolatum iri: nec dubito quin huc multum conferre possit, Cl. Vir Hugo Blotius IC. Sac. Cæs. Maj. Bibliothecarius,

carius quem ut id faceret per literas pro nostræ veteri notitia rogavi. De eodem libro, Johannes Cuspinianus, in *vita Friderici* III. de Imperatore hoc: *Librum de Usibus Feudorum novum fieri jussit, qui extat apud Pyladem meum Gabrielem Eubolium, ICtum peritissimum: in quo rubricas omnes in antiquis confusas, in pulchram seriem miro ordine reduxit: de feudisque plene tractavit. Id opus Bessarione Cardinale atque Angelo Reatino approbantibus Antonius de vetere Prato Bononiensis JCtus congessit, Friderico præcipiente.* Quæ verba cùm retulisset Franciscus Hotomannus *Præfatione in Commentarium libri Feudorum*, addit, *Optandum esset ut eam Feudalis Juris descriptionem haberemus.* Gregorius Haloander ejusdem collectionis, ut approbatæ à Friderico III. etiam meminit, in *Epistola Nuncupatoria Novellarum & Feudorum ad Senatum Reip. Norimbergensis. Animus erat,* inquit, *in fine adjicere Feudorum Consuetudines, eo videlicet ordine, quo Patrum memoria ad preces Bononiensis Collegii confirmatæ fuerunt à D. Friderico* III. *Imperatore, sed exclusi angustia temporis, cogitata animi ad effectum deducere non potuimus.* Jacobus Spiegelius in *Accessionibus Lexici sui pag. 114.* in hæc verba scribit: *Fridericus* III. *Austriacus, ut Haloander indicat, Feudorum consuetudines, quos veteres appellare solebant Iura militiarum, & Imp. nominat* στρατείας *ad preces Bononiensis Collegii confirmavit. Nos dubio procul jam haberemus eas ordini suo restitutas: nimirum quo principi per tam celebre Collegium fuerunt exhibitæ, si per invidiam fati licuisset, ne quid gravius dicam, de immatura morte Haloandri nostri.* Meminit Collectionis hujus quoque, non tamen ut approbatæ, sed approbandæ, Goldastus in *præf. Germ. tom. 1. statut. & Rescriptorum Imperialium. Quis impedivit,* ait, *quo minus Feudorum Consuetudines à Friderico* III. *ad preces Bononiensis Collegii confirmatæ, in Academiis locum invenerint, & authenticæ factæ fuerint, quas tamen in Germania, si Deus laudatissimum Imperatorem Maximilianum* I. *diutius in Regimine Imperii Romani esse sivisset, quantumcunque fulminante Pontifice Corpori Iuris insertas haberemus: & quamvis postea,* pergit idem, *Vir Clarissimus, Gregorius, Haloander, id in effectum deducere vehementer laboraverit: tamen id omne apud peregrinos Consiliarios Juvenis Cæsaris Caroli, & propter exortum dissidium Religionis frustra fuit, donec tandem liber ille prorsus in inimicas manus incidit & inversus fuerit.* Dn. Ludwellus Synopsi Juris Feu-

Feudalis *c. 1. p. 11. Hæc ipsa descriptio*, (loquitur de hoc ipso libro) *licèt eam se vidisse testetur Cuspinianus, injuria temporum periit, aut in Bibliotheca alicubi latet.* Joachimus Hagemeierus *de Autoritate librorum Juris, c. 10. in fin.* scribit: *Olim commendatissimum fuisse compendium Antonii de prato Veteris JCti Bononiensis, testatur in præludiis Feudorum Jason: idque publica autoriate Friderici* III. *confirmatum est: Cuspinianus in Vita. Hic liber si extaret magna molestia nos liberaret, & vulgatos libros de Usibus Feudorum tanquam non scriptos abolere posset.* Ast bono fato factum est, ut quem tantopere desiderant, & perditum omnino esse existimant celebres Juris Consulti, is dum Tubingæ Feuda docerem, manuscriptus ac membranaceus, optimæ notæ, ac inauratus, munere Auditoris, qui illum ex hæreditate paterna creverat, mei Juris factus sit. Ac debebitur fortassis aliquando Academiæ nostræ Chiloniensi laus, restituti, hac ex parte, Juris Feudalis, ubi otii tantum erit à negotiis, quod editioni, & Commentariis in illam nostris, sufficiat. Interim monemus, JCtum Bononiensem, autorem collectionis hujus, (cujus integrum nomen nemo hactenus edidit) esse Antonium Mericutium, quomodo se in Epistola ad Fridericum Imp. ipse appellat. In Annotatione tamen Capitulorum, paulo post, ut videtur, scripta, & ipsa tamen adhuc membranacea, vocatur Antonius Mericutius de Prato veteri Doctor Bononiensis.

XXV. Opus hoc absolvit Bononiæ Antonius Mericutius de Prato veteri An. 1428. primo die mensis Martii, Sigismundo tum Imperatore, atq; Bononiensibus JCtis, ut Imperatori comendarent, obtulit. Quod ex ipsis verbis manuscripti nostri non difficulter conficitur. *Hæc ita instituta*, scribit ibi, *vobis Scholaribus utriusq; Universitatis Juristarum Bononiæ publicanda institui, Universitatem vestram ac singulos humiliter supplicando, quatenus ea prompto affectu suscipiatis, & studio alacri sic his vobis manifestatis & cognitis, si quid in his minus bene positum ac relatum inveneritis, ad Sacratissimum Principem Sigismundū Romanorum Imperatorem corrigendum & debito loco ponendum, eaq; ita posita & correcta Imperiali autoritate eo ordine confirmanda, quo institui, ut in scholis confirmata legi possint, sedula prece velitis insistere. Cum id solū ex veteri usu mutare ausus sim, quod Scripturæ mittebat ordo. Glossis antiquis*

tiquis Iacobi Columbini & Pilei, ad ordinem literæ redactis, in priſtina autoritate non majori remanſuris. Aſt à Sigismundo nondum confirmatum librum indicio eſt, quæ ſequitur ejusdem Antonii Mericutii, ad *Sereniſſimum Imperatorem Fridericum Epiſtola.* Eaque prolixior eſt quàm ut integra hic adjici poſſit: poſtrema tamen ejus verba nonnulla hic adſcribemus: ita autem habent. *In Pluteolum me nonnunquam contuli, ac optimos ac fidiſſimos amicos Iuris Conſultorum vetuſtiſſimorum codices conſulens, ac igenioli mei imbecillitate fretus, opuſculum hoc edidi, & devovi, tuo Clementiſſimo Nomini, noluique prius in apertum prodiret, quam à te viſum & perlectum ſit, correctum & emendatum, & tuæ Sacræ Majeſtatis autoritate confirmatum, poſſit in publicam lectionem devenire. Nec mihi illud arrogo neminem potuiſſe perfectius & elimatius hoc honore fungi, ſed arbitror non eſſe penitus indignum laude ſtudioſiſſimum laborem meum, & lucubratam induſtriam, dirigendi ac enucleandi, quæ prius de Feudis jura indiſtincta & indigeſta pleriſque gravibus viris videri poterant. Reliquum erit Sereniſſime Princeps, & huic Clariſſimæ Vrbi, & hujus excellenti magiſtratui, & huic almæ Vniverſitati, mihique ejus filio, Tuæ autem Majeſtatis fideliſſimo Servitori, æque afficiatur Clementia tua, ac illis affici ſolet, qui virtute, bonis artibus, egregiis diſciplinis, atq; gloriæ cupiditate cum cæteris omnibus aſſidue contendunt.* Liquet hinc, etiam melioribus Codicibus, quam alii, uſum fuiſſe Antonium Mericutium, ut non ſola Methodo & diligentia, ſed & aliunde commendari mereatur, & adhiberi utiliter poſſit emendandis libris Feudorum, qui hactenus in Corpore Juris leguntur, qui nimis ſæpe, etiam ſecundum editionem Gothofredi à manuſcriptis libris ac editionibus tribus Feudorum antiquiſſimis, una quæ nec annum quo typis edita eſt additum habet, altera Baſilienſi anno 1478. tertia Veneta Baptiſtæ de Tortis anni 1497. (quod conferendo notavimus) interdum in magni momenti negotiis diſcedunt.

XXVI. In capitulis Juris Feudalis, diſcrepantes aliquando opiniones uno eodemque capite referuntur, nec additur quam probet Feudiſta. Quid ergo cui ſententiæ ſtabitur? Indiſtincte & Univerſaliter hic aliquid aſſeri non poteſt, & probanda videtur ideo Regula Carpzovii, *Diſp. 1. Feudali th. 22. In dubio eam ſententiam apprehendendam*

dam esse, quæ rationi Iuris Feudalis aliisque textibus convenientior est. Si tamen ex eo quod plerumque fit, Regula, ut alias in jure fieri consuevit, constituenda sit, non dubitamus, eum qui Capita hæc omnia contulerit, reperturum, plerumque opinionem reprobatam, ultimo loco collocatam; quod observat Camerarius in *cap. Imperialem p.246.* Hartm. Pistoris *lib. 2. quæst. 25. num. 30. & quæst. 32. n. 2.* Rosenthal *in Synopsi Feudali cap. 7. concl. 35. n. 7. & cap. 10. concl. 42. n. 39.* Georgius Schultz JCtus Wittebergensis *Synops. Juris Feudalis cap. 1. n. 23.* Dn. Struvius, *Syntagm. Feudali cap.* 1. *n.* 16. Gothofredus Suevus *Disp. Feudali c. 1. th.* 10. Kleinschmidt *de Præcognitis Jurisprudentiæ tract. 4. sect. XI. n. 87.* Et sole alicubi suam sententiam priori loco referre Obertus; quam non censendus est ipse improbasse: vid. Hartm. Pistoris *dicta quæst. 32. n. 2.* Quod opponi potest, esse ubi posterior præferatur, ad exceptionem, non regulam pertinet. Illud vero ex *l. ult. ff. de Constit. Principum* posteriora derogare prioribus, de tempore, non de Ordine posterioribus intelligendum, JCti consentiunt. Et in ipso alioquin Justinianeo jure, Novellæ nonnullæ, ordine priores, posterioribus, sed tempore prioribus derogant.

XXVII. Qui lege Justinianea, intentionem suam probat, an præterea etiam, inter tot abrogatas vel non receptas leges, probare tenebitur observantiam? Ita existimare videntur ex JCtis & Moralistis illi, qui acceptationem populi, ad id, ut lex perfecta constituatur, & vim habeat obligandi, necessariam existimant: ut Covarruvias *lib.* 1. *var. c.* 16. *n.* 6. Azorius *Instit. Moralium tom.* 1. *l. 5. c. 4. qst.* 1. *& q. 5. in fine.* Bonacina *disp.* 1. *de Legibus qst.* 1. *punct. 4. n. 27.* quorum rationes collegit Castro Palao *Operis Moralis part.* 1. *tract. 3. disp.* 1. *punct.* 13. *n. 7.* Adde, quæ non ex sua sed aliorum mente pro hac opinione affert Carpzovius *part. 2. Decis.* 101. Verior tamen illorum opinio, qui contrarium sentiunt, nec eam acceptationis hujus necessitatem faciunt, & ideo eum, qui lege hujusmodi nititur, ad probandam ejus observantiam non adstringunt; sed causam ipsum tamdiu fundatam habere asserunt, donec adversarius posterius Jus scriptum, vel consuetudinē, aut pactum contrarium ostendat. Quod præter ea quæ Castro Palao dicto loco adduxit argmenta, etiam probant textus Ordinationis Cameralis, & Aulicæ, quibus secundúm Jus commune pronuntiare jubentur su-

premorum Imperii Judiciorum Assessores, donec lex provincialis, vel consuetudo alia ostendatur, vid. *Ord. Cameral. part. 1. tit. 13.* & *Ferdinandi IV. Ord. Judicii Aulici de anno 1654. tit. ult.* adde *l. 2. C. de diversis rescriptis & Pragmaticis sanctionibus*: ubi Claudius Imperator: *Falso adseveratur, auctoritatem rescriptorum evoluto spatio anni obtinere firmitatem suam non oportere, cum ea quæ ad Ius rescribuntur, perennia esse debeant, si modo tempus in quo allegari vel audiri debent, non sit comprehensum & l. 32. §. ult. C. de appell.* Con-Carpzovium *part. 2. decis.* 101. *tota. Loccamer. Quæst. Novo Iustin. Quæst. 2.*

XXVIII. Decretorum Collectores ante Gratianum, imò & Ivonem & Burchardum fuere plures, de quibus cum alii tum diligenter etiam egit Hermannus Conringius, de *Origine Juris Germanici.* Nemo tamen hactenus, quod sciam, mentionem fecit Operis Jarlandi Chrysopolitani, cui titulus est Candela, quodque libris, viginti duobus distinctum, & è Pontificum Decretis, & Patrum scriptis consarcinatum, manuscriptum sæpe vidi in Bibliotheca eximia, quæ plus quàm mille quingentos Codices MSStos continet, Canonicorum ad S. Victorem Lutetiæ Parisiorum, volumine 819. Additur in Codice vixisse Jarlandũ hunc ante An. 800. & quod excedit. Cæterum neglecti hi omnes collectores fuere post Gratianum. De ejus decreto sæpe quæritur, an secus? Accepisse volunt; Cardinalis Tuschus *Practicarum concl. tom. 2. lit. D. Concl.* 110. *n.* 1. ubi illud, à Sixto III. ac Gregorio XIII. Pontificibus, approbatum ait. Petrus Gregorius Tholosanus, in *part. Iur. Canon. lib. 1. tit. 1. c. 1. n. 16.* Johann Hornius von Axel *in proœmio Compendii Iuris Canonici.* Sebastian Medices *tract. de LL. part. 1. qst 3. n. 9.* Franciscus Valens *in concordia Iuris Pontificii cum Cæs. in prælus. c. 7.* At autoritatem ei tum saltem concedunt alii, si cum fonte conveniat, Sacræ Scripturæ non adversetur, nec abrogatum sit: nec tunc aliam, quam quæ est fontium, unde profecta sunt Gratiani ista, illi tribuunt. Quomodo sentiunt Antonius *præfat. in Canon. pœnitentialem*, Canisius in *summa Iuris canonici ad tit. de Spons. & Matrimoniis not.* 10. Layman *Theologiæ Moralis l. 1. tract. 4. c. 6. §. 3.* ubi ita sentire *Suares. Maj. & Rodriquetz*, monet Gentilis, *de lib. Iuris Canon. c. 2.* Martinus Delrio *è societate Jesu, Disquis. Magic. lib. V. sect. 16. p. mihi 852.* Cui sententiæ, ut veriori, cum Juris Consultis Augustanæ Confessionis aliis, & nos subscribimus.

DE IMPERII RECESSIBUS
Von Reichs Abscheiden.

Præfatio.

CUm animum induxissem, ante discessum ex Academiâ hac, de Materia quadam Juris Publici cum Commilitonibus publicè disserere, commodum in mentem venit, in Imperio nostro, inprimis fas esse, quid sint, qui vulgò vocantur Recessus, nostris Reichs Abscheid / rectè compertum habere. Si enim in Republica præcipua Practicæ Philosophiæ illa est consideratio, quæ circa Jura Majestatis versatur, inter quæ eminet illa, quæ est circa leges potestas; facile patet non leve esse operæ pretium, de his, utpote, quæ cum Legibus in Comitiis latis idem sunt, disquirere. Quamvis autem non nisi pauca hujus materiæ attingant singuli Juris Publici Scriptores, non tamen quenquam temerè id in argumentum trahere posse autumo, quasi quidquam ideò decedat dignitati ejus, quod addere potiùs aliquid videtur, rectè rem perpendentium Judicio. A vobis autem

tem Lectores Benevoli, tanto promptiorem mihi promitto veniam, ſi non omnia ubique acu tetigiſſe in re minus hactenus explicata viſus fuero.

I.

GErmanos antiquiſſimis temporibus, cum Galliæ, Britanniæ, Hiſpaniæ, ac Illyrici primis habitatoribus, originem, gentem, linguam celticam, Græcis ita appellatam, communia habuiſſe, poſt eruditiſſimam Philippi Cluveri operam, in Germaniæ Antiquæ deſcriptione *libr. 1. cap. 5. & ſeqq. nonnullis*, nemo temerè dubitat. At communes, quamvis uni, in tot tamen ampliſſima ſpatia diviſæ Genti, Conventus, vel Comitiorum Decreta, nemo antiquorum tribuit. Indè Celtæ diverſis paulatim nominibus diſtingui cœpere, ac inter eos, quos recentiori, ac paulo ante Taciti ætatem nato nomine, Germanos dicimus, multis ſeculis ante, (obſervante eodem Cluverio) Theutiſci appellati ſunt. Suos illis deinceps, à reliquis diverſas, ut ditiones, ita linguam, Principes, Reſpublicas fuiſſe, ſatis conſenſu autorum liquet. Nec vel ſic tamen omnes Germani unius Imperii vinculo conjuncti vixere, diviſi enim & ipſi iterum, in populos plurimos, Tacito ex antiquis, ex recentioribus Cluverio exactè commemoratos, tot ferè Reſpublicas, quot populos diverſos habuere. Singulis ſui quidam conventus, Concilia appellat Tacitus, *libro de Moribus Germanorum*, fuere. Nec ea unius generis. *De minoribus*, inquit, *rebus, principes conſultant, de majoribus omnes, ita tamen, ut ea quoque quorum penes plebem arbitrium eſt, apud Principes prætractentur.* Ita enim legimus ex Hugonis Grotii correctione, ubi vulgati libri habent pertractentur, quod ſenſum congruum non exprimit. Univerſorum ergò aliqua fuerunt; totius populi, Principum & Seniorum reliqua. Non eſt verò dubium, excepiſſe hos conventus, Decreta quædam, conſenſu illorum, qui partem eorum faciebant, probata, quæ hodiè, ex mutuâ illa conventione, Receſſus, barbaro vocabulo appellamus. Quin commemorat etiam Tacitus, quid in illis ageretur, ac definiretur. Inter plura alia, quæ ibi legi poſſunt; *Eliguntur*, ait, *in iisdem conciliis*

ciliis & Principes, qui jura per pagos vicosque reddant. Sed particularia illa gentis alicujus inter Germanos, non Germanorum omnium conventus & Comitiorum Decreta fuisse, satis patet. Ut indè quidem ad Originem vel Comitiorum nostrorum universalium, vel Recessuum Imperii concludere, vix integrum sit.

II. Melchior Goldastus Haimensfeldius, *in præfatione*, quam præmisit tomo tertio Imperatorum, Augustorum, Cæsarum ac Regum S. Imperii Romano Theutonici Recessuum, Constitutionum, &c. *ad Jacobum Angliæ Regem*, agnoscit quidem Germanicas gentes sub nullo certo, aut publico Imperio, in nationes divisas, quasque suis moribus & consuetudinibus, sua libertate, sub Regum (ut vocat) gulorum ditione vixisse. Cæterum belli tempestate ingruente, aut necessitate aliqua exigente, cunctos Rgees atque Principes de Republica deliberaturos indictis Comitiis concurrere solitos in comune consulentes, quid opus facto foret, ac ibi, comunibus Regum ac populorum suffragiis, Imperatorem creari solitum, autumat. Ita à Germanis & Gallis, tempore Julii Cæsaris, Ariovistum electum Imperatorem contra Romanos, ita Augusti ævo, Harminio Cheruscorum Regi Imperium collatum, atque ita Alaricum, Redagusum, Gothos, Godegisilum Vandalorum Attilam Hunnorum Reges communi in Comitiis Generalibus Germanorum, sæpè etiam accedentium aliorum populorum consensu electos, ac cum summa potestate rei militari præfectos, fuisse. Sed fallitur vir doctus, & quod à Germanis omnibus electos putat Duces, qui nonnullarum solum nationum consensu Principes ipsorum erant: & quod in Comitiis universalibus factum putat, quod in particularibus solum illarum nationum, vel nonnullarum, Imperio, aut fœdere junctarum, conventibus. Quod si probasset etiam, convenisse illo rerum statu ex Germaniæ populis omnibus, ad hos conventus, selectos, id non ex vi communis Imperii, aut necessitatis alicujus factum; sed arbitrii & libertatis meræ fuisset, ac fœderatorum conventus aliquis potius, quàm Imperii unius comitia, ac quæ concludere placuisset, fœdus vicinarum & lingua communi junctarum nationum unius gentis. non Recessus Imperii, jure meritoque appellari potuissent.

III. Cæterum, Francis deinceps paulatim inter Germanicas gentes, caput præ reliquis efferentibus, propiùs nonnihil perveniri posse videtur ad conventus, qui speciem Comitiorum universalium referunt, adeoque quod indè consequens, originem Recessuum Imperii Germanici. Insederant illi jam pridem, ac florentibus adhuc Romanorum rebus, eximiam Germaniæ partem, quæ hodieque Franconiæ nomine venit, à Boiohemo usque cis Thiringorum saltum, in Saxoniam usq; interiorem patentem: quibus deinceps etiam accessione Chamavorum, Bructarorum, & Ampsi variorum, additi incolæ provinciarum à Ducatu Bergensi in Wurtebergensem usque; tum victis Alemannis Suevia, Helvetia, Bavaria, ac superatis Hermenfrido Thuringiæ ac deinceps Rathodo Frisiæ Rege, Thuringia quoque & Frisia accessit. Sed &, quæ Burgundiones & Gothi in Gallia occuparant, iis mox paruerunt. Cum ergò unius Imperio hæ ditiones omnes continerentur, ac unam adeò civitatem, vel Rempublicam constituerent, non dubium, nationes, quæ eo continebantur, Germanicas, publicos etiam ex more gentis habuisse conventus. Quin imò disertè id factum ait, & modum etiam qualem acceperat ex Adelhardi Caroli Magni agnati & Consiliarii libello de ordine palatii describit hinc. Marus Archi-Episcopus Rhemensis ad Franciæ Episcopos, Epist. 3. cap. 29. *Consuetudo*, (scribit) *tunc temporis trita erat, ut non sæpius, sed bis in anno placita duo tenerentur. Unum quando ordinabatur status totius Regni ad anni vertentis spatium: quod ordinatum, nullus eventus rerum, nisi summa necessitas, quæ similiter toti Regno incumbebat, mutabat. In quo placito generalitas universorum Majorum, tam Clericorum, quàm Laicorum conveniebat. Seniores propter consilium ordinandum: Minores propter idem consilium suscipiendum & interdum pariter tractandum, & non ex potestate, sed ex proprio mentis intellectu vel sententiâ confirmandum.* Sigebertus Gemblacensis Monachus, qui seculo 12. vixit, jam ad annum 662. Chronici, adeo observatum etiam statum Comitiorum hujusmodi tempus monet, ut cum reliqua (ut ipse putat,) deficerent à veterum institutis in Regno Francico hoc duraret tamen. *Abhinc*, ait, *Francorum Regibus à solita fortitudine & scientiâ degenerantibus, Regni potentia disponebatur per Majores Domus, Regibus solo nomine regnantibus, quibus moris erat prin-*

principari quidem secundum genus, & nihil agere vel disponere, quàm irrationabiliter, edere & bibere domique morari, & Kalendis Maji præsidere coram tota gente, *& salutare & salutari obsequia & dona accipere & rependere, & sic secum usque ad alium Majum permanere.* Confer observata in eam rem à viris longè doctissimis & harum rerum peritissimis, Hermanno Conringio dissert. *de Germanici Imperii Civibus*, & Lehmanno *in Spirensi Chronico lib. 2. cap. 37.* Sequuntur autem Comitia necessariò Decreta Comitiorum. Extant eorum quædam in Bibliotheca Cardinalis Mazarini Manuscripta. Sed & illorum nonnulla illius ætatis exhibet Goldastus *tom. 3. collectionis Constitut. Imperialium* ubi *p. 117.* legitur. *Recessus sive capitulare Comitiorum Ratisponensium à Carolomanno primo Francorum Principe regnante Childerico II. celebratorum*, ut habet inscriptio: cujus tamen fidem minimè præstamus, imprimis cum Cardinalem Cusanum Decretum hoc tribuere Carolo Magno sciamus, & non statuum omnium, sed Episcoporum saltem nonnullorum in iis sit mentio. Exhibet insuper *Decretum Comitiorum Liftinensium*, eodem Carolomanno rerum potiente, & *Recessus sive Capitulare Comitiorum Metensium à Pipino Francorum Rege anno 755.* celebratorum.

IV. Neque tamen vel hæc Comitia universæ Germaniæ Comitia, neque Decreta eorum Recessus Imperii Germanici universi dici posse existimamus, quod illâ quidem ætate Saxones, ac qui eo nomine continebantur Ostphali Westphali, & Angrivarii ac Pannonia superior Francico nondum cessissent Imperio. *Saxonia autem non modica est Germaniæ pars. & ad eam, quæ Francis incolitur latitudine dupla putatur, cum longitudine possit esse consimilis*, ut ipse Eginhardus Cancellarius Caroli Magni Imper. in vita ejus memoriæ prodidit. Partis ergò Germanorum Decreta hæc erant non Universales Recessus Imperii totius Germanici. At Saxonibus, & Pannonia, ac quidquid restabat Germanici nominis, felicibus armis Caroli Magni in unum corpus Francici Imperii collectis, sub uno jam Imperatore & Rege Germania vivere cœpit. Eginhardus, non ante desiisse à cruentissimo bello cum Francis Saxones, commemorat, quàm propositâ à Rege conditione inter alia, *ut Francis adunati unus cum eis populus efficerentur.*

Au-

Autor Anonymus, qui carmine descripsit Caroli Magni tempora, ad annum 803. *permissi legibus uti*

Saxones patriis & libertatis honore.
Hoc sunt postremo sociati fœdere Francis,
Ut gens & populus fieret concorditer unus.

V. Ex hoc ergò tempore Germanorum universales Conventus, ostendit vetus Historia. At cùm non Germaniæ solùm, sed & Galliæ & Italiæ Regna Francici juris tum essent, non Germaniæ solùm, sed trium horum Regnorum hos Conventus fuisse liquet, ac quod indè consequitur etiam Recessus non solius Germaniæ, quod rectè observat diligentissimus Goldastus Præf. in tom. tertium, qui Generalia Comitia omnium horum Regnorum conventus, Particularia, unius Regni membrorum conventus indigitat. *Particularia*, verba ipsius sunt, *Comitia*, quæ *nostris moribus sola nunc obtinent*, *singulorum fuere privatim Regnorum.* Addit deinceps ea, de quibus in Generalibus Conventibus communi consensu convenerat, Latinè, Germanicè, ac Gallicè promulgari, consueti fuisse moris, ac appellata esse Capitula; Illa verò, quæ singulorum Regnorum essent Decreta, Denunciationes dictas; non modò, quòd ea populo denuntiarentur, verùm etiam, quod Rex vicinis sociis, & amicis Regibus, ut in Regnis quoque suis publicarentur auctoritateque sua confirmarent, denuntiarit, qui mos inter Germaniæ inprimis & Galliæ Reges admodum solennis ipsi fuisse dicitur. Quod tamen, undè acceperit nobis non constat, ac suo ideò illa loco relinquimus. Recessus hujusmodi Caroli Magni exhibet plures Goldastus tom. inprimis tertio à pag. 120. usque ad 159. quod omnes genuinos tamen esse vix quisquam erudito lectori persuaserit. Atque hic jam primùm universa Germania, & ex omnibus ejus Provinciis aliqui, Comitiis publicis interfuere, & primum illa universa pro legibus habuit, totius Imperii Germanici Comitiorum Decreta. Primaque haud dubiè est illa Recessuum Origo. Sive enim communes illis cum Longobardis & Francis aliquis hoc nomine appellare velit, sive particulares, Denuntiationes dictas Goldasto, hanc ætatem habent. Variè deinceps se res habuit, dum Ludovici Germanici ætate soli Germani non intermixtis aliis popu-

populis sua Comitia, suos peculiaris Imperii Recessus, dein conjuncti cum Lotharingiæ Regno, communes cum illius incolis habuere, separatas tamen à rationibus Gallorum, quod postremum saltem post millesimum annum obtinuisse, agnoscit etiam Goldastus in *præfat. ad Sereniss. Britanniæ Regem.* ad totum 3tium.

VI. Decreta hæc Comitiorum, Recessus, vulgato, sed barbaro vocabulo dicta, ut rectè post Goldastum in Replica pro Imperio *c. 10. v. 104.* monet Lymnæus. *tom. 4. Iuris publici ad n. 194.* Germanis Reichs-Abschied definit Daniel *Otto Dissertationis Iuridico Politicæ de Iure publico Imperii Romani cap. 12. ex Bortio*: quod sint *communes, Reipublicæ, seu Imperatoris & statuum sponsiones, ad ipsam administrationem spectantes.* Ad eundem ferè modum Brautlach *in Epitome Iurisprudentiæ publicæ universæ lib. 1. cap. 1. n. 20.* sunt, ait, *communes Reipublicæ seu Imperatoris & statuum sponsiones, ad ipsam Imperii administrationem & gubernationem ab Imperatoribus, & Imperii statibus variis in Comitiis sancitæ.* Cujus verba sua fecit etiam Besoldus thesauro Practico voce Reichs-Abschied/& Adamus Riccius, JCtus & Regiomontanæ Academiæ primarius Professor in tractatu de *librorum Iuris Romani quantitate & qualitate p. 256.* Cæterùm ut per sponsionem statuum mutuam constituantur Recessus; non tamen ipsa sponsio, sed quod ex sponsione nascitur Recessus fuerit. Sed & ex aliis causis definitionem improbant, tum Gothofredus Fibigius *Electorum Iuris publici Semidecade 8. quæst. 2. n. 19. & seqq.* cumque sequutus Magnificus Dominus Johan. Helvicus Schürzius Cæsareæ Majestatis Consiliarius & supremi Imperii Judicii Assessor in *Collegio Iuris publici* manuscripto *tit. 1. in Expositione positionis 23.* Quare Fibigius describit Recessus, quod sint *leges, de iis, quæ ad Reipublicæ administrationem spectant negotiis, Cæsaris statuumque consensu constitutæ, & ab Imperatore solo promulgatæ*; In qua duo præcipuè nobis minimè se probant, 1. quod ad ea negotia, quæ ad administrationem Reipublicæ spectant Recessus restringat, cum etiam ad constituendam & augendam Rempublicam continere possint quædam, & contineant interdum. 2. Promulgationem vel publicationem soli Imperatori adscribat, quod tamen perpetuum & universale non esse pridem monuerunt alii Jurispublici Scriptores, & probare contendunt

dunt verbis proœmii Ordinationis Cameralis de anno 1555. in fine ibi: **welche mit Raht/Zuthun und Vergleich der Churfürsten / Fürsten/und der Stände/durch eine sondere** Constitution **in das heilige Reich** publicir**et worden.** Describi commodius videntur, quod sint, leges universales in Comitiis Imperii Germanici, ab iis, qui jus ferendi habent, legitimè constitutæ, & promulgatæ. Universales autem leges appellamus, non quod omnes Imperii subditos, omnes Recessus obstringant, cum quædam iis contineantur, quæ concepta sint in certum personarum genus; sed quod normam omnibus in Imperio viventibus, ejus ordinis præscribant. Unde dicantur Recessus, ambiguum est. Dn. Johan. Otto Tabor eleganti sarcasmo hanc quæstionem jocabundum non neminem resolvisse tradit. *Racemat. Crim. p. 439.* quod ab illis multi recedere, nec quisquam iis morem gerere amet. Gothofredus Fibigius *Elect. Iurispr. semidec. 8. quæst. 2. n. 14.* quod sint *instar secretorum Imperii Recessus animorum, sive cogitationes reconditæ Cæsaris statuumque Imperii; vel quod per eas à variis discensionibus recedatur,* appellatas existimat. Dn. Johan. Helvicus Schützius *d. l.* quod *sub ipsum dicessum vel Recessum, seu post consultationes & deliberationes finitas, constituantur atque deinceps discedatur,* appellatas judicat. Nobis levioris operæ videtur in ista inquirere, quàm ut multùm occupare studiosam alicujus industriam debeant. Appellantur alio nomine Imperii Constitutiones. Quod vocabulum idem significare cum Recessibus notat Besoldt. *Thesauro Practico* voce **R. A.** Reinkingh. *de Regimine secul. & Ecclesiastico l. 2. class. 2. c. 5. n. 46.* Struvius *ad tit. ff. d. Constit. Principum th. 33.* Recessus Comitiorum, Reinking. *d. l.* Ordinationes Imperii. Struvius *d. l.* Germanicè **Reichs-Abscheid / Reichstags-Abschiede** post pl. Fibigius in Elect. d. *quæst. n.* 12. **Reichs-Satzungen** / Reinkingh. *d. l.* **Reichs Ordnungen**/Struvius *d. l.* **Reichstags-Ordnung**/Fibig. *d. l.* Quã varia significet Recessus attingere præter rem fuerit, sublata jam per definitionem ejus, si quæ est, ambiguitate; qui id quoque scire expetit, adeat Fibigium dicta *quæst.* 2

VII. Unde liquet, rectè Bullam Auream inter Jmperii Recessus referri. Eam enim in Comitiis Germanicis ab Imperatore & Statibus

bus latam, controversia vacat, ex verbis ult. *proœmii* ibi, *in solenni Curia nostra Nurembergh, assidentibus, nobis omnibus Principibus Electoribus, Ecclesiasticis & Secularibus, ac aliorum Principum, Comitum, Baronum, Procerum, Nobilium, & Civitatum multitudine numerosa &c. matura deliberatione prævia.* Confer definitionem Bullæ aureæ Dn. Georg. Theodori Dieterici *in Notis ad Auream Bullam p. 3.* Atque ita sentire videtur Brautlach, *in Epitome lib. 1. cap. 1. n.* 18. Ubi *Constitutiones*, ait, *de Jure & statu publico latæ potissimum in Aurea Bulla & reliquis novissimis Imperii Recessibus consistunt.* Wehnerus in Practicis observationibus, voce Reichstag. p. mihi 417. in verbis. *Olim ex Area Bulla Caroli quarti patet solos Reges vel Imperatores Decreta Imperii,* Reichs Abschiede / *signasse.* adde Riccium Tractat. *de librorum Juris Romani quantitate & qualitate p. 257.* Atque in hanc sententiam convenire videntur etiam omnes illi, qui Constitutiones & Ordinationes Imperii idem quod Recessus Imperii notare volunt, quales Besoldus Reinkinghius, Struvius, alii. Ast distinguere eam à Recessibus Imperii videtur vulgaris loquendi usus, & ex Scriptoribus Juris publici Fibigius, qui interdũ Fundamentales leges, ac Auream Bullam & Capitulationem Recessibus opponit, ut facit *semidec. 4. quæst. 4. n. 11. & n. 12. & semidec. 8. quæst. 3. num.* 19. A qua sententia vix discedere videtur Lymnæus *in Observationibus ad proœmium Aureæ Bullæ editis, observ. 22. & 23.* ibi enim, & descriptionem Bullæ Aureæ Domini Dieterici rejicit, & in nonnullis cum solis Electoribus Imperatorem negotium communicasse ait. Sed & Lymnæi ista non firmo talo consistunt, & Fibigius sibi *semidecade 4. quæst. 5.* ipse contradicit. Quærit enim ibi, *utrum Constitutiones LL. Imperii, nimirum Auream Bullam, Pacem Religiosam & profanam, Capitulationem Imperatoriam, Cæterosque Recessus Imperii abrogare liceat?* Sanè Conscriptores ultimæ Ordinat. Judicii Aulici sub nomine aller Reichs. Abschied complecti etiam Bullam Auream docet §. *penult.* so sollen auch unsere 2c.

VIII. De Capitulationibus antiquioribus, vix aliquis certò affirmaverit, eas propriè pertinere ad Imperii Recessus. At postquam Instrumento Pacis Cæsareo Suecico *art. 8.* §. *Habeantur*, &c.

 cau-

cautum est, quod subjicimus: *In proximis Comitiis emendentur inprimis anteriorum Conventuum defectus, ac tum quoque de Electione Romanorum Regum certa constantique Cæsarea Capitulatione constituenda &c. ex communi statuum consensu agatur & statuatur*: & insequentibus duabus Capitulationibus Ferdinandi IV. & Leopoldi Invictissimi Imperatoris, *in proœmio & fine Capitulationis*, verba illa leguntur, daß wir uns demnach auß freyem gnädigen Willen / mit denselben unsern lieben Neven / Oheimen und Churfürsten / vor sich und samentliche Fürsten und Stände des Heil. Römischen Reichs / dieser nachfolgenden articul gnädig und pactsweise vereiniget / vertragen und angenommen / verglichen und zugesagt haben / & in fine utriusque, art. ult. Solches alles und jedes haben wir Römischer König den gedachten Churfürsten vor sich und im Namen des Heiligen Römischen Reichs geredet / versprochen: quæ in reliquis prioribus, ubique omissa esse palam est; hodiè, siquidem etiam monitorum quæ ad Capitulationem Ferdinandi IV. & Leopoldi exhibita à Statibus esse meminimus, legitimè ratio habita fuerit, eas inter Recessus computare minimè veremur.

IX. Constitutiones Pacis Religiosæ & Profanæ, ad Recessus ex eadem causa spectant, quod & ipsæ in Comitiis & Cæsaris statuumque consensu promulgatæ in vim legis universalis hodiè observari debeant. Reichs-Abschied de anno 1555. §. Zu solcher vorgezogener Berathschlagung: Reichs-Abschied de Anno 1557. §. und als der Churfürsten. *& seq.* R. A. de Anno 1559. §. Dieweil aber dasselbige: R. A. de Anno 1566. §. Und nachdem dann. R. A. de Anno 1582. §. Welche von wegen aller Churfürsten. Et R. A. zu Regenspurg de Anno 1594. §. Was dann wir: R. A. zu Regenspurg de Anno 1613. §. So seynd wir auch. Quod ipsum etiam in omnibus indè à tempore Ferdinandi I. conscriptis Capitulationibus cernere est, & in novissima Leopoldi Imperatoris artic. 2. ibi: den Frieden in Religion und Profan Sachen / den Landfrieden sampt der Handhabung desselben wie auff dem zu Augspurg im Jahr 1555. gehaltenem Reichstag auffgerichtet / angenommen verabschiedet und verbessert / auch in denen darauff erfolgten Reichs-Abschieden wi-

der-

derholet und confirmirt worden. Et in Instrumento Pacis *Cæsareo Suecico art. 5. verſ. 1.* ibi: *Transactio Anno 1552. Passavii inita, & hanc anno 1555. sequuta pax Religionis, prout ea anno 1556. Augustæ Vindelicorum, & post in diversis Sacri Imperii Romani Comitiis universalibus confirmata fuit, in omnibus suis Capitulis, unanimi Imperatoris, Electorum, Principum ac Statuum utriusque Religionis consensu initis, & conclusis, rata habeatur, sanctéque & inviolabiter observetur.* Transactio tamen illa Anni 1552. ante annum 1555. quo à Statibus omnibus in Comitiis probata fuit, Recessus Imperii dici nondum potuit, utpote de qua inter Imperatorem solum & Mauritium Electorem convenerit, non etiam status reliquos, quorum deinceps deliberationes & conclusiones circa negotium hoc excepit Recessus de Anno 1555. Ut rectissimè, & ex sententia Imperii Recessuum ac Instrumenti Pacis nobis scripsisse alicubi videatur vir Doctus. *Mansisse Transactionem Passaviensem intra terminos privatæ alicujus compositionis inter belligerantes utrinq; partes. Quare ea, quæ publicum Imperii statū concernebant, ad futura Comitia rejecta sunt. Nec Transactio hæc nomē Constitutionis universalis sibi unquam arrogavit, aut Recessibus Imperii inserta est. Falluntur ergò qui in hac transactione Pacis Religiosæ fundamentum quærunt: cum illud potius in Recessu Comitiorum Augustanorum Anno 1555. habitorum investigandum sit.* Instrumentum Pacis Cæsareo Suecicum, & Cæsareo Gallicum, & ipsa inter Recessus hodiè Jure meritoque referri, docet ultimus Recessus de Anno 1654. cujus partem facit præcipuam, & subscriptio ac approbatio statuum in Comitiis anni illius. Quo eodem jure censentur etiam, Arctior Exequendi modus, & Recessus Executionis Norimbergensis. De Ordinatione Cameræ, Ordinationibus quæ vocantur Policey Ordnung/ Müntz-Ordnung/ des Regiments-Ordnung/ & ejus generis aliis res etiam minus dubii habet.

X. Distingui possunt in Recessus Comitiorum Universalium, & Particularium. Universalium Comitiorum illos dicimus, qui concipiuntur in Comitiis Generalibus, ad quæ omnes status convocantur. De quibus integro tractatu ferè agit Arumæus, Bertram, Schütz. *Disp. ult. tom. 1.* Limnæus *lib. 9. cap. 1.* & in *additionum tomis duobus.*

Particularia, quæ concipiuntur in Commitiis, ubi non omnes Imperii Status, sed eorum duntaxat aliqui conveniunt, qui vicem tamen omnium sustineant. Tales sunt Recessus, qui continent conclusa in Comitiis Deputatorum Deputationstägen / ac sub nomine Abscheide der Deputationstägen in Recessibus Imperii leguntur. Cæterùm de Comitiis his multa admonere disputationis modus & temporis ratio non permittit. Videatur de iis Recessus Augustanus de anno 1555. §. so sich dann abermals: & Decretum Augustanum de anno 1559. §. Auff daß dann dißfals: Recessus Spirensis de anno 1570. §. Und damit: Artic. 5. Instrumenti Pacis vers. 18. Reichs-Abschied zu Regenspurg / de anno 1654. §. Und dieweil / rc. Speidelius *in Speculo*, Besordus *in Thesauro Practico*, & Wehnerus in *Observat, Pract. voce* Deputationstagh / Lampadius *de Republica Roman. German. cap. 8. n.* 18. Paurmeisterus *de jurisdictione Imperii Germanici lib. 2. cap. 2. n.* 115. *usque ad 120.* Arumæus *de Comitiis lib.* 1. *cap. 2. n. 32. & seqq.* Lymnæus *libr. 9. cap.* 1. *num. 233. & seqq.* & ibi *tom. 2. addit.*

XI. Atque his collatis patet, primam anno 1555. originem debere hos conventus, ideò, ut poscente negotiorum variorum mole & gravitate, opem Imperii expeditiorem quàm ut Comitiorum universalium conventus exspectari queat, à Cæsare & Ordinibus delecti Deputati, (quorum personalia circa initia erant, nunc in heredes successoria sunt officia) evocati Francofurtum regulariter, loco Imperatoris à Moguntino Electore, de his negotiis deliberent, ut postquam convenerunt in unam sententiam, Recessus Deputationis in Imperio publicetur. Causæ ordinariæ esse consueverunt, si graves adeò motus in Imperio oriantur, quibus compescendis vires unius trium vel quinque circulorum non sufficiant. Consueverunt enim tunc Capitanei hujusmodi Circulorum, si opus esse censeant universorum Circulorum subsidio, cum Legatis & Adjunctis ejus rei Electorem Moguntinum admonere. Aliquando tamen extra ordinem ex Imperii Comitiis negotia quædam eo remittuntur, quod nuperrimè factum docet Recessus Imperii de anno 1654. §. den zweyten Punct unsere Kays. Proposition, in fine & init. §. seqq. Deputati anno 1555. erant, Legatus Cæsareus, sex reliqui præter Bohemiæ Regem Electores, Ferdinan-

nandus Austriacus, Melchior Wurtzburgensis, Wilhelmus Monasteriensis Episcopi, Albertus Bavariæ Dux; ex Prælatis Gerwigius Abbas Weingartensis & Ochsenhusanus; ex Comitum & Baronum Ordine, Fridericus Comes Furstenbergensis; ex liberis imperii Civitatibus, Colonia & Norimberga. His anno 1559. quo & hereditarium factum hoc munus est, Dux Juliacensis, & Landtgravius Hassiæ, Anno 1570. Constantiensis Episcopus, Dux Burgundiæ, Julius Brunsvicensis, Johannes Fridericus Pomeraniæ, Duces accessere. Atque nuper anno 1654. ut docet Recessus, etiam Princeps Saxo Altenburgicus, Brandenburgensis lineæ Culmbacensis, Würtembergicus ac Meklenburgicus, unus ex Comitibus Wetteravicis, & Civitates, Aquisgranum, Uberlinga Argentoratum, & Ratispona additi. Modus tractandi idem qui in Comitiis universalibus. Paurmeisterus suo tempore observatum ait, ut universi in duas classes discederent, Electorum ac Principum, ac ut in singulis classibus singuli viritim sententiam dicerent. Ut autem aliquid statuatur, necesse esse convenire secum & cum Legato Imperatoris duas hasce classes ibi existimat. At nostrâ ætate non leviter ea de re disceptatum est, dum Electores distinctionem hanc suæ classis in Comitiis Deputatorum etiam deinceps observare ac separato Collegio agere nituntur, Principibus hoc impugnantibus, quâ de re vide Limnæum plurima tractantem *tom 2, addit. lib. 9. cap.* 1. *ad num. 239.* & Speidelium voce Deputationstäge in fine. Res nondum composita, sed in Comitia alia rejecta est. Interim Decreta Deputationis Conventus, die Abschiede der Reichs-Deputation / eandem cum aliis Imperii Recessibus autoritatem habent: *Recess. Imperii de Anno* 1594. §. was und so viel aber dieselbige seyen / Arumæus *de Comitiis cap. 2. n. 33.* Limnæus *de jure publico libr. 9. cap.* 1. *n.* 239.

XII. Locus quoque inter Imperii Recessus est Recessibus Visitationum, den Visitations Abschieden. Et illi enim fiunt in Conventu Imperatoris, & statuum nonnullorum Deputatorum. De quo vide Ordinat. Cam. *p.* 1. *art 50.* Neues Concept. der Cammergerichts-Ordnung/ꝛc. *part.* 1. *art. 64.* Arumæum *de Comitiis cap.* 2. *n. 48.* Denaisium *voce visitatio Cameræ* Casparum Wilhelmum Scipionem in traditis è Manuscripto celeberrimi cujusdã Assessoris Cameræ in Methodo Juris

Came-

Cameralis *dictâ voce*. Et extat inter Recessus Imperii hujusmodi Recessus Visitationis de anno 1531. Incipit von Gottes Gnaden wir Marquart vom Stein / ꝛc. & de anno 1553. Quamvis autem satis longo tempore & indè ab anno 1582. impeditis hisce conventibus (ut ex ipso Imp. Recessu de anno 1654. §. Nach dem nun die Alten Revisions Sachen / constat) nulli fuerint conscripti tales Recessus; attamen ex eodem §. spem maximam, fore ut brevi restituendi sint, concipere licet; imprimis cum impedimenta, quæ hactenus obicem posuerunt, remota esse per Instrumentum Pacis dicantur, eodem Recess. §. 122. wie man die überhauffte Revisiones zuerledigen / ꝛc. & quod jam de extraordinariis Revisionibus cautum sit, dict. Recessu §. 124. & nominati Revisores in Schemate Subjecto Recessui, ubi in 5. classes dividuntur. Hactenus tamen nullam insecutam vel extraordinariam visitationem, nedum Recessum Visitationis post Recessum anni 1654. satis certi sumus. Miserant quidem secundum dispositionem §. damit dann auch anno 1654. suos Commissarios Episcopus Ratisponensis, & Princeps Megapolitanus; sed cùm reliquorum statuum, qui primam Visitatorum Classem constituunt, nemo adesset, & ipsi re infecta discesserunt, ac caremus adeò satis longo tempore hujusmodi Recessu.

XIII. Distingui Recessus quoque possunt in Primarios, & Secundarios. Neben Abschied / vid Lymn. *tom. 1. annot. ad cap. 1. lib. 9. n. 223.* Concipi solent posterioris generis Recessus, quando in Imperii Comitiis concluduntur quædam, quæ in typis excuso Exemplari, propter certas causas tempore promulgati Recessus ab omnibus adhuc legi nolunt Imperii Status, aut aliis ex causis, & servandi traduntur, Moguntini Electoris Archivo. Extat ejus Exemplum in Comitiis Ratisponensibus in causâ subsidii Turcici anni 1541. §. und nach dem wir sampt Churfürsten &c. ibi mit Churfürsten Fürsten und gemeinen Ständen verglichen und entschlossen / wie solches in einer sondern Schrifft / neben diesem Abschied auffgerichtet eigentlich begriffen ist. Et anno 1555. cujus secundarii Recessus, hæc initialia verba sunt: Die hernach geschriebene artic. so durch die Röm. Kays. Majest. Unsern allergnädigsten Herrn mit Churfürsten / Fürsten und gemeinen Ständen des Reichs / und der abwesenden Rähte Pott-

schaff-

schafften und Gesandten jetzo auff dem Reichstag allhie zu Augspurg abgehandelt / sollen bey der Maintzischen Cantzeley verwahrlich behalten werden / dieweilen sie im Abschied außgelassen worden. Hodiè in ultimâ Editione Recessuum Imperii Moguntina anni 1660. legitur hic Recessus secundarius in prioribus Editionibus omissus p. 655. Atque hujusmodi quid iterum in Comitiis Ratisponensibus factum d. l. monet Lymnæus. Goldast. in Præf. ad tom. 2. Collectionis suæ Recessuum, Leges has Imperii, quos Recessus dicimus, ex materia, de qua agunt, partitur, in æternas, mutabiles, & mixtas. Ad *æternas* refert constitutiones de *rebus ad Religionem spectantibus, de Blasphemis, Anabaptistis* &c. agentes. *Mutabiles*, quas iterum variè distinguit, vocat Constitutiones *de adquirendo rerum Dominio, de contractibus & Obligationibus*, quæ contra *ebrietatem, luxum vestium, Usuras, Monopolia* sancita, de *Iure Electionis in* Imperio de *pactis Electi Imperatoris*, de *Regalibus Imperii*, de *pace publica*, de *Iure successionis*, de *Iurisdictione Statuum Imperii*, de *tributis & decimis*, de *moneta*, de *teloniis*, de *Mensuris & ponderibus*, & id genus aliis agunt, *quæ pro locorum atque temporum mutabili ratione, ut homines sunt, mutari & ipsæ consueverunt*. Tertium genus, *Constitutionum mixtarum*, ex iis efficit, quæ *partim æterna existimantur, quatenus de rebus Divinis præcipiunt, partim mutabiles, cum de rebus moralibus & civilibus constituunt*, cujus ex veteri ævo multa exempla subjicit, & moribus nostris nonnullos ejus generis Recessus haberi ait, qua de re ipse pluribus dicto loco consuli potest.

XIV. Autores Decretorum hujusmodi, non Imperatores soli, sed cum ipsis, Electores, Principes, ac Status alii sunt. Instrumento Pacis Cæsareo Suecico *art. 8. vers. 1. 2. 3. & 4.* ista leguntur: *Electores, Principes & Status Imperii gaudeant sine contradictione Iure Suffragii in omnibus deliberationibus super negotiis Imperii, præsertim ubi leges ferendæ, bellum decernendum, tributa indicenda, delectus aut hospitationes militum instituendæ, nova munimenta intra Statuum ditiones extruenda nomine publico, veterave firmanda præsidiis, nec non ubi pax aut fœdera facienda, aliave ejusmodi negotia peragenda fuerint, nihil horum aut quicquam simile posthac unquam fiat, aut admittatur, nisi de Comitiali libero-*

beroque omnium Imperii Statuum Suffragio & consensu, & versu habeantur 3. ibi, *ex communi Statuum consensu agatur & statuatur*, adde v. 4. ibi: *Tam in universalibus verò quàm in particularibus diætis, liberis Imperii Civitatibus non minus quàm cæteris statibus Imperii competat votũ Decisivum* Capitulatio Leopoldi I. art. 2. ibi: Deßgleichen sollen und wollen wir auch andere des Heiligen Reichs Ordnungen und Gesätze so wohl/ die dem obgemelten angenommenen Reichs-Abschied im 1555. Jahr zu Augspurg auffgerichtet und mehr erwehntem Frieden-Schluß nicht zuwider seyn confirmiren / erneuern/ und dieselbe mit Raht und Consens unser und des Heyl. Reichs Churfürsten / Fürsten und anderer Stände / wie das des Reichs Gelegenheit erfordern wird/ bessern. Undè passim in Imper. Recessibus legere est eos conditos ab Imperatore & Statibus. Ita enim Maximiliani I. Römischer Königl. Majest. Ordnung über die Wein/ de Anno 1497. ibi: sampt unser und des Reichs Churfürsten/ Fürsten Ständen und gemeine Versamlung auff dem Reichstag allhier zu Freyburg gesetzte und geordnete conf. Ordin. Regimenti de an. 1500. in princ. Mit Raht und Zuthun gemeiner des H. Reichs Ständen R. A. zu Speyr. de an. 1510. §. weiters nach dem auch: Reichs-Abschied zu Speyr / Anni 1529. tit. Constitution wider die Widertäuffer/ §. und wir Churfürsten/ Fürsten/ 2c. ubi ista leguntur ipsorum statuum verba: Mit unserem guten Wissen / Willen und Raht fürgenommen und beschlossen seyn / verwilligen auch dieselbe hiemit/ 2c. ac alibi, mit der Stände ermessen und Bewilligung/ Recessus Augustanus Anni 1559. §. Damit dann hinführo im Heyl. Reich / & multis aliis. Unde Recessus hos rectius Imperiales Reichs-Abschiede / quomodo etiam passim nominantur, quàm Imperatorias leges appellari, post Matthiam Stephani, monet Magnificus Dn. Reinkingh. de Reg. Sec. & Eccles. *libr. 2. class. 2. cap. 5. n. 37.* Atque tales etiam in ipsis Recessibus dicuntur. Unde in Recessu anni 1564. §. Haben sie in fine, ista, unser und der Stände Abschied; & in Recessu anni 1567. §. aber doch da sie sich/ illa verba, unser und des H. Reichs Constitutionen/ leguntur. Idque sæpè alias etiam, & extra Comitia, ipsi Imperatores per suos agnovere. Ferdinandus II. enim gloriosissimæ memoriæ Imperator, Legatis Circuli Franconici An. 1629.

28. Au-

28. Augusti respondit: **Es erinnern sich Ihre Käys. Majest. daß indem einige Sachen/da man neue Gesetze und** Constitutiones **auffrichten wolle/deme im Reich Herkomen nach/ solches auff gemeinen Reichsversamlungen** constituirt **werden solle**. Et jussu ejusdem Imperatoris ad literas Electoris Saxonici datas 28. Aprilis Anni 1629. responderunt Consiliarii Aulici: **Neue gesetze können Ihr Majestät nicht machen ohne** consens **der samtlichen Reichsständen:** ut quidem verba recenset Thomas Manlius, in Epistola, Iconismo Aquilæ Romanæ annexa. Undè Vir Jurispublici peritissimus Tobias Paurmeisterus Cancellarius Halberstatensis de Jurisdict. Imperii Romani *lib. 2. cap. 2. num. 52. p. 470. edit. 2. Certum est*, ait, *causam efficientem Decretorum Comitialium, non unicam & absolutam esse Cæsaris voluntatem, sed ejusdem & Ordinum in idem Placitum Consensum, in eoque Ordines tam Ecclesiastici, quam Politici omnes consentiunt.* Autor Autonomiæ Franciscus Burchardus, Cancellarius quondam Archi Episcopi & Electoris Coloniensis, qui multum ac diuturnum earum rerum usum habuit (Author. Parthenii litigiosi, eum vocat Andream **Erstenberger** / *lib. 1. cap. 6. n. 9.*) tam causam efficientem, quàm formam, & ordinem, in ferendis Decretis Imperii, his verbis exactè describit: **Daß der Punct darvon** deliberi**ret werden soll**/ proponirt, **berahtschlaget** / referirt / correferirt / **und durch die jenigen / denen es gebührt/ Reichs-Satzungen zumachen / das ist durch die Käys. und Königl. Maj. auch Chur F. Fürsten und Stände des Reichs beschlossen und verabschiedet werde**. confer Reink. *de Reg. Sec. & Eccl. libr. 2. class. 2. cap. 5. num. 36. & seqq.* Caprz. de lege Regia *cap. 3. sect. 1.* nuperrimè Herm. Hermes in *fascic. Jurispublici c. 36. n. 78.*

XV. Imperator ergò cum Statibus condit Recessus. Aliquando tamen etiam Rex Romanorum, Imperatoris & suo nomine his partibus defungitur vid. Recess. Imperii Norimberg. *de anno. 1542. in princ.* ibi: **Jn Namen der Römisch. Kays. Maj. und für uns selbst:** cujus aliquot sunt inter Imperii Recessus Exempla. Videat, qui dubitat, Friderici III. Reformationem de an. 1442. Quamvis enim typographus, editor Recessuum Imperii, in Inscriptione eum Imperatorem appellet, id frustra fieri tamen, illo adhuc tempore, cum ex ipso Recessu,

cum Historia satis apparet, quibus docemur, cum nondum desiisse ea ætate esse Regem Romanorum. Eadem Ratio est Recessuum tempore Ferd. I. Regis Romanorum adhuc conditorum, vid R. A. zu Speyr/ de anno 1542. & R. A. zu Norimberg/ de anno 1542. Sed & aliquando, si Imperator, vel absit, vel aliis negotiis ipse impediatur interesse Comitiis, Vicarius ipsius cum statibus Imperii Recessus condit. Ita Henricus septimus, cum Italiam peteret, coronationis ergò, Filium Johannem, Bohæmiæ Regem, Vicarium esse voluit. Dubravius *libr. 20. in princ.* qui & Comitia Norimbergæ indixit, in quibus Imperatori adversus Robertum Regem Neapolitanum suppetiæ decretæ fuerunt, Dubravius d. loco. Ubi Recessum ipse & status condidere. Et per Ferdinandum Infantem Hispaniæ, nondum Regem Romanorum, sed Vicarium, Stadthalter/ ut habent verba textus Germanici, cum Statibus Imperii, Recessus conditi sunt: vid. Abschied des Reichstags zu Augspurg/ anno 1525. Aliqando nomine Imperatoris plures Vicarii, & Status, ut in R. A. zu Speyr/ Anno 1526. ubi Ferdin. I. Princeps adhuc & Infans Hispaniæ, cum Philippo Marchione Badensi, Bernhardo Episcopo Tridentino, Casimiro Marchione Brandenburgicco, Erico Brunsuicensi, omnibus Vicariis, verordneten und Gewalthabenden Stadthaltern im Römischen Reich/ ut in ipso Recessu vocantur. Quod & factum in Recessu Spirensi de anno 1527. ubi itidem invenire est plures vicarios, cum Statibus Imperii Recessus authores. Interdum Vicarius Imperatoris, & Consiliarii Regimenti cum Statibus, Kays. Majest. Stadthalter/ und die verordnete Räht des Kayserl. Regiments im Reich: ut in Comitiis Eslingæ anno 1526. habitis, ubi Philippus Marchio Badensis Imperii Vicarius, cum illis quos diximus, & in Comitiis Ratisponensibus sequentis anni, ubi Wolfgangus Comes Montfortius, cum iisdem, Recessum condidit. Aliquando Commissarii Imperatoris, Rex Romanorum, & Status, vid. init. R. A. zu Norimberg/ de anno 1542. & R. A. de anno 1543. nupertimè primùm typis descriptum in postrema Editione, cum in reliquis defuisset hactenus, ibi, als wir und die Kayserlich. Commissarien zu dem nächst zu Speyr/ (Norimberg) gehaltenem Reichstage verordnet/ und im Nahmen/ und an statt der Röm. Kayserl. Majest.

und

und für uns selbst/mit Churfürsten/Fürsten und Ständen/auch der Abwesenden Bottschafften verglichen/ rc. Aliquando Commissarii Regis Romanorum & Statuum, hæ partes fuisse leguntur; ut in Recessu Imperii Wormatiensi contra Anabaptistas Monasterienses: quem nuperrima Editio, in reliquis anterioribus omissum restituit; ubi Hans Friderich von Landeck/ & Claudius Canicula Doctor, Ferdinandi Regis Romanorum Consiliarii, verordnete Rähte/ de rebus, quæ ibi leguntur, constituunt.

XVI. Illud ut à nemine hactenus quæsitum meminimus, ita quæri ex facto posse minimè dubium est. An defuncto Imperatore, quo tempore penes Imperii Vicarios, Comitem Palatinum & Electorem Saxonicum, Imperii vacantis administratio est, & hi Recessus cum statibus condant? Non extat quidem hujus rei in Collectione Recessuum Goldasti, vel in receptissima Editione Moguntina, etiam recentiori, Exemplum. Si casus tamen eveniat, ubi id usus & necessitas Reipublicæ Germanicæ postulet, minimè dubitamus, Vicarios hosce, una cum Statibus Imperii, Leges Universales, illo tempore, & Recessus condere posse. Neque enim à Republica, qualis etiam illo tempore est Germania, abesse possunt jura Majestatis, & inter ea, potestas leges ferendi; quam si sublatam aut delatam in tempus electi Imperatoris aliquis velit, is jam Anarchiam non Rempublicam eo tempore Germaniam inepte statuet. Vel ergò hæc potestas eo tempore est penes status reliquos solùm, vel penes status reliquos & Vicarios. At Vicariorum jura, quæ alioquin habent, augentur, non minuuntur Dignitate hac, ut causa nulla sit, quare ideò illis, quod Vicarii sint, suâ sententiâ aliquis adimere velit, quod habent etiam ante. Sanè, *quoties sacrum vacare contingat Imperium, ipsi sunt provisores Imperii*, ex ipsis Bullæ Aureæ verbis Art. V. Unde generalis & recepta inter Jurispublici Doctores regula est. Omnia ipsos posse illo tempore, quæ potest Imperator, & peculiariter excepta non inveniuntur, per text. d. Bullæ Aureæ *cap. 5.* ibi: *feudis Principum duntaxat exceptis*. Schraderus *de feudis part.* 10. *sect. 3. n. 175.* Martinus Magerus à Schonberg de Advocatia armata, *cap. 9. n. 712.* Buxtorff dissert. ad Bullam Auream, *concl.* 71. *ubi plures* adducit, Schütz in Coll. de Statu Rei Romanæ, *vol.* 1. *disp. 5. th.* 12. ubi Martam Neapolita-

litanum, & Matthiam Stephani pro hac sententia nominat, Huldericus Eyben / qui Schützii argumenta contra Lymnæum satis accuratè tuetur *vol. 2. Collegii Schützziani disp. 10. th. 2. p. 588. & seqq.* Dietericus ad eandem, *cap. 5.* ad verba, *judicia exercendi*; Rümelin ad Bullam Auream *part 1. dissert. 4. th. 15.* quicquid in adversum disserat parum solidè Limnæus, Jurispublici *lib. 3. cap. 12. n. 81. & seqq.* ibique *in addit. tom. 1. & 2.* & ad *art. 3. Capitul. Caroli V.* ad verba Pfaltz und Sachsen. Adde, quod Thomas Michael de Jurisd. *concl. 29.* quem sequitur Dn. Schützius *d. l.* majorem illis authoritatem tribuunt, quam Vicariis ab Imperatore constitutis, ideò quòd hi Vicarii non Imperatoris sint Vicarii, sed Imperii, id est, potestatem habeant ab Imperio & in loco Imperatoris collocati sint. Imperatoris autem Vicarios cum statibus Imperii condidisse Recessus aliquando non dubitabit, qui quæ thesi præcedenti scripsimus, legerit.

XVII. Quid? quod Comitia habenda sunt, ut ex principiis politicis patet, quoties id publica utilitas aut necessitas postulaverit. Quod in Imperio nostro, disertè ita, & his verbis, constitutum Instrumento Pacis Cæsareo Suecico *art. 8*, vers. Habeantur autem Comitia, &c. Ergò & Recessus & leges universales toties condendæ, qui Comitiorum finis est. Evenire autem tempore administrationis Vicariorum ea possunt, quæ id utile esse, vel necessarium suadeant. Nec absurdè argumentatus fuerit, qui dixerit, eos, qui ad Comitia alios Status illo tempore evocāt, partem in compositione Recessus sibi meritò vendicare. Evocant autem Vicarii, quod pluribus ostendit Arumæus *de Comitiis c. 3. n. 53. & seqq.* Dissentire interim ab hac sententia necessum habent, qui cum Lymnæo nihil Vicariis tribuunt nisi quod specialiter in *c. 5.* Bullæ Aureæ enumeratur. Quod tamen assertum, comuni Doctorum Jurispublici consensu improbari, monstravimus.

XVIII. Imperator ergo, vel Rex Romanorum, aut Vicarius, unus, vel plures Imperatoris, aut Commissarii Regis Romanorum, aut Vicarii tempore vacantis Imperii, ut ante ostendimus, cum Imperii Statibus, Recessus Generales condunt. Imperii autem status, in tres Classes, in Generalibus his Comitiis distinguuntur. Prima est **Electorum, 2. Principum, 3. Civitatum.** Olim nonnisi in duas Classes separati sententias suas conferebant. At postmodum anno

1489.

1489. tempore Frid. Imperatoris, & Regis Maximiliani, in Comitiis Francofurtensibus factum est, ut peculiari, & distincta à Principibus Classe, in Comitiis agerent Electores. Quæ prima Origo est Classis Electoralis: vid. Lehmañ. *in Chronico Spirensi lib. 7. cap. 12. p. 997.* Limnæum *tom. 1. addit. ad lib. 9. cap. 1. n.* 132. Confer *Scriptum Principum Augustanæ Confessionis anno* 1654. *die 2. Novembris exhibitum Collegio Electorali*, quod extat apud Limnæum *tom. 2. addit. ad dict. cap. n. 239.* ubi tamen, fortassis propter numeri rotunditatem, nominatur annus 1490. In hoc Collegio Electores viritim suffragia ineunt, Paurmeister *de Iurisd. Imp. Rom. lib. 2. cap. 2.* cum reliquis. Secunda Classis, Principum est, quo nomine hic non primi gradus Nobilitatis homines tantum, Cæsare nimirum solo inferiores, Prælatis verò Comitibus & Baronibus eminentiores, sed exceptis Electoribus, Principes omnes, tam Politici quam Ecclesiastici, Prælati, Comites, & Barones Immediati, comprehenduntur: ut rectè explicat Paurmeisterus *d. l. num. 22.* In hoc Senatu autem, alia Principum propriè sic dictorum, alia Prælatorum, Comitum & Baronum, ferendi suffragii est ratio. Ex Ecclesiasticis Statibus, Episcopi omnes, singularum sententiarum jus habent; nisi plures fortasse Episcopatus uni habere concessum sit: tum enim, etiam plura vota ei competunt, quod patet ex Recessus Anni 1654 subscriptione, ubi Leopoldi Wilhelmi Archi Ducis nomine, ratione administrationis Ordinis Teutonici, & diversorum Episcopatuum, Argentoratensis, Passaviensis, administrationis Murbacensis & Luderensis, quater subscripsere ejus Legati. Accedunt ex Veteri Prælatorum Ordine, Magistri Ordinum Equitum Teutonicorum sive Marianorum ac divo Johanni sacrorum, Abbas Fuldensis, Hirschfeldensis, Campidunensis, Murbacensis, Corbejensis, Prumensis, Stabulẽsis; Præpositi Elwangensis & Berchtelsgadensis. Principum Politicorum familiæ, quædam unum solum, quædam respectu diversarum Linearum, duo, tria, vel quatuor vota habent, ceu id patet ex Recessuum, imprimis ultimi de anno 1654. subscriptionibus. Ita Ducibus Lunæburgensibus hodiè concedi quatuor vota docet Hermannus Conringius in Manuscriptis notis ad Lampadium, *de Republ. Rom. Germ. cap. 5. n. 16.* ubi duo saltem vota illis tribuuntur. Confer subscriptionem Recessus ultimi. Cæterum de Prælatis, Comitibus & Baronibus, quòd Principes illi numero longè superent, ideoqu-

sene

sententiarum multitudine universæ Classis jus ad se tracturi sint visi, jam olim receptum est, ut præter Principes Ecclesiasticos, etiam qui illis accensentur ex Prælatis, omnes viritim; Prælati verò & Comites cæteri curiatim sententias dicant, hoc discrimine, ut Prælatorum Curia, hodiè duorum, Comitum verò ac Baronum (in tribus hodiè quatuor, Suevicam, Wetteravicam, Westphalicam, Saxonicam Inferiorem dissecta) quatuor suffragia ferendi jus habeat. Scimus quidem Prælatis unum votum saltem tribuere Paurmeisterum, sæpe dicto loco *n.25.* & Wehner. in Observat. Practicis verbo Reichstag. *pag.55.* quod in *tom.1. addit. ad lib.9. cap.1.* (edito anno 1650.) *n.143.* moribus & praxi etiam convenire notat Limnæus, ac priorem suam, qua duo ipsis vota tribuerat, sententiam corrigit. Nec ignoramus à Paurmeistero, Wehnero, Lehmaño, accuratissimis alioquin Scriptoribus, & antiquis Juris publici autoribus omnibus, duo tantum vota ttibui Comitibus & Baronibus. Sed in Comitiis Ratisponensibus An. 1641. ipsi Prælati rem hanc accuratius exposuerunt, & cum primum singulis Prælatis, singula vota competerent, aucto ita eorũ numero, ut Principes votis superare possent, eo rem reductam, ut duo tantum illis relicta fuerint, clarè ostenderunt, ut d. l. Limnæus observat, & in Comitiis Ratisponensibus, id illis denuo concessum, ut in *tom.2. addit. ad n. 143. lib.9. cap.1.* Limnæus seipsum rectè corrigit. Confer autorem Comitiologiæ Ratisponensis, qui est Gottlieb Vom Hagen. *part.3. p.146.* Lehmanum in Chronico Spirensi *lib. 7. cap. 124. p.1016.* Atque in iisdem Comitiis, Westphalicis, & Saxoniæ Inferioris Comitibus & Baronibus, duo alia vota concessa sunt: quæ si accedant ad priora duo, Comitum Suevicorum & Wetteravicorum, quatuor efficiunt, vid. auctorem Comitiologiæ Ratisponensis *dict. part. 3. p. 146. & seq.* & Limnæum *tom.2. addit. d. l.*]

XIX. Occupabant Principes hi olim duo Scamna, unum Ecclesiastici, alterum Politici, Lehmann, *d. l. post alios,* Accessit hodiè tertium, transversum scamnum, inter priora intermedium, quod Principes Ecclesiastici Augustanæ Confessionis occupant, Instrumento Pacis Cæsareo Suecico *art. 5.* vers. *de titulis Principum Ecclesiasticorum* cujus elegans Schema ex Comitiis anni 1654. exhibet autor Comi-

mitiologiæ *p. 144.* ſub inſcriptione *Schema* der Seſſion im Fürſten Raht. Civitates tertiam claſſem conſtituunt, quibus, hodiè nemo temerè, cum Althuſio Polit. *cap. 33. n. 76.* votum deciſivum negaverit, poſt textus clariſſimos, *art. 8. Inſtrumenti Pacis* §. *Tam in univerſalibus* & *art. 5. verſ.* 11. ibi, *appellatione Statuum Imperii ubique indubitatè continentur.* Et hæ viritim ſententias dicunt. Quod verò ſcribit Limnæus Juris publici *lib. 9. cap.* 1. *n.* 151. *Civitates omnes ſaltem jus duorum ſuffragiorum obtinere, reſpectu totius Imperii Corporis; quamvis Civitatum ſingulæ, in hoc Senatu ſententiam ſuam dicant*, id à veritate plurimum diſcedere indubitatum eſt: Conf. Lampadium *de Republ. Rom. Germ. c. 8. de Comit. Imp. n.* 11. & ibi Conringium in notis manuſcriptis, Wehnerum in Obſervat. *voce* Reichstag. Paurmeiſt. *d. l.* Lehman. *d. lib. 7. c. 24. p.* 102. Ex his Claſſibus, prima Electoralis, quid viſum ſit primario huic Collegio, Claſſi Principum communicat, quæ ſi conſentiat, in eandem ſententiam, mox etiam ad Claſſem Civitatum perfertur negotium, & quid de eo utrique Collegio viſum ſit. Sin in diverſa abeant, agitur res mutuis relationibus & correlationibus, donec vel de conſenſu appareat unanimi Claſſium, vel ſaltem duarum inter eas. Quod Statuum placitum ubi innotuit legitima relatione Imperatori, is vel conſentit, vel diſſentit. Si conſentiat, legitimè componi Imperii legem & receſſum controverſia vacat, vid. Paurmeiſter. *d. l.* Wehnerum voce Reichstag. Lehmannum loco allegato.

XX. At ſi diſſentiant Imperator & Ordines, quid juris ſit? diſceptari poteſt. Ex plenitudine poteſtatis Imperatorem poſſe ſtatuere quod velit, non pauci judicant: ita autor der nohtwendigen Erinnerung fol. 61. & paſſim, qui id pluribus oſtendere nititur, etiam ex Receſſibus Imperii, Arumæus de Comitiis *cap. 8. num. 84.* ubi Paurmeiſteri argumentis in adverſum reſpondere tentat. Reinking. *lib. 2. claſſ. 2. cap. 5. n. 45.* Prolixè Joh. Henricus Stamlerus, *Tract.* de Reſervatis Imperatoris §. 31. *& ſeqq.* In eamque ſententiam etiam Springerum & Beſoldum conſentire monet Magnificus Dn. Mylerus *in addit.* ad Rümelinum *part. 2. diſſert. 3. th.* 10. Alii tum nihil actum eſſe exiſtimant. Wehnerus *d. voce* Reichstag. Paurmeiſterus prolixè *de jurisd*

lib. 2. cap. 2. num. 63. & multis sequentibus paginis, ubi argumenta autoris **der nohtwendigen Erinnerung** confutat. Goldast. in Replica. pro Imperio contra Gretserum *cap.* 11. *p.* 105. Lampadius de Rep. Rom. Germ. *cap. 8. de Comitiis num* 14. Carpzovius ad Legem Regiam Germanorum *cap 5. sect. 1. num.* 19. *&* 20. Bertram. de *Comitiis thes.* 74. Daniel Otto in Dissertatione *de jure publico c. 13.* Alli dissentiente etiam Imperatore ab Ordinibus concludi posse judicant. Quod anno 1524. Norimbergæ factum ex Sleidani *lib. 4.* & Recessu *de anno* 1524. §. **Darauff so gereden:** probare contendit Hyppolithus à Lapide, *Dissertatione de Ratione Status part. 1. cap. 4. pag.* 75. & huic sententiæ subscribunt omnes, qui Imperium nostrum Aristocraticum esse autumant. Nos, Limnæi, & Hermanni Hermes exemplo, rem gravem, Decisioni Imperatoris, Principum, & aliorum Statuum, potius committimus, quàm de ea in præsens aliquid pronuntiandum esse censeamus. De Recessibus Deputationum & Visitationum, nomine Imperii, illos, à Deputatis & Visitatoribus componi liquidũ est.

XXI. Agunt Recessus de variis, & illis quidem negotiis, quæ in deliberationem ante venerunt. Olim quidem, quid iis plerumque contineretur, eruditè exposuit Lehman. *lib.* 2. *Chronici Spirensis c. 39.* ubi ex autoribus bonæ fidei & veteris ævi, quindecim causas publicorum conventuum, magnâ industriâ collegit: confer Arumæum de Comitiis *cap. ult. in princ.* Quid hodie in Comitiis agatur, ac proinde Recessuum argumentum sit, exponit breviter his verbis Paurmeisterus *lib. 2. c. 2. num.* 20. *& seqq. Hodie sunt*, ait, *omnia, circa quæ politicam potestatem omnem versari diximus, legum nimirum ferendarum, belli gerendi, fœderum percutiendorum, ac solvendorum, tributorum injungendorum, judiciorum exercendorum, rerum quoque Imperii alienationum causæ. Ordinaria tamen fermè sunt Consultationis Comitialis capita: De firmanda & constituendâ pace & tranquillitate publica, tam in Civilibus quam Ecclesiasticis ac Religionis Negotiis; De legibus & Ordinatione judicii Cameralis; De impositione Collectarum; De moderatione indictarum pensitationum; De Monetis, de Matricula Imperialis redintegratione ac avulsis ab Imperio provinciis & ordinibus recuperandis, judicia verò in Comitiis perrarò, & non servato solenni Ordine, exercentur.*

Paria

Paria scribit Wehnerus sæpe dictâ voce **Reichstag**. Addit plura Limnæus *lib. 9. cap. 1. n.158. & seq.* Goldastus *in præfat. ad tom.2. Epist. Dedicatoria ad Christian.2. Ducem Saxoniæ.* At non aliundè melius præcipua capita eorum hauriri posse videntur, quam ex Instrumento Pacis, *art. 8. §. Gaudeant &c.* ubi Deliberationes de Negotiis in Imperio esse dicuntur; *de negotiis præcipuè illis, ubi leges ferendæ, vel interpretandæ, bellum decernendum, tributa indicenda, delectus aut hospitationes militum instituendæ, nova munimenta intra Statuum ditiones extruenda nomine publico, veterave firmanda præsidiis, nec non ubi pax aut fœdera facienda.* Imprimis verò de Comitiis post Instrumentum Pacis habendis, disponitur, quod subjicio *eod. art. 8. §.* Habeantur autem Comitia imperii &c. *In proximis verò Comitiis emendentur inprimis anteriorum conventuum defectus, ac tùm quoque de electione Romanorum Regum, certâ constantique Cæsarea Capitulatione concipienda, de modo & ordine in declarando uno vel altero Statu in bannum Imperii præter eum qui aliàs in Constitutionibus Imperii descriptus est, tenendo, redintegrandis Circulis, renovandâ Matricula, reducendis Statibus exemptis, moderatione & remissione Imperii Collectarum, Reformatione Politiæ & justitiæ, taxa Sportularum in Judicio Camerali, Ordinariis Deputatis, ad modum & utilitatem Reipublicæ ritè formandis, legitimo munere Directorum in Imperii Collegiis, & similibus negotiis, quæ hic expediri nequiverunt, ex communi Statuum consensu agatur & statuatur.* Præcipuè autem singulis Recessibus ea inseruntur, quorum antea facta in Propositione Imperatoria, quæ deliberation es antecedit, mentio. Quamvis non semper omnia, diremptis sæpè Comitiis antequam de singulis conveniant Status, conf. Proposit. 20. Junii Anno 1653. in Comitiis propositam, quæ extat apud Autorem Comitiologiæ *part. 3. p. 98.* cum Recessu Ratispon. anni 1654.

XXII. Formam substantialem Decretorum Comitialium & Recessuum, mutuum tam Cæsaris quàm Ordinum consensum esse, monet Paurmeister *tract. de jurisd. lib. 2. cap. 2. n. 84. loco ante allegato*: Autor Autonomiæ, qui ipsius Paurmeisteri judicio, rerum Imperii peritissimus fuit *part. 3. c. 37.* Hyppolithus à Lapide, quinque requirit inter alia ad Imperii Recessus *part. 1. cap. 6. sect. 1. 1.* ut deliberatio

non in aula Principis, sed in Consilio Imperii instituatur, & quæ aguntur, ad acta & Protocolla Imperii referuntur. 2. Decretum non in Cæsarea vel Regia, sed Moguntinensi tanquam Sacri Imperii Romani Archi Cancellaria (ut ipse loquitur) concipiatur. 3. Non solius Cæsaris sed junctim Cæsaris & ordinum nomine. 4. A Cancellaria Moguntina in mundum (ita barbarè loquitur) redigatur & à Statibus præsentibus, absentiumve Legatis subscribatur. Porrò 5. non à Cæsare modò sed certis Ordinibus omnium ordinum nomine signetur. Quæ, ipse, à Burchardo Autore Autonomiæ & Paurmeistero accepta, cum aliquantum mutilarit, è re erit, ipsa utriusque verba hic subjicere, ex Paurmeistero *d. lib. 2. cap. 2. n. 52. p. 471. edit. secunda* sunt autem ista: *Sic decet ac moribus receptum est, ut ejusmodi deliberationes non in Aulâ Principis, sed in consilio Imperii instituantur, & quæ aguntur ad acta & protocolla Imperii referantur. Item ut conclusiones ejusmodi, declarationes, vel derogationes, non in Cæsarea vel Regia, sed Moguntinensi, tanquam Sacri Imperii Romani ArchiCancellaria concipiantur. Item, Stylus Imperii habet, ut ejusmodi Decreta, declarationes, & derogationes, præcedente conventione Cæsaris & Ordinum factæ & non à solo Cæsare, communiter à Cæsare & Ordinibus subscribantur & signentur; Usu quoque receptum est, ut super arduo ejusmodi puncto conclusum, & in Cancellaria Moguntinensi conceptum, ante publicationem Ordinibus prælegatur, & ab iisdem approbetur. Item Ordinibus omnibus describendum communicatur. Tandem à Cancellaria Moguntina in mundum rediguntur & à Statibus præsentibus & absentium Legatis subscribuntur. Porrò per Cæsarem & nomine omnium Electorum per Moguntinum & Palatinum, & duos Ecclesiasticos, & unum Politicum Principem nomine omnium Principum, item per unum ex Prælatis & unum ex Comitibus, item unum ex liberarum Imperii Civitatum, nomine Prælatorum & Comitum & Civitatum signantur. Item duo Originalia, unum apud Cæsarem alterum apud Moguntinensem, tanquam Imperii Cancellarium deponuntur & adservantur. Item per Cæsarem & Imperii ArchiCancellarium judicio Cameræ exemplum mittitur, ut secundum ea processus decernant & judicent. Hæc forma in proponendo, referendo, concludendo, prælegendo, subscribendo, & aliis requisitis non observata, alia scripta, Decreta, declarationes, non pro*

con-

consultis & Decretis Imperii, sed scriptorum & actorum privatorum numero habentur. Quæ circa singulos actus hos Ceremoniæ, aut circumstantiæ leviores observari debeant, cùm plures sint, & ad rei essentiam non pertineant, & regula certa comprehendi facile nequeant, attingere supersedemus. Adeat, cui nonnulla eorum cognoscere animus est, Lehmannum, *in Chronico Spirensi dict. lib. 7. cap.* 124. *tit.* Von der Supplication Raht / desselben Processen Umfragen und relationen & seqq. Von Beschlussen und Abschieden eines Reichstages / Arumæum de Comitiis *cap. 8.* Wehnerum & Besoldum voce R. A. Limnæum *libr. 9. cap.* 1. *a. num.* 128. Althus. Politicorum *cap. 33. prolixè* (qui duo posteriores tamen aliquando in relatione ista labuntur.) Autorem Comitiologiæ Ratisponensis *pag.* 117. *& seqq.* qui sua, ut & reliqui, quæ alicujus pretii sunt, ferè ex Lohmanni relatione desumunt. Paurmeister *d.l.* Burchardum in Autonomia. Quod si quis accuratius illa cognoscere velit, is operam minimè luserit, si Christophori Lehmanni, *Acta Publica & Originalia, de pace Religionis, Francofurti anno* 1633 *tribus libris edita*, evolvere voluerit. Reperiet enim ibi, luculentissimo, in gravissima controversia Exemplo, quæ Relationum, Correlationum, omniumque adeò actuum, qui præcedunt Recessum Imperii, & ad deliberationem vel conclusionem faciunt, ratio sit: quæ omnia accuratissimâ cura, judiciosissimus autor collegit.

XXIII. Quando tamen aliqua, ut fieri consuevit, in ista brevitate scribentium, plusculum lucis desiderare in Burchardiana & Lehmanniana (unde sua reliqui ferè mutuantur) descriptione videntur, circa quædam etiam ætate nostra novi quid in Comitiis accidit; & omissum inter plura alia etiam illud est, quod hodiè necessarium multi judicant, ut Recessus lingua Germanica conscribantur; & his pauca adjicere operæ fuerit pretium. Postquam convenerunt ergò, Imperator, Rex Romanorum, &c. cum reliquis Statibus, Recessus conscriptio ad munus Electoris Moguntini pertinet, qui Decreta omnia Comitiorum, quæ publicè sciri intereft, scripto comprehendi curat, per Cancellarium vel Secretarium. Initium ejus plerumque, ex verbis Literarum Imperialium, quibus convocantur Comitia, Narratio

ex Propositione, Expeditio ex Relationibus & Resolutionibus Imperatoris & Statuum peti consuevit, quæ singula, cum durante deliberatione accuratè observari à Cancellario vel Secretario Moguntino soleant, fit indè, ut brevi exhibere Decreta Comitiorum scripto comprehensa queat. Indè formula Recessus prius in Senatu Electorum examinatur, antequam Deputatis Imperatoris & Statuum prælegatur: quod ita observatum anno 1641. in Comitiis Ratisponensibus docet Limnæus *tom* 1. *addit. ad libr.* 9. *cap.* 1. *n.* 195. ubi addit Senatui Electorum persuasum esse, id se habere præ reliquis Statibus præcipuum, daß allein den Churfürsten in ihrem Raht das Concept des Reichs-Abschiedes abzulesen und zuüberlegen gebühre / solches aber dem Fürsten-Raht nicht zu communicieren sey / dann derselbe so wohl / als der Reichsstätte Raht zuwarten habe / bis ihm der Receß bey der gewöhnlichen Deputation vorgelesen werde. Cui tamen sententiæ minimè standum esse existimavit Senatus Principum; qui quid eo de negotio judicaverit, legere est apud Limnæum *d. l*, Post Examen hoc (quod omittit Lehmannus, & Scriptores Jurispublici præter Limnæum reliqui omnes) proponit Cancellarius Moguntinus, ut deputentur ex Statibus, quibus prælegatur Recessus, quomodo ab ipso conscriptus est, & si necessum sit, corrigatur, & emendetur. Nominatur Deputatis dies, in loco conventui Electorum destinato; atque etiam Imperatori indicatur, ut ex suis Consiliariis unum vel alterum interesse prælectioni jubeat. Electores finguli, unum vel duos, quorum tamen, (si plures uno sint,) suffragia, unius voti duntaxat vim habeant; Principes Ecclesiastici tres, seculares totidem, civitates duos eo mittunt. Tum per partes Recessus prælegitur 1. Initium, dein Propositio, tum Conclusio, & de singulis vota rogantur Deputatorum. Qui si majoribus votis aliquid mutandum existimaverint, id mutatur; quod fieri quandoque exemplo ostendit Limnæus in notis ad *n.* 195. Si differant, votum decisivum Imperatoris Comissariis tribuit *Lehmann. & Autor Comitiologiæ d. l.* quibus potius fides adhibenda, quàm Bertramo, cui negantem sententiam *d. cap.* 1. *l.* 9. *n.* 194. tribuit Limnæus. Bis deinceps in Membrana, in Cancellaria, ut vocant, Electorali Moguntina Recessus describitur.

XXIV.

XXIV. Subſcribitur poſtea Receſſus. At ſubſcriptionum hujusmodi nullæ certæ videntur in Imperio ſemper fuiſſe leges. Olim Receſſibus Imperii Germanici ſubſcripſiſſe etiam Reges exteros tradit Goldaſt. *in præfat. tom. 3. Receſſuum Sacri Imperii Romani Teutonici, ad Jacobum Regem. Ne longè abeam,* inquit, *Henricus II. Angliæ Tuæ, Rex Sereniſſime, Princeps, nonne Comitiis Herbipolenſibus, ut Imperii amicus interfuit, eorumque decreto, ſalvis Regnorum ſuorum privilegiis, ſubſcripſit*; quod undè acceperit, nobis non conſtat. In vulgato Moguntino Receſſuum Codie ſubſcriptio omnis deeſt in *Receſſu Auguſtano de anno* 1518. Declaratione Norimbergenſi Pacis publicæ *de anno* 1532. Plures recenſet Hyppolithus à Treisbach, im unvergreifflichen Bedencken über etliche Fragen der freyen Reichs Ritterſchafft Stand und Seſſion betreffend; ſed pro iisdem accipit conſtitutiones Imperatorias cum Receſſibus Comitiorum & Conſtitutionibus Imperii, quæ multum tamen differunt. Limnæus in notis *d. l. n. 208.* addit Receſſum Ratiſponenſem de anno 1546.; ſed ille ab Imperatore ſubſcriptus eſt. Aliquando ſolus Imperator ſubſcribit nomen ſolummodò proprium, non dignitatis, & ſubſignat Receſſum, ut videre eſt in R. A. zu Regenſpurg de anno 1546. Limnæus Receſſum Wormatienſem de anno 1548. itidem à ſolo Imperatore ſubſcriptum putat; ſed labitur, ut ex collatione patet. Aliquando Imperator & Elector Moguntinus: ut in Policey-Ordnung zu Augſpurg / de anno 1548. ubi illum inferiori loco ſubſcripſiſſe & nomen ſimul dignitatis & officii addidiſſe, & quandoque præmiſiſſe illa; *Ad Mandatum Electi Imperatoris proprium*, obſervat Limnæus *libr. 9. cap. 1. n. 202.* Interdum cum Imperatore & Cancellario, etiam tertius, aliquando Vice Cancellarius Udalricus Zaſius, interdum Conſiliariorum vel Secretariorum aliquis ſubſcripſiſſe legitur, in eum finem, ut ſpeciali Mandato Cæſaris, recognitionem & reviſionem à ſe factam eſſe ſubſcriptione ſua teſtarentur: Kircherus de Officio & dignitate Cancellarii, *lib. 4. cap. 3. n. 58.* Quandoque cum Imperatore Vice Cancellarius ſolus vel Secretariorum aliquis Policey-Ordnung zu Franckfurth / anno 1577. R. A. zu Regenſpurg / de anno 1577. Sed & illud memorabile, quod Hieronymus Caninius

in discursu ad Auream Bullam in Italia edito, postea Lutetiæ Parisiorum in Linguam Gallicam traducto onno 1613. *p. 85.* scribit, à Carolo Magno, ad Carolum ferè IV. nullius ferè Civitatis in Imperii Recessuum subscriptione mentionem fieri.

XXV. Plerumque tamen Electorum & Statuum, qui aderant, nomina etiam accessisse controversia vacat. Quod ex collatione patescit: idque hodie solenne esse Limnæus monet, & facili experimento discere potest, qui Recessus perlustrare velit. Rex Bohemiæ tamen, jam indè à ducentis annis, non legitur subscripsisse Comitialibus Decretis, monente Goldasto in *Tract. de Iuribus & Privilegiis Regni Bohemiæ, lib. 4. cap. 5. n. 14.* cujus rei ipse has rationes reddit 1. ne videatur à Germanis legem accipere. 2. Quod iidem fuerint Imperatores & Reges Bohemiæ. Quarum postremam ideò impugnat Carpzovius de lege Regia, *cap. 5. sect. 9. n.* 29. quod duplici subscriptione uti potuisset eo casu Imperator, ut solent etiam alii Imperii Status. Olim nec illorum Statuum nomina subscribebantur, qui vel contra unum & alterum caput Recessuum protestati erant; vel in Recessum non consenserant. Undè notat Arumæus Tractat. de Comitiis *cap. 8. n. 99.* Correspondentes Evangelicos, ut vocabantur, ea de re conquestos esse, ac asseruisse in Comitiis anni 1613. Daß dergleichen im Heiligen Römischen Reich nicht bald erfahren / ja kein einig Exempel zufinden ist / da die jenigen Stände / welche etwa einen Abschied nicht mit beliebet / dergestalt hätten dazu gezogen / oder verbunden werden wollen / sondern da auch nur etwan wenige Stände darwider protestirt / daß derselbigen Sieglung und Subscription / denselben Abschieden gar nicht nachgesetzt / auch in den Abschieden selbsten / diese formalia der alten Teutschen Erbarkeit gemäß / gebraucht worden: Wir die Churfürsten und Stände / so diesen Abschied angenommen / und bewilliget / ꝛc. wie in Jahren 1530. 1531. und andere mehr: postea tamen aliter obtinuisse videtur, vid. Recessum de anno 1545. & 1555. quibus adde Arumæum. *d. l.* Subscribunt autem non ipsi Status Imperii propria manu sua nomina, de quo olim dubitabat Limnæus d. *c. 1. lib. 9. n.* 209. sed Secretarius Moguntinus: quod disertè Lehmannus scribit *lib. 7. Chron. Spirens.*

c.124. *in fine.* Damit sich auch der Subscription halber kein Mangel noch Irrthumb errege/ wie gemeiniglich geschicht/ so gebührt dem Churfürstlichem Maintzischen Secretario, daß er auß den Gewälten/ so zur Cantzeley gelifert alle der anwesenden Churfürsten und Stände/ auch derselben Gesandten Namen ordentlich verzeichne. Als erstlich der Churfürsten. Secundo der Geistlichen Fürsten: Tertio der Weltlichen Fürsten: Quarto der Prælaten und Prælaturen. Quinto der Graffen und Herren: Sexto der Frey und Reichs Stätte Gesandten/ und der Verzeichnissen eine in jeden Raht so viel denselben Raht betriffet/ übergeben/ damit sie solche besichtigen/ und welcher vor oder nachstehen soll ordiniren. Adde, quæ monet Episcopus Eichstadiensis apud Limnæum *in notis tom. 2. ad cap. 1. n.* 219. Undè est quod in Recessibus aliquando hæc nomina mendosè leguntur: cujus Exemplum est in Recessu Spirensi anni 1544. ubi Georg Ludwig von Seinsheim zu Hohen Reittenheim/ pro Cottenheim legitur, ut monet Thrasybulus Lepta de rebus gestis Seinsheim. *l. 1. p. 82.* Et in ordine præterea aliquando peccatum esse, ut indè certum argumentum deduci ad Præcedentiæ jus non possit, itidem observant alii. Quomodo Legatus Elwangensis in Comitiis Ratisponensibus de anno 1641. affirmavit. Daß die Probstey Elwangen/ anno 1521. zu Worms/ alda ein abgeordneter Doct. Heinrich Winckhöffer von dreyzehen unterschiedenen Prælaten/ und darunter auch von Elwangen Gewalt getragen/ auß übersehen in dem Abschied unter die gemeine Prælaten versetzt worden/ und sey kundbar/ daß in Subscription/ sonderlich der alten Reichs-Abschiede/ auch sonsten in mehr wege verstossen; in gestalt eben dergleichen Fehler auch dem Stifft Fulda im Jahr 1524. zu Nürnberg laut selbigen Recess begegnet. vid. Limnæum *tom. 1. addit. ad lib. 9. cap. 1. ad n. 210.* & in actis Comitiorum *anni 1654.* Episcopus Eichstadiensis ait, Es ist nicht genug des vorsitzens wegen sich auff die Subscription des Reichs Abschieds zubeziehen; sondern es ist nach der Reichs observantz vonnöhten solche subscription/ bevorab selbige nicht von den Fürsten und Ständen eigenhändig zu geschehen pfleget/ mit denen Reichs Protocollis zu justificiren. Sed

nec si omissum in subscriptione Recessus reperiatur nomen alicujus qui alioquin idoneè se Statum esse probare queat, ideo colligere licet non esse eum Statum; cùm & hodiè aliquando, non vocentur ad Comitia, qui vocari debent, quod ostendit Rudolphi Imp. Epistola quæ extat *part. 2. actorum Brunsvicensium sect. 2. in addit. pag. 21.*

XXVI. Ut varia subscriptionis ita, etiam subsignationis ratio fuit. Modo enim solus Imperator sigillum suum apposuit, quod veteri ævo observatum ex Bulla Aurea, Recessibus Imperii de anno 1442. & 1495. rectè monet Wehnerus in Practicis, Observat. *voce* Reichstag. Limnæus, *d. lib. 9. c. 1. n.* 211. Interdum solus Moguntinus, ut videre est in Constitutione von Handhabung des Friedens und Rechtens. Limnæus minus rectè Imperatorem & Electorem sigillum suum huic Constitutioni adjecesse scribit. Quam varia deinceps ea fuerit, docet Wehnerus & Limnæus *dict. l.* Modum subsignandi qui hodiè receptus est his verbis exhibet Beckerus in Synopsi Juris publici *libr. 4. cap. 1. p. 408.* *Funiculum duplicem infimæ parti pergamenti transfixum in superiore parte sigillum Cæsaris conjungit: post cujus sigillum funiculus in duos divisus manet, & in illo qui à dextro latere sigilli Cæsarei est, Ecclesiastici sigillum suum annectunt: ac primò quidem nomine Electorum Ecclesiasticorum, Moguntinus, vel in ejus absentia Consiliarius, aut alius Elector Ecclesiasticus, qui in sessione prior est, sigillum appendit. Secundum in latere dextro sigillum applicat Ecclesiasticus Princeps in sessione præcedens, in secunda Statuum Classe, vel eo absente in sessione proximus. Tertio loco unus ex Prælatis sigillum apponit. A latere sinistro sigilli Cæsarei è regione Moguntini, in altero funiculo Elector Bavariæ, vel eo absente ejus Consiliarius, aut alius Elector secularis ejus nomine. Secundo loco, sigillum nomine secularium Principum appendit secularis aliquis Princeps, qui in sessione prior est. Tertio loco unus ex ordine Comitum Wetteravicorum & Suevicorum, alternis vicibus sigillum subjungit. Ultimò sigillum Civitatis Imperialis illius, in qua Comitia habentur, funiculos ambos conjungit.* Confer Lehman. & Autorem Comitiologiæ *d. l.* Quæ in ultimo Recessu obsignationis observata fuerit ratio, apparet ex ipso §. finali Imperii Recessus; quem ubi quis contulerit cum Schemate exhibito nuperrimè ab Hermanno Hermes Fasciculo Jurispublici *cap. 36. n.* 84.

84. p. 747. facilè animadvertet ibidem omissam esse Saxonicam & Brandeburgicam subsignationem, ac in Bavarica pro Comite Wolfeghensi Maximiliano Willibaldo, ibi legi Hermannum Egonem Comitem Curtium.

XXVII. Sequitur Publicatio. Eam Imperatori competere extra controversiam est: R. A. de Anno 1521. *in Princ. & artic. 16.* Instrumenti pacis, vers. *Imprimis quidem*, ibi *per universum Imperium Edictum promulget*, idque usu receptum testarur *d. l.* Lehmannus. Quod adeò extendunt plerique, ut soli Imperatori hoc Juris competere velint, illudque inter Reservata numerent: Reinkingh. de Reg. S. & Ecclesiast. *lib.* 1. *class.* 5. *cap.* 6. *n.* 122. Fibig. Elect. Juris publici *semidecad.* 8. *quæst.* 3. *n.* 13. & prolixè Stamler *de Reservatis* §. 33. Alii tamen, & inter eos Hyppolithus *part.* 1. *cap.* 6. *sect.* 2. solius Imperatoris nomine leges promulgari perpetuum esse non existimant, adductis tum aliis, tum inprimis verbis illis Ordinationis Cameralis novissimæ Anni 1555. quæ in procemio habentur, ibi: **Daß dieselbe / mit Raht zuthun und vergleich der Churfürsten Fürsten und der Stände / durch eine sondere** Constitution **in das heilige Reich** publicieret **worden:** & Recessu de anno 1495. **Vom gemeinen Pfenning:** ubi nomina Electorum & Principum una cum Imperatoris titulo Recessui præfixa leguntur; cui tamen, id singulare aliquid, nec unquam alias usurpatum esse respondet *d. l.* Stamlerus. Fieri consuevit publicatio hæc ista ratione. Omnibus Statibus ut conveniant in Curia indicitur, ibi Imperator vel Commissarius ejus paucis repetunt, quòd, quæ post maturas deliberationes conclusa fuerunt, in scripturam redacta, ac modo prælegandasint. Moguntinus deinceps Cancellarius, in consessu Imperatoris, Statuum, atque populi, publicè Recessum prælegit, quam lectionem excipit admonitio Imperatoris ad Status, ut singula Recessus capita sarta tecta servare velint: post plures alios Arumæus de Comitiis *cap.* 8. *num.* 103. Lehman. *d. l.* Publicati Recessus duo, ut vocant, Originalia scribuntur; eorum unum Imperatoris, alterum Moguntinæ Cancellariæ infertur. Moguntinus deinde Elector jubente Imperatore exemplum ejus Imperialis Cameræ Judicio transmittit. Mandati Cæsarei formula hæc extat apud

Arumæum *d. l. n. 105.* Nachdem im jüngsten Reichs Abschied Articul begrieffen seyn / die euch berühren / und zu vollziehen gebühren / haben wir dem Ehrwürdigen N. Ertz-Bischoffen zu Mayntz / des H. Römisch. Reich in Germanien Ertz-Cantzlern / unserem lieben Neven und Churfürsten auffgelegt / euch von solchem Reichs-Abschied Abschrifft zuzustellen. Und ist darauff unser Gnädiger Befelch an euch / daß ihr solchem Reichs-Abschied in allen Articuln / Puncten und Meynungen / so viel euch belanget / und zuvollziehen gebühret / gehorsam nachkommet und gelebet / daran erstattet ihr unseren gefälligen Willen und Meynung. Unde Cameram ad observationem Recessuum Imperii, ante hanc Insinuationem, & quod eam excipit commune Decretum, ut vocant, quo Litigantes, Advocati & Procuratores de eorum observantia admonentur, non adstringi, nuperrimè monet Notator ad Rhodingium ad tit. 1. *p.* 2. quod Decretum commune demum 7. Septemb. promulgatum constat circa Recessum anni 1654. quamvis is jam Majo mense solenni publicatione Statibus innotuisset.

XXVIII. Lingua Recessus Imperii hodiè Germanica conscribi, monent Limnæus *lib. 9. c.* 1. Sithmannus *in Speculo Imperii Romani cap.* 27. *n.* 10. Olim Edicta Attilæ & leges Comitiales tribus plerumque linguis perscriptas & promulgatas fuisse, Latinâ, Germanicâ, & Sclavonicâ tradit Goldastus in *præf. ad tom. 3. Collectionis Recessuum &c.* ab ultima autem Francorum memoria, usque ad annum Christi nati millesimum, capitula de quibus communi consensu convenerat (quæ hodiè Recessum dicimus) per Episcopos & Abbates latinè concepta, dein Germanicè ac Gallicè in utroque populo publicari consuevisse. Sed cum in unum Imperii corpus Attilæ tempore nondum convenerit Germania, nec Comitia talia nec Recessus esse potuerunt; ut frustra quæratur, qua lingua scriptum fuerit, quod non fuisse constat. Certiora sunt, quæ post Suffridum, Ægidium Schudum, Beuterum, Reineccium, ac Willichium, tradit Heigius *quæst. 7. n. 63.* & manifestius reliquis probat Lehmannus in Chronico Spirensi, *lib. 2. cap. 45. lib. 5. cap. 107. & lib. 4. cap. 21.* ab initio Imperii Germanici, non Germanicæ, sed Latinæ linguæ receptum fuisse in Comitiorum Decretis & Instrumentis omni-

omnibus usum. Prima Recessus Germanicè scripti mentio est apud Gothfridum Monachum, in annalibus ad annum 1236. *Curia celeberrima*, ait, *in assumptione beatæ Mariæ apud Maguntiam indicitur, ubi ferè omnibus Principibus Regni Teutonici convenientibus pax juratur, vetera jura stabiliuntur, nova statuuntur, & Teutonico sermone in membrana scripta omnibus publicantur.* Extat Recessus apud Goldastum *tom. 2.* Reichs-Satzungen/ *p. 17.* Est id omnium Instrumentorum primum, de quo quidem constet, quod lingua Germanica scriptum superest: conf. Limn. ad Capit. Caroli V. *art. 14.* voce Teutsche. Constat sanè, Maximilianum I. Imperatorem, suâ ætate, magnum ei statuisse præmium, qui ostendere posset Instrumentum ante 500. annos scriptum, ut memorat Beatus Rhenanus, diligentissimus rerum Germanicarum Scriptor *libr. 2. Rerum Germanicarum*: *cap. Franci Germanicâ sunt linguâ usi.* Non tamen ex eo confestim omnia Germanica lingua scripta sunt, nec præceptum tale monstrari in Scriptore quidem idoneo potest. Primus Rudolfus Habspurgensis, quod Clericis, ut pote solis latinæ linguæ peritis, ac ideò Scriptoribus Instrumentorum omnium in peregrinâ linguâ, ad cujus peritiam difficulter Laicos admittebant; patere videret hac ratione viam illudendi Laicis, eorumque facultates per fraudes ad se derivandi, constituisse creditur: *ut post hæc, ob inscitiam Nobilitatis, Principum & Pontificum edicta, & Privilegia, Teutonum linguâ ederentur, quæ hactenus Romano sermone data sunt*: ut Aventinus scribit *lib. 7.* Crusius. Annal. Suev. *l. 3. p. 3. c. 1. de hoc negotio*, ait, *sic lego, Rudolphum jussisse, ne amplius literas contractuum Notarii latinè scriberent, sed Germanicè. Multos enim simpliciores plebis antea latinâ scriptione deceptos fuisse.* Probant hanc sententiam Lehman. *d. l.* Spangenberg. *in Chronico Saxoniæ cap. 264. fol. 450.* Heigius *quæst. 7. n. 64.* Goldastus, qui exhibet *tom. 2. constit. Imp. p. 311.* summam Decreti. Johann Sitman. *d. cap. 27. n. 14.*

XXIX. Sed Goldasti illam, Decreti Comitialis summam, nihil authentici habere, cuivis liquet. Et autores omnes qui rem commemorant, quamvis inter eos viri graves aliqui, coævi tamen non fuere Rudolpho, nec à coævis accepere: ne ipse Aventinus quidem, qui Autorem nullum ex quo in *lib. 7.* profecerit, recitat, qui eâ ætate,

 quâ

quâ Rudolphus vixit, tale quid memoriæ prodiderit. Et Bulla Aurea Latino sermone composita est, & multa extant alia Instrumenta eadem lingua, Rudolphi ævo, & postea scripta. Sed & ipsi Scriptores rem diversa ratione recensent. Aventinus & Lehmannus de solis Principum & Pontificum Edictis & Privilegiis loquuntur. Crusius etiam Notariis prohibitum scribit, ne contractus latinè scriberent; quod non usus illorum temporum solum, sed & Constit. Coloniensis 1512. anni, inscripta Ordnung der Notarien. §. Item die Notarien etc. permittit. Undè non immeritò timidè de hoc negotio pronuntiat Limnæus *Annotamentis ad art. 14. Capit. Carol. n. 6. & seqq.* Quid? quod Capitulationibus Imperatoriis jam indè à Caroli V. Imp. tempore, insertum legitur, ut in negotiis Germanicis Imperator exoticis quidem linguis in Imperio uti non possit; extra Imperium tamen etiam illis, in Imperio autem Latinâ & Germanicâ uti queat; vid. *Capit. Carol. V. art.* 14. *Ferd. I. art.* 13. *Rudolphi II. art.* 13. *Matthiæ art.* 14. *Ferdin. II. art.* 12. *Ferd. III. art.* 16. *Ferd. IV. art.* 42. quod reliquis plenius explicatum legitur in Capitulatione hodierna *Imper. Leopold. art.* 43. verba sunt: Wir wollen auch / in Schrifften und Handlungen des Reichs / keiner ander Zungen noch Sprach gebrauchen lassen / dann der Teutschen oder Lateinischen Zungen / es wäre dann an Orten ausserhalb des Reichs / da gemeiniglich eine andere Sprach in übung wäre / und in Gebrauch stünde / jedoch in allerwegen in unserem Reichs Hoff-Raht; der Teutschen und Lateinischen Sprach unabbrüchig. Quo loco non prætermittendus Sithmanni error dict. *cap. 27. n. 17.* ubi existimat Capitul Imperatoris provisum, quòd sola utendum sit Germanicâ linguâ, quod Ferdinandi II. Capitulatione probare contendit, quæ disertè *art.* 12. Latinam tamen Germanicæ addit. In judicio Aulico Imperiali utriusque etiam linguæ usus est: Verneurte Reichs Hoff-Rahts Ordnung / de anno 1654. *tit. 3.* §. ferner soll in der gleichen Partey Sachen keine Schrifft anderer Sprache / dann Teutsch und Lateinischer bey dem Reichs Hoff-Raht angenommen werden / adde Capitulationes. In Camera tamen Imperiali receptum esse scribit Julianus Magenhorst, in Comment. *in Ord. part. 1. tit. 3. p. 7.* ut procedatur in linguâ Germanicâ.

Unde

Unde processus latinos contra Episcopum Verodunensem, & Ferdinandi Rom. Regis in causa Feloniæ, contra quendam Germanicum Principem denegatos, & ut in Germanica Linguâ proponerentur omnia, decretum fuisse, tradit. Quod tamen nec esse perpetuum ostendunt causæ Flandriæ & Hollandiæ, quas ipse excipit. Sanè Instrumentum Pacis & latinè conscriptum, & hâc linguâ, Recessus Imperii anni 1654. partem facere, notius est, quàm ut memorari debeat. Ut vel non idoneè probari talem Rudolphi legem fuisse aliquam, vel certè desuetudine sublatam necesse sit. Interim Recessus duobus proximis seculis ferè omnes, lingua Germanica scriptos docet eorum postrema in uno volumine facta collectio.

XXX. Recessus hos, omnes deinceps, qui Imperii Germanici partes sunt, pro legibus habent, Imperator, & reliqui Imperii Status ac subditi immediati & mediati. Undè obligatoriæ illæ in Recessibus Imperii, eorumque Subscriptionibus formulæ. Antiquiores ejus argumenti, cuivis quærenti, ex ipso Recessuum volumine se offerent. Subjicimus saltem recentiorem ultimi Recessus: Solches alles und jedes / wie hieoben geschrieben stehet / und Uns Kayser Ferdinand den dritten berühren thut / gereden und versprechen wir / bey Unsern Kayserlichen Würden und Worten / steht / vest und unverbrüchlich auffrichtig zu halten / zu vollnziehen / deme stracks nachzukommen und zugeleben / sondern gefehrde: und wir die Churfürsten und Stände / und der abwesenden verordnete Räht Bottschafften und Gesandte 2c. gereden und versprechen in guten wahren Treuen / alle und jede obbeschriebene Puncten und articul / als wie obsteht / so viel die einen jeden oder den von dem er geschickt oder gewalthabender ist / betrifft oder betreffen mag / wahr / steht / fest / auffrichtig / und ohn Verbrechen zuhalten und zu volnziehen / und dem / nach allem Vermögen nachzukommen. Quod etiam se facturum, ac nullum Rescriptum, Mandatum, aut Commissionem in adversum concessurum, solenniter promittit, & jurat Imperator in Capulat. vid. ult. Capul. Augustissimi Imperatoris Leopoldi *artic. 38.* Neque novum id est, sed jam indè in prima Caroli V. Capitulatione *art. 32.* usurpatum. Legitur quidem id in Caroli V. Capitulatione, saltem

saltem in hunc modum: **Wir sollen und wollen auch in dieser Unserer Zusagung/der gülden** Bulla, **des Reichs Ordnung und Gesetzen/so jetzt gemacht oder künfftig durch Uns mit Churfürst. Fürsten und Stände H. Römischen Reichs-Raht möchten auffgerichtet werden/ zuwider kein** rescript, **oder** Mandat, **oder ichtwas beschwerlichs/unerhörter Sachen außgehen lassen oder zugeschehen gestatten:** Undè existimare aliquis possit, audita causa id permissum fuisse Carolo V. Imperatori. Sed illa verba, velle ut audiatur causa in Comitiis præsentibus Statibus, pridem monuit *ad dict. art.* Limnæus. Et ne subesset dubii quid, in sequentibus Capitulationibus omnibus omissa sunt, adjectis interim quæ sensum Capitulationis magis declarant, confer *art. 29. Capit. Ferdin. I. Maxim. II. art. 16. Rudolphi II. artic. 33. 34. & 35. Mathiæ Capit. art. 39. Ferd. II. tit. 38. Ferd. III. tit. 40. Ferd. IV. tit. 38. Leopoldi tit. 38.* Multò magis autem alii Status Imperii iisdem tenentur, ut ex Recessibus patet: vid. post plures alios Carpzov. *de Lege Regia cap. 12. sect. 2. n. 17.* Arumæum *de Comitiis c. 8. num. 106.* Paurmeister *de Jurisd. lib. 2. c. 2. n. 57.* Obrecht. *de jurisdictione cap. 6.* De reliquis Imperii Civibus, qui Status non sunt, & subditis, Obrechtus *d. l.* ita quidem existimat, illos Recessus non obligare: quod habeant vim conventionum & contractuum, qui contrahentes solum obstringant. Cæterum hoc à Reipublicæ nostræ instituto alienum esse rectissimè monet Paurmeisterus *lib. 2. de Jurisd. cap. 2. n. 57.* Ubi verè docet: *aliud esse actionem & conventionem privatam, quæ aliis quàm qui egerunt & consenserunt non præjudicat, cum gesta tantum ad actores suos restringi, ad alios verò porrigi non debeant l. Modestinus de exceptionibus leg. 2. Cod. de fide instrumentorum. C. res inter alios acta, in principio. Aliud conventa ac Decreta publica, quæ non tantum constituentes, sed totam Civitatem ex potestate antea in eos collata obligant. Nihil enim interest per se aliquid decernat populus an verò ii, quibus decernendi negotium dedit, l. item* §. 1. *quod cujusque Universit. nomine.*

XXX. Secundum hos Recessus etiam jus redditur in Summis Imperii Judiciis. In judicio Imperiali Aulico ita rem sese habere probat Ordinatio novissima Judicii Aulici Ferdinandi III. de anno 1654.

1654 *tit. 1.* §. Und weilen: ubi illa leguntur; Ob gleich ein Sach uns selbsten betreffe / allein Gott und ihren zu der wahren Justitz leiblich geschworen en Eyd allezeit vor Augen halten / so dann zu forderst Unser Röm. Kays. Wahl Capitulation / Reichs-Abschiede ꝛc. und in mangel derselben die Kays. Rechte und rechtmässige Observationen und Gebrauch in acht nehmen / und nach denselben ihre Decreta Bescheid und Urtheil richten. Adde juramentum des Reichs Hoff-Rahts ibi jetzige und künfftige des H. Reichs Constitutionen und Satzungen ꝛc. in acht zu nehmen in allen Satzungen und Handlungen & §. pen. Es solle auch unser Kays. Wahl Capitulation / alle Reichs-Abschiede ꝛc. auff der Reichs-Hoff Rahts Tafel damit man sich deren auff zweiffelhafftigen Fällen gebrauchen könne stets vorhanden seyn / und von selber nicht verrucket werden. De judicio Camerali idem disertis verbis constitutum: vid. Ord. Cameralem *de an. 1555. part. 1. tit. 13.* & in *Nova Concept. Ord. Cam. part. 1. tit. 19.* & juramentum Assessorum *part. 1. tit. 57. ibi* Nach des Reichs gemeinen Rechten / Abschieden ꝛc. Denais voce *Adsessorum munus.* Roding. *Pand. Cam. lib. 4. tit. 3. p. 963.* Quin si quando parum attenderentur Imperii Recessus, gravissimè eâ de re conquesti leguntur prudentiores multi ex Imperii Statibus. Fridericus Wilhelmus Pro Elector Saxoniæ *in Scripto ad Legatos in Comitiis Ratisponensibus commorantes* ita infit. Es ist leyder dieser Mißbrauch bey solcher wolbedachten Reichs-Ordnung / daß es zwar verabschiedet also verbleibe / wie es aber ins werck zu richten bey zeiten nicht in acht genommen werde / sondern sich mehrer theils ohne fernerem zuthun darauff verlässet / daß solches im Reich also geschlossen / und in Abschied gebracht / darüber einsmals das heilige Römische Reich unversehens zu grund und boden gehen möchte. Et Evangelicorum Statuum Lipsiæ congregatorum ad Imperatorem in literis die 18. Martii Anno 1631. gravis est querela: Es woll das Ansehen gewinnen / als ob die so mit grosser providentz und Fürsichtigkeit auffgerichte Sanctionen und Abschiede / gar ihre Abschiede bekommen sollen.

XXXII. At quæ sit ratio quâ adstringunt Imperii Status & Subditos inquirendum nobis adhuc superest: vim contractus an legis habeant Recessus? an utriusque? quod nostra ætate disceptari cœpit. Con-

tractus vim iis negari non posse, docent manifestissimi textus singulorum ferè Recessuum: vid. Recessum *de an. 1500. in fin. Recess. de an.* 1512. *itidem in fine: de An. 1559. ubi verba* **vereiniget / verglichen / verpflichtet / vertragen** (quæ Contractus sunt,) reperire est. Sed &, quod itidem leguntur in Recessu 1559. illa, **setzen / ordnen / und wollen:** & in Recessu Imperii de an. 1564. **setzen/ordnen/und wollen demnach.** Et in Recessu de an. 1570. **Darum gebieten / und wollen / daß alle und jede Stände und Obrigkeiten / ob diesem Unserem Gebott mit allem ernstlichen Fleiß halten** / quæ præceptum & legem continent: & cum Recessus ab iis, qui legum ferundarum potestatem in Imperio Germanico habent, ferantur, cum obligatorio præcepto, omnibus Imperiii civibus & subditis publicentur: tum in plerisq; quæ iis continentur rebus votorum numerus attendatur, idque jus sit quod plures volunt, cum in Contractibus vota plurium non sufficiant, sed singulorum consensus requiratur; Ideò & leges esse, & contractus vim habere, non immeritò Fibigio *quæst. 3. semid. 8. n.* 11. visum fuit. Neque novum est, utramq; vim contractus & legis, uni negotio tribui, quod pridem observatum Grotio *lib. 2, de Jure Belli & Pacis c. 14. n. 9.* vid. ad eundem Feldenum *in ult. edit. Annot.* Et monuit jam antea contra Obrechtum Paurmeisterus *d. l.* (qui indè, quod in vim contractus valere Recessus dicuntur, malè addita exclusiva particula, quasi solùm in vim contractus valerent, exemerat à Recessibus mediatè Subditos) *Quod dicitur Decreta vel Recessus Imperii habere vim conventionum & contractuum, non ita simpliciter exaudiendum esse.*

XXXIII. Cessat vis & obligatio Recessuum Imperii, ex iis causis, quæ alioquin faciunt cessare legis virtutem. I. Si cesset tota causa finalis, vel finis internus, qui à re præcepta non distinguitur. Ad eum enim in cessatione legis omnis respicitur, non ad externū, & à materiâ præcepti distinctum, quando quæritur de perseverantia illius & cessatione vid. *l. ult. ff. d. SCto Silaniano l. 8.* §. *2. de jure Patronatus*, Suarez *de legibus lib. 6. cap. 9. num. 5. 9.* 10. Salas de legibus *disp.* 21. *sect. 3. num. 34.* Bonacina *disp.* 1. *qst.* 1. *punct. ult.* §. *2. num.* 1. vers. *dixi cessante tota causa*: post *Covarruviam Azorium*, *Victoriam*, Castro Palao *Operis Moralis part.* 1. *Tract. 3. disp. 5. punct.* 1. *num.* 4. II. Si ad certum tempus, vel terminum saltem, aliquid constitutū sit,

ſit, ut Conſtitutiones de ſolutione Debitorum in ultimo Receſſu *de an.* 1654. §. So viel nun die Capitalia: Neque enim dubium, exiſtente termino legis, eam evaneſcere, *l.27.§.1.l.52.§.3. de pactis l.21. ff. de Vulgari & pupillari ſubſtitutione.* III. Si abrogetur, lata alia in adverſum lege: §. *penult. Inſt. de Iure N.G. & Civili l. fin. de Conſt. Princ. & cap. 1. de conſtit. in 6to.* Thomos 1.2. *qſt.97. art.1. & ibi Scolaſtici ac Moraliſtæ,* Interpp. *in l. un. C. de caducis tollendis in princ.* & paſſim. IV. Si conſuetudine rationabili, & legitimè præſcripta, ejus obligatio ſublata ſit, *l.32.§ 1. ff. d. LL. SCtis & longa conſuet. cap. ult. x. de conſuetudine.* Non eſt verò obligatio ſublata ſi ſimpliciter, quamvis longo tempore, nullus ſit Receſſus alicujus uſus, quod fieri ſolet in multis materiis *v.g.* Expeditionis Romanæ, Turcicæ, &c. arg. *l.3. in princ. C. de jure Dominii impetrando.* Conſuetudo enim, quæ legem abrogare debet, vel novam ſtatuere, neceſſariò oriri debet ex ſpeciali intentione ſtatuendi novã, Emanuel Saa. *verbo Conſuet.* Bonacina, *diſp.1. qſt.1. punct. ult. §.3. n.19.* poſt, *Suarezium, Vasquez, & Salas,* Caſtro Palao *d. l. Diſp.3. punct.3. n.12.* Sed & ex parte ceſſare poteſt ex Interpretatione, ſi nempe declaretur, Receſſum ad illum caſum, de quo agitur non pertinere, quod de LL. in genere omnibus monet, poſt alios Caſtro Palao *d. l. diſp.5. in princ. punct.3.*

XXXIV. Diſpenſatione etiam remitti obligationem, ut aliarum multarum legum, ita interdum Receſſus Imperii poſſe, dubio vacat. vid. ejus Exemplum in Receſſu de anno 1654. §. Nach dem mahl aber/ & ſecuta diſpenſatione, quæ extat apud Rhodingium *pandect. Cam. l.1. tit. 12. p. 201.* adde Ampliſſimum Dn. Johannem Melchior Sax, *in diſp. de Diſpenſ. th. 251.* Diſpenſatio tamen hæc, non ad Imperatorem cum Statibus ſimul ſpectat, quod ſatis oſtendunt Capitulationes: vide imprimis ultimam Leopoldi Imperat: *art.38.* Carpz. *de Lege Regia c. XII. ſect. 2.* Illud vix monendum eſſe putamus nullam eſſe univerſalem obligationem ad Receſſum, ſi de eo convenire Status nequeant, quod factum an. 1608. & an. 1613. in nuperis Comitiis An. 1654. ajunt Principes & Status Proteſtantes apud Limnæum *tom. 2. add. ad l. 9. c. 1. n. 167.* An. 1608. Sey es zur Diſſolution des Reichstages/ An. 1613. aber zu keinem ordentlichen verglichenem und allerſeits beliebten/ ſondern vielmehr einem einſeitigen von den proteſtie-

stierenden vermög vorhandenen offenen Abdrucks publicè contradicirten Reichs-Abschied/ꝛc. außgeschlagen.

XXXV. Patet ex his, quæ scripsimus, quid differat à Recessibus Imperii Constitutio Imperatoris solius. Hi enim Statuum deliberationem & consensum postulant. Quid à Constitutionibus Imperatoriis etiamsi accesserit unius vel alterius ex Statibus extra Comitia consensus, ut in Pace Pragensi, quæ ideò meritò in ultima Editione Moguntina Recessuū omissa est. Sed & à Recessibus Conventuum Circularium multum discrepant. Sunt enim illa Decreta, Comitiorum non omnium Imperii Statuum, vel nomine omnium collecta, sed certæ saltem Imperii partis. Multò magis autem inter Recessus Generales hujusmodi, & cujuscunque Germanicæ Ptovinciæ Particulares, Landtags-Abschiede/ differentiæ plurimum est. A Statibus enim solummodò Provincialibus, unius alicujus Imperii Status, ad salutem unius Provinciæ illi componuntur. Qua ratione & discriminis plurimnm est inter universales Imperii leges & Ordinationes hujusmodi Provinciales vel Statuta. Quin satis quoque manifestè apparet, quale sit inter Recessus hujusmodi & fœdera Statuum imperii, vel invicem, vel cum aliis, discrimen.

XXXVI. Cæterum aliquot seculis nulla Recessuum hujusmodi facta est collectio. Primum enim, quod sciamus, uno volumine Anno 1527. Spiræ typis descripti sunt. Inscriptio librii sta, Alle und jede des Reichs-Ordnungen/ sampt der gülden Bull und Abschieden/ꝛc. Auß Befehl Kays. Majest. Stadthalters und Regiments im H. Reich zusammen gelesen durch Peter Trachen/ Schultheissen zu Speyer. Insecutæ Editiones Moguntinæ anni 1548. 1552. 1559. 1567. 1599. 1607. 1614. 1615. 1621. 1642. quam excepit demum ultima anni 1660. Omnes verò imperfectæ. Nec enim Recessus alios, quàm ab anno demum 1356. promittunt quidem. At verò tanto tempore, quod ad illum annum usque ad Caroli Magni ætatem fuit, nulla fuisse Comitia, nullos Recessus, nemo hactenus dicere ausus est: ac si auderet aliquis, ipsa ratione, Historia, & exemplis eorum, quæ habet Goldastus & Lehmannus refelli potest. Sed & illo tempore nullæ constitutio-

tutiones Imperii ab an. 1356. ad annum usque 1442. ibi exhibentur. Et fuisse tamen plures testantur vel illa solum, quæ in Chronico Spirensi collegit Lehmannus. Sanè Limnæus ad *l. 9. c. 1. n. 225.* se admonitum ait à Georgio Christophoro Waltero, esse qui ab an. 1356. usque ad annum 1507. viginti & novem conventus Imperiales commemorent: quo toto tamen tempore non nisi 5. in Editione Moguntina Imperii Recessuum reperiantur. Cæterum, quod Walterus putavit, an idoneis argumentis ostendi possit vel ex Historia veteri, vel ex collectione aliqua, aut aliundè, nos maximoperè dubitamus, Goldasto & Lehmanno non observantibus alia Comitia, aut Recessus, nisi annorum 1442. 1466. 1471. 1474. 1479. 1486. 1487. 1489. 1495. 1496. Addit his, Erklärung des Landfriedens zu Nürenberg an. 1552. auffgerichtet / §. so Jemand von der Schuld / Comitia an. 1498. Friburgi habita. Quod si his aliquis adjecerit Recessus anni 1510. 1535. 1543. 1559. 1569. qui integri additi sunt in ultima Editione Recessuum, cùm hactenus in collectionibus omnibus defuissent, is minimè dubitabit valdè imperfectas esse Editiones Recessuum Imperii hactenus. Quid? quod insertæ sunt etiam Constitutiones, quæ Recessus Imperii non sunt. Nisi Recessum esse credere velimus, Interimisticũ scriptum An. 1548. quod in Moguntinis omnibus, & Pacem Pragensem, quam in Ostermanniana Editione anni 16442. legimus.

XXXVII. Nec imperfectæ solum sunt Recessuum Imperii Editiones; sed quod dolendum meritò, multo plurimis etiam tum veteres, tum posteriores imprimis laborant vitiis. Adducemus aliquot, undè id liquido cunctis patere possit, Exempla. In der Regiments-Ordnung zu Augspurg an. 1500. Tit. der Türcken halb. in omnibus Editionibus corruptissimè legitur. Weiter haben wir nicht ohne Beschwerung unsers Gemühts betracht / und zu Hertzen genommen / wie schwerlich der Feind Christi der Türcke sein Macht nicht weiter (nonnulla exempla habent nicht weiter) dann bißher in die Christglaubige Gewalt gesteckt: pro noch weiter / ut legitur in Editione hujus Recessus Spirensi an. 1527. correcta à Petro Drachen Sculteto; aut, ut habet Exemplar quoddam manuscriptum hujus Recessus: jetzo ferner. Recessus Spirensis an. 1542. §. Wo dann also rc. in Editione Moguntina legitur: Durch die ungeordnete Einneh-

nehmer/pro durch die undergeornete ꝛc. In der Käys. Erklärung wegen der Religion zu Augspurg *tit.* 12. §. penult. (quæ tamen constitutio propriè non meretur locum inter Imperii Recessus, utpote non probata à Statibus omnibus, sed nonnullis saltem) legitur corruptè: hiemit wollen wir dem Ungehorsam nichts abziehen/dann die Kindern ihrē Eltern schuldig/pro: dem Gehorsam/ R. A. zu Augspurg 1555. §. ob auch der Oberst: ibi, darauß sollen sie in beyseyn der Beschädigten und der jenigen so die Sache nicht belanget (edit. veteres habent nit) zuhalten: pro mit belanget; Cammergerichts Ordn. de an. 1555. *part. 2. tit. 23.* Es wäre dann daß die Sache und Handlung darüber die Käys. Mandata zuerkennen gebotten/ pro verbotten; ut habent reliquæ Ordinationes & latina versio Gobleri R. A zu Augspurg an. 1559. §. solche fürfallende/ in fine ibi, die in Jahrsfrist dem Cammergericht verpflicht gewesen/pro, nicht verpflicht gewesen; Müntz Ordnung zu Augspurg de an. 1559. §. Und damit diese ꝛc. legitur. Doch wo die Kräißstände befinden / daß vonnöhten wäre zween Probation-Täg jährlich gehalten werden. pro, daß nicht vonnöhten wäre zween. Vidit hoc jampridem Goldastus, qui ut ipse commemorat, im Rechtlichen Bedencken von Confiscationen der Zauberer Güter p. 140. destinaverat ideo in lucem edere libellum inscriptum: Warnung von denen zu Maintz/bey Behem / Albin / und Strohecken gedruckten Reichs-Abschieden; Sed morte præventus quod facere animum induxerat, vel non absolvit, vel saltem libellus ille alicubi latet ineditus.

XXXVIII. Adeò autem non corrigit hæc vitia ultima Editio Anni 1660. ut plurimis locis passim etiam augeat. Dabimus saltem ejus etiam aliquot Exempla. In Ordinatione Camerali zu Augspurg anno 1500. Constitutione cujus Inscriptio. Die Artickel des Cammergerichts zu Lindau/Freyberg/werden hiemit ratificiert ꝛc. *p.* 13. post verba: daß dargegen reformation der Notorien fürgenom̃en werde: omittuntur illa: dardurch solches fürgekommen werde: & ibidem, untüglich geschickt / pro untüglich und nicht geschickt/ut ex ratione & comparatione primæ Editionis Spirensis Recessuum patet. Id gravius etiam est, quod §. integer der Cam̃ergerichts Ordnung zu Augspurg/anno 1500. auffgerichtet/*qui sub tit.* 14. *in princ.*

legi

legi debebat, ac integris quatuor lineis constat, omittitur. Prolixum esset omnia referre, cum locis pluribus, quam aliquis qui non contulerit, credat, errore typographi peccatum sit: imprimis in Ordinatione Camerali. Interim ut posteriores nonnullæ Editiones, antiquissimas eo superant, quod additum habeant Germanico (qui solus in antiquis legebatur) latinum textum Bullæ Aureæ, Ostermanniana autem reliquas eo superat, quod Epitome Aureæ Bullæ etiam accesserit; Ita ultima hæc, reliquis eo nomine antistat, quod Recessus quinq; ann. 1510. 1535. 1543. 1559. 1569. desideratos in prioribus, adjecerit: & quod præterea in paragraphos, numeris distinctos, Recessus singulos dividat: quod summam rerum, Recessibus definitarum, capita, circa singulorum initia observet, ac demum Indices tres, Cameralem, quam reliquæ Editiones multò locupletiorem, speciales verò, Bullæ aureæ, & Ordinationis criminalis, locupletissimos habeat.

XXXIX. Melchior Goldastus ab Heimensfeldt tentavit quidem colligere à prima origine Imperii Germanici Recessus. Atque tomos etiam tres edidit. Eorum secundum Christiano II. Electori Saxoniæ, Vicario Imperii inscribit, atque dedicationis hujus hanc se habere causam ipse ad Electorem profitetur. *Ut super iis unà pariter cum Serenissimo collega in commune consuleret; & ubi consuluerit de iisdem juxta sanctissimi numeris à Regibus delatam gratiam, cum Sacra Cæsarea Majestate agat eamque opo consilioque juvet, ut authoritate Imperatoria eas Constitutiones quæ nonnihil ab usu recessisse videntur, commoda interpretatione, restituat, quæ obrepserunt atque furtivæ sunt*, (cujusmodi nonnullas in eâ collectione esse à Pontificibus Romanis confictas ipse agnoscit) *tollat, quæ publicis Decretis abrogatæ, nullas esse jubeat, quæ verò gratæ in vulgus & in usum bonumque publicū necessariæ sunt, quæve ut vim atq; vigorem obtineant res communis postulat, nova sanctione corroboret, confirmet, in universoque imperio exerceri procuret.* Sed & res illa effectu caruit; & non manca solùm est illa collectio, sed & falsa quædam, dubiæ fidei nonnulla, abrogata plurima eam continere, tum res ipsa loquitur, tum confitentem modò audivimus Goldastum, cujus tamen laudem eximiam, in noñullis adhibita diligentia meretur. Quid quod tertio operis illius tomo, & tomo uno Collectionis, quem Matthiæ Imperatori dedicavit, Francorum Regum Decreta, nostris Re-

Recessibus permiscet, & posteriores Recessus non attingit. Galli Decreta Comitiorum antiqissima, à primis Francorum exordiis, summa cura collecta debent industriæ Cardinalis Mazarini, qui 50. Majoribus manuscriptis voluminibus, quicquid ab ultima antiquitate usq;, excussis archivis & Bibliothecis Galliæ erui potuit, magnis sumptibus colligendum judicavit, quomodo illi ante paucos annos adhuc in Bibliotheca Mazarinea extabant.

XL. Recessus hos Imperii à Pontificibus, & quidem Paulo IV. primum, inter libros prohibitos relatos, eaque de re non semel conquestum esse Ferdinand. I. Imperatorem legitur in *Disput. 4. vol. 2. th. 1. lit. b. Collegii publici Dn. Cancellarii Schützii de Statu Rei Romanæ.* Atque ejus rei testis advocatur Petrus Suavis Polanus in *Historia Concilii Tridentini*, qui verò suo nomine non alius est quam Frater Paulus Servita. Cæterum quamvis tum ex Sleidano de Statu Religionis & Reipublicæ, tum ex Petro Suave id satis appareat, nonnullos Imperii Recessus bilem movisse Pontificibus, inprimis illos, qui continent *pacem religiosam*, aliaque *Religionem*, aut *disciplinam Ecclesiasticam* attingentia; id tamen, omnes Recessus, ac totum volumen, inter libros prohibitos relatũ, ibi disertis verbis legi, hactenus non observare potuimus. Non erunt autem hujusmodi protestationes aut contradictiones Pontificiæ majoris momenti, quàm illæ quas opposuit Bulla edita anno 1651. Paci Monasteriensi & Osnaburggensi Innocentius X. Sanè fulgura hæc esse ex pelvi abundè docuere libris integris viri Clarissimi Hermañus Conringius Helmstadiensis, & Johannes Hornbeck Ultrajectinus Professor, quibus adde Ludovici de Montesperato Vindicias Pacificationis Osnabruggensis & Monasteriensis. Id demum addimus, optandum, prodire aliquando Comentarium eruditi Viri in hoc volumen Recessuum. Agitaverat animo tale quid Goldastus, atque extant hodiè prima illius operis manuscripta ac inedita rudimenta Francofurti ad Mænum apud privatos. Extant & breves notæ ac ineditæ Caspar. Bitscii, scriptæ ipsius Bergeri celeberrimi Cameræ Assessoris manu. Spiræ, in Bibliotheca Bergeriana; sed in totum Codicem hactenus typis descriptum, nihil prodiit. Nuper tamen Anton. Gunth. Fritschius tale quid pollicitus est. Quod quale futurum sit, dies docebit. Nos hic pedem figimus.

EXER-

EXERCITATIO
De
Sacri Romano-Germanici Imperii
MATRICULA
Von des Heil. Römischen Reichs Matricul/

THES. I.

MAtriculæ nomen à matrice eſt, quæ vox, quàm varia denotaverit olim, poſt Lexicographos, monuit jam Reinkingius *de Regimin. Secul. & Eccleſ. lib. 1. claſſ. 4. c. 1. n. 6.* Et reliquæ quidem inſtituto noſtro idoneæ non ſunt, ſi excipiamus illam, qua Matrices libelli dicuntur, in quibus Cæſareo Fiſco penſitantes deſcripti continebantur. Budæus *ad l. 1. de edendo*, & ex eo Gailius *lib. 1. practic. obſerv. obſerv. 21. n. 3.* Indè matricula, quam pro Catalogo, deſcriptione, Indice uſurpari etiam in jure noſtro non infrequens, vid. ſaltem *l. 3. C. de agent. in reb. l. pen. in fin. & ult. C. de commeatu.* Hinc libri, in quos militum nomina deſcribebantur, Matriculæ militares, *d. l. pen. C. de commeat. l. 16. C. de teſtam. milit.* perinde ut illas, in quibus Advocatorum nomina annotabantur, matriculas appellari, mos erat, *l. 13. C. de advocat. diverſ. Judic.* & cohortalium matriculæ eo ſenſu mentio eſt *in l. 10. C. de cohortal.* In Gloſſis Baſilicorum editis à Fabrotto, eſt Ματρίκιον ἡ ἀναγραφὴ τῶν στρατιωτῶν: Matricula, deſcriptio ſeu Index militum. Vide Voſſium *de vitiis ſermonis & gloſſematibus Barbaris lib. 3. c. 24. p. 517.*

II. Quæ noſtris matricula eſt, ea vel certe ſimilis deſignatio, Auguſtini Imperatoris ævo Breviarium Imperii, dicta videtur. In eam

 rem

rem Suetonius *l. 2. de duob. Cæsar.* tria ipsum volumina reliquisse prodit, ac tertio complexum breviarium totius Imperii, quantum militum sub signis ubique esset, quantum pecuniæ in ærario & fiscis, & vectigaliorum residuis: in quem locum legi meretur Cl. Bœclerus *commentat. in Taciti primordia annal. l.* II. *p.* 392. *& seqq.* ubi additis Taciti & Dionis locis, quale id fuerit, uberius explicat. Est &, ubi album appelletur, I. *t. ff. de alb. scrib.* uti est in vulgatis & Norica, quod in Florentina legitur de alvo scribendo. Ubi notat Gothofredus, Album est matricula, vel ut quidam loquuntur, patricula, (in editione nupera Belgica Simonis **von Leuwen** malè legitur particula) Decurionum *add. l.* I. *&* 2. *t.* I. Sunt & qui *pittacia*, quorum mentio est *in l. 56. C. de erogat. milit annon.* idem cum matricula significare velint, vid. Limnæum *l.* I. *jur. publ. c.* 7. *n.* 661. Daniel Otto *dissertat. de Jur. publ. c.* 17. *p.* 540. pitacticum, sed haud dubiè corruptè vocat. Cæterum cum Pittacium, ut apparet *ex ead. l. 5. & pen. C. de erogat. milit. annon.* non quodvis album, vel quemcunque Indicem, sed rationes & commentarios annorum militarium, quos è fusili pice, unde & pittacia dicuntur, ad exarandum conflari moris erat, significet, quod non difficile ex Lampridii Alexandro, & Cassiodori variorum *lib.* I. conficitur & notavit in notis *ad l.* 5. Gothofredus; non video, quomodo vel cum matricula in genere, vel cum illa Imperii, pittacia veterum, idem esse possint. Nonnulli matriculam significare volunt Brevium nomine, quod legitur *l. 9. C. de erogat. milit. annon.* Quod si autem brevia sunt Scripturæ compendiariæ, quomodo Zonaræ in Concilio Carthaginensi describuntur, aut, ut Budæus putat *ad tit. de offic. præfecti præt commentarioli rerum summam continentes; qui Gallis appelentur Borderelles,* ut latius aliquot sint, quam matricula cum ipsâ tamen matriculâ non semper idem erunt. Illud certum, interdum vocari particulam: extat locus *in l. 5. C. Theod. de dom. & pot.* Melch Gold. Heimensf. comment. de regn. Bohem *lib. 2. c. 17. in pr.* vocat tabulas Salicas, ac mox Registra censualia. Zacharias Vietor dissert. *de caus. exemt. Imperii, concl.* 5. communi nomine *tabulas Imperii publicas, ac Imperii Codicem, qui terrestrium numinum nomina signat,*

indi

indigitat. Klockius *de contrib, cap. 19. n. 33.* Matriculas vocat etiam inscriptiones. Catalogum Indictionum appellat Carpz. *de l. Regia cap. 5. sect. 11. n. 28.* Schütz. *de Statu Rei Romanæ vol. 2. Disp. 2. th. 15. lit. a.* Wehnerus *in Observat. voce* **Matricul**; ubi etiam Registrum Exactionum pro Matricula usurpatur. Vossius *de vitiis sermonis lib. 3. cap. 24. p. 517,* Regestum vocat. Nostris dicitur **des Heil. Römischen Reichs Matricul** / *per Recess. Imp.* **zu Augspurg** *de anno* 1548. §. **nach dem auch etlicher** &c. **Verzeichnüß der Reichshülffe** / Goldastus *comment. de Regno Bohem. l. 2. cap.* 17. *num.* 7. vel **Reichs Register der Auschläge** / *dict. Recess. Imp. de anno* 1548. §. **Wiewohl auch in der Reichshandlung.** Autor **des Abdrucks der von der Königlichen Schwedischen** Plenipotentiarien Anno 1651. **hinterlassenen** Remonstration, scribit: fuisse, qui vocem Matriculæ Germanicè redderent **eine Rolle** / sed id minus rectè fieri addit, quod vocabulum **Rolle** / nimis generale sit, & propriè aliud non denotet, nisi designationem quocunque etiam modo, & de quocunque negotio factam; Imperii autem Matricula Instrumentum publicum denotet, in quod Statuum nomina publica Imperii Authoritate relata sint, quæ ideò nomine **einer schlechten Rollen** venire non possit.

III. Quid sit Matricula Imperii, exactâ definitione explicare, plurimum difficultatis habet. Paulus Matth. Wehnerus *in pract. Observat. lit. M. voce* **Matricul** / contentus est dixisse, quòd sit Imperii Catalogus **der Auschläge** / seu Indictionum Imperii: mox subjungit lingua vernacula Germ. **des Reichs Matricul / darinnen die Anschläge verfasset / welche in der Maintzischen Cantzley auffgehalten werden.** Quam descriptionem suam quoque fecit Joh. Theod. Spreng. *de Jurisprud. publ. p. 185.* nisi quod parum aptè addit; Indictiones vulgo dici **Reichs-Satzungen** / quô vocabulo Imperii Constitutiones solummodo notari, extra controversiam est. Becher eandem quoque Wehneri descriptionem in Synopsin suam *lib. 3. cap. 2. num. 2.* retulit. Dn. Reinking. *de. Regim. Secul. & Eccles. l. 1. cl. 4. c. 1. n. 11.* Imperii Matriculam nihil aliud esse scribit, *quàm album, in quo nomina Civium immediatorum & Statuum Imperii, &*

quantum unusquisque ex illis Imperio, urgente necessitate, pensitet, con. conscripta continentur: quam retinuit Acad. Giessenæ Cancellarius, Justus Sinold Schütz *in Colleg. publ. de Stat. Rei Romanæ vol. 1. Disp. 6. th. 2. lit. d.* Limn. *l. jur. publ. c. 7. n. 66. in fin*, eandem describit: *quòd sit Catalogus, in quem Statuum Imperii nomina solenniter relata, & in quo, quantum cuique horum Imperii necessitatibus contribuere conveniens sit, expressum legitur.* Iisdem propemodum verbis Dn. Nicolaus Mylerus *in succinctâ delineat. de Princip. & Statib. Imp. Rom. Germ. eorumque præcipuis juribus c. 10. num. 3.* & Joh. Jacob. Speidel. *in Speculo Jurid. polit. Observat. & Notabil. l. M. n. 60.* utuntur Arum. *de Comit. c. 8. n. 59. p. 631.* matriculam *nihil aliud esse vult, quàm Scripturam, in qua summa, quam Status Imperio debent, continetur.* Dn. Joh. Helvvicus Sinold cognomine Schütz *in prælect. MSS. de jur. publ. tit. 5. pos. 8.* in expositione, definit album, in quo nomina Civium immediatorum, & quantum quisque ex iis pensitare teneatur, expressa continentur.

IV. Non videntur autem hæ quidem descriptiones, satis quid sit Imperii Matricula, explicare: Alibi enim vox, quà Reinkingius utitur, ambigua est, deinceps Civium immediatorum & Statuum Imperii nulla est differentia, iidem enim Cives immediati Imperii, qui & Status, quod pluribus probat Herm. Conring. *disp. de Germ. Imp. Civ. th. 6. 7. & nonnullis praced.* Adde quod Matricula contineri velit, quantum unusquisque Statuum Imperii urgente necessitate pensitet, cùm tamen in expedito sit, esse etiam, ubi citra necessitatis casum ad Imperii decus, ornamentum, & utilitatem aliquid conferant Status, qualis v. g. est, quod in expeditionem Romanam impenditur. Tandem hæc descriptio vult in Matricula conscriptum contineri, quantum unusquisque Statuum Imperii pensitet, cum tamen eô etiam nomine Matriculæ imperfectionis arguantur hactenus, quòd omnes Status in eas relati non sint, & quòd ralati sint, qui jus suffragii Comitiis non habent, & Status reapse non sunt. Sunt ista pleraque etiam communia descriptioni illi, quam exhibet Limnæus, & qui illum sequuntur. Wehneri autem illa, in eo deficere videtur, quod nullâ factâ Statuum mentione, quorum designatio præcipuus matriculæ finis esse videtur, solummodo contributionum meminit.

Quod

Quod idem eſt in Arumæi illa, quæ præterea præſupponere videtur, omnes Status jam in Matriculam relatos, & non relatos alios præter Status & ſummam omnibus legitimam aſſignatam eſſe, de quibus admodum controvertitur. Schützii Junioris autem iſta, quamvis reliquis accuratior, quòd tamen ambigua valde voce utatur, & nomina Civium immediatorum, & quantum quisque ex iis penſitare teneatur, matriculam jam continere expreſsè velit, (quod ſi de omnibus Statibus intelligatur, de nulla hactenus Imperii matricula verè prædicari poteſt; ſi de nonnullis, non ſufficit) loco perfectæ deſcriptionis eſſe hactenus non poteſt.

V. Fortaſſis autem hac ratione deſcribi poſſet Imperii Matricula, quòd ſit libellus publica authoritate deſtinatus, ut in eo deſcribantur nomina omnium Imperii civium, (vel quod idem eſt, Statuum) & quantum quisque eorum ad uſus communes contribuat. Libellum dicimus eo ſenſu, quo pro ſcripto Codice exiguæ molis libellus uſurpatur. Publicam authoritatem requirimus, quod expeditum ſit, privatam non ſufficere, ſed requiri Imperatoris & Ordinum Imperii; addimus, eſſe deſtinatum, ut in eo deſcribantur nomina omnium Imperii Civium, quod licet hactenus fortaſſis deſit Imperii Matricula, quæ omnium Imperii Civium nomina, nullis admixtis aliis mediatè ſubjectis, exactè exprimat, dubio tamen procul ſit. ſaltem intentione Imperatoris & Ordinum Imperii huic fini deſtinari matriculam; addimus, quantum quisque eorum ad uſus communes Imperii contribuat: omnibus enim Matriculis, quas hactenus vidimus, præter Statuum nomina etiam onera quædam adſcripta fuiſſe meminimus. Nec officit, ſi privilegio aut alio jure aliqui à contributione immunes ſint: nam & his adſcribitur, nihil eos debere.

VI. Cui tempori originem Germania debeat hujusmodi Indicis, quô Statuum nomina exhibentur, plerisque quoque eſt perobſcurum; tentabimus tamen venire ad illud, quod vero proprius eſt. Id expeditum eſt, quô tempore nullum adhuc fuit Imperium Romano-Germanicum, nullam quoque potuiſſe eſſe Statum illius deſignationem. Cum autem Germania in unius Imperii ſocietatem felici-

bus Caroli M. armis demum coaluerit, hinc quidem in expedito est, nullam ante Carolum M. vel cogitari posse Statuum Imperii illius, quod nondum fuisse constat, designationem. Exinde quidem passim mentio est indictionis ad publicam expeditionem, cui si quis parere contempsisset, damnô feudi hanc culpam lueret; sed eorum nomina, qui ad publicam expeditionem vocarentur, publica authoritate in unum librum redacta; nullibi legitur; & si constaret de hujusmodi Catalogo, nondum tamen in propatulo foret, an Statuum Imperii solummodo nomina, & an omnium exhibuisset. Videntur enim, ut ex *2. F. 55. §. 1.* apparet, ii solùm evocati esse ad publicam expeditionem, qui feuda eô nomine haberent. Et tempore Ottonis IV. vel circa principia seculi XIII. nullam adhuc certam fuisse omnium Statuum descriptionem, satis ostendi potest ex historiâ expeditionis Romanæ ab ipso susceptæ, quod & jam præstitit Matth. Dresserus *in Chron. Saxon. fol. 265. Witteberga anno 1596. excuso.* Zach. Vietor. *dissert. de caus. exempt. Imperii concl. 5.* tempore Friderici anno 1397. jam conscriptam esse Matriculam autumat, quem errorem incautè sequuntur alii nonnulli, inter illos Joh. Wurmserus *exercit. Academ. Jur. publ. Exercit. 1. in Corollar.* Sed quomodo Fridericus Imperator anno 1397. author esso potuit conscribendæ Matriculæ, cum annis propè quinquaginta post demum ad Imperium pervenerit? Jactatur à quibusdam Index antiquus, quo Ordines Imperii in quaterniones descripti sunt, qui extat tùm alibi, tùm apud Goldastum, Mynsterum & Onuphrium Panvinium *in lib. de Comit. Imperatoriis c. ult.* atque etiam apud Petrum de Andlo, *de Imp. Com. Germ. l. 1. cap. 16.* Sed istam divisionem ineptam esse & confictam, nil necesse est ostendere post Marquardi Freheri *in not. ad. d. l.* Petri de Andlo, & Herm. Conring. in *Diss. de Germ. Imp. civibus* industriam. Et vel ipsa illa varietas authorum, qui Indicem hunc exhibent, indicio est, non ex Archivo Imperii, sed ex inepti scriptoris cerebro prodiisse hanc designationem. Quid? quod nec si vera sit, Matricula Imperii dici possit, utpote qui paucissimorum saltem Statuum mentionem faciat.

VII. Dn. Limnæus *l. 1. c. 7. num. 96. se non dubitare ait, ut maxi-*

nè antiquior oculis nostris (quæ ipsius verba sunt) *nunquam facta fuerit familiaris, fuisse tamen Matriculis etiam illis de Anno* 1431. *&* 1397. *longè antiquiores alas.* Quod iisdem propemodum verbis repetit & probat Speidelius *in Speculo variarum Jurid. polit. &c. observationum voce Matricul.* At quod existimat Limnæus, vix credibele est; Quomodo enim tantam rem memoriæ commendare neglexerint historici omnes, quomodo nullum ejus exemplar, vel publica Imperii Archiva, vel aliorum Imperii Statuum servârint. Ad veritatem ergò propius accedere videtur, quod suspicatur Herm. Conringius *in diss. de Germ. Imp. civib. th.* 44. *exitiali peccato per aliquot secula neglectam esse publici Ordinum Albi confectionem, & certam in illud omnium nominum insertionem.* Addit deinceps, quibus explicat, quantum neglectus hic nocuerit Rebus Germanicis, quæ hic adscribimus: *Sanè si ab initio confectum fuisset album aliquod opum & Ordinum Imperii publicum, si Imperii acta & decreta sanctè semper fuissent consignata, si Cæsaris postremo authoritas semper mansisset integra, longè nunc alia esset Civium ratio.* Id controversiâ vacat, nec Lehmannum, nec Goldastum, utrumque non negligentem indagatorem, antiquiorem Matriculam, eâ quæ anno 1431. Norimbergæ in frequentissimis Comitiis pro expeditione, in Bohemiam contra Hussitas suscipienda, ab Imperatore Sigismundo Augusto & Ordinibus composita est.

VIII. Occasionem conscribendæ Matriculæ fecit bellum Hussiticum. Cùm enim Sigismundus Imperator Bohemiæ regnum ab Ordinibus sibi debitum occupare animum induxisset, renitentibus Hussitis, quòd à religione ipsorum illum alienissimum crederent, Sigismundus Imperator plus simplici vice ab illis clade affectus in novum bellum contra illos Statuum Imperii auxilia solicitavit. Imperatore ergò & Pontifice per Cardinalem Legatum urgentibus negotium in Comitiis Norimbergensibus anni 1431. quâ de re legi potest post alios Lehmannus *Chron. Spir. l.* 7. *c.* 80. Ordinum suffragio & voluntariâ, uti videtur, contributionum distributione, nisi quòd Civitates Imperii duriorem suam conditionem illâ divisione

factam,

factam, ab initio conquestæ sint, hujusmodi Matricula, quæ & Ordinum nomina, & quid quisque ad Imperii utilitatem conferre deberet, complecteretur, composita est. Extat hodieque Matricula illa sub nomine: Anschlag auff allgemeine Stånde des Reichs zu Nürnberg/ zu Hülff wider die Böhmen gemacht unter dem Römischen König Sigismundo anno 1431. *in actis Brunsuicensibus, part. 2. pag. 1019.* eamque primam esse agnoscit Goldastus *de regno Bohem. l. 2. c. 17. n. 2.* Conring, *de Germ. Imp. Civib. th. 9. p. 3.* Magnif. Dn. Oelhafen/von Schöllnbach/ JCTUS, Patricius Noricus, Academiæ Altdorphinæ ProCancellarius Dignissimus, & Reipubl. patriæ, aliorumque Statuum Imperii Consiliarius Gravissimus, *in templo Pacis Orat. 4. p. 176.* confer Limnæum *in addit. tom. 4. jur. publ. ad l. 1. c. 7. n. 69. in f.* Klock. *de Contributionibus cap. 19. n. 52. & seqq.* Primam & vetustissimam matriculam tempore Friderici III. in Comitiis Norimbergensibus Anno 1467. die Martini confectam esse voluit Wehn. *pract. Observat. lit. M. voce* Matricul Meichsner, *tom. 3. decis. 6. n. 20. p. 66.* Knipschildt *de Jure & privil. Civit. Imp. l. 1. c. 3. n. 83.* Dn. Sinold. *in Coll. Jur. publ. v. 2. D. 4. th. 15. l. a.* Sed satis apparet, non visam his Authoribus antiquiorem Sigismundi ætate confectam matriculam, mutaturis haud dubiè sententiam, si illam oculis usurpare contigisset. Secutæ deinceps matriculæ plures; illa, quæ Friderici III. tempore adversus Turcarum Tyrannum, Norimbergæ in Comitiis anno 1467. constituta, quæ secunda est, & tertia Ratisbonensis, promulgata Rotisbonæ in celeberrimis Comitiis adversus Turcas Anno 1471. Philipp. Knipschildt. *de jur. & privil. Civil. Imperial. l. 1. c. 3. n. 83.* tertiam existimat illam esse, quæ in Comitiis Norimbergensibus confecta est, sed fallitur: eam enim præter tres, quas modo commemoravimus, etiam quarta præcedit Matricula Norimbergæ anno 1480. in Comitiis Imperii pro subsidio 15000. militum contra Turcas sancita. Compositæ deinceps deversis temporibus plures Matriculæ, Norimbergensis anno 1481. in Comitiis contra Matthiam Hungariæ Regem, tum temporis Imperii hostem, & Turcas, & aliæ, quarum seriem habes apud Goldastum *l. 2. de reg. Bohem. c. 17. add.* Speidel. *in Specul. var. Jurid. polit. histor. Observ. &*

nota-

notabil. voce **Matricul.** Limn. *l.1.c.7.n.69.* Unde simul apparet, quàm erronea sint illa, quæ Philipp. Knipschildt. *de jur. & privil. Civit. Imp. l.1.c.3.n.83.* scribit: *prima & vetustissima Matricula primum tempore Imp. Frid. III. in Comitiis Norimbergicis anno 1491. confecta, quæ postea in Comitiis Wormatiensibus anno 1521. aucta & probata fuit.*

IX. Limnæus *lib.1. Jurispubl. cap.7. n. 66.* observat. Matriculam aliam esse communi acceptione ita dictum, quando libellum significat, quo series & ordo quorundam hominum continetur, aliam, quando strictiori sensu, & magis ad speciem certam directa denotatione Catalogum illum significat, in quem Statuum Imperii nomina solenniter relata, & in quo, quantum cuique horum Imperii necessitatibus contribuere conveniens sit, expressum legitur. Cæterum cum illa, de qua agere instituimus Matricula, non sit alia quam posterior illa, adeoque hujus divisionis partem unam constituat, satis liquet, istam quidem huc non pertinere. Idem Scriptor *tom. 4. jurispubl. in notis ad lib. 4. cap. 7. n. 67. pag. 457.* sed alio sensu, & qui hujus loci est, Matriculas dividit in generales & speciales: Generales appellat, *in quibus*, verba ipsius sunt, *constans taxa ratione bonorum scripta, quid eorum, nomine per mensem ad expeditionem Romanam contribuendum sit: Speciales, in quibus pro necessitate vel unius vel plurium mensium contributio expressa, in qua vel omnes, vel non omnes Status, vel etiam alii quàm Status ratione bonorum immediatorum, ut & alii ratione bonorum mediatorum, relati reperiuntur.* Prioris exempla esse vult illam, quæ facta est anno 1521. illam anno 1545. cujus mentio injicitur *part. 2.* **Braunschweigischer Historischer Händel.** *p.* 1084. Wormatiæ revisa dicitur, quæque legitur apud Dn. Wurffbein parte 9. **des unbegreifflichen Historischen Berichts / welcher massen** Carolus Magnus &c. p. 257. At posterioris generis esse judicat illam anni 1421. inscriptam, **Anschlag auff allgemeine Stände des Reichs zu Nürnberg / zu hülffe wider die Böhmen gemacht / unter dem Römischen König** Sigismundo; quemadmodum etiam **den Anschlag der** 20000. **Mann zu Roß und Fuß wider den Türcken** de anno 1467. **zu Nürnberg beschlossen** / p. 2. **Braunschweigischer Historischer Händel** / p. 1024. **Anschlag der** 10000. **Mann zu Regenspurg**

Z auff

auff den Käyserlichen Tage Georgii fürgenommen und angeschlagen / Anno 1471. d. p. 2. p. 1029. p. 1066. Lehmann. in der Speyerischen Chronick lib. 7. c. 112 p. 970. Reichs-Matricul und Anschlag zu Nürnberg berahtschlaget auff Martini / Anno 1480. d. p. 2. p. 1062. Anschlag und Matricul de anno 1481. d. p. 2. p. 1080. Anschlag zu Franckfurt anno 1486. gemacht / darinnen sich die Stände des Reichs einer Geld-Hülffe verglichen: daraus zusehen / daß die Frey- und Reichs-Städte mehr als die Chur-Fürsten absonderlich / die Fürsten Geistlich und Weltlich / auch absonderlich contribuiret, apud Lehmannum d. l. 7. c. 117. p. 987. Anschlag auff alle und jede Stände des Reichs anno 1487. zu Nürnberg auff Geld gesetzet / apud Lehmannum *d. lib. c. 118. p. 992.* Anschlag Frider. Imperat. wider die Flemming anno 1489. Goldast. in Reichs-Handlungen p. 28. Anschlag anno 1480. zu Franckfurt auff alle und jede des Heil. Reichs Chur-Fürsten / Graffen / Herrn und Stände / Lehmann. *d. lib. c.* 120. *p.* 1001. Fit etiam mentio *d. part.* 2. Braunschweigischer Historischer Händel / *p.* 1081. aliarum Matricularum de anno 1491. 1505. vel 1506. 1507. & legi aliam de anno 1512. inter acta comitiorum ejus anni Treviri & Coloniæ celebratorum.

X. Distingui etiam possunt in Antiquiores, & Recentiores, Reinking. *d. R. S. & Eccles. lib. 1. class. 4. cap. 1. n.* 21. Meichsner. *tom. 3. decis. 6. fol. 66.* Limnæus *jur. publ. lib.* 1. *c.* 7. *n. 68. & seqq. Besold. de Jurisdict. Imp. quæst. 8.* Wehner. *in observ. voc. Matricul.* Speidel. *Speculo variarum observat. ead. voce.* Atqui cum ista omnis à tempore differentia sit, non sunt illa uni eidemque Matriculæ perpetua nomina, sed de unâ eâdemque diversis temporibus utrumque prædicari potuit; nam quæ ante duo secula recens erat, nunc jure inter antiquas computatur. Quin imò ista etiam, quæ à postrema Matricula proxima est, hujus respectu antiqua dici potest, cùm relatione facta, ad alteram antiquiorem recentior dicenda sit. Communiter tamen & in universum illæ, quæ præcedunt Matriculam anni 1521. videntur rectius Scriptoribus antiquæ, quæ sequuntur, recentiores appellari. Sed & cũ matriculæ aliæ adjectum habeant, quid ad expeditiones Imperii

publi-

publicas & bellicas præcipuè conferant Imperii Status, aliæ, quid ad sustentandum Cameræ Judicium erogent, non repugnaverimus illi, qui à diversâ illa collatione distinguere velit Imperii matriculam, ita ut quamvis utraque sit Imperii, posterior tamen ad differentiam prioris vocetur **Cammer Matricul**/ quomodo hæc Matricula vocatur in Recessu Imperii anni 1654. §. **Und zwar so viel anfänglich**/9. modo tamen caveat aliquis, ne album Cameræ, in quod referuntur, qui Spiræ degunt sub Jurisdictione Cameræ, quæ & ipsa vocatur **die Cammer Matricul**/ quam Imperii tamen Matriculam propriâ acceptione nemo rectè appellaverit, de qua vid. Denaiſ. *Jus Camerale*, voce *Album Cameræ*, cum hâc nostrâ, de quâ loquimur, confundat. Sed & Matriculæ dividi ista ratione possunt, quòd earum nonnullæ secundùm Circulos conscriptæ sint, aliæ aliter: ita ut primò Electores singuli, deinceps Ecclesiastici, tum seculares Principes &c. enumerentur. Prioris exempla sunt, Matriculæ, quas Reinkingius, Wehnerus, Limnæus exhibent, ac illa etiam quæ nuper Ratisbonæ prodiit: posterioris omnes ante Circulos institutos, & annum 1512. conscriptæ, ac etiam illa anni 1521. ut & illa anni 1567. quam post Synopsin suam edidit Beckerus.

XI. Præter has, quas præmisimus, alia adhuc Authoribus Jurispublici aliquot probatur Matriculæ distinctio. Ajunt illi, esse matriculas, quæ tantùm Imperii Status exprimunt, esse alias, quibus notantur **die Anschläge des Reichs**/ ubi illi tantū Status exprimantur, qui contributionibus obnoxii sunt. Atqui hinc nullo negotio sibi respondere videntur illis, qui negant, Bohemiæ Regem esse Imperii Statum, quòd non relatus sit in Matriculam. Nempe, ex mente illorum, non legitur ejus nomen in posterioris generis matriculis, cùm in prioribus extet. Ita Limnæus *Jurispubl. l. 1. c. 7.* & qui illum more suo sequitur Knipschildt *de Juribus & privil. Civit. Imperial. l. 1. cap. 3. num. 88.* ubi iisdem, quibus antè Limnæus utebatur verbis: *His Matriculis*, ait, *Status inscripti sunt, non quatenus tales, sed quatenus possessores hujus vel illius districtus, cujus nomine onera contributionum sustinent, unde etiam alios, qui Status non sunt, immediata tamen & Imperii oneribus subjecta territoria tenent, iisdem contineri videas*, **als Jnhaber der Herrschafft**/

ſchafft / &c. Cui quoque ſententiæ Limnæi adſtipulatur Anonymus quidam part. 2. ſeines wolgemeinten und unvorgreifflichen Discurs, ibi ehe wir aber zum Beſchlußſchreiten / &c. edit. Anno 1663. Aſt Limnæo ſe oppoſuit Juſtus Sinold Schütz, Cancellarius Academiæ Gieſſenſis, *vol.* 1. *Diſp: de Stat. Reip. Rom. th. 2. lit. d. cum ipſo*, ſcribit ibi. *n. 66. matriculam Imperii præſentem circa materiam non ſolùm ex nominibus Statuum, in eam relatis, ſed etiam* von den Anſchlägen oder Anlagen des Reichs / *deſcribat, viderit ipſe* (Limnæus) *quâ ratione in fine n. 94. aliam faciat Imperii matriculam quæ tantum Imperii Status exprimat, aliam quâ* die Anſchläge des Reichs / *ratione etiam Statuum contributionibus obnoxiorum notentur.* Legerat iſta Limnæus, cum deinceps quartum tomum Juris publici ederet, ac ideò *ad lib. 4. cap. 7. n. 67.* nondum ſe adduci potuiſſe profitetur, ut priori ſententiæ nuncium mitteret. *Duplices*, ait, *Matriculas adhuc agnoſco, unam, quâ Statuum nomina, ut Statuum exprimuntur*; *ex quâ argumentum deduci debet, ſi quæratur, num quis Status ſit, an non. Alterum, quâ eorum nomina exprimuntur, qui contribuunt Imperio, additâ taxâ cujusque*; Hanc poſtremam ibi & onerariam appellat. Eſſe autem talem Matriculam, probare contendit ex Goldaſti Reichs Handlungen / p. 65. ac talem primam matriculam fuiſſe, quæ ſola nempe nomina Statuum exprimeret, planè ſibi perſuaſum eſſe, ſcribit, quam ſecutæ illæ, quæ oneris expreſſam & ſpecialem mentionem adjiciunt. Fecit quidem deinceps etiam matriculæ mentionem Dn. Schütz *vol. 2. D. 4. th.* 15. ſed nihil Limnæo repoſuit, incertum, an viderit jam Limnæi iſta, cùm uno eodemque tempore ferè & iſta Diſputatio, & tomus Limnæi quartus prodierit. Meretur tamen expendi res paulò diligentius, quod non parum interſit Juris publici ſcire, utra harum ſententiarum vero propior ſit.

XII. Id in expedito eſt, potuiſſe, ſi voluiſſet Imperii Ordines, utroque modô literis conſignare matriculam, nec poteſt meritò dubitari, ſaltem in animo illorum, qui matricularum Authores ſunt, ante extitiſſe quandam Statuum Imperii deſignationem, quàm Statuum deſignationi adjiceretur, quid quisque ad Imperii uſus contribueret, nec admodùm improbabile, expreſſiſſe eosdem calamo, ut ferè fieri ſolet, animi conceptus, ut præceſſerit ſola deſignatio Statuum, quam

ex-

exceperit altera, cui adjungitur onus; sed de istis quidem non existimo inter Scriptores illos disceptari. Id præcipuè controvertitur; an publicâ Authoritate Catalogus Ordinum Imperii promulgatus, vel collectus extet, qui solùm nomina Statuum, nullâ cuiqam adjectâ oneris mentione, exhibeat, quod negante adversario asserit Limnæus. Est verò res ista facti; asserenti verò aliquid facti ejus incumbit probatio. *l. 2. ff. de probat. l.* 1. *& l. 23. C. eod. l. 9. C. de collat. & l. 10. C. de non num. pec.* Producit Limnæus illam, quæ apud Goldastum **in Reichs-handlungen** *p. 65.* extat. Ast qui noverit, quàm multas suspectæ fidei merces pro veris erudito orbi obtruserit Goldastus cui cæteroquin diligentiæ laudem non negamus, in re, cui aliunde fides fieri non potest, vix ejus solius authoritate sibi aliquid planè persuaderi patietur. Et plusquam uno nomine suspecta est illa designatio nominum nonnullorum apud Goldastum, sine Consule & Die, incertum & à quibus facta. Et sanè quis neget, Duces Brunsuicenses, Megapolitanos, & Hassiæ Landgravios, ut alios plures non attingamus, esse Imperii Status? quorum nulla ibi mentio. Nec est, quod objiciat aliquis fortassis, antiquiorem esse, & prævertere seculum, quo in numerum Ordinum recepta sint Illustria hæc nomina: nam est ibi eorum quoque mentio, quæ ad recentius ævum pertinent, & stylo satis prodit, frustra illi tribui ultimam aliquam antiquitatem. Præter hanc autem aliam reperire nunquam potuit Limnæus, quam laudaret pro opinione, quam tuetur. Ut justa nobis hactenus de distinctionis hujus veritate dubitandi causa esse videatur. Sanè diligentissimi rerum Germanicarum Scrutatores, Arumæus, Wehnerus, Speidelius, Reinkingius, Carpzovius, Dn. Mylerus, qui in descriptionibus suis Matriculæ, omnes exprimunt Indices indictionum, vel summæ, quam ad Imperii usus Status conferunt, talem haud dubiè nec viderunt, nec agnoverunt, magno & porbabili argumentô, non extare, cujus nullum indicium ipsi deprehendere potuerint.

XIII. Matricula quæ rata sit, non conficitur, nisi eorum authoritate, penes quos summa est in Imperio potestas. Unde Matriculam ad eam effectum, ut inde probetur aliquem esse de collegio, auctoritate superioris coufectam, volunt Alexander *in l. scriniarios* 16. *C. de testam. milit.* & Antonius de Butrio *in cap.* 1. *de fide instrument.* quos

& Felinum adducit & sequitur Mascard. *de probat. vol. 2. concl.* 1038, *num. 6.* adde Reinking. *de R. S. & Eccles. l.* 1. *class. 4. c.* 1. *n. 20.* Cùm autem summa potestas in Imperio penes Imperatorem & Ordines Imperii sit, satis indè liquet requiri, ut eorum voluntate & authoritate confecta sit, idque apertè docet Recessus Imp. an. 1594. §. 129. Wann auch bey ꝛc. ex quo patet, consilio & consensu Imperii Ordinum conscriptam esse Matriculam anni 1521. *vid. Denais. Jur. Camer. tit.* 191. §. *9. voce* Moderationis causæ. Otto *de Jure publ. c.* 17. *p. 540. edit. Witt. anni* 1658. Vietor. *de caus. exempt. Imp. concl. 5.* & ibi Alciatus *reg. 3. præf.* 17. *n. 5.* Meichsn. *tom. 3. decis. 6. n.* 11. Hinc Klockius *de contribut. c.* 19. *n. 33. & 34. quemadmodum*, ait, *primam orbis Matriculam Cæsar Augustus SCto intercedente fieri curavit, ita & Imperii Romano-Germanici Matriculæ seu inscriptiones communi Imperatoris & Ordinum consensu interveniente confectæ, atque in solennem ac authenticam scripturam authoritate publicâ redactæ sunt, quæ exinde paratam executionem merentur.* In eam sententiam Author des Abdrucks der von den Königl. Schwedischen plenipotentiarien Anno 1651. hinterlassenen Remonstrationen; das Wort Reichs-Matricul / ait, zeigt in specie an ein publicum Instrumentum, deme alle Reichs-Stände publicâ Imperii authoritate solenniter einverleibt. Atque hinc est, quod etiam in Imperii Comitiis de Matricula sæpissimè vel moderandâ, vel emendandâ actum legimus, vid. Reichs-Abschied de an. 1548. §. dieweil auch daneben ꝛc. 77. §. und demnach solche / 82. & §. und demnach auff obbemeldte / 86. R. A. anni 1555. §. und wiewol wir / 134. R. A. de anno 1594. §. 122. & nuper Instrumento Pacis Cæsarco Suecico *art. 8. §. habeantur tertio*, & Cæsareo Gallico, *art. 7. §. 2. & art. 10. §. 9.* R. A. zu Regenspurg anni 1654. §. Weil aber / 177. & §. Damit aber / 188. Atque horum authoritate quoque definitum legitur, cujus Matriculæ præcipua in dijudicandis Statuum controversiis ratione contributionum haberi debeat ratio. R. A. zu Augspurg Anni 1582. §. Wann auch zu Franckfurt.

XIV. Referuntur in Matriculam Imperii nostri Status. Quo nomine qui veniat, ac quâ notâ Cives, Ordines vel Status Imperii, ab aliis, qui tales non sunt, distinguantur, nec hodiè quidem disputari desiit.

Phi-

Philippus Knipschildt, *de Civit. Imperial. Iuribus & privileg. l. 2. c. 1. n. 6.* distinguit inter acceptionem vocis, Status generalem vel latam, & specialem vel propriam, generali vocis usu Status Imperii appellantur, qui Imperio Romano immediatè subjecti sunt, & neminem nisi Imperatorem superiorem agnoscunt, sive ad Comitia vocentur, & in iisdem votum ac sessionem habeant, & in Imperii Matricula contineantur, sive non. In eandem sententiam Benedictus Carpzovius *de lege Regiâ Germanorum c. 3. sect.* 13. *n. 42. & cap. 6. sect. ult. n.* 31. (ubi tamen malè pro suâ opinione stabiliendâ adducit Gailium, apud quem tale nihil legitur) latâ nominis acceptione Status Imperii dicit ejus membra immediata, sive in Matricula & Circulis Imperii & reperiantur, sive non, nullâ habitâ ratione, an quicquam, vel nihil ad usus Imperii conferant, eosque opponit statibus Imperii propriè dictis, qui sessionem ac votum in Comitiis Imperii Universalibus habent. Sed ad illum, quem strictiori significatu appellat Statum Imperii, **einen Stand des Reichs**/ idem Knipschildt. *d. l. n.* 19. ex Doctoribus, ut ait, aliis longè plura requirit, ac quidem I. ut Imperio immediatè sit subjectus, & neminem (intellige post Deum) nisi Imperatorem & Imperium superiorem agnoscat, cujus sententiæ suæ authores laudat Gailium, Wehnerum, Everhardum & Noldenum, quem postremum tamen si rectè inspexisset, *adducto cap. 17. n. 42.* non de Imperii Statibus, sed de Equestri ordine, **von der Reichs-Ritterschafft**/ qui ex veriori & Noldeni sententia inter Imperii Status non computatur, loqui comperisset. II. Ut sit in Matriculam seu album Imperii receptus, & certam pecuniæ vel militum summam ibi descriptam in Imperio contribuat, quod ex Paurmeistero, Wehnero, Meichsnero, Knichen, Reinkingio, Arumæo se notare ait, ad quod requisitum probandum Dn. Reinkingius, & post ipsum plures adducunt Recessum Imperii Augustanum anni 1548. §, **Nachdem auch etlicher anderer** ꝛc. III. Ut ad comitia vocatus adsit, & sessionem ibi ac votum habeat, quod ex **R. A. zu Augspurg** anni 1548. **Wann auch ein Außgezogener** ꝛc. evincire satagit, & ad Everhardum, Rulandum, Gailium, Reinkingium, Stephanum, contributiones Arumæum remittit. IV. Ut indictiones, & collectas Imperio immediatè occurrente necessitate ex

matri-

matriculæ præscripto solvat, d. R. A. zu Augspurg / anni 1548. §. Wann auch ein Außgezogener. &c. & post Gailium & Reinkingium, (qui tamen id necessarium esse non autumat, vid. illum *adducto capite n. 42.*) V. Ut territorium cum Jurisdictione & Regalibus, quorum vigore Imperatorem in suo territorio repræsententet, immediatè ab vel sub Imperio possideat, ex Gailio (vel potius ex sententia Fiscalis apud Gailium *l. 1. obs. 21. n. 9.* ubi illam qualitatem inseri libello Fiscali notatur) Gylmanno Wehnero, Magero. VI. Ut ad Circulum aliquem certum sit relatus, quod anonymus quidam apud Limnæum *lib. 1. cap. 7. n. 90.* volebat.

XV. Perhibet quidem Knipschildt, se ista requisita Status ex Doctorum scriptis colligere: & singula illa, aut alicubi conjuncta nonnulla, suos & magnos Authores habere, negari non potest. Cæteroquin nemo unus, quod quidem noverimus, tot requisita necessaria Imperii Statuum hactenus edidit. Nec multum tamen ab isto numero discrepare videtur Fiscalis apud Gailium *l. 1. obs. 21. n. 9. Is enim.* verba sunt laudati Authoris, *in causis exemptionum, hoc pacto libellum conceptis articulis formare consuevit; Primò pono & dico, quòd N. Comes, vel Baro eximendus, jam olim matriculæ Imperii ut Status inscriptus sit. Secundò, quòd feuda, dignitates & regalia ab Imperatore & Imperio immediatè habeat, & recognoscat. Tertiò, quòd ad Comitia, & conventus Imperii, perinde atque alii Status, vocetur, & vocatus comparuerit. Quartò, quòd sessionem & votum in consilio Imperiali habeat. Quintò, quòd indictiones, contributiones, & collectas Imperii pro rata sua quolibet tempore solverit.* Addit deinde: *quæ omnia si procurator Fisci probet, utique in possessorio obtinere debet, cùm habeat præsumptionem Juris pro se.* Theodorus Reinking. JCtus non illecebris, Hassiæ superioris olim ProCancellarius, ac ad dignitatem Cancellarii apud potentissimum Daniæ Monarcham deinceps evectus, quaternariô contentus est, *de Regimine seculari & Ecclesiast. lib. 1. class. 4. cap. 1. num. 4. Ut aliquis*, scribit ibi, *censeatur Status Imperii, quatuor requiruntur: I. Ut sit in matriculam receptus num. 5. II. Ut sessionem & votum in Comitiis habeat num. 24. III. Ut indictiones & collectas Imperio immediatè pro rato suâ quolibet tempore solverit. num. 41. IV. Ut territorium cum omni-*

mnimodâ Jurisdictione & regalibus, quorum vigore Imperatorem in suo territorio repræsentet, immediatè ab vel sub Imperio possideat. n. 43. Potius tamen aliorum sententiam, quàm suam ipsum ibi commemorare ostendunt, quæ n. 42. addit, ubi porrò scribit: *Si tamen priores duas qualitates quis probaverit, intentionem fundatam eum habere, etiamsi probare non possit præstationem Collectarum &c.* Ante Reinkingium quaternarii hujus mentionem feceratBesoldus *de Jurisdict. Imp. Rom. quæst. 8.* ubi ad eundem cum ipso modum requisita hæc explicat.

XVI. Andreas Gailius *lib. 1. Observ.* 21. n. 2. Status Imperii vocat eos, qui Cæsaris & communi procerum Imperii consensu in album sive matricem aut Matriculam Imperii recipiuntur eâ lege, ut Imperio occurrente necessitate certum censum in albo sive matricula expressum pensitent, vel subsidium militare præstent, *& hi*, pergit mox. *alium superiorem, quàm Cæsarem non recognoscunt.* Unde notant alii, ipsum tribus his requisitis Statum Imperii definire, I. Ut *solum Imperatorem recognoscat immediatè. II. ut Cæsaris communique Procerum consensu in album Imperii sit receptus. III. ut id factum sit eâ lege, ut Imperio occurrente necessitate certum censum, in albo vel matricula expressum, pensitet, vel subsidium militare præstet.* vid. Matthias Stephani *de Jurisd. l. 2. part. 1. cap. 4. n. 27.* Wilhelmus Becker *in Synopsi Jurispubl. l. 2. cap. 2.* juxta editionem, quæ Coloniæ prodiit, anno 1654. duo ista ad Status Imperii qualitatem saltem requirit; I. Ut matriculæ inscriptus sit. II. Ut votum & sessionem in comitiis obtineat; si tamen credere licet iis, quæ scribit Eberhardus Fabricius (quem bonâ fide alioquin adducere Authores observavimus.) in repetitionibus Gailii *ad observat. 21. lib. 1, sect. 2.* oportet in antiquioribus editionibus illum addidisse & illud requisitum, ut occurrente necessitate certum subsidium Imperatori pensitet, adeóque & secundum istam antiquiorem Beckeri sententiam, quam tamen postea correxit, tria requisita Imperii Statuum ipse agnovit.

XVII. Dn. Mylerus *c. 11.* utilissimi libelli *de Princip. & Stat. Imperii Romano-Germanici eorumve præcipuis Juribus*, duo necessaria esse vult, ut aliquis dicatur esse Imperii Status; I. Ut nomen ejus in matricula extet. II. Ut aliquis in Imperialibus diætis sessionem quoque ac vo-

tum habeat, quibus, quod alii addunt, ut casu necessitatis Imperio quis certi quid pensitet aut territorium immediatè ab Imperatore agnoscat, id non ita absolutè admittendum esse censet, nec enim perpetuas aut inseparabiles qualitates Statuum Imperii esse judicat. Adstipulatur huic sententiæ Becker, secundùm editionem postremam *lib. 3. cap. 2. n. 2. & 5. add. n. 6.* Justus Sinold, cognomento Schütz *Colleg. de Statu Rei Rom. vol. 1. Disp. 6. th. 2.* Joh. Theod. Sprenger *Jurisprudentiæ publ. p. 185.* Speideliũ pro hac quoque sententia stetisse, ex Speculo liquet, voce Reichs-Standt / quam deinceps tamen, ut ex additionibus cernere est, mutavit Daniel Otto, *cap. 17. dissert. Juridico-Politicæ p.* 541. admodum fusè quidem de Statibus Imperii disserit; si quis tamen descriptionem, quam ibi exhibet, expendat, idem sentire cum iis, quos nominavimus, deprehendet, nec enim, nisi ut matriculæ inscriptus sit, & ut votum in Comitiis habeat, sive, ut ipse loquitur, ut Cæsari consilio & consensu assistat, requirit. Paulò post tamen eum, qui citatus in prima instantia ad Cameram ibi comparet, ac ut reus jus & judicium in se recipit, imperii Statum certò certius esse vult, & etiam necessitatem solvendi collectas facere, aliquem esse imperii Statum, autumat. Dn. Schütz junior, Judicii Aulici Imperialis nunc Consiliarius, *in Collegio misto*, quod ex ore ipsius olim, cum Jura in Academiâ Giessensi traderet, exceperunt LL. Studiosi, I. Ut Status sint immediati Cives, &c. II. Ut jus sessionis ac suffragii in Comitiis habeant, postulat.

XVIII. Sunt demum, qui unâ essentiali notâ nosci volunt Imperii Statum, qui, qualis tamen illa sit, non conveniunt invicem Limn. *jur. publ. lib. 1. c. 6. n. 80.* & imprimis *n. 92.* solam matriculæ inscriptionem talem notam esse vult, & quod deinceps *tom. 2. addit. ad dict. cap. n. 91.* contra Carpzovium defendit. Ast Carpzovius *de Lege Regia c. 3. sect. 12. n. 42. & 43. jure*, ut vocat, *sessuræ, ac voti dicendi in Comitiis universalibus* Statum proprie dictum describit. Eadem est Paurmeisteri sententia *de Jurisdictione lib. 1. cap. 8. n. 3.* ubi Status appellandos ait illos, qui statuendi de Republica, vel, ut apertius dicatur, jus sessuræ ac dicendæ sententiæ in comitiis vel conventibus Imperii habent. Et Speidelius etiam *in additionibus ad Specul.* postrema editione

tione voce Reichs-Stand hâc unicâ & quasi propriâ notâ Statum ab aliis Imperii subjectis secerni ait: quod Status & locum votandi, ac sedendi in comitiis habeat. Tandem & Hermannus Conringius *Disput. de Imp. Germ. Civibus, th. 8.* hoc jus & facultatem suffragii ferendi, usque adeò proprium esse Civium, verorumque Ordinum ac Statuum alicujus Civitatis tuetur, ut essentiam eorum unicè constituat. In eo tantùm à Paurmeistero ac Carpzovio differt, quod cum illi jure suffragii hujus definiant civem, ipse civem saltem actu esse nolit, qui caret illâ, sive jure, sive injuriâ, reapse sit in Statuum sive Ordinum seu Civium censu. Sunt qui illam Statuum notam esse velint, ut in Circulos Imperii relatus pro Statu habeatur, Inter quos erat Vir ille, quem insigniter eruditum Limnæus appellat, *lib. 1. Jur. publ. c. 7. n. 90.* & idem sentientem Rutgerum Rulandum *de Commissariis l. 5. c. 5. p. 2. num. 55.* adducit Carpzovius de lege regiâ Germanorum *cap. 3. sect. 12. num. 41.* Gylmanni illam descriptionem, quæ extat *Symphor. tom. 1. part. 1. tit. 3. de religione, vot. 7. num. 18. fol. 239.* Quod Status sint, *qui in suis territoriis merum mixtumque Imperium & omnimodam Jurisdictionem habent, & sic ipsum Cæsarem in suis territoriis repræsentent*, ut & Melandri illam in Commentario ad Ordinat. Camerales *part. 1. tit. 6.* non adjicio, quod satis pateat, intelligendas non esse de Statibus Imperii propriè dictis, sed illis, quos generaliori usu vox ista complectitur.

XIX. In tanto sententiarum divortio quid nobis videatur, quàm fieri poterit, paucissimis explicabimus. Status Imperii vel Reipublicæ, qui Aristoteli 3. *Polit.* 1. dicuntur *Cives*, quinam sint, nullibi rectius, quàm in politicis explicatur. Est verò is Aristoteli, *cui in illâ Civitate, cujus est Civis, potestas est fungendi magistratu vel deliberativo, vel Judiciali*, vid Herman. Conr. *Disput. de Imp. Germ. Civib. th. 5.* Unde promtum est, colligere, illos, qui jus judicandi de iis, quæ ad summam Reipubl. pertinent, circa leges ferendas, pacem, bellum, & fœdera pangenda, Magistratus summos & judicia constituendi habent, esse Status, Ordines vel Cives Imperii; his enim pro iisdem nunc utimur, imò hos omnes & solos esse Status, & Cives,

idque, ut loquitur idem Conringius, verorum Ordinum ac Statuum essentiam unicè constituere. Malimus tamen Paurmeistero ac Carpzovio Status nomen ad Jus potius sessionis & voti dicendi in Comitiis referentibus, quàm illis, qui ad factum etiam injustum, quô contra leges Imperii ac legitimæ Civitatis jura id aliquis usurpat, pertinere perhibent, assentiri. Sanè unicam esse & exactissimam, unde Status æstimantur, notam, *sessionem & votum in Comitiis*, non Paurmeisterus, Carpzovius, Conringius, Speidelius solùm nobiscum asserunt, sed & Arumæus *de Comitiis cap. 4. in princ.* & ex illis, qui plura, vel aliud quid, si verba ipsorum spectas, desiderare videntur, huc non difficulter interdum descendunt. Unde est, quod Limnæus *tom. 2. addit.* qui alioquin solam matriculam hujusmodi notæ loco esse vult *pag. 122. veram*, ait, *& genuinam Status qualitatem esse jus sessionis & voti in Comitiis, non diffiteor*, *& pag. 118. in princ.* eô solô argumento contra Carpzovium, Sabaudum & Arnburgium esse Imperii Status proprie ita dictos probat, quia in Comitiis sessionem & votum tenent. Et Dn. Mylerus *de Principibus & Stat. Imp. cap. 11. num. 3. Exergiæ*, ait, *adquirendi Jus Ordinum Imperii consistit in participatione suffragiorum, ut cum Imperatore & cæteris Imperii Ordinibus de Imperii utilitate decernat*, quod idem notari scribit **in der Waldeckischen Ehrenrettung** *part. 1. cap. 3. art. 3.* ac ita etiam consuluisse olim Dn. Plebst, celeberrimum Tübingensium Professorem in causa Sarverdensi, addit. Reinkingius quoque alicubi ita loquitur, ut non procul abfuisse ab hac sententia videatur, vid. illum *d. cap. num. 25. 26. & seqq.*

XX. Non difficulter hinc colligitur, errare, qui reliqua requisita pro essentialibus & necessariis venditant; nam quod tale aliquod esse volunt, *ut tempore necessitatis Imperio aliquod certi pensitent*, id verò falsum est; cùm Domum Austriacam, Sabaudum, & plurimos alios Status à Collectis immunes esse, ex Goldasto Limnæus *jurispubl. l. 1. c. 7. num. 67.* & Mylerus *cap. 11. de princip. & Statibus Imperii* moneant. Adde Reinking. *de Regim. Secul. & Eccles. l. 1. class. 4. c. 1. num. 42.* alii autem collectas, ut appellant, voluntarias solvant, nec tamen sint Status. Mylerus *d. l.* Et cum Status Imperii esse non qualitas sit patrimonii, sed personæ dignitas. Mylerus *d. l.* Auth. *Decis. Cameral. verb.*

Status,

Status Imperii Reinking. *de R. S. & Eccles. l. 1. class. 4. c. 1. n. 64. 65, 46. & seqq.* & distincta sint Status Imperii & territorii Jura, & subjectio immediata sine territorii jure subsistere possit. Andreas Knichen *in velit. Apolog. n. 13. 14. 110.* & pluribus, adductus *d. l.* â Dn. Reinkingio, recetiam illud requisitum, *ut territorium immediatè ab Imperio possideat aliquis*, pro perpetuo Status Imperii & in omni subjecto necessario requisito agnosci non potest. Illi verò, qui volunt, *ut Status pro Statu habeatur, & in Circulum referatur*, rem itidem non satis expedire videntur; res ipsa enim non ab opinione unius vel alterius pendet, & idem per idem describit, qui Statum esse dicit, qui pro Statu habetur. Sed & hæc sententia Imperio ante divisionem illam in Circulos, quam superiori seculo demum natam scimus, nullos Status & Ordines relinquit. Qui verò postulant, ut immediati ratione personæ sint Imperii Status, ii quidem, si de persona intelligant, verum dicunt; est verò facilè collectu, fieri non posse, ut quis sessionem & votum in Comitiis habeat, ubi de iis, quæ spectant ad summa Reipubl. jura deliberatur, qui Status alicujus subditus, vel, quod idem est, mediatus sit, & necessarium adeò consequens vel concomitans juris suffragii est ista, ut ita loquamur, immedietas, quemadmodum & multa alia jura, quæ jam tum jure suffragii & sessionis continentur, ut ex illis peculiare & diversum ac separatum requisitum conficere, nihil necesse sit. Sed nec requirimus, ut planè necessarium, & essentiale ad Statum, ut is Matriculæ inscriptus sit. Virissimum est, quod meritô suô celeberrimus Dn. Conringius *Disp. de Imp. Germ. Civibus, th. 9.* observat, esse Respublicas, in quibus nulla sit Statuum designatio; an ergò & nulli Ordines? Quid? quod in nostra Germania abundè liquet, satis longô tempore album nullum fuisse, cum tamen nefas sit dubitare, an eô tempore fuerint Imperii Status. Sed & de perfectissima matricula, qualis esse dicitur illa anni 1521. emendandâ & perficiendâ agitur in Comitiis, **wie dieselbige Matricul endlich ergäntzet und richtig gemachet werden soll.** *Recess. Imp.* anni 1576. §. **Wann auch zu Franckfurt.** Quæ verba innuere videntur, non omnes Status Imperii in eam relatos esse. Accedit, quod in Matriculam Status referantur, ac adeò, qui ut tales inscribendi sunt, eos jam ante inscriptionem Status esse oporteat.

XXI. Atque his quidem legitimus est in matricula locus. Sed quid dicemus, an præter hos etiam aliis? Hermannus Conring. *diss. de Imp. Germ. Civib. th.10. ex quo* ait, *placuit, omnes Ordines in album referre, deberet utique nunc illud album certam nobis notam veri civis exhibere. Quoniam enim constitutum jam est, ut soli Ordines proximè solvant debitum suum ærario, deberet utique & ista collectio significare veros Ordines. At infra probabitur, turbatis Imperii rebus factum esse, ut de quibusdam jurene inseri debeant, annon, item solverene sua debeant publico, nec ne, hodieque incertum sit. Et verò permultis licet historiis docere, haud paucos interdum errore quodam in publicum ærarium sua contulisse, quibus neutiquam in Comitiis publicis standi potestas fuit.* Dn. Schütz *de Statu Rei Romanæ vol. 1. Disp. 6. lit. e.* Ubi de requisitis Status agit, non sufficere vult, ut quis Status Imperii appellari possit, si doceat aliquis, se relatum in matriculam, sed necesse esse, continueri cum hac qualitate & lege, ut sessionem & votum in Comitiis habeat, **daß er Stimm und Stand in Reichs Versamlungen habe / R. A.** de anno 1548. §. **Wann auch ein Außgezogener.** Ad eundem ferè modum Becker *in Sinops. Juris publ. lib. 3. cap. 2. num. 5.* eos, qui tanquam immediati matriculæ inscripti sunt, si tamen ad Comitia & suffragii jus non vocentur, Status Imperii non haberi, observat. Unde facilè de illornm mente constat, referri nempe in matriculam tum Status Imperii, tum alios, qui Status non sunt, jure tamen, an injuria id fiat, non determinant. Limnæus *tom. 2. addit. ad Ius publ. lib. 1. cap. 7. num. 91.* ad distinctionem matriculæ in illam, quæ Statuum nomina, & quæ collectarum mentionem habet, seu sacram anchoram confugit; de priori ita sentire videtur, eam jure quidem non aliorum, quàm Statuum nomina complecti; at posteriorem, cum potissimum indicis loco sit, quantum ab unoquoque Imperio, conferendum sit, ex illis autem bonis pleraque à Statibus, nonnulla tamen etiam ab aliis, qui Status non erant, possiderentur, factum esse, ut in illam horum etiam nomina, **als Inhaber dieses oder jenes Gutes / so in den Reichs-Anschlägen begriffen /** relata fuerint, non tamen ut per hanc relationem

jura

jura Statuum consequerentur. Sed quando distinctionem illam hactenus idoneè non probavit Limnæus, & in illa etiam matricula anni 1521. Status etiam illi, qui Imperio nihil contribuunt, relati sunt, indiciô haud obscurô, vanam esse Limnæi istam matricularum differentiam, non erit illa legitima controversiam istam expediendi ratio.

XXII. Nobis ita videtur, ut accuratè res ista expendatur, distinguendas hîc esse quæstiones: primam, an in matriculis, quæ hodiè extant, reperiantur etiam alii præter Status? ab altera, an jure eô referantur etiam alii, qui Status non sunt? quod jam vidit quoque, ut ex verbis ejus paulo ante relatis colligere est, Conringius. Si matriculas Imperii singulas, etiam illam anni 1521. excutiamus, non Status solos, aut immediatos, sed etiam alios mediatos ibi aliquis reperiet. In exemplari matriculæ hujus manuscripto antiquo, quod est in Bibliotheca Amplissimi Dn. Præsidis, legitur inter Principes seculares, Herr Heinrich von Braunschweig der Aeltere / und Herr Erich mit ihren Städten / Braunschweig / Harborch / Gröningen / Nordheim / è quibus tres posteriores haud dubiè civitates mediatæ sunt, mox sequitur: Hertzog von Braunschweig zu Grobbenhagen / mit der Stadt Embeck / Pommern und Stettin; cum tamen nec Sedinum, nec Embeck, Civitates Imperiales sint. Dn. Reinking. in propositione, nomine Reverendissimi & Serenissimi Archi Episcopi Bremensis, factâ Senatui Bremensi, quæ extat in Assertione Jurium Archi Episcopalium, conjunctionem illam, quando Statui Imperii alicui adjunguntur civitates hujusmodi, argumento esse vult, Civitates tales esse mediatas. Sie / Dn. Archiepiscopus ait, achteten ohne noht seyn / jetzo bey dieser Gelegenheit weitleufftig zu deduciren, daß Ihre Stadt Bremen kein ohnmittelbahrer Standt des Reichs / noch derogestalt in des Heiligen Reichs Anschlägen und Matricul / gleich andern freyen ohnmittelbahren Reichs Städten mit einer gewissen quota befindlich / sondern als ein Ertzstifftische Stadt / zu des Ertzstiffters quota gesetzt / und mit denselben ein quantum constituirten, welches dann nicht allein von der Stadt Bremen / sondern auch von andern ohngezweiffelten Stiffts

und

und Erblands-Städten in der Reichs Matricul zu befinden. Also wäre der Bischoff zu Hildesheim mit der Stadt Hildesheim/ der Hertzog zu Braunschweig / Grubenhagen / mit der Stadt Einbach in einem quanto conjungiret: Was aber ohnmittelbahre Reichs-Stände wären/würden mit keinen andern Ständten in quota conjungiret, sondern hätten alle ihre eigene absonderliche quotas in der Reichs Matricul/gestalt dañ auch die geringe Stadt Behrden / weil sie von alters / ehe Sie von dem Herrn Bischoffen eximiret, immediatè dem Reich unterworffen gewesen/ ihre absonderliche quotam gehabt / und damit noch in der Reichs Matricul zu befinden. Quod si quis ergò saltem illos Status esse velit, qui ibi exprimuntur, seorsim assignatâ cuique portione, quâ Imperio eveniente casu necessitatis succurrat, ne is quidem acu rem attigerit. Scimus enim in Comitiis Augustanis anni 1548. exhibitam Cæsari ab Ordinibus designationem centum & unius Imperii membrorum, quæ albo Imperii immeritò inserta ac eximenda ideo pro se quique existimarunt. Qui catalogus, ut multos Imperii Status complectatur, qui immeritò inter mediatos referantur; certum tamen est, eô etiam contineri, quos mediatos esse, deinceps in judicio contradictorio pronunciatum est, vide sententiam contra Fiscalem ratione exemptionis des Abts zu Ritters-Hausen anno 1567. pro Ducibus Wolferbytanis, quæ extat Actorum Brunsuuicensium *part. 2. pag.* 1078. & ipsum Catalogum exemptorum, adde R. A. de anno 1548. §. Dieweil auch etliche Ständte. Sed & notum est, de emendanda matricula, in Comitiis Imperii haud raro actum esse, argumentô non obscurô eo relatos, qui non debebant, vel omissos, qui minimè debebant, vel in utroque peccatum. Ut id quidem dubiô vacet, in matriculam præter Status Imperii alios quoque relatos esse. Altera quæstio, an jure eo referri potuerint, aut debuerint, ex intentione Imperatoris, & ipsorum Imperii Ordinum decidenda videtur. Si enim solum album Statuum omnium, sive contribuentium, aut non contribuentium, aut Ordinum quidem solum, sed contribuentium esse voluerunt matriculam, immeritò alii huc relati sunt; at si omnes, quocunque modô aliquid contribuentes Imperio, promiscuè sive ordines sint, sive non, huc relatos voluerint,

luerint, jure & illis hîc locus erit. Non videtur autem postremum id curæ fuisse Imperii Ordinibus: Ita enim & immediati nobiles, qui haud raro & fere semper aliquid ad Imperii usus requisiti ab Imperatore solvunt, & Civitates Hanseaticæ, quæ idem fecisse leguntur, ibi legerentur; sed ut Ordines, & quantum quisque contribueret in isto Albo, describerentur. Unde etiam est, quod illa anni 1521. inscribatur Matricula und Anschlag der Stände des Heiligen Römischen Reichs/ ac adeo videtur illa fuisse intentio Procerum Imperii, ut legantur in eam relati etiam illi Status, quibus nullum onus adscribitur, qualis est ibi sub titulo Weltliche Fürsten/ Geldern/ & sub titulo, Prelaten/ Abt zu Herren Alb/ Abt zu Pfraum/ Abt zu Ursperg/ & plures alii. Vir eruditus in Consilio, quod extat *part.* 2. Braunschweigischer Historischer Händel *pag. 1203. Matricula,* scribit, *Imperii non propter ullos aut Principum, aut Statuum subditos, sed ob Imperii salutem propter solos Status, & eo potissimum fine composita est, ut sciatur, quæ cujusque Status taxa sit.*

XXIII. Præter Statuum nomina in matriculâ descriptum etiam legitur, quid quisque eorum, qui quidem à collectis immunes privilegio, aut aliô legitimo titulo non sunt, si necessitas, vel usus Reipubl. id postulet, Imperio contribuat. Casus verò istos omnes, quibus affertur talis contribuendi necessitas, ut non facile etiam prudentissimus aliquis præviderit, ita enumerare, non minus difficile est. Docet tamen Historia Germanica, & Imperii Recessus, superioribus seculis collatam pecuniam ad bellum Hussiticum, quod jam ante observavimus, ad demolienda castra prosciptorum, R. A. zu Erfordt. de anno. 1567. auffgerichtet/ §. Wann wir nun in unser Käyserlichen propositlon ad extruenda & munienda fortalitia, R. A. zu Speyer de Anno 1570. §. Erstlich. ibi: damit obermelde Unserer Hungarischen und Zipsischen Landen/ Ort/ Paß/ und Flecken/ Unsern Gutachten nach zum besten zu erbauen und zu befestigen/ quemadmodum etiam, quod & nostra ætate adhuc factum meminimus, ad bellum à Turcis illatum à finibus Imperii avertendum, v. R. A. zu Regenspurg de anno 1594. §. Wie wohl nun Churfürsten/ Fürsten/ sed & contra hostes Imperii alios: & olim ad sustentationem Regimenti R. A. zu Augspurg Anno 1500. tit. Wie man die Personen des Regiments an-

anfänglich ihres Lohns vergnügen soll/ quin etiam ad Cameræ Imperialis deinceps, ad quam adhuc nostra ætate aliquid conferunt, vid. R. A. zu Augspurg Anni 1548. §. und wiewohl/ 30. & duobus seqq. & Recess. Imp. ultimo anni 1524. §. und zwar ꝛc. 9. quemadmodum & partem publicæ hujus pecuniæ ad Judicii Aulici Imperialis sustentationem converti, apparet *ex capit.* Leopoldi *art.* 41. Pertinet huc quoque expeditio Romana, (der Römerzug) imò quod hæc causa olim ferè esset perpetua, & singulorum Imperatorum tempore rediret, cum reliquarum insignis esset varietas, nec eædem redirent sæpius, factum inde esse conjectamur, ut in plerisque matriculis onera illa ad normam der Römerzug redacta sint. Quod ut rectius intelligatur, quid sit propriè expeditio Romana, hic nobis explicandum est, inde enim quales sint indictiones illæ, Germanis, Anschläge / dictæ, quæ partem matriculæ insignem faciunt, haud dubiè satis luculenter apparebit.

XXIV. *Est* verò *Expeditio Romana*, ut maximam partem ex jure Feudali describit Magnif. Dn. Oelhafen von Schöllnbach/ *in templo pacis, orat 4. pag. 175. Comitatus Regi Romano pro capessendâ Coronâ Imperiali Romam proficiscenti, à Principibus & Proceribus Imperii, majori aut minori numerô & apparatu, proditionum, & Feudorum suorum qualitate, vel in personâ propriâ, vel in aliis Domino acceptabilibus hominibus, vel solutâ dimidiâ, aut aliâ parte redituum, & fructuum illius anni præstandus.* Adde Marqv. Freherum *in mantissâ Commentarii de expeditione Romanâ.* Jus Feudale Suevicum *art. 8.* rem eandem ita exprimit: Wann die Teutschen einen König kiesen/ und er dann gen Rom zeucht zu der Weyhung/ so seind pflichtig 6. Churfürsten mit Ihm zu ziehen / die die Ersten in des Reichs Köre seynd: Der Bischoff von Mentz/ und der von Trier/ und der von Cölln/ Und der Pfaltz Graff von dem Rhein/ der Hertzog von Sachsen/ und der Marggraff von Brandenburg/ durch das / daß dem Pabst wissentlich wird/ des Königs rechte Köre. Auch soll damit ziehen ein jeglicher Mann/ mit seinen Herrn/ der des Reichs-Lehen Gut von ihm zu Lehen hat/ oder soll die Farth lösen/ mit dem zehenden Pfund des Zinses/ den Er jährlichen von Ihm hat. Imò jam tunc jure Feudali communi eâ de re disponitur, 2. *F. 54. & 55. tàm in Italiâ,*

quàm

quàm in Alemaniâ (in MSS. Mericutii eſt Alamania, quomodo illius temporis alii ſcriptores etiam appellant) *ut quicunque indictâ publicâ expeditione Romam ad ſuſcipiendam Imperii coronam Regem, aut ſub Rege Dominum ſuum non adjuverit, aut eundo cum ipſo, aut pro quantitate Feudi ſtipendia militiæ perſolvendo, ſi de vocatione legitima à Domino ſuo convinci per compares ſuos* (MSStum Mericutii, quemadmodum & primæ antiquiſſimæ editiones, pro compares rectius legunt pares) *poterit; feudum perdat, & Dominus in ſuos uſus illud habeat redigendi liberam facultatem.* Quinimò ſi vera eſt Charta Caroli III. Imp. de Exped. Romana jam anni 881. conſtitutio eô de negotiô editâ extat; ſed de iſta quidem conſtitutione diſceptant adhuc eruditi. Marcus Velſerus, qui eam in codice manuſcripto bene veteri primus invenit, non dubitavit, genuinam agnoſcere, ac in eandem ſententiam Rittershuſium perduxit, qui primus illam Tubingiæ, anno 1598. edidit, quemadmodum & deinceps Marquardum Freherum, cujus elegans extat commentarius in iſtud diploma, conſentit Lehmann in der Speyeriſchen Chronick/ *lib. 2. c. 42.* nec diverſum viſum Dn. Struvio *in Syntagm. jur. feud. cap.* II. *th. 5. num. 3.* At aliud placet celeberrimo Conring. *notis MSStis in Lamp. c. 2. §. 28.* Ubi Caroli Craſſi ætate ne quidem cognitam fuiſſe expeditionem illam Romanam autumat, cujus initia refert ad Ottonis Magni tempora. Illud dubio vacat, eſſe in conſtitutione illa tum verba quædam, quæ ſuſpectam illam reddere poſſint, tum etiam annorum, qui adſcripti ſunt, numeros non congruere ætati Caroli Craſſi, quod an errore deſcriptoris rectè excuſet Freherus, alii viderint. Certius expeditionis hujus indicium eſt apud Ottonem Friſingenſem, *lib 2. cap.* 12. Ubi de Friderico I. ait: *inde caſtra movens in campo Roncaliæ ſuper Padum, non longè à Placentiâ menſe Novembri, reſedit. Eſt autem conſuetudinis Regum Francorum, quæ & Teutonicorum, ut quotiescunque ad ſumendam Romani Imperii coronam, militem ad tranſalpizandum coegerint, in prædicto campo manſionem faciant. Ibi ligno in altum porrectô ſcutum ſuſpenditur, univerſorumque equitum agmen, feuda habentium, ad excubias proximâ nocte Principi faciendas, per curiæ præconem expoſcitur: quod ſectantes, qui in ejus comitatu fuerunt, ſinguli ſingulos beneficiatos ſuos per præcones expoſcunt. At ſequenti die quicunque nocturnis vigiliis de* fu-

fuisse deprehensus fuerat, denuo ad præsentiam Regis, aliorumque Principum, vel Virorum illustrium evocatur, sicque omnes omnium beneficiati, qui sine bona voluntate Dominorum suorum domi remanserunt, in feudis condemnantur. Hunc morem a Principe secuto, non solùm Laicorum feuda, sed & quorundam Episcoporum, id est, Hartvici Bremensis, & Ulrici Halberstatensis Regalia personis tantùm, quia nec personis, sed Ecclesiis perpetualiter à principibus tradita sunt, abjudicata fuêre. Ostendit locus ille, non tunc primum natum illum morem, sed consuetudinis etiam Regum Francorum fuisse, evidenti indicio, prævertere illum ætatem Ottonis Magni, adde Lehmannum *in Chronico Spirensi, loco anteà adducto.*

XXV. Non parvo comitatu, & integro exercitu eò ivisse Imperatorem, ex iis, quæ scripsimus, constat, idque ad usque Caroli V. tempora obtinuit, qui postremus expeditionem Romanam suscepit. Ante eum reliqui, si Rudolphum I. Albertum, Maximilianum I. ab hostibus occupatis itineribus prohibitum excipias, Romam profecti sunt. A sequentibus Imperatoribus deinde omissa, *post alios* Carpzov. *ad leg. Regiam cap. 8. num. 8.* estque hodiè adeò illius expeditionis ferè nullus usus. At de consuetudine Imperii Romano Germanici, der Römerzug/ verba sunt Wehneri *in observat. pract.* appellatur, eine grosse tapffere Hülff an teutschen Kriegs-Volck zu Roß und Fuß/ R. A. zu Worms anno 1521. §. Auch haben Uns: und auff 20000. zu Roß und 4000. zu Fuß/ auff 6. Monat angeschlagen/ und einen jeden Stand des Reichs nach Gelegenheit seiner Güter mit Anzahl/ wieviel Er zu Roß und Fuß daran schicken/ oder von jedern zu Roß 22. Gl. (zehen Gülden d. l. Reichs Abschied) und zu Fuß 4. Gl. an Geld erlegen und bezahlen muß/ aufferleget. Hæc ille. Observavimus tamen ante secula duo & circiter, non eò usque excrevisse numerum, quin imo nec semper fuisse eundem, exiguô etiam aliquot annorum intervallo. In antiquissima anni 1431. colliguntur 8417. Glefen/ *vid. acta Brunsuic. part. 2. p.* 1023. Sed quid istud vocabuli, die Glefen? mirum, nullum eorum, qui Germanica vocabula colligunt, & explicant, rei; ante duo secula toti Germaniæ cognitissimæ, notitiam habere amplius: nec enim Wehnerus, vel Besoldus, aut his recentiores, Speidelius, & Dietherrus, aut supplementi

ad

ad Wehnerum Autor, vocis ejus meminit, nec in Bitſchii quidem, celeberrimi Anteceſſoris Argentoratenſis additionibus, quæ apud Doctiſſimũ Virum Gabrielem Frölichium MSStæ ſunt, quicquam, quod ad ejus explicationem faciat, legitur. Unus Goldaſtus *de Regno Bohemiæ l.1. c.17.* **Gleſen/** ait, *quas Latini Lanceas vocant, in Ordine militaris exercitus, ſingula membra ex quatuor & quinq; equitibus armatis conſtantia, & hôc locô 500. Lancea (loquitur de Sileſiacis, 500.* **Gleſen** *ad expeditionem hanc conferentibus) facere videntur ſummam duo millia equitum; ſic enim Crantzius l.11. Wandaliæ c.6. de incurſu Bohemorum in Miſniũ ſcribit: quatuor lancearũ millia eduxiſſe ferebantur, id eſt, 16000. quia ter quatuor conficiunt 16. ut obſervavit Theobaldus de bello Huſſitico part.3. cap.17. anno 1467. fol.102. Signanter Johann. Herbardus lib.16. hiſtor. Polon. c.9. de Cazimiro Rege: Perfecit apud majores Polonos in centenas marcas annui cenſus ſingulos haſtatos equites mitterent. Haſtatos autem unius nomine apud Polonos tres equites continentur, nempe haſtatus unus gravioris armaturæ cum duobus baliſtariis, civitatibus verò pedites imperat.* Hæc Goldaſtus: quæ, pace Viri hujus dixerimus, rem non explicant; non oſtendit, **Gleſen** idem eſſe, quod lanceam, ſed ſupponit: & ut Polonis haſtatus unus tres equites ſignificet; unde probat Germanis lanceam ſignificare quatuor equites, & id tamen crediGoldaſto ſine probatione nequit. Jam quantum equitum numerum in illo exercitu habuerit Sigiſmundus, ſi præter quindecim equitum millia, quæ Piſo Florentinus in eam expeditionem ex Hungaria duxiſſe dicitur, propè triginta quatuor equitum millia ex Germania acceperit, & quô fatô factum, ut nullos pedites Germania ſuppeditarit, jam tum idoneo equitatu ex Hungaris collecto. Satis iſta, non rectè cœpiſſe vocis hujus indolem Goldaſtum, oſtendunt. Nos non audemus quidem promittere aliis exactam vocis hujus explicationem, & planè evidentem, putamus tamen **Gleſen** idem eſſe, quod militem, imprimis pedeſtrem, ac totidem milites miſiſſe Germaniam, quibus acceſſerint deinceps collectæ in Moravia copiæ aliæ, & ex Hungaria equitatus, quod Author Paralipomenon ad Abbatem Urſpergenſem, in vita Sigismundi *pag.* 77. commemorat. Quod & eô argumentô nobis pro-

babile fit, quod cum deinceps semper creverit numerus, in anni 1471. matricula ille decem millia hominum solummodo contineat.

XXVI. Sed è diverticulo revertamur in viam. Quod diximus, indictiones non semper redactas ad numerum quatuor mille equitum & 20000. peditum, id evidenter probat, sc positâ etiam illâ Sigismundi matriculâ, quæ Friderici III. ætate confecta est, anno 1481. quæ colligit summam quinquies mille equitum & triginta unius, peditum verò tredecim millium, ducentorum & octo: extat Braunschweigischer Historischer Händel *part. 2. pag.* 915. Inscriptio quidem habet: Ein Anschlag der 20000. Mann / so zu Roß und Fuß / in Krafft des Abschieds Martini nechst begrieffen / aus Teutscher Nation wieder die Türcken sollen geschickt werden / Anno 81. Sed deesse Bohemiæ, Moraviæ, Silesiæ, Lusatiæ, & vicinorum nonnullorum subsidia, in fine monetur, quorum accessione demum iste numerus conficiatur. Et in matriculæ anni 1471. fronte legitur: Anschlag der zehen tausend Mann zu Regenspurg auff dem Käyserlichen Tage Georgii vorgenommen. Ut ita numerus ille tempore Sigismundi ex conjecturâ valde probabili, fuerit, 8417. tempore Friderici anno 1471. 10000. qui urgente periculo belli Turcici annô 1481. ad alterum tantum excreverit, mox annô 1521. adauctus ad numerum usque 24000. fuerit. Quamvis autem cessaverit ætate nostra Expeditio Romana illa propriè ita dicta; summa tamen illa militum huic expeditioni adscripta, & cuique ex Statibus assignata, existente quovis necessitatis casu, hodièque præstanda Carpzov. *d. l. num. 9.* & nomen quidem retinetur, sed res ad alium usum transfertur; quamvis non semper peditum equitumque ille numerus conferatur; sed si utilius Imperatori aut Statibus pecuniâ vel milite juvare visum fuerit, ut factum in Comitiis Spirensibus anni 1544. quisque eam, quæ ad descriptum numerum alendum sufficit, præstare obstrictus est. dict. Recess. Imp. anni 1544. §. Und damit nun solche &c. Sumptus autem illi, quando ad bellum à Turcis aut illatum propulsandum, aut alios Imperii necessarios usus conferuntur, ferè semper ad quantitatem expeditionis Romanæ computantur; interdum tamen duplicati, quandoque eriam saltem ex parte

te dimidia solvuntur, vid. R. A. zu Regenspurg / de anno 1594. Wiewohl nun Churfürsten &c. ibi: eine Hülffleistung auff den einfachen Römerzug. de anno 1598. §. So ist doch von Jhnen/&c. R. A. zu Regenspurg/de anno 1541. §. Und wiewohl Churfürsten/ Aliquando etiam ad triplum usque extenditur, quod factum postremô bellô Turcicô, vid. Reichs Gutachten über die benöhtigte Türcken-Hülffe nach dreyfachen Anschlag/wie solches zur Dictatur gekommen zu Regenspurg den 8-18. Januarii, Anno 1664. quod legitur parte undecimâ Diarii Europæi pag. 36.

XXVII. Non tamen semper contribuitur in Imperio nostro secundum summam, quam Statuum quisque contribuebat ad Expeditionem Romanam: imò secus, ac plerique existimant, nec Matriculæ omnes conceptæ sunt nach dem Römerzug/sed quandoque respectu aliorum Statuum plus aliquis confert aliô ad expeditionem Romanam, & quæ ad illam normam exiguntur bella, contra Imperii hostes, & alia, quam ad Cameræ sustentationem. Jurispublici Scriptores duorum collectandi modorum ferè mentionem faciunt, ejus qui fit per æs & libram, in quo subditi pro modo omnium facultatum & bonorum extra territorium sitorum, sed & ipsi Electores, Principes, Civitates de omnibus bonis & reditibus collectas solvunt, nullâ exemptionis ratione habitâ, idque æqualiter, vid. Klock. *de contribut. cap. 17. num. 160.* Eundem de ærario *lib. 2. cap. 53. num. 14.* & hujus, de quo diximus, secundum Expeditionem Romanam, nach dem Römerzug. Nec quisquam est eorum, qui literis aliquid de jure publico prodiderit, quem plurium modorum mentionem fecisse sciamus. Collatis tamen matriculis MSStis anni 1521. ac a. 1567. ac nuper Ratisbonæ a. 1663. editâ, cum Cameræ Matriculis MSStis, unâ antiquâ, ac superiori seculo conscripta, alterâ, qualem illam in Comitiis Ratisbonensibus anni 1654. exhibuit Cameræ Fiscalis, modum contribuendi ad sustentationem Cameræ, diversum esse ab utroque hôc modô colligendi, qui dicuntur nach dem gemeinen Pfenning/und nach dem Römerzug/ liquido apparuit. Secundum enim matriculam anni 1521. Electores Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis, Palatinus, Saxo, Brandenburgicus, singuli sexaginta equites, pedites vero ducentos septuaginta septem ad expedi-

ditionem Romam conferunt, quod ita etiam, nisi quod Trevirensi saltem 40. equites, pedites 184. ibi adscribantur, habetur in illa anni 1567. Et in recentissima Ratisbonensi, Moguntino, Coloniensi, Brandenburgico eædem adhuc summæ adscribuntur, quæ olim illis assignabantur, anno 1521. Trevirensis convenit cum eâ, quæ fuit anno 1567. Saxoni equites sexaginta quinque, pedites trecenti & unus tribuuntur. Palatino dimidium antiquæ summæ computatur. At in Camerali illa, quam exhibuit Fiscalis anno 1654. hodiè quando solvit ad Cameræ sustentationem Moguntinus, 600. Coloniensis quingentos quinquaginta, Trevirensis sexcentos. quadraginta duos, Palatinus cum exemptis sexcentos sexaginta, ubi tamen additur, **der Abgang** ratione **der Oberpfaltz stehet zum Vergleich**; Saxo cum exemptis mille quadraginta octo, Brandenburgensis quingentos quinquaginta Imperiales conferunt. Eadem differentia ratione aliorum Statuum ex hâc & antiquiori Cameræ matricula nullo negotio, nisi temporis habenda esset ratio, ostendi posset. Unde liquido apparet, aliam illos sequi hâc in parte contribuendi rationem, quam quæ redacta sit ad modum Expeditionis Romanæ. Atque hujus contributionis videtur, ut ad specialem normam redactæ, **als eines besondern Anschlags** / meminisse ipse Imperator Carolus V. **R. A. zu Augspurg** / ibi: **Vermög eines Anschlags / so wir uns mit Jhren Lübden und Jhnen verglichen.** Et hic ille est modus contribuendi, qui vocetur in postremo Recessu Imperii anni 1654. §. **und zwar so viel der alte** modus **nach besage der Cammer-Matricul.** Ut addendus post hæc ad minimum sit Jurispublici Scriptoribus ad priores duos modos, **den gemeinen Pfenning / und Römerzug** / tertius peculiaris & ab utroque diversus. Meminit hujus jam tum Legatus Saltzburgensis in eruditissimo voto, quod 24. Julii in Comitiis anni 1641. de modo contributionis tulit; ubi trium modorum collectandi in Imperio mentionem facit; I. **Des Römer-Anschlags.** II. **des gemeinen Pfennings.** III. **Gütiger** Tractaten **mit den Ständen.**

XXVIII. Matriculæ requisita tria esse vult Zacharias Vietor, *de causis exempt. Imp. concl.* 5. I. Ut sit scriptura publica & authentica, & adducit *Specul. tit. de Instrum. edi.* §. *restat.* ac Tilemannum *de Benignis*

gnis decad. 4. vol. 1. *n.* 21. II. Ut ordinum aut ſuperiorum authoritate ſit confecta, & III. Ut ex Archivo publico depromatur, velut in Imperio ex Cancellaria Moguntina, ſicuti hujus præjudicia & teſtimonia in cauſis exemptionum adducit Ruland. *de Commiſſariis lib.* 5. *part.* 2. *cap.* 4. *num.* 11. & 12. Eadem ex iſto deſumpta tradit Daniel Otto, *de jure publ. cap.* 17. *pag.* 540. & repetit Sprenger *in Iurisprud. publica tit. de membr. Imp. pag.* 185. Referens apud Gylmannum, *lib.* 2. *deciſ.* 40. *num.* 66. & *ſeqq.* etiam plura requirere videtur: I. Ut ſit authentica & publica authoritate confecta, II. Ut ſit ſolenniter ſcripta; nam addit: propter vilem & immundam chartam ſcripturam eſſe ſuſpectam. Porrò poſtulat ſubſcriptiones & ſigilla Statuum, præſertim eorum, de quorum præjudicio agitur. Tùm plenam cauſæ cognitionem, ac ut Matricula, vel alius liber correſpondens contineat accepta ac data, quod aliquando ut Status ſolverint, idque Baldum requirere vult in *l. rationes* 6. *C. de probat.* Mox tamen ipſe ambigere de omnibus his conjunctis videtur; ſubjungit enim, *ſi nihil horum contineat, non puto probare, niſi ſtatutum & ſancitum reperiatur in Receſſibus Comitiorum Imperii quod nutæ matriculæ ſit credendum, quod non puto unquam ſtatutum, imò contrarium, vel quod talis ſit conſuetudo, quod matricula Imperii probet, ea tamen conſuetudo probari deberet quando tales libri ſumunt robur à conſuetudine per ea, quæ allegat Bertachinus tract. de gabell. num.* 3. & deinceps *his*, ait, *licet, ſint juris, non velim ita pertinaciter inhærere & obſtinatè* Gail. *lib.* 1. *obſerv.* 21. *num.* 11. de requiſitis matriculæ ſe diſputare nolle, ait, ſed ad Canoniſtas Lectorem remittit. Speculator in tit. *de Inſtrum. editione* §. *reſtat. videre num.* 32. vult adhiberi Notarium & teſtes.

XXIX. Atque primò illud ſatis conſtat, matriculam eſſe debere publicam & authenticam; differunt enim matricula ipſa, & exemplum matriculæ, & effectus quoque matriculæ ipſam ſequuntur, non ejus exemplum Pauli *in leg.* 2. *ff. de fid. Inſtrumentor.* iſta verba ſunt: *Quicunque à Fiſco convenitur, non ex Indice & exemplo alicujus ſcripturæ, ſed ex authentico conveniendus eſt.* Et Pontifex Gregorius *in cap.* 1. *X. eod. ſi ſcripturam*, inquit, *authentitam non videmus, ad exemplaria nihil facere poſſumus*: Publi-

blicum verò & authenticum dicitur Instrumentum, licet à privatis quidem hominibus conscriptum sit, modò tamen à persona publica subscriptio, vel sigillum publicum accesserit, *cap. 2. X. de fid. Instrum.* nec enim necessum est semper, ut publica persona subscribat, sed ejusdem efficaciæ est sigilli appositio, modo constet illud voluntate ejus appositum esse, cujus est sigillum; alioquin enim, si consensum non accommodaverit, uti loquitur *lib. 2. C. de reb. alien. non alienand. licet sigillo aliquis Instrumentum fraude conquisita signaverit, hujusmodi commentum nullam producenti securitatem præstare potest, vid.* Gloss. *ibid. &* Carpz.. *3. Resp. 79. num. 13. & seqq.* Si tamen dubitetur, sigillum consensu ejus ad quem pertinet, appositum videtur, quod sigillum suum nemo temerè negligenter habere videatur. Carpz. *dict. Resp. num.* 15. *&* 16. Est & tertius modus, quô à privatis conscripta Instrumenta publica fiunt, si actis insinuentur, ac inde ex archivo publico producantur; charta enim, quæ profertur ex archivo publico, testimonium publicum habet, ut est *in auth. ad hæc C. de fid. Instrum.* & *in l. ult. C. de re judicata. Gesta quæ sunt translata in publica monumenta, habere voluut perpetuam firmitatem Imperatores; neque enim morte cognitoris perire debet publica fides.* Quamvis autem verissimum sit, Matriculam Imperii esse debere publicam & authenticam: cum tamen, quod ab Imperatore & Ordinibus Imperii fieri jubetur, & approbatur, quod Authores adducti secundo requirunt, non possit non esse publicum, idem bis dicere videntur, cum accuratè loquendo contenti esse possent tradidisse & explicasse secundum hoc requisitum, de quo pluribus jam egit *thes. diss. hujus* 13. Illud autem, quod tertio requirunt, ut depromatur ex archivo publico, cuique probando adducunt *cap. ad audientiam 13. X. de præscriptionibus*, ubi Pontifici Innocentio III. libri Censuales suspecti sunt, *qui non in Camerâ Pontificiâ recepti fuerunt*, non videtur admittendum. Sanè ipse Rutgerus Rulandus, quem in eam sententiam Vietor & Otto adducunt *lib. 5. de Commissar. cap. 8. num. 12. Hoc requisitum*, ait, *cum micâ salis est accipiendum, ut locum debeat, quoties de se & suâ naturâ exemplum non probat, secus in casib. ubi exemplum fidem*

dem facit. Nec videmus quomodo post mandatum & approbationem Ordinum derogari authoritas matriculæ possit, etiamsi in archivum publicum relata non sit, aut quomodo illius authoritas cesset, si pereunte quod fieri potest archivo ipso inviolata supersit, cum illationi in archivum illa tribuant solùm Justinianeæ leges, quæ aliis publicis Instrumentis, eô quod publica sunt, competunt. Interim si dubitetur de matricula, an sit ista, quæ Imperatoris & Ordinum consensu conscripta sit, multùm ad probationem interest, ex archivo ea depromta sit, annon, adde quæ de jure archivi docet Magnificus Dn. Mylerus *de Princip. & Statib. Imp. cap. 47.* & Senatus Consultum Cameræ de die 7. Octobris anni 1550. quod commemorat Klockius *de contribut. cap. 19. n. 37.*

XXX. Excutiamus paucis quoque Gylmanni illa. Vult ille etiam, ut *solenniter sit scripta*; quâ loquendi ratione si id vult, ut consensu & voluntate Imperatoris & Ordinum scripta sit, rectè id requirit, & egimus jam antè eâ de re; sin id vult, ut non vili & immundâ chartâ scripta sit matricula, non existimamus quidem, si alioquin constet, matriculam esse genuinam, interesse, an vilis, an pretiosa charta sit, cui inscripta sit; nec tamen credendi sunt Cancellarii, aut Vice Cancellarii Imperii offerre Imperatori & Ordinibus viles & immundas illas, de quibus ipse loquitur, chartas. Quas amplius requirit *subscriptiones & subsignationes Statuum*, conjunctim necessarias non esse monuimus, cùm subscriptiones & subsignationes, imò etiam illatio in archivum sola sufficiat, nec causam video, cur non omnium nomine aliqui subscribere, aut subsignare possint. *Causæ* autem, quod præterea vult, *cognitio*, & quidem accurata, optanta & desideranda seriò est, & postulat eam tantæ rei dignitas, postulabit aliquando, etiam si differatur ulterius, publicæ salutis necessitas. Postremum, *ut matricula, vel alius liber contineat accepta & data*, necessarium non est; omnes enim vident, ante aliquem Statum esse debere, quàm ut aliquid ut Status det, quod autem salvâ essentiâ Status aliquando abesse potest, non est ejus requisitum essentiale. Interim matricula inferri solet in archivum, ac committi custodiæ Electoris Moguntini. Unde & ab eodem ejusdem editio peti consuevit per compulsoriales, ut

vocant, quibus schedulæ adjunguntur, & ad eas responsum rogatur, quod & concedit Elector, quemadmodum id factum in causa Fiscalis contra **Bäyern und Dirnberg** / meminit Rulandt *de commissariis part. 2. lib. 5. cap. 4. num. 11. & 12.* & Klock. *de contribut. cap. 19 n. 37.* a dde Recess. Imperii Augustanum anni 1548. §. **Nachdem auch etlicher anderer**. Limn. *lib. 1. Juris publ. cap. 7. num. 85.* Meichsnerum *decis. Cameral. tom. 3. decis. 6. num. 18.* Reinking. *de Regim. secul. & Eccles. lib. 1. clas. 4. c. 1. num.* 12. Becker *in Synopsi Juris publ. lib. 3. cap. 2.* Dn. Nicolaum Mylerum ab **Ehrnbach** *de Stat. Imp. cap. 10. num. 4.* Arum. *de Comitiis cap. 8. num.* 67. Speculatoris illam traditionem de Notariis & testibus, si de Imperii matricula etiã, quæ de matricula simpliciter tradit, intellecta velit, satis recensuisse solùm jam est confutásse, annon enim Imperatori & Statibus Imperii, aut Electori Moguntino, Cancellario Imperii, tantũ credi potest, quantum testibus privatis?

XXXI. Pervenimus ad matriculæ effectus, probationem imprimis, quæ inde deducitur, verùm illud hujus & superioris seculi Eridos pomum. Sunt enim qui nihil probare, ac ne præsumtionem quidem, quæ momenti alicujus sit, sed saltem suspicionem præbere, sunt qui in dubio pro eâ præsumendum, eamque quasi possessionem immediatæ subjectionis conferre, fiscumque inscriptionem matriculæ probantem fundatam intentionem habere, non modo collectarum, sed & personarum respectu; sunt qui semiplenè, nec desunt, qui plenè probare velint. Ex iis, qui non probare existimant, est Johannes Andreæ, *in addit. ad Speculatorem in tit. de Instrum. edit.* §. *restat*, ubi refert hujus opinionis Authorem quendam, Laurentium Sillim. Baldus *in l. cum dies* §. *Si arbiter num. 3. de probat.* Jason *in l. Barbarius num. 56. de offic. Prætor.* & ibi Camill. Plant. *num.* 171. *& seqq.* Salicetus *in l. Scriniarios* 16. *C. de testam. milit. n. 2.* scribit: *ex eo, quod quis est descriptus in matricula ut talis, si reperitur non etiam talis, qualis descriptus est, descriptio ei non prodest*, & P. Castrensis ibi: *Multi*, ait, *possunt inscribi, & tamen non sunt*, Albericum de Ros. quoque ista sententia Patronum habet, *in l. cum precibus* 18. *C. de probat.* ubi illam veriorem dicit, & ab ea non esse recedendum in judicando, Alciatus etiam *regula 3. præsumpt. 17. n. 5.* veriorem hanc opinionem existimat, non probare matriculam, nec habere præsumtionem sufficien-

ficientem ad transferendum onus probandi in adversarium, sed solùm quandam suspicionem. Tandem tamen opiniones de quæstione hâc diversas ita conciliat, quod pro matricula præsumatur, si confecta sit authoritate superioris, sin autem ab iis, quibus non competit talis facultas creandi aliquem ex eô ordine, de quô est matricula, tunc eam tantùm facere quandam suspicionem, non autem probare titulum. Mascardus *de probat. conclus.* 1038. *num 6.* etiam Antonio de Butrio, Felino & Innocentio hanc sententiam tribuit, & Referens apud Gylmannum *in decis. l. 2. decis.* 14. *num. 45.* matriculam nec præsumptionem pro se habere scribit.

XXXII. Argumentis utuntur, aut uti posse videntur illis *l.* 1. & *l.* 10. *ff. de Decurionibus*, ubi ista leguntur: *solâ albi præscriptione minimè Decurionem factum, qui secundùm legem Decurio creatus non sit, & l.* 16. *C. de testam. milit. Scriniarios vel apparitores, qui Virorum magnificorum Magistrorum militum jussionibus vel actibus obtemperant, etsi nomina eorum matriculis militaribus referri videantur, nullatenus tamen in ultimis à se conficiendis voluntatibus juris militaris habere facultatem decernimus.* Addunt alii, non posse probari, matriculas istas authoritate publicâ confectas & authenticas esse, quod necessariò ad probandi effectum requiratur. *l.* 17. *C. de fid. Instrum.* add. §. *pen. Inst. quib. mod. testam. infirm.* Sed & apparere videtur ex ipsis Imperii Recessibus, quam sibi non constet Imperii matricula: R. A. enim de anno 1544. §. Demnach sollen die obgedachte &c. sancitur: Daß man einen billichen gleichen Anschlag / es geschehe durch Ringerung der Beschwerten / und Erhöhung der Vermüglichen / oder durch einen gantz neuen Anschlag / oder in andere Wege / abreden und machen solle. R. A. Zu Augspurg / anno 1548. §. Also auch durch die Krayß-verordnete fürbracht / ibi: Daß gleichwol etliche Stände in des H. Reichs Anschlägen befunden / aber unbewust / wer dieselben / oder welcher Ende sie zu finden / oder seßhafft. Et in Imperii Recessibus, qui isti opinioni subscribunt, nullibi constitutum esse ajunt, matriculæ Imperii credendum esse, quod utique non esset in re tanti momenti omissum: & docere experientiam, plurimos in Imperii matriculam relatos, qui Imperii

Status non sunt. Sed & in Comitiis sæpius quidem consultatum, quomodo matricula perficienda, R. A. de anno 1576. §. Demnach wir ferner &c. ibi: Was grosse Unrichtigkeit und Abgang in des H. Reichs Matricul sich erregen/& porro: Darum auch dißmahl von ergäntzung angeregter Matricul/dann auch von exemption, moderation, und daher interponirten appellation Sachen geredt werden soll; eam tamen perfectionem & emendationem nondum secutam, acta comitiorum anni imprimis 1603. Sed & hodiernorum abundè testantur. Ex imperfecta autem matricula probatio vix videtur repeti posse: *è mundo enim, quod non est absolutum vel impletum, Jus aliquem sibi vendicare vetat. l. 17. C. de fide Instr.*

XXXIII. Alii tantisper pro eâ militare juris præsumptionem, donec contrarium probetur, & Fiscum habere fundatam intentionem ex albo vel matricula, autumant. Ex eorum numero est Gailius 1. *Obs.* 21. *n. 9. &* 11. Klockius *de contribut. cap.* 19. *n.* 17. *& n. 30.* Wurmser, *Exercit.* 1. *quæst.* 16. Becker. *in Synops. jurispubl. lib. 3. cap. 2.* Wintzler. *de collectis, observat. 9.* Fiscalis Cameræ apud Gylmannum *decis. lib. 2. decis. 14. num.* 1. & ex exteris Sese *decis. Arrogon.* 143. *tota.* Eorum sententiam adstruere videtur *arg. cap. 8. cùm dilectus, X. de religios. domib*, ibi: *quod si Abbas in exemptionis probatione defecerit, nec legitimâ se poterit præscriptione tueri. c. cum persona, 7. de privileg. in sexto. l.* 23. *in pr. ff. de eo quod met. causa. & l.* 16. *C. de probat.* Idque secuti Domini Camerales in decisionibus apud Gylmannum, voce *Matricula*, ceu docet Cameræ Assessor, qui collegit decisiones seu præjudicia Cameræ Imperialis apud Gylmannum voce *Matricula*, ubi docet, ex illorum sententia matriculam Imperii tam semiplenam probationem, quàm præsumptionem facere, quemadmodum ex multis præjudiciis, quæ extant in protocollis consilii anni 1550. 1551. 1552. appareat.

XXXIV. Reinkingius, Gylmannus, Blumius *de processu Camerali tit. 30. §. 52.* addunt etiam semiplenè probare matriculas, quod itidem probatum Cameræ Assessoribns, adductis præjudiciis, tradit Gylmann. At plenè probare volunt Magnif. Dn. Mylerus *de Stat. Imperii cap. 103. num. 7.* Limnæus *lib. 1. cap. 7. num. 67.* Knipschildt

de jur. & priv. Civ. Imp. lib. 1. cap. 12. n. 7 & 8. Utuntur argumentis *ex l. census, 10. ff. de probat.* Ubi Marcellus JCtus *census* ait, *& monumenta publica, potiora testibus esse Senatus censuit* Addunt *l. hac consultissima 8. C. qui testam. fac. poss. cap. pervenit. 30. q. 1. cap. ad audient. 13. X. de præscript.* quæ tamen admodum obscura argumenta continent. Sed ut à postremâ hâc convellendâ fiat initium, si matricula ulla, etiam ista anni 1521. perfectè probat, Imperator & Status facultatem contrarium probandi non concessissent. Concedunt autem in R. A. zu Augspurg / anno 1548. §. Und soll Unser Kayserl. Cammer-Gericht nicht allein in Sachen / ob ein Stand billich oder unbillich außgezogen sey / sondern auch / ob einer des Rahtschlags befreyet / darwieder / wie in solchen Fällen recht ist / præscribiret, oder sonst auß erheblichen Ursachen / sein Hülff in das Reich zu thun nicht schuldig / und zu dem allen / ob er dem Gewinnenden Außzieher cum onere seines Anschlags / oder frey heimfallen solle / wie sich das nach Gelegenheit der Sachen aus den Actis befinden wird / nach Außweisung gemeiner Recht zu erkennen / und endlich zu sprechen haben. In eodem Recessu non nimium fidei huic matriculæ tribui, ista docent, quæ leguntur, §. Dieweil auch etliche Stände in die Reichs-Anschläge komen seynd / aber zweiffelhafft ist / ob dieselbige gewiß seyn mögen / oder nicht. In Recess. Imp. anni 1570. §. Wann dann) dicitur: Daß die Matricul einmal zu ergäntzen und r chtig zu machen. Recess. Ratisbon. anni 1576. mentio fit der Unrichtigkeit und Abgang in des Heil. Reichs Matricul / & additur ideò deliberandum esse de ejus perfectione, daß von ergäntzung angeregter Matricul / dann auch von exemption, moderation, und daher interponirten Appellation Sache geredt werden solte. §. Demnach wir ferners. add. Recess. anni 1582. §. Wann nun eben di sen / ibi: Wie hochnöhtig sey / daß einmal Unsers / und des Heil. Reichs Matricul / endlich ergäntzet und richtig gemacht würde / adde §. Weiters als wir auch. eôd. Recessu. & R. A. Regenspurg / §. Demnach auch wir zum fünfften. Instrumenta publica probandi quidem authoritatem habent; sed ut illa perfecta sit, & ipsa perfecta esse oportet liquida, non de quibus confessione ipso-

rum

rum conſcribentium conſtet eſſe emendanda, corrigenda, perficienda, augenda, minuenda, moderanda, vid *l. 2. C. de fid. inſtrum.* adde omninò Dn. Referentem in cauſa Fiſcalis contra Abbatem **zu Ritters-Hauſen** / & Ducem Brunſvvicenſem, apud Gylmannum, *tom.* I. *Symphor. ſupplicat. part.* 2. *tit.* II. *num.* 71. *& ſeqq.* Carpzovium *ad Leg. Regiam c. 3. ſect.* 12. *num. 38. & 39.* Nec ii tamen ſuam nobis ſententiam perſuadent, qui nihil planè probare matriculam nos credere jubent. Adductis textibus juris communis reſpondent jam Dn. Reinking. *de R. S. & Eccleſ. lib.* I. *claſſ. 4. cap.* I. *num.* 16. *& ſeqq.* & ante eum *ad l. Scriniarios* 16. *C. de teſtam. milit.* Referens apud Meichſnerum *tom. 3. deciſ. 6. pag. 63.* quæ non deſcribimus. Et imperfectam eſſe licet coquerantur Receſſus matriculam, non tamen eô ipsô omnem probandi vim adimunt, ſed id ſaltem indè conſequens eſt, ſolam matriculæ inſcriptionem aliquem Statum eſſe non evincere, ſi adſint, quæ opponi poſſint fortiora argumenta. Nec neceſſum eſt, ut ex Imperii Receſſibus repetatur, quæ fides adhibenda ſit ſcripturæ hujusmodi publicæ, quod ex jure communi diſcimus, quanquam nec verum ſit, nihil eâ de re legi in Receſſibus Imperii, vid. **R. A.** anno 1551. §. **Nach dem auch auff angeſetzten Crayß-Tag** / **R. A.** de anno 1576. §. **Wann auch zu Franckfurt. R. A. zu Regenſpurg** de anno 1594. §. **Wann auch bey voriger** / & cætera, quæ objiciuntur evincere idonea ſunt, non eſſe omni exceptione majorem matriculam, non etiam, eam nihil penitus probare.

XXXV. Rectius illi, qui præſumptionem illi tribuunt, qui fiſcum fundatam intentionem ex albo habere, contra onus probandi in adverſarium rejicere, & conſtituere in quaſi poſſeſſione volunt. De præſumptione id docet Bartolus *ad l. matriculam 3. C. de agent. in reb. n. 4.* ubi & tradit, quod ab onere probandi liberet, vid. Joh. Baptiſtam in tract. *de Statut. urbis præſcript. gloſſa 24. num.* 2. De quaſi poſſeſſione vide Decium, *l. penult. C. de teſtam. milit.* F. Herculanum *in tract. quis teneatur probare negativam, num. 169.* Et probare hanc opinionem non obſcurè videtur. *arg. leg.* 13. *C. de Adv. diverſ. judic.* Illud dubiô caret, in Camerâ plus ſimplici vice pronunciatum, Matriculam præſumptionem facere, quod adductis præjudiciis pluribus docet Referens

rens apud Meichsnerum *tom. 3. decis. 6. num. 20.* Autor anonymus. (quem tamen constat fuisse Assessorem Judicii Cameralis) *decisionum Cameralium*, voce *Matricula*. Est tamen illa præsumptio, præsumptio non Juris & de jure, quæ ex argumentis necessariis oritur, sed Juris, quâ è lege & probabilibus rationibus civilibus aliquid inducitur, ac ita inductum pro vero habetur, usque dum præsumptionibus, vel probationibus legitimè elidatur. Dn. Struv. *ad tit. D. de probat. & præsumpt. th. 18.* Sed an etiam semiplenè probare dicenda est? Meichsnerus & Gylmannus adductis locis, præjudiciis Cameralibus etiam hanc sententiam ratam esse volunt. Vellemus autem præjudicia tota attulissent, ut de negotio tanto rectius judicare possemus. Cæteroquin præjudicia, nisi accuratè omnes circumstantiæ congruant, nisi subjectum sit & præjudicatum idem, aut fere idem immeritò jactantur, & meminimus, Viros praxeos peritos, ac judicio valentes, causis dijudicandis per plures annos adhibitos dixisse, se toto illo tempore nunquam in causis civilibus duas observasse causas, quarum circumstantiæ penitus congruerent. Quod si, quid nobis videatur, exponendum sit, distinguendum putamus inter diversos, qui existere possunt, casus; fieri enim potest, ut matriculæ aliquis inscriptus sit, quem eximere Fiscalis velit, cui nihil solidi opponere possit eximens, & non videmus, quare pro semiplenâ probatione eô casu haberi nequeat inscriptio, imò plerumque effectus ejus major semiplena probatione esse potest; Juramento tamen suppletorio, quô semiplenam probationem alioquin supplent Practici nostri, hîc locus esse non poterit, quod exactè rei veritatem Fiscalis scire non possit & causa non sit modica, sed quæ Principatus, Comitatus, Civitates Imperiales concernat. conf. Gail. 1. *O.* 108. *n.* 11. *& n.* 27. Salicet in *l.* 3. *C. de jurejur.* Wurmser *l.* 1. *tit.* 14. *observ.* 11. *&* 12. Sed si vel manifestò, quod fieri posse docet R. A. de anno 1548. eximens probet, exemptum non esse Statum Imperii, nec dici potest matricula eô casu semiplenè probare. Atq; ita haud dubiè interpretanda sunt illa, ad quæ Meichsnerus & Gylmannus provocant, Cameræ præjudicia, quibus matriculæ adscribitur, semiplena probatio.

XXXVI. Matriculæ, ex quo primum illæ literis mandari

cœperunt, plures confectæ fuerunt. Unde hodiè constat de illâ anni 1431. 1467. 1471. 1480. 1481. 1486. 1487. 1489. 1505. 1507. 1510. 1521. 1522. 1524. 1525. 1526. 1529. 1530. 1535. 1545. 1548. 1551. 1553. 1557. 1571. 1576. præter has non esse alias huc usque confectas existimat Autor des wolgemeinten und unvorgreifflichen Discurs, was bey allgemeinen jetzigen Reichs-Tag zu Regenspurg / vermög der in beschehener Kayserlichen proposition enthaltenen drey Haupt-Puncten / beyläuffig zu deliberiren vorkommen möchte. Sed quare omittit illam anni 1567. quam Beckerus edidit? Prodiit &, sed publicâ authoritate nondum confirmata designatio Statuum cum adjectione onerum Ratisbonæ anno 1663. sub Verzeichnüß / des Heil. Römischen Reichs Teutscher Nation, Hochlöblichster: Hoch- und wol-löblicher Stände / nach den zehen Reichs-Crayssen / sampt ihrem Monatlich einfachen Anschlag zum Römer-Zug; als viel man namlich in Schrifften gefunden / und berichtet worden ist / nach dem gegenwertigen Stande des Reichs / zusammen getragen; Einen Reuter zu 12. und einen Fußknecht zu 4. fl. gerechnet. Et Fiscalis Cameræ Indicem Statuum exhibuit Imperatori Ferdinando in Comitiis anni 1654. cui adjecti leguntur etiam, qui nuper accesserunt Imperii Status, additâ singulis portione, quam præstant Imperio ad Cameræ sustentationem. Qui videre velit diversas matriculas, conferat editas illas apud Limnæum, Reinkingium, Wurffbain, Wehnerum, Beckerum, & in Actis Brunswicensibus, ubi antiquas plures integras, aliarum verò partes legere est.

XXXVII. In isto matricularum numero reliquis tamen præstat illa, quæ Wormatiæ anno 1521. Ordinum consensu confecta est. Quod docet Recessus zu Augspurg anni 1551. §. Nach dem auch auffangesetzten. Idque manifestius dicitur in Recessu Imperii Ratisbonensi anni 1576. §. Wann auch zu Franckfurt nechst diß dubium erregt worden / welche Reichs-Matricul für Augen zu haben / darauff man sich im votiren und erkennen fundiren solte: Weil dann unverborgen / daß die Matricul im Jahr / der mindern Zahl zwantzig ein / mit Raht und Bewilligung gemeiner Ständen

auff-

auffgericht/ für Unser und des Heil. Reichs gerechte und gewiste Matricul zuhalten / davon auch in Unsern und des Reichs-Abschieden/ Anno, &c. 51. 56. und 66. zu Augspurg publiciret, Meldung beschicht: So setzen und erklären wir/ daß derselben Matricul im votiren und erkennen zufolgen / und alle und jede Stände darinn begriffen/ bey denselben Anschlägen zu lassen/ was und so viel daran/durch die vorige im Jahr/ &c. 45. 57. und 71. gewesene Moderatorn (doch den interponirten Appellationibus ohn Nachtheil) oder durch nächstkünfftige Moderatorn oder Deputirten nit geändert würde / darnach dann dieselbige erste Matricul endlich ergäntzt/ und richtig gemacht werden soll. In eandem sententiam discedit Recessus Imp. anni 594. §. Wann auch bey voriger Tractation diß dubium erregt worden/ welche Reichs-Matricul vor Augen zu haben / darauff man sich im votiren und erkennen fundiren solte: Weil dann unverborgen / daß diese Matricul im Jahr der mindern Zahl zwantzig eins/mit Raht und Bewilligung gemeiner Stände auffgericht/für Unsere und des Heil. Reichs gerechte und gewisse Matricnl zu halten/ davon auch in Unsern/ und des Reichs-Abschieden/Anno,&c. fünfftzig eins/ fünfftzig sechs/ und sechtzig sechs / zu Augspurg/ und Anno, &c. siebentzig sechs zu Regenspurg / auch jüngst Anno, &c. 82. zu Augspurg publiciret, meldung geschicht: So setzen und erklären wir/daß derselben Matricul im votiren und erkennen zufolgen / und alle und jede Stände darinnen begriffen/bey denselben Anschlägen zulassen/was un̄ so viel daran durch die vorige im Jahr viertzig fünff/funfftzig sieben/ sechtzig sieben / siebentzig eins / und siebentzig sieben / gewesene moderation, (doch den interponirten Appellationibus ohne Nachtheil) oder durch nächstkünfftige Moderatorn, oder Deputirten nicht geändert würde / darnach dann dieselbige erste Matricul ergäntzet und richtig gemacht werdensoll. Electores Imperii Ratisbonæ, 20. Apr. a. 1641. in Ihren Gutachten/ quod extat pag. 8. des Fürstlichen Ertz Bischofflichen Brehmischen Nachtrabs/ de

de hâc matriculâ: die Reichs Matricul/ ajunt, so mit aller Stände des Reichs consens anno 1521. auff dem Reichs-Tag zu Wormbs renovirt und confirmirt, darnach man sich in vorfallenden Reichs-Sachen in erkennen und votiren, (wie solches der allhie im Jahr 1576. §. und wollen wir &c. verfassete Reichs-Abschied klärlich ausweiset) richten solle. Adde in Actis Brunsuicensibus part. 2. pag. 1102. quæ disserit eâ de re Vir eruditus, consilii illius Author, Authorem des Abdrucks p. 73. Reinking. *de R. S. & Eccl. l. 1. class. 4. cap. 1. num. 23.* Arumæum *de comit. cap. 8. n. 63. p. 639.* Wehner *pract. observ.* voce *Matricul.* Knipschildt. *de jur. & privil. Civit. Imp. l. 1. cap. 12. num. 9. & 10. & lib. 2. c. 17. num. 72.* Petr. Denais. *jur. Cam. tit.* 191. §. 9. Limn. *lib. 1. cap. 7. 84.* Justum Sinold *in Colleg. jur. publ. D. 6. th. 2. l. d. & v. 2. Disp. 4. th. 15. l. a.* Goldast. *de regn. Bohem. l. 2. cap. 17. num.* 12. Dn. Tobiam Oelhafen von Schöllnbach *in templo pacis Orat. 4. p.* 177. Becker. *in Jur. publ. l. 3. c. 2. n. 3.* Joh. Theod. Sprenger. *in Jurisprud. publ. p.* 185. Eaque etiam oratio habita tum in solutione summæ illius, quâ dimissus est miles Suecicus in der Schwedischen Satisfaction Bewilligung/ vid. Pflaumerum in Colloquio von etlichen Reichs-Tag Puncten/ p. 65. sed & aliis Imperii necessitatibus urgentibus idem observatum meminimus.

XXXVIII. Quod tamen monet alicubi Vir doctus, daß die Matricul von anno 1521. vor die Käyserl. Majest. und des Heil. Reichs gerechte und gewisse Matricul zu halten/ jedoch nicht ohne Unterscheid/ sondern wie Käyserliche Majestädt/ Churfürsten und Stände die Dinge selbsten verstanden haben wollen/ nemlich cum exceptione, vorbehaltener fernerer Rectification, auch ergäntzung derselben/ id minimè hoc loco negligendum est; Inserti enim sunt etiam huic matriculæ Episcopatus Sleswicensis, quem tamen ad Imperium non pertinere, Domus Holsatica anno 1587. 20. Martii, in Camera Imperiali obtinuit, vid. Limn. *tom. 1. addit. ad l. 4. cap. 7. pag. 491.* & Caminensis, de quo itidem constat, non pertinere ad Imperium, vid. Matth. Steph. *lib. 3. de Iurisdict. par. 1. cap. 9. num. 19.* Justus Sinold, cognomento Schütz *de Statu Rei Romanæ vol. 2. Disp. 4. th. 15. l. a,* Limn. *tom.*

tom. 2. addit. ad lib. 4. cap. 7. pag. 271. Abbas Rittershusanus, quem tamen non esse Statum, pronunciavit Cameræ Imperialis judicium, *in Actis Brunsvicensibus part. 2. pag. 1078.* Et est de illa emendanda & perficienda non semel actum in Imperio, ac insignem catalogum eximendorum anno 1548. in ipsis comitiis exhibitum esse, constat, sed & non æqualiter assignatas esse contributiones etiam in istâ matricula Imperii Statibus, proximis mox annis ad nostra usque tempora conquesti sunt Imperii Status. Unde tot natæ in Imperio de moderanda matricula deliberationes. Quid? quod nec legi ibi possint Status, qui hanc dignitatem deinceps demum, circa finem superioris seculi, aut nostro hôc ævô adepti sunt; unde longè plures enumerantur in illa, quam exhibuit Fiscalis Cameræ anno 1654. cui adscripti etiam sunt Status recentiores, & Civitates novam hanc matriculam insciis & absentibus Civitatum Deputatis confectam, ex intervallo sibi oblatam non recepisse, aut approbasse, quin potius eidem contradixisse, & protestando jus suum sartum tectum conservâsse, quæ protestatio non rejecta fuerit, sed in archivo Civitatum Imperialium, quod Spiræ est, authentica conservetur, tradit Klockius *de contribut. cap. 19. num. 66.* quem sequuntur Knipschild *de jur. & privil. Civit. Imp. l. 1. c. 12. num. 14.* Limn. *tom. 1. addit. ad l. 1. cap. 7. num. 82.* Unde facilè est colligere, quid de illorum Doctorum enunciato sentiendum sit, qui matriculam etiam negativè probare volunt.

XXXIX. Venit & illud non semel, imprimis in causa Brunsuicensi & Bremensi, in controversiam, an antiquiorum matricularum post approbatam illam anni 1521. nullus amplius usus sit, ac adeò illæ abrogatæ sint. Ita Knichen existimare *in Encyclop. cap. 7. fol. 21.* vult Limnæus *lib. 1. cap. 7. num. 71.* Ipse Limnæus eodem loco *num. 80. Antiquiorum*, scribit, *matricularum non levis constituitur authoritas, quæ tamen apud me tanti ponderis non est, ut eas recentioribus præferam, hoc casu, si in antiquis vel civitas aliqua, vel Princeps consignatus reperiatur, in recentioribus verò omissus*; adducit rationes istas; I. quod Fiscalis propriam Imperii turpitudinem allegaret, si negligenter omissum Statum aliquem diceret, II. quod matriculæ Statuum omnium consensu con-

ficiantur., & in omnium notitiam perveniant, & omnium, ut credibile ipsi videtur, subscriptione, convalidentur, ut si cujusquam nomen omissum, suâ mox diligentiâ sibi & Imperio prospicere possit. III. adducit *arg. cap. ex lit 3. X. de probat.* & *IV. l. 47. ff. de leg. 3.* Dn. Reinkingius in causa Bremensi planè quoque rejicit antiquas istas: ita enim legitur *in Assertione jurium Archi Episcopalium*, cujus ipse Autor esse creditur, *p.* 54. In den Reichs constitutionen ist klärlich verabschiedet / daß man in vorfallenden Irrungen und dubiis nicht die alten unrichtigen / und in viele wege in communi Procerum consilio irrig befundene / sondern obangeregte publica Imperatoris & Statuum authoritate rectificirte Reichs-Matricul de anno 1521. pro norma & cynosura zu halten. Et *pag, 60.* Nachtrabs: Es ist nicht wenig zu verwundern / daß der Bremische abgeordnete Syndicus zu Regenspurg nicht allein vor sich solche verworffene Reichs-Matriculn contra *l. 2. ff. ad. L. Cornel. de fals. & l. 2. §. 19. C. de vet. jur. enucl.* anziehen dörffen / sondern auch den guten alten Reichs-Fiscal dahin persvadiret / und verleitet / daß ohn erachtet derselbe auff obgezogene Reichs constitutiones, und darinn authentisirte Reichs-Matricul beeydet und verpflichtet / und derowegen / was in den pragmaticis Imperii constitutionibus und Reichs-Gesetzen vernichtet und verworffen / salvâ conscientiâ sub prætextu officii, nicht anziehen kan / dannoch so weit hintergangen / daß er angeregte constitutiones und jura zurückgesetzt / und in seiner angemaßten nichtigen / aber nicht acceptirten Klage mit den Bremensibus die abrogatas matriculas hervor suchet &c. adde des Abdrucks Authores in eâdem causâ *p.* 76. atque Cothmannum antiquas illas ideò fugitivas appellare, scribit Gottlieb von Hagen / in Comitiologia Ratisbonensi *part. 3. diss. 4. num. 89.* At ex adverso Gailius *lib. 1. obs. 21. num. 11. sufficit* ait, *ad probandam quasi possessionem Imperii eximendum matriculæ inscriptum, adeòque semel & antiquitus inscriptum esse licet in posterioribus matriculis nomen ejus non amplius reperiatur, quia hoc Imperio fraudi aut nocumento esse non debet, nisi legitimè probatum sit, eum Cæsaris & Statuum voluntate ex matriculâ deletum esse, quod sine nota existimationis & dignitatis vix fieri potest. Baldus in d. l. scri-*

nia-

niarios, num. 1. & in l. si præsens num. 5. C. quom. & quando Jud. utrobique dicit per illum textum, quod minus ritè deletus ex matriculâ, pro non deleto habeatur, & quod matricula concellata probet pro eo. Paria enim sunt, aliquid non fieri, vel minus legitimè fieri text. in l. quoties ff. qui satisd. cog. & in l. de ætate, §. nihil interest, ff. de interrog. act. cum similibus. Autor *Comitiologiæ Ratisbonens. alleg. loc.* In Sachen N. contra die Stadt N. haben die Fürstliche Ministri diese Meynung gehabt / daß die zu Wormbs auff dem Reichs-Tage Anno 1521. verfassete matricula Imperii allein pro authentica, und daß die jenigen / so darein nicht eingeschrieben / auch für keine Reich-Stände zu halten. Die andern Matriculæ, so älter sind / werden von dem Cothmann fugitivæ, von Doctor R. Schardecken genennet: So man anders nur auch das geringste / was auff Kayser / Churfürsten / und Reichs-Stände sich bezeucht / also schelten mag. Auff diese weise dörffte einer auch wol die alte Cammer-Gerichts-Ordnung de Anno 1500. eine Schardecke heissen / darum daß selbige / als unvollkommen / hernach Anno 1555. durch eine andere verbessert worden / und die jetzige pro unicè authentica gerühmete Matricul de anno 1521. noch auch reformiret, und verbessert werden muß / und wird. Unterdeß ist diß kein recht Argument: dieser / oder jener ist in der Matricul de anno 1521. nicht genennet: Ergò ist er auch kein Standt des Reichs. Dann dißfals nicht darauff zu sehen / daß einer in bemelder Matricul nicht begriffen / sondern diß ist diese Frage: Ob er nicht billich darein gesetzt und begriffen werden sollen? Solches negativè geflochtenes Argument oder Enthymema hat keine rechtfolgende Consequens, sondern dieser Schluß ist logicalisch. Welcher Stand in der jüngsten Matriculâ Imperii de anno 1521. expressè nicht genandt / auch sonsten per alia documenta & jura das prædicat eines Reichs Standts nicht behaupten kan / derselbe ist für keinen Stand des Reichs zu achten: Atqui subsumo: Wiewol N. in mehr gesagter matricul de Anno 1521. nicht stehet / dieweil er aber zum Beweiß des Reichständigen prædicats andere beständige Uhrkunde und rationes vorzubringen hat / so

so folget darauß/ob er gleich in d. Matricula nicht begriffen/ daß er dannoch darum nicht flugs für einen Unstand/ sondern vielmehr für einen Stand des Reichs zuerkennen sey. Zu mahlen da er in viel ältern matriculis, und Actis Imperii, als ein Reichs-Standt zu finden. Idem sentit Speidel. *in Specul.* voce *Matricula.* Atque hanc quoque sententiam esse Judicii Aulici, & Cameræ Assessorum vix ambigimus, quod Gailius utroque munere per plures annos functus sit, & Fiscalem Cameræ antiquis matriculis niti, ipse Dn. Reinking. agnoscet. Nec idonea sunt Limnæi illa, ut hanc sententiam convellant: nam in tanto Statuum numero & tot circa illorum conditionem controversiis, quod verum est, fateri omissos esse aliquos, aut omitti potuisse, nullam nostro judicio turpitudinem habet, & ad comitia evocari quidem debent Status omnes; sæpè tamen eâ in parte hodièque peccari, alios omittendo; alios verò qui vocari minimè debuissent, vocando, Epistola Rudolphi Imperatoris ad Alexandrum Papenheimium anno 1607. scripta, quæ extat in fine *Actor. Brunsuicensium*, abundè idonea est evincere. Quomodo ergò eorum, quæ ignorant gesta esse, rationem habere possunt absentes? Capitulum verò & lex adducta à Limnæo nihil penitus, quod inspicienti constabit, contra Gailium evincunt. Interim fortiori argumento pugnabit, qui se insertum probat matriculæ anni 1521. quam qui antiquior alicui, licet hisce propterea fides omnis deroganda minimè sit.

XL. Videamus etiam, antequam hinc digrediamur, quid potissimum causæ sit, quare tantô jam tempore nullus nobis sit exactus, vel Statuum ipsorum, vel eorum, quæ ipsi Imperio præstant, onerum Index. Explicabimus vero illud non nostris, sed quod in re difficili securius existimamus, aliorum verbis; Limnæus *tom. 1. addit. ad Jus publicum c. 7. num. 70.* ex Heinrico Bruningio *de variis Universit. specieb.* in eandem sententiam *quod cum olim*, scribit, *Status & Civitates per Edictum ad Comitia Imperialia vacarentur, licuerit omnibus ad quos notitia perveniebat, ad comitia venire: Sed postquam Status omnes, Friderico III. clavum tenente, per literas vocari cœperunt, multi in Cancellaria Cæsarea, ex illis, qui antea ad curiam veniebant, nescio quâ de causâ omissi fuerint. Quam occasionem Principes arripientes, Status tenuiores & nonnullas civitates exc-*

exemerint: quæ etiam non invitæ citatoriis libellis præteriri se passæ, ut hôc pactô mitigationem & exemptionem onerum, der gewissen Anschläge/ *impetrarent, & tolerabiliores fierent illæ contributiones, quæ ad peculiares Cæsaris expeditiones conferuntur.* Hermannus Conringius *de Civibus Imp. Germ. th. 47. & seq. initio*, ait, *vix potuit error evitari. Erant scilicet illis primis temporibus res Imperii in densissimis tenebris, & omnia adhuc barbaries infestabat. Adhoc multorum intereat, ut ampliaretur quam maximè Ordinum numerus, non tam studio quodam Reipublicæ juvandæ, quàm quo in plures divisô publicô tributô ipsi minus onerarentur. Sed & maluerunt multi in Imperii potius, quàm in provinciæ alicujus ærarium suam pecuniam conferre: sibi eò & dignitatis multum & libertatis accrescere haud ineptè colligentes. Accesserunt Cæsarum Ordinumque varia circa hanc rem & occulta studia. Enim verò interest hodiè Cæsareæ authoritatis, ut crescat numerus Ordinum, cumprimis verò omne quod in provinciis est robustissimum, in hunc censum transeat. Vires enim ac opes regni non in paucorum sed plurimorum esse manibus, salus Regia est. Quin ipsæ inter multos de libertate civicâ contentiones, cùm parandæ, tum conservandæ Regiæ authoritatis maxima sunt adminicula. Ex adverso Ordinum quisque sibi mavult alium subjectum, quàm toti Imperio: sed tamen & vicinus vicini sententiam suspectat. Itaque inter ipsos illos Ordines occultis hoc in negotio est odiis, aut amoribus certatum haud leviter. Hisce de causis effectum sanè est, uti hodieque omnis hæc res perplexa sit impedita. Namque primis quidem illis in conciliis à temporibus Sigismundi Cæsaris plures esse errores commissos, vel ex eô statim apparet, quòd in omnibus ferè comitiis alia atque alia sit matriculæ sive albi Ordinum ratio. Facilè hoc cuivis est perspicere, si libeat contendere matriculas (quas appellant) conciliorum anni* 1431. 1467. 1471. 1480. 1481. 1486. 87. 89. 91. 1507. *Liquet enim mulsos Ordinibus esse accensitos, qui alibi omittuntur. Tum verò certum est, (ut unum hoc adducam solummodò concilio 1471. inter alia subscriptum esse:* Goßlar / Herr Johann Buchholtz mit Gewalt Braunschweig / Hildesheim / Göttingen / Eimbeck / Hannover und Hammelen / *& tamen in nullâ matriculâ nomina*

plerarumque harum urbium inveniuntur; imò nunquam aliàs comitiorum Imperii jure plerasque esse usas certissimum est. Hactenus illi, quorum pleraque à verò minimè abludere videntur.

XLI. Diximus matriculas confectas eô fine, ut doceant qui Status sint Imperii, & quid quisque contribuat ad Imperii usus. Ut autem querelæ ratione personarum, quæ vel insertæ, vel omissæ sunt, extiterunt, quod commemoravimus, variæ, ita non defuerunt, etiam proximis post confectam illam anni 1521. qui æqualitatem neglectam, & alios aliis graviori onere assignatione portionis præstandæ gravatos in publicis comitiis conquerentur. Ut res exactius cognoscatur, interest hic ex Recessibus Imperii, quid eô nomine in Comitis vel alibi actum sit, perspicuâ serie ad nostram usque ætatem exponere. Jam anno 1522. non defuerunt, qui publicè exponerent, iniquiorem suam conditionem factam per Wormatiensem matriculam anno 1521. confectam; Interest eâ de re audire legatos, Salisburgensem, Bambergensem, Ratisbonensem, & Passaviensem, in der Information Schrifft auff den Reichs-Tag zu Regenspurg annô 1641. Denen Chur- und Fürstlichen / auch übriger Stände Gesandten und Bottschafften übergeben: alß/ajunt illi, Kayser Carl der V. Glorwürdigsten Andenckens / erwehlet / ist auff dem Reichs-Tag zu Worms anno 1521 ein neuer Anschlag der Stände auff dazumal verwilligte 4000. Pferd und 20000. zu Fuß / gemacht worden. Dieweiln dann solche dazumal geschehene Verwilligung der neu erwehlten Römischen Kayserl. Majest. zu sonderbahren Ehren/ zu Einholung und Erlangung der Kayserl. Kron/ und sonderbar auch zu diesem Ziel und End geschehen/ damit das jenige / so dem Reich entzogen / und lang in fremden Handen gewesen / wiederum erobert / und zu dem Reich gebracht würde; So haben sich etliche Stände des Reichs / zu Bezeugung ihrer sonderbahrer gegen der Kayserlichen Majestät und dem hochlöblichen Vornehmen habender devotion, vornemlich eifferigst/ getreu und freywillig erzeigen / und sich nach allen ihren Vermögen kräfftiglich angreiffen wollen: Darunter dann Herr Cardinal Matthäus/ damals regierender Ertz-Bischoff

zu Saltzburg / und der übrigen interessirten Fürsten geehrte Vorfahren gewesen / und so viel destomehr / dieweiln diese Hülff auff kein beständiges / sondern allein auff 6. Monath ver= willigte 24000. Mann gestellt gewesen. Daß aber die interessirte Fürsten sich auff die hierüber gemachte / den Ertz= und Stifftern assignirte, und in die Matricul gebrachte Außtheilung eigentlich und speciatim eingelassen / das will sich bey den Reichs-Acten nicht befinden. Dahero / und alß hierauff der Erbfeind / in dem König= reich Hungarn / mit grosser Macht vorgebrochen / und der König Ludovicus um eilende Hülff bey den Ständen gantz inständig an= langen lassen: So ist auff den nächstfolgenden 1522. Jahrs zu Nürnberg gehaltenen Reichs-Tag geschlossen / daß vorgedachte zu der Römischen Käyserlichen Majestät expedition in Italien be= schehene Bewilligung der 24000. Mann / zum Widerstand des Türcken verordnet werden solten / dergestalt / daß ein jeder Standt anderthalb viertheil dem Anschlag nach / an solcher Hülff erstat= ten / und folgends in der Verwilligung abziehen solle / und wann es ausserhalb continuation der allbereit zu Wormbs ge= schehenen Verwilligung gewesen / so hätte man dazumaln / hindangesetzt desselben Anschlags / sich einer andern Anschlag verglichen / als dabey man in Ansehung der von den beschwer= ten Ständen eingebrachten beweglichsten Erinnerung nicht wenig angestanden / und wie die formalia lauten / allerhand Mängel / und so viel befunden / daß dahero zwischen den Stän= den Haß und Wiederwillen erfolget / und an Jhme selbst nicht treulich / ziemlich / noch billich / daß hierunter nicht gebührlicher Unterscheid solle gehalten werden.

XLII. Sequenti anno 1523. cùm contra Turcam auxilia, urgente necessitate, summâ celeritate decernerentur, resque illa moram non admitteret, quæ sufficeret emendandæ matriculæ, promissum fuit Statibus, deinceps nihil contribuendum esse ad Imperii usus, nisi assignatis æqualiter oneribus pro cujusque conditione & viribus, testaturque id Recessus Norimbergensis anni 1524. §. Jtem wiewol. Post biennium cùm iterum rogarentur subsidia contra

Imperatorem Ottomannicum, in Comitiis Spirensibus aliquot Imperii Status iterum gravaminum suorum contra Matriculam mentionem injecerunt, ac repetita priora promissa Norimbergæ facta, constat ex recessu anni 1526. §. Item als auff den Reichs-Tag. Cum nihil interim mutaretur, anno 1529. Comitiis Spiræ habitis Ferdinandus Rex & Status reliqui, cum iis, quorum durior per matriculam videbatur facta esse conditio, egerunt, ut ista etiam vice ad modum in matricula præscriptum suam portionem conferrent, de cætero curæ fore imperio, ut eorum, quæ desiderassent, haberetur deinceps ratio. Repetitæ querelæ & promissa Recess. Imp. anno 1530. in comitiis Augustanis. §. und wiewol auff den andern. ubi simul constitutum è quovis circulo Delegatum mittendum Spiram, qui cum reliquis Imperatoris & Statuum eô destinatis Visitatoribus & Commissariis querelas eorum, qui conditionem suam iniquiorem arbitrabantur, audirent, & novum indictionis in Imperio modum præscriberent. Dilata nihilominus res in Comitia Ratisbonensia anno 1532. ubi Commissariis & Deputatis injunctum, ut moderationis matriculæ negotium primo quoque die promoverent. Præterierat decennium, nec tamen facta medela, quare renovatæ querelæ in Comitiis Norimbergensibus anno 1542. quæ cum æquissimæ reputarentur à reliquis Imperii Statibus, Recess. Imp. §. Darauff dann. insertum fuit, pauperioribus à ditioribus restituendum, si quid amplius exposuissent, ut hâc ratione tantò exactius, in Imperio servari possit æqualitas. Spiræ deinceps anno 1554. conventum fuit, ut si qui Status respectu aliorum nimium contribuissent, illi deducerent ex proximis subsidiis, quod nimium solvissent, & additus modus, qui, ut moderatio matriculæ rectius perficeretur, commodissimus visus est. Quinimo ut apparet ex Recessu anni 1548. eô tempore circa indictiones nonnihil mutatum est, exiguô tamen Imperii Statuum commodo, cùm nonnulli conquererentur, sibi immeritò aliquid oneris additum, alii sibi nihil detractum, unde factum, ut nonnulli Status contra hanc reformationem protestarentur, aliqui verò ad triennium solùm illam acceptarent, quæ causa fuit, ut comitiis istis anni 1548. unicuique relicta sit integra potestas, desiderium suum locô convenienti iterum proponendi, & moderationem peten-

petendi; vid. d. Recess. §. Ferner wiewol *&c. cum seqq.* Inter alia tunc temporis constitutum, ut, si qui se pluris quàm oporteat publicis Imperii tabulis censos arbitrati fuerint: hi ejus rei querelam ad circulum suum deferrent: is per delegatos de causis gravaminum inquireret, atque alios iis decidendis deputaret. Relevandi causæ justæ essent; si cui quid de territorio post factam æstimationem decesserit, sive insignis quæpiam calamitas accesserit. Moderationis insuper arbitriũ bonô & æquô niteretur: quid quantumque de census cujusque capite demi debeat, nominatim exprimeretur; idque ipsum iis, ad quos ea res, de qua agitur, pervenerit, adscriberetur: atque ita novæ utrique tabulæ conficerentur: sin verò causæ petendi improbabiles existimatæ fuerint, moderatio negaretur, quomodo hæc ipsa ex d. Recess. deducit Petrus Denais. *jur. Camer. tit. 191.* voce *Moderationum causæ.* Quod ipsum repetitum intelligitur, & ulterius declaratum R. A. anno 1555. §. Und demnach solcher/ R. A. anno 1566. §. gleicher gestalt die Ursachen: ubi etiam explicatur, quid nomine insignis cujusdam calamitatis, cujus in Recess. anno 1548. mentio, veniat.

XLIII. Post triennium in Comitiis Augustanis anno 1551. cum nondum conqueri desiissent status gravati, id tamen solum obtinuerunt, ut reviderentur, quæ circa hoc negotium placuerant, anno 1548. & explicarentur & declararentur; executio tamen usque in sequentia Comitia anno 1555. suspensa, unde gravati denuò supplicem libellum exhibuerunt, atque tum quidem omnes Imperii constitutiones in hâc causâ editæ hactenus, renovatæ, & Recessui Imperii insertæ sunt; cum tamen ne sic quidem insigne aliquod commodum inde sentirent gravati ii, qui supplicem libellum exhibuerunt, denuo anno 1560. repetierunt desiderium, ac placuit tum peculiarem huic negotio destinari conventum; ubi omnes tàm illi, qui hactenus querelas suas exposuerant, nec moderationem obtinuerant, quàm qui auditi nondum erant, causam suam iterum exponerent. Sed nec sic quidem negotium illud perfici potuit, unde orta haud mediocris in Imperio confusio, cui ut remedium afferri posset, comitiis Anno 1570. Status universi Imperatorem rogarunt, ut solicitus esset de emendanda & de integranda matricula, dict. Recess. §.

 Als

Als wir dann weiters. Placuit quidem tum mox anno insequenti Francofurti peculiarem conventum Deputationum institui, ubi Statuum querelæ & gravamina cognoscerentur, ac interim in circulis, quid cui post factam æstimationem anni 1521. decesserit, accuratè inquiri, ut pro ratione circumstantiarum Indictiones moderari possent; quod si gravato hâc ratione satisfactum non fuisset, ei integrum erat provocare ad Commissarios Imperatoris & Statuum legatos, qui Francofurti convenire debebant. Convenerunt quidem Deputati Francofurtum, sed re infectâ discesserunt, quod dicerent inquisitiones & documenta ex circulis Imperii huic rei definiendæ transmissa, manca admodum & imperfecta hactenus esse. Anno 1576. ut ostendit Recessus Ratisbonensis, §. **Demnach wir ferners** / iterum memoria hujus rei injecta, & conclusum, proximô annô Deputationis & Moderationis, conventum peculiarem habendum. Adfuerunt quidem Moderatores, sed dilatum nihilominus negotium usque ad Comitia Ratisbonensia anni 1582. ubi tamen aliud nihil actum, quàm quod priscos Recessus renovatos, nova Deputatio Spiram remissa, & formula concepta fuit, quomodo Deputati Moderatores constituendi, & juramento adstringendi sint, vide hîc Authorem **der Grundveste des Heiligen Römischen Reichs** / *p*. 313. ubi tamen per errorem adducitur Recessus anni 1583. quo tempore Comitia nulla fuerunt, pro anno 1582. Recessus nihilominus anni 1594. §. **Demnach wir auch zum fünfften** / docet, nec tum quidem rem ex voto successisse, **Es ist** / ait, **wegē allerhand verspürter Mängel solch hochnohtwendig Werck ersitzen blieben.** Iisdem comitiis, ut apparet ex Recessu, §. **Demnach dann** æquum judicatum fuit, quia nonnulli Imperii Status bonorum suorum jacturam fecerint, illaque in aliorum potestatem pervenerint, ut ipsorum hodierni possessores eô nomine Imperii collectas solvant; sed & post repetitos antiquos moderationum Recessus, Commissariis & Deputatis instructio concessa fuit, quomodo in moderationis negotio procedendum, & imprimis ipsis injunctum, ut æqui & boni habeant rationem. Anno 1603. matriculæ in Cæsarea propositione & Statuum consultatione habita fuit ratio, eô effectu, quod tractatus per Deputatos reassumendi, inquisitio in Circulis instituenda juberentur. Comitiis demum Ratisbonensibus anni 1641.

col-

collectæ Imperii solutæ ex præscripto matriculæ, iis tamen, qui reliquis amplius pro opum & virium ratione se conferre crederent, permissum, ut paupertatis suæ & calamitatum Imperatori indicium faceret, additâ spe securturæ moderationis. Conventu tandem Monasteriensi & Osnabrugensi iterum habita fuit matriculæ ratio, facta tamen denuo spe moderationis. Recessu postremô anno 1654. de eod, negotio constituta sunt, quæ ipsis verbis Recessus hîc exhibemus & quidem in §. 176. hæc habentur: Weil aber verschiedene Stånd und in specie die Reichs-Ståtte zu angedeutem quanto sich nicht ehender verstehen wollen / biß die in puncto moderationis matriculæ hernach bedingte Erkůndigung zur Richtigkeit gebracht / und damit nun die nohtwendige Verfassung hierdurch nicht gehindert werde / soll aller můglicher Fleiß angewendet werden / damit solche Erkůndigung noch vor dem ersten Septembris bey den jenigen / welche sich zu diesem nothwendigen Werck dißfals beschwert befinden / fůr die Hand genommen und erőrtert werden / entzwischen aber sollen dieselbige nach der alten Matricul ihre quotas mit beyzutragen schuldig seyn. Consimilia leguntur in §. 187. damit aber auch die hinterbliebene und auff nechstkůnfftige gemeine Reichs-Versammlung verschobene Materien / sonderlichen aber die / zu welcher Erledigung ein mehrere Information aus den Crayssen von nőthen / bey kůnfftigem Reichs-Tag desto besser und geschwinder richtig gemacht werden mőge. So wollen wir immittels / wie wir uns mit Chur-Fůrsten und Stånden deßhalben verglichen / an alle Crayß außschreibende Chur-und Fůrsten gnådigste Erinnerungs Schreiben außfertigen und abgehen lassen / damit in puncto moderationis matriculæ bey jedem Crayß gebůhrende Information eingezogen / und hiebey dem Reichs-Abschied de anno 1582. nachgegangen / nicht weniger der Můntz halber nothwendige probation Tåg angestellet und gehalten / auch der ůber diese beyde Puncten von jedem Crayß verfasster Bericht Uns / und Unsers lieben Neven des Chur-Fůrsten zu Maintz Liebd. bey Zeiten und so bald mőglich / was aber ein jeder Crayß

wegen guter Policey zu verordnen / vor rahtsam ansehen wird/ nach Franckfurt zu obgemeldter Ordinari Reichs deputation fürderlich überschickt werde. In his ipsis, quæ hodièque durant, Comitiis, non semel incidit etiam moderationis hujus mentio, interim subsidia in Hungariam missa ad matriculæ normam comparata fuère, an autem horum comitiorum ea sit futura felicitas, quæ difficili negotio conficiendo sufficiat, tempus docebit.

XLIV. Reliquum est, ut *de exemptione* nonnihil adjiciamus. *Exemptio* autem hæc describi posse videtur, quod sit, *quâ Imperii Status ab immediata ejus subjectione abstrahitur*, per R. Imp. de anno 1548. §. als auch durch / & R. J. de anno 1566. §. demnach. Conf. Vietor *de causis exempt. conclus. 9.* Gailium *l. 1. O. 21. num. 1.* & alios. Ipsos *exemptionis* modos quod attinet, diversi illi sunt: aut enim illa contingit per *exemptionem propriè ita dictam*, vel *impropriè talem*, ut *præscriptionem* & *omissionem*. Illa rursus accidit, quando quis aut se ipsum eximit, aut quando alium. Prioris generis illa dicitur *voluntaria subjectio*, quâ Status Imperii tùm ratione domicilii, tùm ratione bonorum alteri Statui se subjicit, ejusve Landsassum, ut vocant, sese facit & nominat, sive bona habeat allodialia, sive non. Verba sunt Dn. Myleri *de Princip. & Stat. Imp. cap. 100. num. 8.* Qui hoc ipsum olim licuisse, etiam non impetratô Imperatoris & Statuum consensu, existimat ex R. A. de anno 1548. §. Und als durch / ibi: Bevorab so die Außgezogene Ständ solches außziehens und vertrettens zu frieden seynd. Alteram Exemptionem, quando quis ab alio eximitur, constituit vel *specialis Imperatoris concessio*, Principi Imperii jam à plurimis retrò computatis annis facta, ut hunc vel illum Imperii Statum, tanquam Landsassum in Comitiis aliisve actibus Imperii repræsentet, ac pro subdito habeat. Dn. Myler *de Stat. Imp. c.* 100. *n.* 11. quam *num. 12. ibid.* olim quidem valuisse non dubitat, hodiè tamen, restrictâ per Capitulationem Imperatorum potestate, concessionem hanc reprobatam esse existimat, add. Klock *de contribut. cap.* 19. *num.* 58. & Assert. jur. Archi-Episcop. contra Brem. *pag.* 69. Vel *gravissimi alicujus delicti commissio*, qualis est læsæ Majestatis aut perduellionis crimen, ob quod quis Cæsaris & Ordinum consilio ex numero Statuum cum nota existimationis deletur & exterminatur, ejusque territorium alii Principi assignatur, *arg. l. 2. §. 2. ff. de his qui not. infa.*

infam. & *l.* 21. *ff. quib. mod. usufr. amitt.* vid. Gail. *l.* 1. *O.* 21. *n.* 11. Petr. Frid. Mind. *l.* 2. *processus cap.* 67. *n.* 15. Vietor *de caus. exempt. concl.* 17. Dn. Myler. *d. l. num.* 2. & Knipschildt *de jur. & priv. Civit. Imp. lib.* 2. *cap.* 29. *n.* 166. Klock. *de contribut. cap.* 19. *num.* 63. Atque hic modus exemptionis plerumque exercetur in banno Imperiali notatis, qui ex Imperii catalogo non modò delentur, sed omnia etiam jura ac privilegia amittunt, quemadmodum Vietor *d. l.* ipsas quoque urbes proscriptas, vomere pressas, privilegia, honoremque quemlibet perditum ivisse refert.

XLV. Accedit his tertius exemptionis modus, quô quis non Imperatore, aut Imperio, sed aliô aliquô, eôque superiori Statu ab immediatâ Jurisdictione Imperii eximitur, (*salvâ tamen manente Jurisdictione mediatâ*, ut bene notat Dn. Myler. *de Princ. & Stat. Imp. cap.* 99. *num.* 9.) simulque nomen illius è matricula expungitur. Gail. *l.* 1. *O.* 21. *n.* 1. veluti si Princeps Imperii contendat, Comitem vel Baronem, aut Civitatem Imperio immediatè subjectam, principaliter suum subditum, vulgariter **Landsaß**/ suamque Civitatem provincialem esse, tam ratione dominii, quàm ratione territorii: **Wann ein Stand des Reichs den andern aus den Reichs-Anlagen und Matricul außziehet/ und Jhn auff den Reichs-Tag vertritt. R. A.** de anno 1541. §. **doch sollen die**/ & de anno 1548. §. **als auch durch.** & §§. seqq. Dn. Myler. *d. l.* & Roding. *in II. Cam.* 1. *tit.* 8. §. 16. De hâc exemptione notat Blum. in *process. Cameral. tit.* 30. §. 46. eam triplici modo contingere. I. Si eximens pro consentiente exempto collectas solvat, quô in casu, cum Imperio de collectis & jure nihil quicquam decedat, Fiscalem Cæsareum aliquando adquiescere posse; sin verò eximens collectas non solvat, contra exemptum agere posse Fiscalem, quem indemnem eximens cogatur præstare, per R. J. de anno 1548. §. **und als durch** 52. jung. Kloch. *de contribut. cap.* 19. *n.* 19. II. Si neque eximens, neq; exemptus collectas solvat, atque tum contra exemptũ Fiscalem procedere debere, ac eximentem pro suo interesse ad id citandum esse, d. Rec. Imp. §. **Etliche andere** 53. conf. Petr. Denais. *jur. Cam. tit.* 99. §. 11. Ubi tamen multum Cameræ cognitioni tribuendum esse monet, Blum. *d. l.* quæ non solùm, utrum aliquis Status justè aut injustè exemptus sit, sed quoque, an ex legitimis cau-

causis Imperii collectas solvere non sit obligatus, & num cum onere suæ quotæ, an sine eo exemptori sit adjudicandus, judicare debeat, d. R. Imp. §. Und soll unser 54. Exemptori vero vicissim esse reservatum, si ipsi cum onere de exemptis unus adjudicaretur, pro moderatione penes Imperii Status instare §. doch soll 55. vel exemptum aut exemptorem in 4. vel 5. menses possessionem, vel quasi libertatis non contribuendi deducere ac probare posse, d. R. imp. §. Wann auch ein/ 56. Denaiss. *d. l. tit. 99.* §. *13.* III. Si aliquis Status alterum invitum & collectas suas solventem, eximere conetur; quem in finem Fiscali vel exempto contra exemptorem agendi secundum d. R. Imp. §. über solches 57. Denaiss. *d. l. tit. 99.* §. *14.* vel Fiscali exemptum juraque Imperii in sumultaneo processu defendendi potestas concessa est, vid. Gail. *l. 1. O. 21. n. 1.* Ita pro Vesalia, Susato, Dusburgo & Hervordia, & pro Comitibus von Waldeck/ contra Landgravium Hassiæ Fiscum ex Imperii matricula disputasse commemorat Klock. *de contribut. cap. 19. n. 20. & 21.* Ubi merentur adscribi, quæ Idem *n. 56. & seqq.* de istiusmodi exemptionibus tradit: *Si Principes*, inquit, *collectas Imperii ex propriis sumptibus & ordinariis suorum territoriorum reditibus pendere tenerentur, & juxta veterum matricularum normam procederetur, neque Statibus subditos in subsidium collectandi concederetur facultas, cessaret omnis controversia, & gravissimum S. Rom. Imper. interesse, quod hic versatur, liquidò apparet. Interest namque Imperii, ut Status illius integrè conservetur, & numerus Statuum amplietur potius, quàm diminuatur: Imperator enim ipse non solus hodiè potest Statum alteri subjicere & Imperio eximere, multo minus ergò licebit pari, & etiam Statui idem facere*, sicut id Dd. communiter concludere asserit Knipschild. *de jur. & priv. Civit. Imp. l. 1. cap. 18. num. 61. & seqq.* cum Imperatoris sit officium, omnes omnium Jurisdictiones & jura tueri, non verò turbare, quemadmodum expressè cautum est in Capit. Imp. Ferdinand. II. & III. §. Und in allewege / ibi: und in allewege sollen und wollen wir die Teutsche Nation, das Heilige Römische Reich und die Churfürsten / als die vörderstẽn Glieder desselben / auch andere Fürsten / Grafen / Herrn und Stände bey Ihren Hoheiten / Würden / Rechten und Ge-

Gerechtigkeiten/Macht und Gewalt/ jeden nach seinem Stand und Wesen bleiben lassen/ &c. vid. Assert. Jur. Archi-Episcopal. contra Bremã, *p.* 69. adeò ut ne quidem Imperator cum Electoribus formam pro Imperii statu constitutam mutare valeat. v. Heig. *p.* 1. *q.* 5. *n.* 2. Zasius *lib.* 2. *consf.* 10. *n.* 26. Quod contra fit, pergit Klock. *d. l. num.* 58. nullô jure potest justificari, sed est falcem in alienam messem mittere, & ob hoc mandata etiam sine clausula Statui molestato decerni posse & debere, scribit ex sententia Dn. Referentis in voto suo apud Gylmannum *l.* 2. *decis. in variis decisionibus, in calce libr. additus num.* 10. 11. & 12. *pag.* 784. *& seqq.*

XLVI. Quando autem facili negotio inter eximentes & exemptos de collectis solvendis lites suboriri possunt, probè iccircò considerandum venit, an exemptiones adhuc sint juris dubii & in lite pendente, an verò sententiâ vel sublatæ, vel confirmatæ & juris firmi. Hujus generis sunt illæ, quæ sententiâ Judicis sunt approbatæ, aut Statuum consensu roboratæ. R. A. de Anno 1548. §. desgleichen seynd auch/ Viet. *de caus. exempt. conclus.* 38. *&* ex eô Limnæus *in addit. ad lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 73. atque hôc in casu, quod collectarum solutio exemptori incumbat, extra omnem dubitationis aleam positum est. Econtrario, ubi sententiâ sublatæ sunt exemptiones, earundem præstationem exempto injungendam esse, nemo quoque (meô quidem judicio) facilè inficias ire sustinebit, eò quòd talis liberum Imperii membrum mansit, omniaque jura & privilegia pristina recuperavit, ac exemptio ipsa nulla declarata est. Quid vero dicendum sit, si exemptiones sint juris dubii & lite pendente, id satis perspicuè docet R. Imp. de Anno 1548. §. Wurde sich/ 62. Ubi illi collectas solvere tenentur, qui in Matricula reperiuntur, collectas solverunt, ac in quarum possessione est Imperium, similiter & illi, qui intra hominis memoriam aliquoties solverunt, d. R. §. Wo aber innerhalb 64. add. R. J. de anno 1576. §. Wo aber. Qui autem nullas collectas ante solverunt, atque sic in quasi possessione libertatis sunt, ad illam solutionem ante finitam litem non sunt adstringendi, d. R. §. Aber die außgezogene/ 63. Sicut hoc quoque ostendit Blum. *in processf. Cam. tit.* 30. *§.* 55. ad Reinking. *d. R. S. & Eccles. lib.* 1. *class.* 2. *cap.* 9. *num.* 1. 9. Cæterùm si exemptus & exemptor, si huic ille vel cum,

 vel

vel sine onere adjudicetur, inter se de collectis absque judiciali cognitione convenire nequeant, exemptori, si exemptus in matriculâ Imperii reperiatur, suasque collectas semper solverit, ac Imperium in possessione collectandi fuerit, collectæ cum onere accrescant, hasque ille pro exempto solvat, secundum d. R. Imp. de Anno 1548. §. Ob aber der 58. sin verò exemptus in matricula quidem Imperii reperiatur, sed nihil ipsi unquam solverit, ille exemptori sine onere est adjudicandus, nisi exemptus intra hominis memoriam semel, bis, vel sæpius Imperio contribuerit. d. R. Anno 1548. §. Hätte aber / 56. quomodo hæc ex d. Recess. deducit Denais. *jur. camerar. tit. 99.* §. 15. ubi *eodem tit.* §. 7. ex Recessu Imp. de Anno 1594. §. Und damit / 17. illum quoque casum resolvit, quod si qui exempti ab aliis fuerint, qui non sint in quasi libertatis possessione, vel ipsi, vel pro ipsis eximentes citra juris sui præjudicium solvere cogantur collectas. Quomodo autem & quando collectæ in exemptione augeri possint, patet quoque ex sæpe dicto Recessu de Anno 1548. §. Und im Fall / 60. & 61.

XLVII. Explicatis etiam exemptionum modis propriè talium, quando nimirum quis seipsum, aut ipsum alius, isque superior Status matriculâ eximit, videndum nunc paucis, quâ ratione quis non directò ab alio, sed prætextu quôdam, eôque vel *præscriptionis*, vel *omissionis*, sive *præteritionis* eximatur. Et primus quidem modus, quo possessio libertatis præscribitur, perspicuis verbis probatur per Recess. Imp. de Anno 1548. §. Wann auch ein Außgezogener / 56. ibi: Und dargegen wider ihn nicht dargebracht werden mögte / daß er je in Menschen Gedächtnüß in des Reichs gemeinen / und nicht privilegirten Hülffen contribuiret &c. oder wider die Reichs-Anschläge und Hülff legitimè præscribirt habe / quem sequitur Vietor *de caus. exempt. conclus.* 17. atque hunc modum eximendi maximè omnium in processu hodie Fiscali attendi, ex Scipione *l. 4. decis. Cameral.* 126. addunt Vietor. *d. l.* Dn. Myler *de Stat. Imp. cap.* 100. *num. 3.* & Knipschildt *de jur. & priv. Civ. Imp. l.* 1. *c.* 18. *n. 59.* De hâc autem præscriptione anceps exoritur quæstio, quale tempus ad illam constituendam requiratur? Si ex juris privati principiis quæstio hæc dilucidanda esset, fortassis haud malè præscriptioni huic 40. annorum spatium tribueremus, secundùm

l. fin.

l. fin. C. de fund. patrimonial. & t. t. C. ne rei dominicæ &c. ubi res patrimoniales Principis 40. annis præſcribi dicuntur. Videri poſſunt hîc Dn. Hahn. *in obſerv. theoret. pract. ad Weſſ. tit. ff. de uſurpat. & uſucap. numer.* 7. & Dn. Struv. *in Syntagm. jur. Civil. Exerc. 43. th. 19.* Aut etiam tempus immemoriale, cujus initii memoria non extat, hîc locum haberet, quomodo præſcribuntur immunitates à functionibus publicis, *l. 4. & 6. de præſcript. 30. vel 40. annor.* Dn. Struv. *cit. Exercit. th. 24.* Verùm cum *d. l. f. C. de fund. patrim. & t. t. C. ne rei dominicæ &c.* de rebus ad privatum Principis patrimonium ſpectantibus, quæ differunt à rebus fiſcalibus, utpote quæ non tàm in Principiis, quàm in Principatus patrimonio ſunt. *l. 39. §. f. ff. de legat.* 1. Dn. Hahn. *d. l.* leges verò adductæ 4. *& 6. C. de præſcript. 30. vel 40. annor.* de longè diversâ ab hâc noſtrâ præſcriptione loquantur, atque adeò in jure communi de rebus, Imperii Status, vel ſuperioritatem, ut vocant, aut tributorum exactionem concernentibus, nihil planè de cujuscunque etiam temporis præſcriptione diſpoſitum eſſe certum habeamus, ideò quæſtionem hanc ex legibus & conſtitutionibus Imperii noſtri Romano-Germanici, & quidem vel maximè ex præſcriptâ forma procedendi ac excipiendi in d. Receſſ. Auguſtano de Anno 1548. §. Wann auch ein Außgezogener / &c. dijudicandam eſſe, non immeritò exiſtimamus cum Meichſnero *tom. 3. deciſ. 6. num. 39.* & Gailio *l. 1. O. 21. num.* 15. qui *probatio*, inquit, *exemptionis ſeu libertatis in adverſarium, puta eximentem juſtè rejicitur, ut ipſe doceat & probet, poſt hominum memoriam exemptum Imperio nihil penſitaſſe, aut contribuiſſe, neque Regalia ab Imperatore tantò tempore recognita fuiſſe. Item quod exemptus ſe ſemper pro ſubdito eximentis geſſerit, ad Comitia provincialia tanquam ſubditus comparuerit, onera patrimonialia ſuſtinuerit, mandatis eximentis ſemper paruerit, eum pro judice in primâ & ſecundâ inſtantiâ agnoverit, omnesq́; actus Iurisdictionales præſtiterit, ex quibus ſubjectionis certiſſima argumenta ducuntur, idque tantò tempore factum, cujus initii in contrarium non extat memoria hominum; nam talis præſcriptio vim conceſſionis & privilegii habet. cap. 26. §. præterea, X. de V. S.* add. *l. 2. & ult. ff. de acq. pluv. arcend. & l. 3. §. 4. de aqu. quotid. & æſtiv.*

Ad hoc autem tempus, ut dicatur immemoriale, probandum sufficiunt testes fide digni, & ætate provectiori Venerabiles, qui à majoribus semper audivisse, ac se ipsos vidisse, eximentem Jurisdictionis actus in territorio, exempti exercere, deponant, *arg. l. 28. ff. de. probat.* Vietor *de caus. exempt. conclus.* 17. & Dn. Myl. *de Princ. & Stat. Imp. c.* 100. *num. 5.* Ne tamen in infinitum tempus hoc videatur extendi, centum plerumque annorum spatiô jura nostra illud definiunt, *arg. l. 56. ff. de usufr. & l. 23. C. de S. S. Eccls.* vid. Dn. Myl. *cit. loc. c.* 100. *n. 5.* quamvis enim accuratè loquendo tempus immemoriale, sive tempus memoriam excedens differat à centenario, tamen tempus centum annorum communiter illô nomine venit, quod communis humanæ vitæ terminus habeantur centum anni, & hocce immemoriale tempus quasi infinitum sit moraliter. Dn. Hahn. *in not. ad* Wes. *tit. ff. de usurpat. & usucap. n. 7.* Aliter tempus immemoriale hoc in loco considerandum, ac ideo cum præscriptione centenaria perperam illud nonnullos confundere censet Vietor *de caus. exempt. conclus.* 17. Etenim *in foro*, inquit, *ut probetur tempus carere memoria, sufficit testes laudare canitie venerabiles, qui nec se vidisse, nec homines, qui viderint, vidisse, sed à majoribus semper contrarium audivisse profiteantur d. l. 28. ff. de prob.* quæ demonstrandi ratio, si vero similis sit, non absurdè immemoriale tempus etiam seculô minus esse posse, alios scripsisse ibidem addit. Et hæc quæ diximus, in præscriptione tantùm immediatis obtinent, ut quis scilicet Imperatori immediatè non subsit, vel contributiones non ipsi, sed alteri Statui solvat; an verò etiam planè ab Imperii subjectione etiam mediata his modis liberari queat subditus, hîc non definimus, vide *interim c. cum inter, X. de consuet. c. cum non liceat, X. de præscript. c. Imperialem* ibi: *nullius temporis præscriptione impediente, de prohibit. feud. alien. per Frid. 2. F. 55. l. 6. inf. C. de præscript. 30. vel. 40. annor. l. 6. C. de operib. publ. l. 1. & 2. C. ne rei dom.* Viet. *de caus. exempt. concl.* 12. Knipschild *de jur. & priv. Civ. Imp. l. 1. c.* 18. *n. 48. 49. & 60. &* authores plures alios; adde tamen Conringium *de finibus Imperii Germanici, c. 19.*

XLVIII. Sequitur alter exemptionis modus, impropriè ita dictus, qui dicitur *Præteritio*, & accidit, quando novum Imperii album sive ma-

matricula conficitur & in ea Civitatum nonnullarum (ut in Comitiis Wormatiensibus anno 1521. factum) quarum in prioribus matriculis mentio facta, nomen omittitur. De quâ omissione seu præteritione illa præcipuè inter Doctores urgeri solet quæstio: an hujusmodi emissio pro deletione, & istæ Civitates pro exemptis ab Imperio per Principes habendæ sint? Quâ de re dubitatum est in causa Braunschweig contra Braunschweig Caspar Klockius de contribut. *cap. 19. n. 56. & sequ.* & ex eo Knipschild, *sapè dicto tract. lib. 1. cap. 12. num. 14. & seqq.* negativam amplectuntur sententiam, quòd nempe præteritio illa minimè pro deletione sit habenda, sed sive pro deletione sit habenda, sive pro deletione non sit reputanda, civitatibus tamen istis non præjudicet, sed pro tali habenda, ac si civitates illæ, ut jam olim, mit ihren Anschlägen/ ita adhuc dum recentioribus matriculis insertæ essent. Quam insuper aliquot, iisque haut contemnendis rationibus confirmat Klockius *d. l.* sed in præsentiarum unicam saltem adduxisse satis est; *quia mutatio ista circa pragmaticam Imperii formam inscius & absentibus Civitatum Deputatis facta, & Civitates istæ novam hanc matriculam ex intervallo sibi oblatam non receperunt, nec approbarunt, sed eidem potius contradixerunt, protestando jus suum sibi salvum sartumque conservârunt, qualis protestatio pro Stylo Imperii non fuit rejecta, sed in archivo Civitatum Imperialium, quod est Spiræ, etiamnum originaliter asservatur.* Joh. Dauth. apud Klock. *consil.* 134. *n. 55. & sequ.* plures rationes videri possunt in Ejusdem superius citato tractatu *de contribution.* Et hæc de materia exemptionum, & illarum causis pro temporis & instituti ratione paucis attigisse sufficiat, qui plura desiderat, adeat Vietorom *de causis exemptionum.*

XLIX. Id saltem adhuc monendum putamus propter frequentiam hujusmodi exemptionum, imprimis earum, quando eximens in se exempti onera recipere noluit, creberrimas & pravissimas lites in Imperio sæpius obortas, plurimasque necdum decisas esse, uti patet, ex R. A. de anno 1576. §. bey Berahtschlagung/ cum §§. seqq. vid. acta Brunsvvicensia *tom. 2. num* 180. & Myl. *de Stat. Imp. cap. 99. num. 10.* ac ideò res Imperii nostri non leviter turbatas, maximèque perniciosas ei semper extitisse, & etiamnum existere tales exemptiones; è re enim esse Reipublicæ, ne fiscus tabescat-

ne

nec quid ſentiat diſpendii, dilucidè conſtat *ex l. 1. §. 20. ff. de quæſtion.* in qua JCtus Ulpianus *in tributis* inquit, *eſſe Reipublicæ nervos, nemini dubium eſt.* Id quod confirmat Imperator Juſtinianus *Nov. 8. cap.* 10. §. *2. in fin. Nov. 27. cap.* 1. *& Nov.* 149. *cap. 2.* ubi ſequentia habentur verba: *Impoſſibile eſt, ut ſacris tributis non illatis, alioqui Reſpublica conſervetur.* Deinde exemptionum multitudine publica Imperii munia impediuntur, ut teſtatur Imperator in *Nov. 43. in præfat.* ipſa quoque variatur Imperii Matricula, collectæque redduntur incertæ. R. A. de anno 1548. § Wiewol nun des Heiligen Reichs &c. ibi: und des Reichs-Anſchläge in eine beſtändige gewiſſe Ordnung zu bringen/ damit man ſich derſelben in des Heiligen Reichs zufallenden Nöhten fruchtbarlich gebrauchen/ und lauter verſtehen möchte/ was man ſich derſelben zu getröſten hätte. Et Imperii denique membra, conſilia & vota minuuntur, de quibus plura vid. apud Reinking. *de R. S. & Eccleſ. l. 1. cl. 2. cap. 9. num.* 124. *& ſeqq.* Hinc illæ Imperatoris & Statuum Imperii querelæ in R. J. zu Speyer/ de Anno 1570. §. Als wir dann weiters &c. ibi: Zu deme würden die exemptiones gar zu gemein/ und vielmahl die geringere Stände durch andere mit der That eximiret, und doch nicht vertretten/ dadurch dem Heiligeu Reich an ſeinen Gliedern/ Seſſion/ Stimm/ Vermögen/ und Hülffen groſſe Zerrüttung und Abgang erfolgen thut. Atque ideò in Comitiis anno 1613. expreſsè propoſitum fuit, quod de 4000. Equitibus, & 20000. peditibus, qui in Matricula Wormatienſi de Anno 1521. requiruntur, dimidia vix hodiè pars ritè præſtetur, prout probè obſervat Dn. Oelhafen/ *in templo pacis Orat. 5. pag.* 221. Quæ res fecit, ut de Matricula reſarcienda Status Imperii ſapè multumque cogitarent, quod luculenter oſtendi poteſt ex Receſſu des Deputation-Tags zu Franckfurt de Anno 1571. (pro quo minus rectè adducit Reinking. Receſſ. Imp. de anno 1541.) §. Und wiewohl ſie/ ibi: auch was dem Reich an ſeinen Gliedern/ Landten und Gütern entzogen/ wiederum ergäntzet/ und alſo die gemeine obliegende Bürden deſto mehr erleichtert werden möchten. add. R. A. Anno 1613. §. durch was Mittel/ ibi:

und dann die Reichs Matricul wiederum zu ergäntzen. & R. A. de Anno 1654. adductis jam ante locis. Vid. Reinking. *de R. S. & Eccles. l. 1. cl. 2. cap. 9. num.* 128. Cui rei fidem quoque facit istud, quod singula comitia longô abhinc tempore cura restaurandi & ad perfectionem deducendi matriculam maximè fatigârit, cujus meminit Limnæus in addit. *ad l. 1. cap. 7. num. 73. sub fin.* quem in finem videri quoque possunt R. J. de Anno 1544. §. Damit nun diesem/ de Anno 1576. §. Darum setzen/ & Anno 1594. §. Zum ersten/ add. Dn. Myler. de *Stat. Imp. c. 120. num. 2.*

L. Proinde ne exemptiones nimis frequentes fiant, exemptorumque numerus in dies magis magisque adaugeatur, Fisco Imperii adversus exemptos in Camera agendi facultas concessa est. Qualem verò actionem Fiscalis instituat, id apertè satis docet Recess. Imp. de Anno 1548. §. Etliche andere aber / &c. ubi generali lege sancitum est; Darauff haben wir Uns mit Chur-Fürsten/ Fürsten/ und gemeinen Ständen / auch der abwesenden Bottschafften und Gesandten verglichen/ daß Unserm Käyserlichen Fiscal dieser außgezogenen und außziehenden Stände ein Verzeichnüß durch die Mäyntzische Cantzley zugeschickt werden soll / und soll bemelder Unser Käyserlicher Fiscal hiemit Befehl haben/ wieder die Außgezogene zu procediren, auch die Außziehende vor Ihr Interesse darzu citiren, conf. Klock. *de contribut. c. 19. n. 18.* & Meichsner, *decis. Camral. tom. 3. decis. 6. pag. 59.* Indè actio hæc appellatur condictio ex lege Imperii. In hac autem actione Fiscalis celeriter procedere tenetur, nec ulla retardatio à Collegio Camerali ei permittitur; & nonnunquam ex officio Fisci sumptibus, si videlicet non imploretur, per R. J. de anno 1654. §. Berührtem Unserm/ 93. Deinceps summarie quoque, levato, quod ajunt, velo, & de simplici & plano in eâ ut procedat, requiritur, ac quævis ejusmodi causa intra biennium à primo comparitionis termino proximum determinationem suam per sententiam definitivam, ejusve vim habentem, nancisci debet Recess. Imp. de an. 1548. §. Etliche andere/ 53. cui omninò addendus est Recess. Imp. de an. 1576. §. Anfänglich ibi: Exemptions-Sachen soll man favore Imp. befördern/ und zum schleunigstẽ dariñ procediren

nisi eæ exemptionum causæ sint, quæ altiorem requirant indaginem, in quibus juris ordo observandus Gail.. *l.* 1. *O.* 20. *num.* 5. & *l. O.* 21. *num.* 1. Klock. *d. tract. cap.* 19. *num.* 22. Denais. *jur. cameral.* verb. *contribut. Turcicæ num.* 11. Blum. *in processs. Camer. tit.* 30. *num.* 56. Quod tamen æquè ac *l.* 13. *C. Judic.* in Camera ob causarum multitudinem observari haud posse, addit Klock. *d. l. n.* 23. Denique quod circa hanc actionem adhuc nobis discutiendum venit, est onus probationis, cui illud sit imponendum Notum autem est vulgare illud ei, qui agit, incumbere probationem, *l.* 2. *ff. & l.* 23. *C. de probat.* Id tamen fallit, quando præsumptio militat contra reum, *l.* 25. *ff. de probation.* qualem quoque præsumtionem Fiscus adversus eximentem habet. Inde igitur facilis est conjectura, quod cùm Fiscus intentionem suam fundatam habeat ex albo, seu matricula Imperii (ut supra memoratum) & semel in matriculam relatus juris præsumtione tantisper pro Statu habeatur, donec ab eximente contrarium doceatur, vid. *c. cum persona, de privil. in 6to, cum dilectus. X. de relig. domib. & l.* 1. *ff. de albo scrib.* non immerito exemptionis probationem in adversarium seu eximentem Procurator fiscalis rejiciat, *d. l.* 25. *ff. de probation.* add. Knipschild. *de jur. & privil. civit. Imp. l.* 1. *c.* 12. *n.* 8. Gail. *l.* 1. *O.* 21. *num.* 4. Sprenger. *in Jurisprud. publ. p.* 185. Klock. *de contribut. c.* 19. *n.* 31. & *seqq.* qui in eodem tractatu alias quoque rationes subdit, in quibus intentio fiscalis fundetur. Atque hæc de ardua hac materia pro ingenii viribus annotasse sufficiat.

DEO TER. OPT. MAX. SIT LAUS, GLORIA ET GRATIARUM ACTIO IN OMNEM ÆTERNITATEM!

INduxeram animum subjungere hîc Matriculam anni 1521. qualis illa in Comitiis Wormatiensibus prodiit ex MSSto bonæ notæ exemplari, quod est in Bibliotheca Amplissimi Dn. Præsidis, & annectere demum aliam Cameralem, quæ hactenus typis edita non est, quam exhibuit anno 1654. Cameræ Fiscalis, quod tamen inter alia Typographi negotia festinandum nobis fuerit, hâc vice postremam saltem exhibemus, cujus Inscriptio talis est.

Er.

Erhöhete Cammer Matricul/

Wie sie des Käyserlichen Cammer-Gerichts General-Fiscal, auff den Reichs-Tag zu Regenspurg/ Anno 1654. übergeben.

Chur Rheinischer Kraiß.	Einfache Ziehl. Rthlr.	Kr.	Hl.
Chur-Mayntz gibt vor ein einfach Ziehl.	611.	5.	5.
Chur Cölln.	550.	3.	2.
Chur-Trier mit der Abtey Brinnen.	642.	47.	-
Pfaltz-Graff Churfr. mit dem exemptis.	660.	78.	2.
NB. Der Abgang ratione der Obern Pfaltz stehet zum Vergleich.			
Baley Coblentz.	275.	32.	4.
Abtey zu St. Maximin.			
Probstey Seltz/ Chur-Pfaltz.			
Graffschafft Nassau Beylstein.	11.	32.	2.
Fürsten zur Arenberg.	25.	20.	-
Nel.			
Reifferscheid.			
Rheinegg.			
Nieder-Eisenburg.	6.	79.	4.
Stadt Gelnhausen.			
Summa.	2783.	28.	3.

Ober Sächsischer Craiß.	Einfache Ziehl. Rthlr.	Kr.	Hl.
Chur-Sachsen mit dem exemptis.	1048.	39.	6.
Chur-Brandenburg.	550.	62.	1.
Bischoff zu Meissen.			
Merseburg.			
Ravenberg.			
Naumburg.			
Havelberg.			

	Einfache Ziehl. Rthlr.	Kr.	Hl.
Lebus Libus.			
Camin.	55.	6.	4.
Braunschweig.			
Walckenried.	55.	6.	4.
Quedlinburg.	165.	19.	4.
Gerenrode oder Geringerode/Fürst von Anhalt.	62.	-	-
Fürsten zu Sachsen Altenburg und Weymar.	182.	19.	7.
Assecurirte Aempter in Churfürstl. Anschlag.	86.	12.	1.
Coburg.	79.	89.	2.
Hinter Pommern/Stettin.	229.	41.	4.
Vor Pommern/Wollgast.	229.	41.	4.
Fürsten zu Anhalt.	165.	19.	4.
Voigtlandt.			
Burggraffthum Mörsch unter den Chur-Sächsischen Anschlag begriffen.			
Reussen von Gera. } Reussen zu Grätz oder Gräitz.	44.	5.	1.
Graff von Schwartzenburg/Rudolstadt.	46.	73.	-
Sondershausen.	46.	73.	-
Mansfeldt Chur-Sachsen.	64.	1.	7.
Manßfeld Magdeburg.	21.	30.	5.
Graff Chrioph Manßfeldt.	34.	71.	2.
Manßfeldt Graff David.	21.	70.	4.
Stollberg.	41.	27.	3.
Hohenstein Braunschweig.	17.	11.	3.
Lohrte Plettenberg.	25.	60.	7.
Beuchlingen vertritt Sachsen.			
Rax in Chur-Brandenburg.			
Barby/und Mülingen.			
Gleichen.	14.	41.	-
Leißnick.			
Wildenfelß Sachsen.			

Schön

	Einfache Ziehl.		
	Rthlr.	Kr.	Hl.
Schönburg Sachsen.			
Schönburg Glaucha.	18.	31.	-
Schencken von Tautenberg Sachsen.			
Brandeustein Sachsen.			
Summa.	3157.	35.	-

Fränckischer Craiß.

	Einfache Ziehl.		
	Rthlr.	Kr.	Hl.
Stifft Bamberg.	390.	10.	6.
Würtzburg.	471.	66.	6.
Aychstätt.	220.	26.	-
Teutschmeister.	165.	19.	4.
Kämpten vertritt Würtzburg.			
Brandenburg/ Culmbach und Onoltzbach/	458.	83.	2.
Henneberg. } Meynungen.	129.	16.	1.
Henneberg Würtzburg.	23.	27.	1.
Henneberg Bergstadt.	12.	82.	6.
Graffen zu Castell.	12.	78.	3.
Wertheim.	88.	10.	13.
Reineck vertritt Würtzburg.			
Hohenlohe Neuenstein.	60.	52.	1.
Hohenlohe Waldenburg.	60.	52.	1.
Raigelsperg vertritt Würtzburg.			
Limberg Speckfelden.	29.	32.	3.
Limburg Gailendorff.	29.	32.	3.
Erbach.	18.	28.	--
Schwartzenburg.	11.	--	--
Heydeck vertritt Neuburg.			
Hatzfeldt.	15.	--	--
Seinsheim.	12.	--	--
Nürnberg.	550.	65.	1.

	Einfache Ziehl.		
	Rthl.	Kr.	Hl.
Rotenburg an der Tauber.	165.	19.	4.
Winßheim.	146.	76.	6.
Schweinfurt.	91.	68.	6.
Weissenburg am Nordgau.	45.	79.	3.
Summa	3209.	29.	6.

Bäyrischer Craiß.

	Einfache Ziehl.		
	Rthl.	Kr.	Hl.
Chur-Bäyern pro se,	550.	65.	1.
Ratione der Obern Pfaltz stehet zum Vergleich.			
Ertzstifft Saltzburg.	413.	3.	7.
Stifft Passau.	64.	22.	6.
Freysing.	137.	61.	2.
Regenspurg.	50.	42.	--
Probstey Brechtolsgaden.	82.	54.	6.
Abt zu Waldt Sachsen vertritt Bäyern.			
Roda.			
Käsersheim.	275.	32.	4.
St. Haimaran.	119.	28.	4.
Nieder Münster.	68.	75.	5.
Ober Münster.	68.	75.	5.
Pfaltz Neuburg.	264.	30.	--
Leuchtenberg.	91.	70.	2.
Lobkowitz.	35.	20.	-
Graffschafft Hoen/oder Hag zahlt Chur-Bäyern.	55.	6.	4.
Ortenburg.	22.	2.	4.
Herrschafft Stauff Ehrenfels zahlt Neuburg.	74.	31.	2.
Degenberg.			

Wolff-

	Einfache Ziehl. Rthlr.	Kr.	Hl.
Wolffstein.	17.	18.	7.
Hohen Waldeck.			
Meichselarin.	7.	29.	6.
Breiteneck.			
Tillen Erben.			
Stadt Regenspurg.	100.	82.	6.
Summa.	2369.	86.	1.

Schwäbischer Craiß.

	Einfache Ziehl. Rthl.	Kr.	Hl.
Stadt Augspurg.	128.	45.	2.
Costantz.	110.	13.	--
Elwangen.	119.	28.	4.
Abtey Kempten.	165.	10.	4.
Reichenau.			
Salmonsweil.	229.	41.	4.
Weingarten.	91.	70.	2.
Item wegen Brandeis.	8.	23.	3.
Weissenau.	110.	13.	--
Mauhlbrunn zahlt Wüttenberg.	229.	41.	4.
Petershausen.	55.	6.	4.
Schussenried.	91.	70.	2.
Rockenburg.	110.	13.	--
Ochsenhausen.	142.	23.	2.
Königsbrunn zahlt Würtenberg.	55.	6.	4.
Marchthal.	82.	54.	6.
St. Blasy auffm Schwartzwaldt.	8.	23.	3.
Oten Bäyern.	115.	58.	5.
Elchingen.	165.	19.	4.
Wettenhausen.	36.	63.	6.
Münchrot.	55.	6.	4.
Aversperg.	22.	2.	4.

Ursin.

	Einfache Ziehl.		
	Rthlr.	Kr.	Hl.
Yrsin.	55.	6.	4.
Gegenbach.	82.	54.	6.
St. Ulrich zu Augspurg.			
Abtissin zu Lindau.	68.	75.	8
Buchau am Federsee.	82.	54.	6.
Rottenmünster.	55.	6.	4.
Guttenzel.	9.	15.	3.
Heppach oder Heegbach.	9.	15.	3.
Baindt.	9.	15.	3.
Balley/ Elsaß und Burgundt.	275.	32.	4.
Hertzog zu Würtenberg.	550.	65.	1.
Marggraff zu Baden Durlach.	118.	36.	4.
Baden/Baden.	118.	36.	4.
Graffschafft Helffenstein.			
Wisensteig.	11.	1.	2.
Meßkirch.	18.	31.	--
Wegen Zimmern jetzo Fürstenberg.	13.	69.	1.
Oetingen/Oetingen.	63.	30.	--
Oetingen Wallerstein.	63.	30.	--
Montfort.	62.	36.	5.
Fürstenberg Küntzgerthal.	63.	30.	--
Fürstenberg Barr	63.	30.	--
Fürstenberg/Werdenberg.	50.	13.	4.
Eberstein.	7.	31.	2.
Lapfen.	33.	3.	7.
Hohenzollern.			
Hechingen.	29.	33.	7.
Haigerloch.	29.	33.	7.
Sigmaringen:	29.	32.	3.
Werdenberg.	25.	--	6.
Sultz.	32.	11.	--
Wegen Brandeiß.	8.	23.	3.

	Einfache Ziehl.		
	Rthlr.	Kr.	Hl.
Löwenstein zahlt Würtenburg.	27.	48.	2.
Guteigen.	12.	75.	3.
Strißlingen.			
Zimmern.			
Helffenstein.			
Gundelsingen.	31.	--	--
Thangen.			
Hanhingen/Hohenzollern/Nellenburg.	1.	48.	5.
Tüngen Haigerloch.	3.	27.	3.
Tingen Sigmaringen.	2.	18.	2.
Druchses zu Waldburg/Wolffeck.	62.	89.	--
Druchses zu Waldburg Zeil.	31.	48.	2.
Druchses zu Waldburg Scheer.	94.	48.	--
Marstetten.			
Königs Eck pro se, & Königs-Eckerberg.	38.	49.	4.
Rottenfelß.			
Königs Eckerberg supra.			
Geroltsegg.	5.	45.	5.
Rechberg.	10.	--	--
Sonnenberg.			
Hohen-Embs.	7.	18.	7.
Grafenegg.	5.	45.	5.
Mündelheim zahlt Chur-Bäyern.	62.	40.	7.
Fugger von Wasserburg.	6.	--	--
Baumgarten Wittib.	32.	11.	12.
Baumgarten Hohen-Schwangandt zahlt Chur-Bäyern.	32.	10.	--
Stadt Augspurg.	458.	83.	2.
Kauffbeuren.	59.	98.	5.

	Einfache Ziehl.		
	Rthlr.	Kr.	Hl.
Ulm.	504.	74.	1.
Memmingen.	286.	33.	7.
Kempten	110.	13.	--
Biberach.	165.	19.	4.
Jßny.	91.	68.	6.
Leutkirch.	68.	75.	5.
Wangen.	73.	39.	1.
Lindaw.	133.	50.	5.
Ravenspurg.	123.	82.	1.
Buchorn.	55.	6.	4.
Vberlingen.	213.	36.	4.
Pfulendorff.	68.	75.	5.
Reutlingen.	156.	2.	3.
Eßlingen.	240.	84.	6.
Gmůnd.	137.	61.	2.
Weil oder Weilerstadt.	91.	70.	2.
Heilbronn.	200.	81.	16.
Wimpffen.	105.	50.	--
Schwäbischen Hall.	286.	33.	2.
Dünckelspiehl.	201.	83.	2.
Bopsingen.	37.	15.	5.
Giengen.	55.	6.	4.
Aalen.	50.	42.	7.
Nördlingen.	298.	27.	1.
Donawerth.	82.	54.	6.
Buchau am Federsee.	11.	1.	2.
Offenburg.	31.	16.	5.
Gegenbach.	31.	16.	5.
Zell am Haimersbach.	15.	53.	2.
Rothweil.	126.	44.	1.

Wegen

	Einfache Ziehl.		
	Rthl.	Kr.	Hl.
Wegen Zimmern.	13.	69.	1.
Costantz.	114.	68.	1.
Summa.	9114.	39.	6.

Ober-Rheinischer Craiß.

	Einfache Ziehl.		
	Rthlr.	Kr.	Hl.
Stifft Wormbs.	45.	79.	3.
Speyer neben Weissenburg.	229.	41.	4.
Straßburg.	142.	26.	3.
Basel.	55.	--	4.
Bisann.	110.	13.	--
Probstey Weissenburg.			
Odenheim.	55.	6.	4.
Johanniter Meister.	110.	65.	5.
Abtey Fulda.	165.	19.	4.
Hirschfeld.	55.	6.	4.
Murbach.	55.	6.	4.
Münster in St. Gregorien Thal.	82.	54.	6.
Prummen Trier.			
Zweybrüggen.	153.	50.	5.
Hertzog zu Lothringen.	367.	12.	7.
Savoya.			
Baden wegen Spanheim.	73.	59.	1.
Simmern } Spanheim }			
Veldentz.			
Lautereck.			
Hessen-Cassel.	275.	32.	4
Hessen-Darmstadt.	275.	32.	4.
Fürsten von Salm.	31.	--	--
Sarwerden.			

	Einfache Ziehl.		
	Rthlr.	Kr.	H.
Graff zu Nassaw-Sarbrücken.	55.	6.	4.
Nassaw-Weilburg.	55.	6.	4.
Nassaw-Wißbaden.	35.	53.	1.
Wild-und Rheingraffen Kürburg.	20.	58.	5.
Daun.	10.	29.	2.
Johann Wild und Rhein Graffe.	5.	14.	5.
Adolph Grumbach.	5.	14.	5.
Reipoltz Kirchen.	28.	40.	2.
Kriechingen Graff Peter Ernst.	9.	15.	3.
Graff Christoph.	9.	15.	3.
Bitsch und Ochsenstein.			
Solm Lothringen.	13.	69.	1.
Solm Rhein Graffen.	13.	69.	1.
Hanaw Müntzenberg.	108.	69.	1.
Hanaw Lichtenberg.	58.	66.	2.
Leningen Hartenburg.	16.	46.	7.
Leiningen Taxburg.	16.	46.	7.
Falckenstein/Daun.	12.	75.	3.
Falckenstein Oberstein.	7.	29.	6.
Königstein/vertritt Mayntz.			
Ober Jsenburg und Büdingen.	27.	48.	2.
Solms/Lich/Butschbach.	12.	55.	2.
Lich Graff Carl Otto.	6.	27.	4.
Christoph Ludwig.	6.	27.	4.
Laubach.	25	20.	5.
Solms Braunfelß Hungen.	8.	4.	7.
Greiffenstein.	13.	41.	—
Zu Braunfelß.	18.	27.	4.
Grafen von Leiningen.			

Ri-

	Einfache Ziehl.		
	Rthlr.	Kr.	Hl.
Rixingen.	7.	30.	5.
Leiningen Westerburg.	29.	32.	3.
Sain zu Witgenstein.	42.	19.	3.
Waldeck Graff Christian.	23.	1.	5.
Waldeck Volbrath.	23.	1.	5.
Worsperg Reineck.	11.	1.	2.
Fleckenstein/Tachstul.			
Sedern.	7.	29.	6.
Pleß.	5.	45.	5.
Waldpotten zu Passenheim.	5.	-	-
Gelnhausen.			
Kaysersberg.	45.	79.	3.
Turckheim.	45.	79.	3.
Münster in St. Gregorien Thal.	45.	79.	3.
Ober Ehenheim.	87.	16.	6.
Colmar.	146.	76.	6.
Straßburg.	504.	74.	1.
Roßheim.	45.	79.	3.
Schlettstatt.	146.	79.	6.
Hagenau.	146.	79.	6.
Weissenburg am Rhein.	102.	88.	5.
Landau.	82.	54.	6.
Speyer.	240.	84.	6.
Wormbs.	240.	84.	6.
Franckfurt.	429.	50.	6.
Friedberg an der Wetterau.	59.	60.	6.
Wetzlar.	32.	20.	2.
Metz.			
Tule.			
Verdun.			

	Einfache Ziehl.		
	Rthlr.	Kr.	Hl.
Kauffmans-Sarbrück.			
Bisantz.			
Summa	4541.	50.	3.

Niederländisch Westphälischer Craiß.

	Einfache Ziehl.		
	Rthlr.	Kr.	Hl.
Stifft Paderborn.	110.	13.	-
Lüttich.	367.	12.	7.
Münster.	294.	57.	3.
Cammerich.			
Oßnabruck.	55.	6.	4.
Verden.	55.	6.	4.
Minden.	55.	6.	4.
Werden.	110.	13.	-
Stablo/oder Stabel.	110.	13.	-
Abt zu St. Cornelii Münster.	128.	45.	-
Corbey oder Corvey.	110.	13.	-
Abtissin zu Herforden	55.	6.	4.
Essen.	110.	13.	-
Thore.			
Hertzog zu Gülch und Berg.	458.	83.	3.
Cleve und Berg.	458.	83.	3.
Graff zu Ost Frießland.	109.	20.	6.
Nassau Dillenberg.	149.	54.	4
Hadamar/Sig/Dietz.			
Sayn/Witgenstein	12	75.	3.
Graffschafft Virnenberg.	23.	82.	7.
Manderscheid Schleiden.			
Graff Wolff Ernsts Erben.	25.	-	-
Manderscheid Blanckenheim.	16.	-	-

Man-

	Einfache Ziehl.		
	Rthlr.	Kr.	H.
Manderscheid Gerhartsstein.	16.	-	-
Manderscheid Kheül.	4.	-	-
Widt/Runckel/Graff Hermann.	22.	2.	4.
Widt/Johann Wilhelm.	22.	2.	4.
Mörst.			
Großfeldt und Brunkorst.	15.	-	-
Bentheim.	28.	54.	2.
Steinfurt.	27.	48.	2.
Tecklenburg.	27.	48.	2.
Ritberg.	71.	72.	-
Reckheim.	15.	-	-
Pirmont.	15.	20.	-
Oldenburg und Delmenhorst.	77.	9.	1.
Hoya zahlt Lüneburg Zell.	10.	61.	6.
Hoya zahlt Bentheim.	4.	29.	2.
Diffolt zahlt Lüneburg Zell.	12.	75.	3.
Schaumburg/Gehmen.	110.	13.	-
Spiegelberg.	22.	2.	4.
Lippe.	45.	80.	-
Winnenberg.	5.	45.	5.
Ballandt.			
Sommeraidt.			
Horn.			
Holtzapffel.			
Stadt Cölln.	10.	-	-
Aach.	550.	65.	1.
Under Wesel.	211.	8.	7.
Deuren oder Düren.			
Dortmund.	146.	76.	6.
Söst.			
Duyßburg.			

Ca.

	Einfache Ziehl.		
	Rthl.	Kr.	Hl.
Camerach.			
Herforden.	55.	55.	4.
Brackel.			
Warberg.			
Lemgau.			
Werden.			
Bremen.	130.	82.	6.
Münster und Gülich/wegen Gülich aber hat es Streitigkeit mit Brandenburg und Neuburg.			
Summa	4477.	54.	7.

Nieder Sächsischer Craiß.

	Einfache Ziehl.		
	Rthlr.	Kr.	Hl.
Ertz-Bischoff zu Magdeburg.	348.	70.	2.
Bremen.	73.	40.	6.
Bischoff zu Hildesheim.	18.	31.	1.
Halberstadt.	110.	13.	--
Lübeck.	55.	6.	4.
Schwerin.	55.	6.	4.
Ratzenburg.	45.	79.	3.
Braunschweig/Wolffenbüttel.	188.	82.	2.
Cell.	275.	--	--
Grubenhagen.	55.	6.	4.
Calenberg.	188.	82.	2.
Mecklenburg/Schwerin.	165.	19.	4.
Gustrow.	165.	19.	4.
König in Dennemarck wegen Holstein.	128.	3.	7.

Hol-

	Einfache Ziehl.		
	Rthlr.	Kr.	Hl.
Holstein Gottorff.	128.	3.	7.
Sachsen Lauenburg/	165.	19.	4.
Graff von Reinstein.	11.	1.	2.
Graff von Buchau.	25.	--	--
Weißtorff.			
Stadt Lübeck.	504.	74.	1.
Hamburg.	298.	25.	6.
Mülhausen.	137.	61.	2.
Nordhausen.	132.	59.	-
Goßlar.	188.	15.	6.
Summa	3464.	34.	3.

Oesterreichischer Craiß.

	Einfache Ziehl.		
	Rthlr.	Kr.	Hl.
Oesterreich.			
Trient.	110.	13.	--
Brixen.	110.	13.	--
Dietrichstein.	35.	--	--
Eggenberg.	35.	--	--
Picolomini.	35.	--	--
Auersperg.	35.	--	--
Herrschafft Kirchberg.	45.	79.	3.
Graffen von Weissenwolff.	15.	--	--
Graffen von Tautmansdorff.	15.	--	--
Summa	451.	5.	3.

Burgundischer Craiß.

	Einfache Ziehl.		
	Rthlr.	Kr.	Hl.
Burgundischer Craiß.			
König in Hispanien pro se,	1101.	40.	3.

Weiln auch die auff beschehene Erinnerung der Matricul einverleibte auff diesen Reichs=Tag zu Standt und Stimm angenommener Fürsten / worüber wie auch der Graffen Ständt halber noch absonderlich specificationes ad dictaturam gegeben werden sollen / noch zur Zeit keinen gewissen assignirten Craiß haben / als sind dieselben biß auff der Ständte anderwerts Erörterung unter den Oesterreichischen Craiß gezogen worden.

Hucusque Matricula Cameralis Anno 1654. exhibita, quæ ipsa tamen plures etiam enumerat, qui Status Imperii vel non sunt, sed ab aliis eximuntur, vel de quorum saltem immedietate lis est, quod noluimus ignorare Benevolum Lectorem, & res ipsa satis luculenter ostendit.

DE
ORIGINE ELECTORUM
ET
COMITIIS ELECTORIBUS
VULGO Waltägen.

Dissertatio.

DEstinatum erat, Amice Lector, cùm primùm ad theses has conscribendas animum adjiceremus, utrumque Electoralis Collegii Conventũ, tam illum, quem Germani vocamus Wahltag/ quàm alterum, cui nomen fecerunt nostri Collegial-Tag/ paucis exequi. Idque ut tantò fieri posset exactius, circa initia de Electorum Origine, iis quæ hactenus disputari solent, certiora quædam præmittere. Quod dum agimus, sensim, ceu fieri solet, ita excrevit Dissertatio, ut cùm disquisitioni de Origine Electorum & Comitiis eorum primi generis, nonnisi paucas paginas destinassemus, eæ nunc plures impleant. Quæ causa fuit, ut solas sufficere posse crediderimus in Dissertationis argumentum. A tua humanitate id contendimus, Lector Benevole, ut æqui bonique conatus nostros consulere ne graveris. Si

enim tam benigna experiamur fata, ut studiis nostris tuâ quoque accedat approbatio, non levi illud ad majora aggredienda nobis incitamento fuerit.

CAP. I.

De

ORIGINE ELECTORUM.

I.

IMperatores Romanos non eodem semper modo, ad culmen dignitatis Imperatoriæ pervenisse, collata cum veteri avo posteriorum seculorum Historia evidenter docet. Cùm primùm illud à Julio Cæsare Dictatore fundatum, ac iis artibus, quas Tacitus *l. 1. Annalium* commemorat, stabilitum esset, hæreditarium ab initio fuit. Augustus Tiberium, ille Caligulam potentiæ hæredes reliquerunt, Cajo Cæso successit per vices hæreditario Juri electio, cujus plerumque penes milites, interdum & apud Senatum arbitrium fuit. Quæ omnia qui ex ipsis fontibus haurire velit, adeat Vellejum Paterculum *l. 2.* Tacitum *lib. 1. Hist.* Sveton. *in vitâ Augusti cap. 101.* & Claudii *cap. 39. & 45.* Julium Capitolinum *in vitâ* D. Cælii Balbini & M. Clodii *Maximi Pupieni.* Vopiscum *in vita Taciti Imperatoris*. Herodianum *lib. 2. Historiæ Augustæ*, Josephum Antiquit. *l. 19. c. 1. 2. 3. & 4.* adde Onuphrium Panvinium *libro de Comitiis Imperatoris cap.* 1. Postquam Imperium Romanum Franci obtinuerunt, id iditem circa primordia hæreditario jure ad Successores pervenisse plerique volunt. *Carolus Magnus* verba sunt Onuphrii *cap. 5. Ludovicum Pium filium, Ludovicus Pius Lotharium, Lotharius Ludovicum II. filios, hæredes Imperii reliquerunt. Mox Ludovico sine liberis mortuo, ejus patruus Carolus Junior, Pii Ludovici filius, Rex Francorum Occidentalium, tanquam ei; cui ex hæreditate Imperii jura ritè devenirent, Romam veniens Imperatoris nomen à Romanis Proceribus & Johanne VIII. Papâ, magnâ pecuniarum summâ mercatus est. Cui filius Ludovicus Balbus successit. Quô vitâ functo Carolus Tertius Ludovici Regis Germaniæ filius, Ludovici Pii Imperatoris nepos, imperium à Romano populo*

pulo & eodem Johanne Papa VIII. obtinuit, quod Ludovico Balbo affinitate cæteris conjunctior erat, cui sine liberis decedenti, ejus fratris Carolomanni filius Arnulphus, suffectus est: *Post quem ejus filius Ludovicus IV. Imperium obtinuit, iique omnes sunt Imperatores ex Caroli Magni gente, qui jure potius hæreditario, quàm aliqui Principum electione, ad imperium evecti sunt*; Hactenus ille. Atque idem etiam Andreas Knichen *De Sax. non provocandi privilegio verb. Elector. cap.* 1. *n.* 11. *part.* 1. *quæst.* 3. *n.* 12. M. Freherus *Orig. Palat. c.* 15. existimant. At aliud placuisse video Francisco Hotomanno, qui & illo tempore electioni locum fuisse voluit, in *Franco Gallia* non uno loco. Quam sententiam non spernendis rationibus, & Autorum Imperatoribus istis coævorum testimoniis tuetur *libro* 11. *cap.* 3. *& lib.* 5. *cap.* 17. *Chronici Spirensis*, Lehmannus. Unde Doctissimus Conringius in *Dissertatione* sub ipsius præsidio in Academia Juliâ *de Electoribus*, olim habitâ, utramque sententiam ita componit, ut, moribus veteris Germaniæ, receptam fuisse quandam ex hæreditaria successione & libera electione mistam constituendorum Regum rationem, autumet: quod repetit Corollario secundo adjecto Disputationi *de Imperatore Romano-Germanico*. Et sanè perpendenti Historiæ Germanicæ illius temporis scriptores, ita tum elector Imperatores colligere est à Principibus, ut si ex stemmate ejus, qui proximè obiisset, non deesset, qui muneri tam arduo idoneus videretur, ejus semper præ cæteris haberetur ratio.

II. Postquam esse desiisset Carolina familia, Regnum Germaniæ delatum quidem est Ottoni Saxoniæ Duci electione Francorum, Saxonum, Bavarorum, Thuringorum, Alemannorum & cæterorum Germaniæ Principum & Optimatum, ac quod rectè tuetur contra alios Lehmannus, etiam Populi. At isto propter ætatem ingravescentem recusante tantum onus, ejus consilio eligitur Conradus. Cum primum illorum appellat Onuphrius, qui puræ electionis jure regnum Germanicum adeptus sit, cùm id jure cognationis obtinere non posset. Eadem ratione Henricus Auceps, & post ipsum cæteri Germaniæ Reges, qui etiam Imperatores vel designati vel coronati fuerunt, non amplius per successionem, aut hæreditario Jure, sed ex Optimatum & Populi suffragiis ad Imperii fastigium evecti sunt. At qui

 fue-

fuerint isti Optimates, ex eo tempore quo illorum electionis non etiam hæreditarii juris beneficium esse cœpit Imperium Romano-Germanicum, id non ita est in propatulo. Non desunt qui penes septem illos Germaniæ Proceres, quos Electores etiam nunc, addito etiam octavo Bavariæ Duce vocamus, Moguntinum, Trevirensem, Coloniensem Archi-Episcopos, Regem (tunc Ducem) Bohemiæ, Saxoniæ Ducem, Marchionem Brandeburgensem & Comitem Palatinum Rheni, jam Caroli Magni ætate hoc nominis & juris fuisse volunt, quod M. Jordanus *libr. de Imper. & Elect.* existimavit, nec deesse alios ejusdem sententiæ autores Gewoldus commemorat, *de Sacro Rom. Imperii Septemviratu cap. 2.* quos, ut fidem faciant opinioni huic, adducere ignotum Magdeburgensium Scabinorum librum, ait. Liber ille haud dubiè est Jus Weichbildicum, cui additur privilegium, quod Ottonis Cæsaris, (ut ex adjecto annorum numero patet) ejus nominis I. nomen præfert. Illo privilegio, *Rom. Cæsarem, unà cum Imperii Electoribus Ecclesiasticis & Secularibus, concessisse Magdeburgensibus Jus sacrum & judicium*, asseritur. Unde colligunt jam Ottonis I. tempore fuisse Electores. Sed ista quidem opinio paucissimos habet asseclas, quòd nullâ fide veteris scriptoris nitatur, & privilegium illud confictum esse jam tum Heigius *quæst. part. 1. quæst. 7. n. 64.* subolfecerit, quod deinceps Viri eruditi abundè evicerunt. Est verò longè verissimum, isto tempore consensu omnium tam Ecclesiasticorum quàm Secularium Principum, ac Civitatum quoque Imperialium pervenisse ad illam summi muneris dignitatem, Impetatores. Qui dubitat, legat saltem Lehmannum adductis locis, & ambigere haud dubiè desinet.

III. Ast ab Ottonis III. & Gregorii V. Pontificis temporibus, latâ peculiari constitutione, hoc jus ad Septem Primi Nominis Principes, quos Electores inde dictos volunt, pervenisse communis & vulgata fuit jam diu sententia: quam cum ante Johannem Stabium, Maximiliani Cæsaris Mathematicum & Historicum, qui primus eam Italorum commentum appellavit, (ut est apud Jacobum Spigelium Selestadiensem in Annotationibus ad *Guntheri Legurinum lib. 1.*) omnes uno consensu approbarint, deinceps contra Onuphrium

Pan-

Panvinium Veronensem Fratrem Eremitam Augustinianum, peculiari libro asseruit Schardius JCtus & Cameræ Imperialis Assessor: de quo illud est Marquardi Freheri in notis ad Petrum de Andlo *lib. 2. cap. 1.* judicium: *hoc argumentum diligentissimè illum pertractasse ac recentiorum quorundam præsertim Onuphrii Panvinii sententiæ refutatâ communis opinionis veritatem defendisse.* Prodiit & Monachii anno hujus seculi decimo sexto Doctissimus in eam sententiam liber Christophori Gevvoldi *de Electoratu* inscriptus, qui majorem etiam (ut erat Gewoldus eruditionis reconditæ & minimè vulgaris) antiquitatis peritiam ad hoc certamen attulit, & argumenta quæ Lehmannus *lib. 5. cap. 17. Chronici Spirensis* contra communem attulit, quæ latine reddita iisdem verbis, sed ordine magis congruo recenset, refellere nititur. De anno, quo constitutio hæc lata sit, non conveniunt invicem sententiæ hujus Patroni. Petrus de Andlo annum 1004. Jacobus Bergomas annum 994. Matthias Stephani *lib. 1. de Jurisd. part. 1. cap. 5. num. 2.* Michaëlem, ut perhibet, Beuterum secutus, annum 996. vel 97. Platina in *vitâ Gregor. V.* annum 1002. Abbas Urspergensis annum 999. Sleidanus *lib. 3. de Monarchiis* annum 1000. vel circiter, nominant, nec de authore certo omninò conveniunt, aliis Pontifici Gregorio V. aliis Imperatori Ottoni III. aliis utrique tribuentibus.

IV. Præcipua eorum argumenta, quibus vel pugnant, vel pugnare posse videntur, sunt ista I. Martini Poloni, Scriptoris Antiqui qui Imperio vacante post mortem Fridericii II. & Rudolphi Habspurgensis præcipuè ætate scripsit verba, quæ in Chronico ejus fol. 344. leguntur: *Et licet isti tres Ottones per successionem generis regnarint: tamen postea fuit institutum, ut per officiales Imperii Imperator eligeretur, qui sunt videlicet primi tres Cancellarii Moguntinus, Germaniæ; Trevirensis, Galliæ; Coloniensis, Italiæ, Marchio Brandenburgensis Camerarius est; Palatinus, Dapifer; Dux Saxoniæ ensem portat, Rex Bohemiæ, Pincernam agit, unde versus:*

Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis,
Quilibet Imperii sit Cancellarius horum.
Et Palatinus, Dapifer; Dux Portitor ensis;

Mar-

Marchio, Præpositus Cameræ Pincerna Bohemus.
Hi statuunt Dominum Cunctis per secula summum.

quæ ipsa, ut naturalis conceptus desuper fertur, post Ottones, reliquos Imperatores, eligi debuisse indicant. Et illud, quod dicitur versu postemo, *statuere illos per secula Dominum summum*, morem hunc illius ætate jam à seculis aliquot probatum, indicare videntur. Quomodo & jam ante duo, & quod excurrit, secula, eum intellexit, Antoninus Archi-Episcopus Florentinus. Is enim in Speculo Historico *part. 2. num. 16. cap. 4. post mortem ultimi*, ait, *Ottonis* ut *dicit Martinus in Chronico, institutum fuit, ut Imperator principum provisione eligeretur, sc. per officiales imperii, qui sunt septem.* Thomas Aquinas anno circiter 1260. claruit. Is libri *de Regimine Principum 3. cap. 19.* ubi de Electorum institutione scribit: *Otto ait* (de primo loquitur) *Imperium tenuit usque ad tertiam generationem: quorum quilibet vocatus est Otto. Et extunc, ut HISTORIÆ TRADUNT, per Gregorium V. genere similiter Teutonicum provisa est electio, ut nimirum per septem Principes Alemanniæ fiat, quæ usque ad ista tempora perseverat, quod est spacium ducentorum septuaginta annorum, vel circa.* Legerat jam ista ætate Thomas, Vir judicio pollens Historias, quæ ad Ottonis tempora remittunt hanc orginem, magno argumento non cœpisse demum hominum memoriâ, aut isto, quô vivebat seculo, ista nomina. Autor Chronici Manuscripti Friderico II. coævi, quem adducit Gevvoldus. *Papa Gregorius* (intelligit nonum) *Principes super electione alterius sollicitavit, sed nihil profecit: quia quidam Principum ei rescripserunt, non esse sui Juris Imperatorem substituere, sed tantùm electum à principibus coronare. Electio enim ad illos dignoscitur pertinere. Ex prætaxatione Principum & consensu eligunt Imperatorem Trevirensis, Moguntinus, Coloniensis. Palatinus eligit quia Dapifer est; Dux Saxoniæ quia Mareschallus, Marggravius de Brandenburga quia Camerarius. Rex Bohemiæ quia Pincerna est non eligit, quia Teutonicus non est.* Eadem omnia verba leguntur apud Abbatem Stadensem, qui tamen cùm ista scriberet Gewoldus jam typis descriptus erat; fieri tamen potest, quod sæpè in Historicis Germanicis antiquioribus observavimus, ut ne mutatis quidem verbis unus alterum

rum exscripserit. Non evincunt quidem directe hæc verba, Electores tempore Ottonis III. jam constitutos, id tamen satis ostendere videntur fuisse illos non ignotos jam durante Friderici II. Imperio, adeoque non demum interregni tempore, quod volunt adversæ partis aliqui, nasci potuisse hæc nominat; sed esse antiquiorem eorum institutionem; quam cum vulgato consensu autores non rejiciant nisi in Ottonis III. ætatem saltem probabilem admodum hæc ipsa reddunt communem & receptam Historicis sententiam; cui fini & alia non nulla quæ ante Fridericum II. fuisse Electores ostendunt, adducemus.

V. Innocentius III.. Pontifex in cap. *venerabilem*, quod est *cap. 34.* apud Gregorium *de Electione & Electi potestate* quodque, cum ut pleraque alia, murilatum Decretalibus inseruisset Petrus Beneventanus, ab Amando Porgiessero Cameræ Assessore acceptum primus restituit Simon Schardius & *Electorum* in genera mentionem facit, & agnoscit esse Principes, *ad quod jus & potestas eligendi Regem, & Imperatorem postea promovendum, de jure & antiquâ consuetudine noscatur pertinere.* Est verò Decretalis illa ante Friderici II. tempora conscripta. In eam Decretalem Henricus de Segusia, quem plerumque Hostiensem vocant, ipsius Friderici II. ætate, qua vixit, aut saltem paulò post, ad verbum ILLIS: *verum scribit*: illis *scil. Moguntino, Coloniensi, Trevirensi Archi-Episcopis, Comiti Rheni, Duci Saxoniæ, Marchioni Brandenburgensi, & Septimus est Dux Bohemiæ, qui modo est Rex. Sed iste secundum quosdam non est necessarius, nisi quando alii discordant: nec illud jus habuit ab antiquo sed de facto hodiè tenet.* Hactenus ille: Unde liquet ejus tempore jam ab antiquo reliquos sex fuisse Electores. Nec tunc demum ex ipsius opinione nata hæc jura, etiam illa præcedentia, *septimus est Dux Bohemiæ, qui modò est Rex,* abunde evincant. Nec existimandum, esse illa apud Hostiensem à recentiori manu, cùm quarto jam abhinc seculo eadem Hostiensi tribuat Albericus de Rosatę in Dictionario, verbo *Electores Imperii.*

VI. Amandus Friderici I. Secretarius libro de primis actis à Friderico in Imperio peractis, *An. MCLII.* ait, *multi illustres heroes ex Lombardia, Thuscia, Januensi, & aliis Italiæ Dominiis ac major & potior pars Principum in transalpino regno convenerunt, in urbe Francofurtensi, plurimo*

numerò Principes convenientes differunt per suos internuncios ad sex, aut octo Principes officiatos regni residentes in arcano loco curiæ regalis. Nos & tota patria testatur nullum aptiorem esse regno regendo quam Fridericum de Waiblinga & Stauffa, natum ex generosa prosapiâ meritis & virtutibus decoratum & illustrem. Quem per vos Deus in regnum sublimare dignetur, cui parata erant nostra obsequia usque ad mortem. In hunc si vestris vocibus ô officiati consentitis, firmum robur habebit sui Imperii. Cum ex secreto conclavi prodirent officiati, judicantes ipsos unaminiter Fridericum in Regem servatis de jure servandis, elegisse, cunctus omnium ordinum applausus est consecutus, dicentes, hæc electio tuta ac firma consistit, nam omnium nostrum munietur præsidiis. Welbertus Conradi III. Imperatoris Capellanus (cujus verba debemus Gewoldo ex manuscripto, ut existimamus, Monachiensis Bibliothecæ, nec enim quod sciamus hactenus editus est) de Electione Lotharii II. *Mortuo Henrico* scribit (intelligit Quintum ejus nominis) *valde multi Principes ex toto regno congregati sunt in Moguntinensi urbe, ubi de electione novi Regis magnus erat tractatus. Initio in magnâ curiâ collecti erant omnes, qui ibi fuerunt seculares ac Spirituales Principes, quorum plerique nudè & simpliciter nominabant quem optabant per alios eligi, & tamen ipsi non eligebant, quia non habebant voces suffragiorum realium. Cum igitur nominaverunt Lutherarium dixerunt. Huic prompti sumus obedire si vos eum inthronizabitis in regnum, vestris annuentibus votis ac beneplacito, nulla discordia est. Pauci autem Spirituales & temporales Principes examinantes personam Lutherarii & bellicosa facta, & merita erga Christi servos & universam Christi Ecclesiam, eum votivè elegerunt, cum eum magnoperè commendasset Albertus Episcopus Moguntiæ, qui Magnates Sueviæ capitali odio prosequebatur. Alii Principes, qui nulla dabant suffragia, libenter eum amplexati sunt favore, & habuerunt pro Rege.* Sunt alia quæ afferre solent, qui hanc sententiam sequuntur, quæ quod rei conficiendæ minùs quàm quæ attulimus idonea existimemus, adducere omittimus.

VII. Cardinalis Bellarminus *tertio de Imperii translatione libro* adeò de constitutionis hujus veritate persuasus fuit, ut etiam quatuor ejus capita haud dubiè fuisse ostendere nitatur. Recenset illa isto ordine, ut pri

primò constitutum velit, *ne deinceps hæreditate sed Electione ad Imperium perveniatur.* Secundò *ut soli Principes non etiam Populus eligat.* Tertiò *ut Principes Electores Germani sint.* Quartò *ut non omnes Principes Germani, sed sex saltem aut septem Imperatorem eligant.* Sed ista quidem capita conjecturis, quæ notis etiam; ut non dicam confictæ, admodum saltem incertæ videntur, saltem ipso non valde diffitente Bellarmino, nituntur. Theodoricus à Niem celebris circa tempora Ruperti Palatini Historicus, *Nemoris sui cap. 31.* originem Electorum temporibus Conradi Salici, adscribit: Post obitum *Henrici* Sancti (est is idem cum eo, quem Historici nostri interdum Claudum, interdum Henricum II. nominant) *Principes Germaniæ ordinarunt, ut in posterum Romanus Princeps eligeretur per tres Ecclesiasticos & tres Laicos nationis Germanicæ, & iis discordantibus per adjunctum Ducem Bohemiæ*, sed ista quidem non repererunt, qui illis assentire voluerint.

VIII. Ast communem illam sententiam suspectam reddiderunt Johannes Stabius primùm, deinceps Aventinus; Oppugnavit demum multis argumentis & magno conatu Onuphrius Panvinius libello *de Comitiis Imperatoriis* non sine convitiis in negligentiam scriptorum Germanorum recentiorum. Christophorus quoque Lehmannus ac unà alii doctissimi ac rerum Germanicarum peritissimi eum planè rejiciunt. Utuntur argumentis, quæ cùm ex Onuphrio recensuisset adversarius ejus Bellarminus *ait illa gravia esse & à viris prudentibus non contemnenda*, & Simon Schardius ejusdem quo illum refellit libri *c. 9. quo magis* ait *magisq; de ea re cogitavi, tanto inextricabilior difficiliorque est facta, ita ut sæpius in Panvinii sententiam concedendum, & hastâ abjectâ ex arenâ secedendum arbitrarer.*

IX. Argumenta illorum omnia adducere præter necessitatem fuerit, cùm illa apud Onuphrium, Lehmannum, alios, legi possint. Præcipua, nostro judicio, ista sunt, quòd 1. nullum ejusmodi Decretum hactenus in lucem productum fuerit, quo Gregorius V. & Otto III. quicquam de hoc negotio constituerint. 2. quòd nec Gratianus, qui seculo duodecimo demum Decreta Pontificum & constitutiones collegerit, ejus ullam mentionem faciat. 3. quòd silentium scriptorum antiquorum ac coævorum ea de re, vel solum ei rejiciendæ sufficiat.

nec enim 4. esse ullam Electorum septem apud Historicos ante Martinum Polonum & Albertum Stadensem Abbatem mentionem, quorum tamen uterque non nisi annis ducentis quadraginta & amplius post Ottonis III. Imperium vixerit. 5. In Inscriptione sepulchri Gregorii V. Pontificis, quæ contineat memoriam rerum ab ipso gestarum, nihil quoque de constitutione hac legi. Est verò admodum probabile, quod nonnulli pro certissimo principio habent, pro commentis habendas esse res omnes extraordinarias, quarum nulla mentio est apud Autores qui vixerint eâ ætate, quâ res illæ factæ perhibentur. In quam rem prodiit ante paucos annos Lutetiæ Parisiorum elegans libellus Johannis Lanovii Constantiensis de *Authoritate Negantis argumenti*, & Appendix, quam ad eandem Dissertationem anno 1662. dedit adversus Johannem Baptistam Thiers, qui principium illud libello itidem eruditissimo oppugnarat: Addunt 6. satis esse liquidum, etiam post fata Ottonis III. ad Fridericum II. usque Imperatores non solùm illorum septem, sed etiam aliorum Principum consensu & suffragiis pervenisse ad Imperium, quod Dietmari, Wipponis, Ottonis Frisingensis, ac aliorum authoritatibus ostendere satagunt. Et videntur inter alia sic satis manifesta esse Ottonis Frisingensis ista de Henrico II. *lib.6. cap. 27.* ubi: *illum ab omnibus Regni Proceribus antè electum, Augustum creatum*: & de Conrado II. *cap. 28.* ubi, *ab omnibus electum* ait, & Wipponis ista relatio, quam exhibet & explicat Lehmannus *lib. 5. cap. 17.* Electionem Conradi Salici, *Archi-Episcopis, & cæteris Sacrorum ordinum Viris, Cunoni Franciæ, & Lotharingiæ Ducibus, ac toti demum Populo*, disertè tribuere videtur: quod factum credibile non est, si id facere constitutione Imperatoris & Imperii expressâ, jam ætate Ottonis III. latâ, prohibiti fuerint.

X. Harum diffidentium opinionum utraque magnis rationibus defenditur. Vera tamen, ut hactenus explicatur, dum alii solos Electores elegisse, aut saltem Jus eligendi Imperatorem habuisse, volunt: alii, eodem sensu acceptâ electionis voce, non solos Electores, sed unà cum illis & Principes alios & Civitates Imperii elegisse perhibent, utraque esse non potest: quod manifestam contradictionem sapiat dicere solos Electores elegisse, & non solos, sed unà cum Principibus

reli-

reliquis. Videndum igitur, annon supersit ratio quædam, qua auctorum antiquorum, qui hic diffidere videntur, fides salva præstetur: ea enim, si imprimis totidem ferè verbis in antiquis aut coævis Scriptoribus ostendatur, haud dubiè veritatem hic indicare idonea erit. Et verò imprimis refert reperire quid circa hanc rem, quæ post integros libros utrinq; conscriptos non desiit obscuritate insigni laborare, vero propius sit. Existimamus autem inde ortam istam incertitudinem, quod res diversas, Nominationem, Electionem, Consensum, non rectè distinxerint quidam Germanicæ Historiæ Scriptores. Nominationem quandam Principum reliquorum, præcessisse Electionem solemnem Electorum, & demum assensum aliorum Principum accessisse ad Electorum electionem diu ante Friderici II. tempora, admodum probabile, imò verissimum, & certissimum nobis videtur. Unde orta est confusio Historiarum illius temporis (qui Monachi plerique vel Clerici, alii etiam Juris & accuratè scribendi rationis parum periti] quorum aliqui nominationem vel consensum vel utrumque, vel nominationem, electionem & consensum, una generali voce electionem vocarunt. Quod cùm faciunt, Electionem latiori illo sensu acceptã omnibus tribuunt, cùm ipse strictè dictæ & solennis electionis actus, ad præcipuos nonnullos inter reliquos Principes (quibus & Munera Archi Cancellariorum, Pincernæ, Dapiferi, Mareschalli, Camerarii, antiquissimis temporibus, & diu ante Friderici II. tempora competiisse, nemo Antiquitatis paulò peritior dubitare potest) qui & Electores dicebantur, pertineret. Rem ita ut diximus se habere primo ex Abbatis Stadensis verbis illis conjecimus, quæ in Chronico leguntur. *Ex prætaxatione Principum, consensu eligunt Imperatorem, Trevirensis, Moguntinus, & Coloniensis*: adjicit deinceps seculares quatuor. Ubi ipse actum prætaxationis & electionis distinguit. Primum illum Principibus tribuit, secundum solis Electoribus. Prætaxere autem, ut ex ipsa vi vocis, & iis quæ præcedunt & sequuntur, manifestè apparet, idem est ac nominare, quomodo & Vossius *lib. IV.* de vitiis Sermonis & Glossematis Latino Barbaris *cap. 17. pag. 753.* vocem prætaxari explicat. *Prætaxari*, ait, *est priori loco tangi, dici, memorari. Petrus Blesensis sermone III. qui in Festo S. Nicolai habi-*

bitus: utatur ad hos debiles mater Ecclesia verbis prætaxatis. Idem sermone XXVIII. qui in Festo S. Augustini: Revertamur ad Historiam prætaxatam, quæ insinuet nobis tria: Similiter S. Bernhardus serm. XXIII. in cantic. Cant. Melchior quoque Goldastus in *Replica pro Imperio c. 38. in fine*: prætaxare nihil aliud esse vult, quàm prænominare. Vidimus deinceps hoc ipsum quod antea scripsimus longè manifestius etiam dicere Scriptores alios rerum Germanicarum, alios verò antiquos sic satis aperte & evidenter innuere. Welbertus sanè coævus Scriptor, cùm de electione Lotharii agit, hoc diserte tradit. quid manifestius ipsius verbis? *Initio in magna curia collecti erant omnes, qui ibi fuerunt seculares ac Spirituales Principes, quorũ plerique nudè & simpliciter nominabant, quem optabant per alios eligi, & tamẽ ipsi non eligebant, quia non habebant voces suffragiorum realium*, & paulò post: *Pauci autem Spirituales & temporales Primates examinantes Personam Lutherarii & bellicosa facta, & merita erga Christi servos & universam Ecclesiam, eum votivè elegerũt. Alii Principes qui nulla dabãt suffragia, libenter eum amplexati sunt suo favore & habuerunt pro Rege.* Nec minus expeditus est, Amandi, Friderici I. Imperatoris Secretarii locus, quem jam antè retulimus, cum & Principum conventum anno MCLII. commemoret, & ipsam nominationem, & eorum petitionem, quâ ab Electoribus contendunt, eligi Fridericum de Waiblingen & Stauffa, ac ita illos in secreto conclavi elegisse Fridericum, *servatis*, ut loquitur, *de jure servandis*: cui electioni accesserit omnium ordinum applausus. Speculum etiam Saxonicum *part. 3. art. 57.* duplicis electionis mentionem facit, Primum illius quam Electores faciunt, deinceps ejus quam Principes seculares & Ecclesiastici reliqui omnes. Quod ipsum quomodo intellectum velit, mox explicat: *non ait, quod prædicti* (intelligit Electores) *secundum eorum placitum eligere debeant, sed quem omnes illustres Imperii elegerunt, eundem præ cæteris in Regem nominabant.* Ecko à Repkaw, is ipse qui latini textus autor est, Germanicè ità reddidit: **Die aber zum ersten an der Wahl benannt seyn/ die sollen nicht wehlen nach ihrem Muhtwillen wen sie wollen/sondern welchen die Fürsten alle zu einem Könige erwehlen/ den sollen sie auffs allererst bey Namen nennen und kiessen:** Atque hæc Electio strictè dicta illa

la esse videtur quam Petrus de Vineis Cancellarius Friderici II. *solennem* appellat *Epist.* 2. Nec aliud velle videtur, si recte expendantur verba ejus, Otto Frisingensis Episcopus *de gestis Friderici lib. 2. cap. 1.* ubi *anno* ait *ab incarnatione Domini M. CLII. decedente ab hac luce vernali tempore Bambergæ piissimo Rege Conrado III nonas Martii in oppido Francofurt, de tam immensa transalpini Regni latitudine universum (mirum dictu) Principum robur non sine quibusdam ex Italiâ Baronibus tanquam in unum corpus coadunari potuit: ubi quum de eligendo Principis Primates* (& qui sunt isti alii qnàm Electores?) *consultarent, tandem ab omnibus Fridericus Suevorum Dux Friderici Ducis Filius petitur, cunctorumque favore in regem sublimatur.* Expresse Primatibus inter Principes consultationem tribuit, omnibus autem petitionem, vel quod nobis synonimum est, Nominationem: cunctorum demum favore illum pervenisse ad Imperium perhibet, quod aliorum quidem favorem nominatione, aliorum electione sensisset. Nec valde mirum est, sed consuetudini istorum temporum conveniens, ut jus Nominandi sæpe aliis aliis jus eligendi ad officia competeret, quod & hodie in beneficiis sæpissimè usu venire nemo facilè ignorat.

XI. Ostendunt ista, ut existimamus, evidenter, autoritate scriptorum idoneorum, fuisse eligendi jus jam ætate Friderici I. quinimò & Lotharii, ac adeò diu ante Friderici II. tempora, penes Electores, eo tamen discrimine à moribus hodiernis & temporibus quæ exceperunt Fridericum II. ut, quæ posteriobus necessaria esse desiit, Principum Nominatio, aut ut Stadensis Abbas loquitur, prætaxatio, accesserit. Nec adeò argumenta illa quæ à silentio Autorum ante hæc tempora objiciuntur firmo talo consistere possunt, ut suo nunc loco relinquamus, quæ cum Thiersio contra vim argumenti negativi in hoc certaminis genere disceptant alii. Sed & non improbabiliter inde videtur disputari posse pro communi sententiâ, quæ Ottonis III. temporibus adscribit Electorii Juris ad præcipuos hos Germaniæ Principes delati originem, quod argumentis illis quæ in contrarium movebant alii, suum non constet robur: & Thomas Aquinas hanc sententiam jam seculo decimo tertio Historicis antiquioribus tribuat: & Martinus Polonus aliter intelligi vix possit; & tot accuratos scriptores, inter illos etiam

iam multi, qui libris usi sunt manuscriptis, quorum memoria nunc intercidit, in falsam sententiam tam insigni numero convenisse, vix credibile sit. Consequens hinc est & alterum, olim quidem Comitiis illis, quibus eligebantur Imperatores, interfuisse Principes fere omnes: plerosque tamen nominandi Imperatores, præcipuos autem eum eligendi ergò; deinceps Comitia illa solos Electores constituisse, Nam quod adfuisse interdum in loco Comitiorum & alii Principes leguntur, id non efficit, ut in Comitiis illis suffragii etiam Jus habuerint, ac nominationem quoque Juris illorum factam quæ antea erat Imperii Statuum in universum. Quâ ratione non mediocris facta est illorum potentiæ accessio. Credibile est auctam indè paulatim, sive Imperatorum quos elegerant beneficio, sive, quod crescentem potentiam illa semper sequantur, insignia illa privilegia, quæ in Bullâ Aureâ Caroli IV. recensentur, nec opus est indè repetere, quòd omnibus ferè cognita sint. Qui tamen ista compendio tradita videre velit, adeat scriptorem eruditum, qui assumpto Severini de Monzambano Veronensis, nomine de Statu Imperii Germanici cis paucos dies in lucem prodiit. *cap. 4. §. 7.* qui prolixius explicata Limnæum de Jure publico *lib. 3. c. 2.* Illud saltem non prætereundum, præter Comitia generalia, & Deputationum ac Visitationum particulares conventus, quorum Electores juxta cum Principibus pars sunt, vide saltem Instrum. Pacis Cæsareo-Svevicum *art 8. v. 1.* R. A. zu Augspurg anno 1555. §. so sich dann abermahls / & Denassium voce Visitatio Cameræ, habere illos etiam jus Comitiorum Electoralium, quibus nempe eligitur Imperator der Wahltage / & aliorum Comitiorum Electoralium, quæ vulgò vocant die Collegialtage. De prioribus illis deinceps breviter agemus, contenti plerumque, quòd reliqua minus difficultatis habeant, ea annotasse, ubi recentiorum scriptorum nonnulli impegerunt, aut si quæ nostra ætate mutationis aliquid senserunt.

CAP. II.

CAP. II.

De
COMITIIS ELECTORALIBUS DICTIS
Wahl-Tagen.

I.

COmitia Electoralia, die Wahltage/ describimus, quòd sint: *conventus præcipuorum non nullorum Imperii Germanici Principum, penes quos Imperatorem eligendi jus est, ejus electionis gratiâ legitimè instituti.* Joachimus Cluten. *Disputatione Politico-Juridica*, quam anno 1628. Argentorati habuit, præter alia, quæ minus congruè adjicit, etiam Francofurti mentionem in ipsa descriptione facit; quod quâ ratione excusari possit non videmus: cùm locus ille essentiale requisitum Comitiorum hujusmodi esse nequeat. Et an non dicenda Comitia Electoralia Conventus illi, quibus etiam post Bullam auream Rudolphus II. Ratisbonæ anno 1575. Ferdinandus III. ibidem anno 1636. Ferdinandus IV. Augustæ Vindelicorum electi fuerunt? Et ante Bullam auream ex Historiâ Germanica constat fuisse aliquando Imperatores Moguntiæ, Wormatiæ, Aquisgrani, Coloniæ ac alibi electos. Quare utut Bulla aurea *art. 28. §. 5.* Francofurtum locum electionis ordinarium esse velit, cùm tamen mox innuat, id mutari posse, si impedimentum (ita loquitur) legitimum obviaret, descriptiones autem, illa, quæ non rarò mutantur, constituere non soleant, nos quidem dum eam tradimus, abstinere à loci mentione satius esse arbitramur. Illud, quod Justus Asterius *in Dissertatione quam contra Electionem Ferdinandi III. Romanorum Regis* scripsit, ac Lutetiæ Parisiorum edidit. *p.31.* lectori persuasum vult, electiones omnes alibi quàm Francofurti peractas, ab ordinibus Imperii rejectas fuisse, affectu non veritate ductum scripsisse, vel ex iis, quæ nunc attulimus, abundè liquet.

II. Comitia hæc dividi posse videntur in *Ordinaria* & *Extraordinaria*:

ria: Ordinaria, quæ tum indicuntur, si necessitas & Fundamentales Imperii leges vacante eo, Regis Romanorum electionem jusserint. *Aurea Bulla tit*. 1. ibi *quotiescunque & quandocunque futuris temporibus necessitas sive casus Electionis Regis Romanorum in Imperatorem promovendi, emerserit*. Existunt autem isti casus tribus potissimum modis. 1. *Morte*. 2. *Abdicatione voluntaria*, cujus in Lothario I. & Carolo V. exempla Historia exhibet, & 3. *Depositione Imperatoris*, quomodo Imperium amisit Carolus Crassus, Adolphus Nassovius, Wenceslaus Bohemus. Extra ordinem interdum, nondum vacante Imperio, conveniunt Electores, ac vivente Imperatore Regem Romanum eligunt, vide Recessus Augustanos anni 1559. in princ. & anni 1566. itid. in princ. Id non exigui momenti est, quod inde à Matthiæ Imperatoris electione etiam invito Cæsare Electoribus integrum est, si id ex necessitate aut utilitate Imperii ipsis esse videatur, adjungere Regem Romanorum, modò tamen ipsis petentibus sine causis sufficientibus Imperator consensum negaverit. Ita enim legitur *artic*. 35. Capitulationis Matthiæ, Insonderheit sollen und wollen wir *etc.* die gemeldte Churfürsten / ihre Nachkommen und Erben zu jederzeit bey ihrer freyen Wahl eines Römischen Königs / dieselbe so offt sie es einem Kayser zu Behülff oder sonst dem H. Römischen Reich nohtwendig oder nützlich befinden / auch bey Lebzeiten eines Römischen Kaysers mit / oder wann derselbig auff angelegte Bitte der Churfürsten / ohne genugsame erhebliche Ursachen / verwegert werden solte / ohne eines regierendẽ Kaysers consens vorzunehmen: quomodo ista etiam repetita leguntur in Ferdinandi II. capitul. *art*. 34. Ferdinandi III. *art*. 38. Ferdinandi IV. *art*. 36. Cæterum cùm Status Imperii Monita sua, ut vocant communia, ad Capitulationem futuram anno 1658. 17. 27. Aprilis Electori Muguntino exhiberent, inter alia ad *art*. 36. admonuerunt: verba illa; Wann derselbe auff angelegte Bitte der Churfürsten ohn erhebliche gnungsame Ursache verweigert werden solte / omittenda esse. Quod & secuti Electores in ultima Augustissimi Imperatoris Leopoldi Capitulatione articuli istius partem, deletis istis, exhibuere. Wir sollen und wollen die Churfürsten / ihre Nachkommen und Erben zu jeglicher Zeit / bey ihrer freyen

Wahl

Wahl eines Röm. Königs nach Inhalt der güldenen Bull / und dieselbe jedesmahl/und auff alle Fälle/ wann sie es vor nöhtig und zu Erhaltung der Grundgesetze / un dieser Capitulation, oder sonsten/ dem Reich nohtwendig und nützlich befinden / auch bey Lebzeiten eines Römischen Kaysers/ mit oder ohne desselben Consens vorzunehmen/ 2c. geruhiglich bleiben und gantz unbedränget lassen. Monuerant quidam etiam Status cæteri, qui id Juris solis Electoribus relinquere non congruere putabant cum Instrumento pacis, hæc ità mutanda: Daß die Wahl/verba sunt Monitorum, bey eines Römischen Kaysers Lebzeiten / dero gestalt vorzunehmen / wie solches auff nechstkünfftigem Reichstage mit gesampten Ständten / vermög des Instrumenti Pacis wird gehandelt und verglichen werden. Sed illius moniti, tum quidem nullam rationem (quod & de aliis conqueruntur eidem) habitam esse, ipsa Capitulatio Leopoldi satis dicto articulo docet. Sane quod in plerisque monita hæc usquedeque habuisse Electorale Collegium Legatis visum fuerit, ideò 8. Augusti ejusdem anni 1658. iidem exhibuerunt, Directorio Moguntino scriptam Protestationem, ubi postquam admonuissent, se mirari, quare circa præcipua quædam non leve discrimen reperiatur inter Capitulationem Manuscriptam, quam ipsi à Directorio, ut vocant, acceperint, & typis editam; porrò pleraque monita neglecta, inserta autem alia, quæ in detrimentum Principum ac Statuum vergant, perhibent. Quæ cum Imperii Constitutionibus, Instrumento Pacis, & æquitati adversa sint, se rem perscripturos ad Principes & Status quorum vice fungerentur: interim eorum nomine protestari iisque contra dicere, nec Cæsarea Capitulatinis illa capita, quæ cum monitis istiusmodi aut Instrumento Pacis pugnant, pro lege publica haberi posse: Wollen die Kayserl. Capitulation, in so weit dieselbe mit mehrermelten monitis nicht einstimmet/oder dem Inhalt des Instrumenti Pacis ungemäß ist / pro lege publica nicht gehalten haben: sed reservare Principibus suis jus componendæ simul in proximis comitiis Capitulationis perpetuæ. In monitis Statuum Imperii recentioribus, formandæ perpetuæ capitulationis ergò exhibitis his ipsis Comitiis, quæ apud Autorem Diarii Europæi ad mensem Februa-

bruarium anno 1664. *tomo undecimo pag. 89.* leguntur hoc modo articuli 36. iſta à verbis **und dieſelbe:** usque ad illa **deroſelben** conſens, &c. mutari deſiderant ſtatus, ut reponantur in priorum locum: **oder auch bey Lebzeiten eines Römiſchen Kayſers mit oder ohne deſſelben** Conſens, **ſo offt und fernes Chur-Fürſten und Ständte dem H. Römiſchen Reich nohtwendig und nützlich befinden.** Qua ratione extraordinarii illi conventus non fuerint in arbitrio Electorum ſolummodo, ſed omnium Imperii Statuum.

III. Conſtituunt conventus hujusmodi Principes Electores, antehac ſeptem, nunc, aucto numero, octo. Moguntinus Archi-Epiſcopus per Germaniam, Trevirenſis per Galliam, Colonienſis per Italiam, Archi-Cancellarii, Rex Bohemiæ, Dux Bavariæ, Elector Saxoniæ, Marchio Brandenburgenſis, & El. Palatinus. Rex Bohemiæ licet alioquin conventibus Imperii rarò interſit, attamen quod ipſo inſcio & excluſo Electores Maximilianum I. Regem Romanorum elegiſſent peracerbè tulit: & extat apud Hermannum Maurum in *Relatione coronationis Caroli V.* oppoſitio & proteſtatio Ladislai Regis Bohemiæ contra iſtam electionem. Quin & bellum parabat ideo, niſi ſatisfeciſſent Electores reliqui, latâ conſtitutione *de pœnis Electorum quando Rex Bohemiæ ad Electionem Imperatoris vel Regis Romanorum non vocatus vel præteritus fuerit*: publicata Francofurti 1489. Extat lingua vernacula apud Goldaſtum libro, quem inſcripſit **Reichsſatzungen** *part. 2. fol. 178.* quâ, ad Collegialem conventum ſolummodo conſcriptos Electores, minimè autem ut de Electione Regis Romanorum agerent, profitentur; ſed præter ſcopum incidiſſe cauſas, propter quas neceſſariam Electionem Regis Romanorum judicaſſent: eam cauſam fuiſſe juſtæ indignationis Regis, ac petiiſſe ideò pœnam ſex Marcarum auri, quam promittunt, ſi ipſi aut eorum poſteri iterum eligant, inſcio aut præterito Rege. Bavarus in locum Palatini ſucceſſit. *Domum Bavaricam quod attinet*, verba ſunt Inſtrumenti Pacis *art. 4. dignitas Electoralis quam Electores Palatini antehac habuerunt, cum omnibus Regaliis, officiis, præcedentiis, inſigniis, & juribus quibuscunque ad hanc dignitatem ſpectantibus, nullo prorſus excepto &c. maneat penès Dominum Maximilianum Comitem Palatinum*

Rheni,

Rheni, Bavariæ Ducem, ejusque liberos, totamque lineam Guilhelmianam, quamdiu masculi ex ea superstites fuerint. Non defuerunt tamen inter Bavaricam & Palatinam domum controversiæ; primò ratione insignium, cùm Palatinus pomum Imperiale inter insignia retinere etiam deinceps vellet, quod id non Electoralis dignitatis appendicem sed privilegii peculiaris beneficium esse diceret; quæ controversia quomodo definitione Imperatoriâ pro Bavaro decisa sit, legere qui velit potest apud egregium scriptorem **der unpartheiischen wohlmeinenden** Theologo-Politicorum discursuum de Statu perturbato Germaniæ *part. 4. disc. 21. pag. 205.* Altera de Vicariatu gravior controversia, hodieque durat, dum illum ad se pertinere utraque domus, abnuente alterâ, perhibet. Palatinus, causæ suæ Patrones, inter alios esse voluit, viros celeberrimos, Hermannum Conringium, is enim autor est libri anonymi, qui inscribitur *Vicariatus Imperii Palatinus defensus*; Johannem Freinsheimium, (cujus librum esse novimus, qui præfert nomen Gratiani Philoeci) & Ezechielem Spanheimium, qui Gallici Tractatus, quo tecto nomine Vicarii munus Palatino asseritur; & Lingelsheimium, qui Germanici primi scripti, quo Jura hæc defenduntur, autor est. Electori Palatino octavus Electoratus concessus est, cum munere Archithesaurarii. Is electo Regi Romanorum coronam nunc præfert: vid. Hist. Electionis Leopoldi I. *Imperatoris part. 1. Diarii Europæi p. 873.* ac post Regis coronationem, & deductionem in Palatium nummos in coronationis memoriam cusos in turbam adstantem projicit: vid. Diarium *dict. part. 1. pag. 945.*

IV. Eligunt isto conventu Regem Romanorum: qui qualis esse debeat, plures explicant, aliis has, aliis illas virtutes requirentibus, & hæc tam vulgata describentibus etiam aliis, magno indicio hominum otio abundantium, sed judicium desiderantium. Limnæus *cap. 2. lib. 2.* postquam promisisset, se descripturum qualis esse debeat, qui eligitur, & quæsivisset an mulier, hermophroditus, &c. eligi possit? adeò à scopo digreditur, ut partem capitis maximã impendat in inquirenda Origine legis Salicæ, in explicatione vocum quid sint Spadones? castrati? & demum aliquot paginas consumit in quæstione: An Johannes VIII. fuerit

 fœmi-

fœmina? ut videri alicui possit, vir cætera diligentissimus, dum ista scriberet, somniasse. Suffecerit in præsens admonuisse, quæri hic non immeritò posse, *an etiam eligi possit, qui Augustanam Confessionem aut Reformatorum Religionem sequitur?* Cùm nulla Imperii lex esset, quæ honorem illum solis Catholicis præcipuum esse, velit, ex quo sanè Pace Religiosa definitum, ne cuiquam in Imperio Religionis Catholicæ, & ejus, quæ Augustanâ Confessione comprehenditur, professio, fraudi sit. Recess. Imperii Anno 1555. §. damit auch: quod idem ad Reformatæ religioni addictos extendit, *art. 7. Instrumenti Cæsareo-Svecici*, non videtur meritò ambigi posse; Et sanè autor quæstionis secundæ, quæ subjungitur secundæ Disputationi feudali apud Benedictum Carpzovium, id adeò certæ veritatis esse existimat, ut scribere non dubiter: *haud certe credidissem hoc à quoquam in dubium vocatum iri, si non Caninius seriò id negasset: disc. in auream Bullam p. 115.* Præter Caninium tamen, Gallus autor disscursus *sur l'Election d'un Empereur p. 88.* & alius qui primo loco legitur in libello Gallico cui titulus *Recueil de quelques discours Politiques de l'an. M. DC. XXXII. pæg. 12.* nullum qui Protestantium religionem profiteatur, eò pervenire posse judicat. Augustus Vischerus in *Disc. Historico-Politico Jurid. de Elect. Regis & Imp. concl. 14. n. 82.* Judicium suum de hac quæstione suspendit. Priores illi, ut ita sentiant, his argumentis ferè persuadentur, quæ verborum compendio, prolixius Caninio exposita, & longiori discursu exhibita, hic sistimus 1. Catholicos illos adversarios experturos tres Archi Episcopos & Bohemiæ Regem, quem eo casu seipsum electarum certissimum sit; cujus argumenti robur nunc ex accessione Bavari crescit. 2. Protestantes ipsi sectis dividuntur, dum aliam Saxo, aliam Brandenburgensis & Palatinus religionem sequuntur. 3. Impossibilem esse Protestantium aut ipsis periculosam admodum electionem, quod talis electio pugnet cum Canonibus Ecclesiasticis, & adversa sit praxi: cum hactenus in Imperio occidentali, licet id habuerit crudeles & Ecclesiæ persecutores, nemo tamen electus fuerit hucusque qui planè diversam à fide Pontificiorum foverit Religionem; sed & 4. Protestantes excludi ab Imperio, juramento, quo Rex Romanus promittit defensionem Pontificis & Ecclesiæ Romanæ, ac 5. neminem eorum sibi promittere rationabiliter

posse

posse quietam Imperii possessionem. Reponit Caninii rationibus non nihil, Carpzovius vel potius Johannes Jacobus Panzerus *dict. quæst.* 2. Nobis hic placet Limnæi sententia. Is *tom. 2. addit ad lib. 2. cap. 2. n. 88. in fine. Mihi*, ait, *videtur jus quidem nostratibus non deesse, sed praxin vix sperandam vel omninò non, nisi prius magnos difficultatum obices vis cœlestis removerit.*

V. Indicit conventus hos Elector Moguntinus A. B. *tit. 4. vers. Cæterum*: qui si nullus eo tempore fuerit, id juris non est penes Capitulum *cap. illa devotionis 2. X. ne sede vacante aliquid innovetur*, sed potius Electores, *motu proprio, etiam non vocati, pro fidei suæ virtute convenire debent*, quod eo casu, quo negligentia Moguntini non vocantur, juris est. Vocantur autem eò Electores omnes, si enim vel unum neglexerit, tota electio improbari potest *cap. quod sicut 28. cap. in Genesi 55. X. de Electione & Electi potestate.* Nec interest Ecclesiastici quidem an à Pontifice confirmati sint vel secus. Jus enim Electionis ad illos tanquam Imperii Principes pertinet. Justus Sinold cognomine Schütz. *tom. 1. de Statu rei Romanæ disp. 2. th. 11. lit. 6. &c.* licet & ipse, ut interesse conventui huic possint Electores, non requirat consecrationem, & confirmationem Pontificiam, quia hoc jus Electoribus istis ut Imperii Principibus competit, personæ autem duplicem respectum habentis ea tantùm qualitas requiratur, quæ ad actum necessaria est, *arg. l. si pater 15. §. qui duos l. ff. de adoptione*: & quod videat Electos Archi Episcopos, nondum tamen confirmatos ad Electorale Collegium plus vice simplici admissos esse, cum appareat ex subscriptione: Recessuum anno 1558. Danielem electum Moguntinum, sequenti Antonium, anno LIX. Johannem Gebhardum & deinceps Fridericum electos Colonienses, subscripsisse: aliud tamen, contra Buxtorfium, dicendum existimat de Investiturâ Cæsareâ, quam necessariam autumat I. quia in hoc conventu consideratur ut Princeps: Princeps autem fit per investituram *cap. quis dicatur Dux Marchio 2. Feud. 2.* II. quia in Aurea Bulla jubentur *jurare per fidem, quam Imperio debent, & quâ illi adstricti sunt.* Ergò ut sese jam ante obstrinxerint necessum est; quibus addi videtur posse III. quod de solis secularibus Electoralibus, non etiam Ecclesiasticis, constitutum sit in A. B. *cap. 7.* quod ipso jure post mortem Electorum

rum ad descendentes perveniant. Nos agnoscimus quidem esse verissimum, Capitulum non posse creare Principem, eligere tamen potest Episcopum, qui eo ipso fiat Elector, non ex concessione Capituli, sed beneficio legis, quæ eum statim, simul ac in Episcopum I. Capitulo est electus, Electorem & Principem Imperii esse vult. Rem simili quodam illustramus. Academia nostra potestatem constituendi Comimites Palatinos non habet; at suâ Electione tamen, in ProRectorem Magnificum, personam habilem efficere potest, ut Imperatoris beneficium, quo ProRectorem, Comitem Palatinum Sacri Palatii, Aulæ & Consistorii Cæsarei esse voluit, in ea locum inveniat. Nec Romæ olim in privatorum arbitrio erat jus civitatis Romanæ alicui concedere, quod tamen, manu missione Dominorum, servi, ex legis beneficio consequebantur vid. §. *ult. Instit. De libertinis l. 17. ff. de statu hominum, Novel. 78. cap. 1.* quo ipso primæ Domini Schützii rationi respondetur, & dici ad 2. potest, Imperio non illos solùm Principes qui jurarunt, fidem debere, sed & reliquos: & in Investituræ renovatione, non nova fides promittitur, sed illa, quam Imperio aliquis debet, iterum confirmatur. Et tertium illud, cum nulla appareat diversitatis ratio, potius sententiam Schützii convellit, nec confestim qui alicui aliquid tributum agnoscit, id alteri competere negat. Illud satis constat, praxin probare adversam Dno. Schützio sententiam, quod ipse adductis aliquot exemplis *disp. 7. th. 7. lit. h. p. 369.* agnoscit: inter quæ illud imprimis memorabile est, quod anno 1562. in Comitiis Maximil. II. Romanorum Regis eligendi ergò institutis, Imperator Ferdinandus Capitulo mandavit, ut eligendo novum Archi Episcopum, Electorum numerum complere maturarent, & suspensa electio Regis Romanorum tamdiu, donec à Capitulo Fridericus Archi Episcopus proclamaretur, non etiam ultra ut confirmaretur, vel investiretur. Ait quidem Dn. Sinold dicto loco, nodum hunc satis intricatum se in discursu paratum solvere. Mallemus verò id scripto fecisset, nam hactenus quid solidi hic reponi possit non videmus: adde, post Puxtorfium, Dn. Limnæum *lib. 3. cap. 7. n. 12.* & Dn. Dietericum in *notis ad Bullam auream ad tit. 1. §. præterea*, quorum uterque etiam nostram sententiam veriorem judicat.

VI. Ju-

VI. Justus Asterius, in Examine Comitiorum Ratisbonensium Moguntino Jus hoc convocandi Electores in Comitiis Electoralibus, quibus vivente adhuc Imperatore ac nondum vacante Imperio eligitur Rex Romanorum, quæ extraordinaria jam ante vocavimus, negat. Quod in paucorum manu sit, dabimus ipsa ejus verba. *Moguntinus ait, nullam habet potestatem Septem viros ad Comitia vocandi, nisi ex jure & facultate sibi per auream Bullam concessâ: siquidem ante constitutionem legis Carolinæ 1356. etiam alii Electores, & post ejus publicationem Palatinus quandoque conventus Electorales indixerunt: jam verò textus Bullæ Aureæ in uno tantum casu Moguntino citationem Electorum permittit, puta mortuo Imperatore, ut disertè docet Tit. 2. §. cum autem ad hoc perventū fuerit, quod de Imperatoris vel Regis Romanorum obitu in Diœcesi Moguntinâ constiterit, ex tunc intra unum mensem à die notitiæ obitus hujusmodi singulis Principibus Electoribus obitum ipsum & intimationem per Archi-Episcopum Moguntinum, jubemus & decernimus suis patentibus literis declarari; seu vacante Imperio, ut explicat Textus tit. 4. §. cæterum. Cæterum, quoties & quando deinceps sacrum vacare continget Imperium, ex tunc Moguntinus Archi-Episcopus potestatem habebit cæteros Principes ante dictos, suos indictâ electione consortes, literatoriè convocandi: ubi adjectæ particulæ cum, quoties, quando certam conditionem denotant; permissum autem sub certa conditione, non habet locum ante existentiam conditionis, l. 1. ff. De donationibus; & potissimum urget vox subjunctiva ex tunc, quæ apertè monstrat mortem Imperatoris & vacationem Imperii præcedere, indictionem verò Comitiorum & citationem Electorum subsequi debere.* Interim constat, nec negare potest, Asterius, ad Comitia Electoralia Ratisbonensia, quibus eligebatur Ferdinandus III. evocasse reliquos, præter Trevirensem & Palatinum Electores, Moguntinum. Nobis satis quidem illud liquidum videtur, non posse pro arbitrio hujusmodi conventus indicere Moguntinum. At manifestè velant verba Capitulationis, quæ illud arbitrium toti Collegio Electorum relinquunt: **Wann die** / Electores **es vor nöhtig und zu Erhaltung der Grundgesätze / und diese** Capitulation **oder sonst dem Reich nohtwendig und nützlich befinden:** verba sunt *art. 36.* Capitulationis Leopoldi I. Imperatoris. Cæterum,

postquam Electorum sententiam intellexit Moguntinus, non dubitamus penes eum esse convocandi reliquos Electores Jus. Ita sanè hactenus in Imperio usurpatum moribus novimus: & præterquam quod nulla ratio nobis quidem appareat, quæ diversum aliquid in vocatione Electorum observari jubeat, circa electionem Regis Romanorum propter circumstantiam vitæ aut mortis Imperatoris, illud ita disertè definitum videtur Cadamensi Transactione. Ejus enim apud Hortlederum *lib.3. c.13. p.668.* hæc inter alia verba referimus: **Künfftiglich wann bey Leben eines Römischen Käysers oder Königs ein Römischer König soll erwehlet werden/ sollen alle Chur-Fürsten zuvor zusammen beschieden werden/ davon zureden/ ob Ursach gnug vorhanden/ und dem Reich fürträglich sey/ einen Römischen König bey Leben eines Römischen Käysers oder Königs zu erwehlen/ und wann sie sich deß vereiniget/ daß alsdann/ und nicht ehe/ die Chur-Fürsten/ vermöge der Gülden Bull/ sollen zur Königlichen Wahl erfordert/ und derselben gülden Bull unverrücklich im allem nachgegangen werden. Und was in dem Fall anders fürgenommen würde/ daß dasselb nichtig/ und durch ein** decretum irritans **des Käysers** cassiret **seyn soll:** adde Sleid. *lib.9. pag.205.* Vult sequi Electores etiam in hâc Electione Bullam Auream, secundùm illam verò, jam ab antiquo: hoc jus est penes Moguntinum.

VII. Evocatorias hujusmodi literas ad cæteros Principes Electores intra unum mensem à die notitiæ obitus Imperatoris mittit Moguntinus *B. A. tit. 1. §. Cum autem ad hoc perventum fuerit.* Illis deinceps trium mensium spatium indulgetur Electoribus; quo deficiente, conveniunt Electionis gratia: dict. *B. A. tit. 1. §. præterea statuimus.* Postquam convenerunt, triginta dies destinantur Electioni Regis Romanorum: quam *si facere distulerint intra triginta dies, à die præstiti Juramenti præfati continuo numerandos, ex tunc transactis eisdem triginta diebus panem manducent, & aquam bibant*: verba sunt *B. A. titul. 2. vers. Quod si facere &c.* Cùm Ferdinandus III. Imperator gloriosissimæ memoriæ, rebus humanis 23. Martii excessisset, 4. Augusti literis Moguntini destinatus fuit Electioni, vid.

Dia-

Diarii Europæi *part. 1. p. 60.* quâ in parte ſecutum Electorem Bullam auream ſatis liquet: nam qui præter menſem unum, intra quem evocat Collegas, & tres alios, intra quos illi adeſſe debent, ſuperſunt pauci dies, ii computari debent in tempus, quod intercedit inter mortem Imperatoris & diem notitiæ, & quod impenditur literis Evocatoriis perferendis: At Electores die 4. Auguſti nondum adfuiſſe ex Diario Europæo conſtat, ſed & dilatam Electionem in ſequentis anni menſem Julium ejusque diem octavum novimus: qua de re quæ ſententia fuerit Electoris Saxonici, ex ejus literis ad Haſſiæ Landgravium, quæ extant in Diario Europæo ad 16. Octobris anni 1658. cernere eſt. Daniel Otto *diſſertationis Juridico-Politicæ*, ut vocat, *de jure publico Imperii Romani cap. 10. p. 236.* poſtquam dixiſſet; *terminum à quo incipit electio, eſſe tempus, quo Imperium incipit vacare*: pagina ſequenti addit, *Terminum ad quem, ſive electioni deſtinatum, eſſe tres menſes continuos.* Ut ipſe more ſuo errantes alios ſecutus eſt, ita videmus illa etiam illius adeò inepta, ſuos iterum habuiſſe deſcriptores. At qui Bullam Auream inſpexerit, non dubitabit, ex præſcripto legis illius Fundamentalis. Tempus illud, quod inter mortem Imperatoris, & electionem novi intercedit, excedere plerumque menſes quinque, nunquam eſſe menſium ſolummodò trium: cum vel ſolum tres illi menſes, quibus exeuntibus poſt acceptas Moguntini literas, reliqui Electores Francofurti convenire debent, redigi ad brevius temporis intervallum, niſi conſenſu omnium & publicâ utilitate urgente, non poſſint. Minorem enim diem tempore legitimo etiam Judex ſtatuere prohibetur *l. 4. §. 5. de re judicata*: & fieret illud in præjudicium tertii, Vicariorum Imperii imprimus, penes quos ſumma illo tempore eſt Imperii adminiſtratio, quam ad definitum Bulla Aurea tempus usque illos exercere, ex honore & uſu illorum eſt.

VIII. Electoribus ita evocatis, ſalvus conductus præſtatur, eo modo qui pluribus definitus legitur *B. A. tit. 1*, Egit autem de illis, quæ circa conducendi hoc Jus diſceptari, poſſint, nuper Diſſertatione peculiari quam *Conductorem Carolinum* inſcribit doctiſſimus Bœclerus, ad quem iſta requirentem remiſiſſe ſufficiat.

Francofurtensibus deinde, vel si propter Pestem, externum hostem, addimus & alias necessarias causas, alibi fiat electio, isti civitati imperatur, ut ab invasione omni Electores immunes præstent, atque prohibeant accedere vel excedere jubeant peregrinos. Id tamen proximis Comitiis Electoralibus anni 1658. non ita exactè observatum, peculiari admonitione subjuncta Capitulationi noluerunt Bullæ Aureæ fraudi esse Electores.

IX. Comitatus Electorum, ex Aureæ Bullæ præscripto, non excedit quidem ducentos Equites, & inter hos quinquaginta saltem armatos. Cæterùm illum numerum nec ante Bullam Auream receptum, nec postea, præsertim in Electione Ferdinandi & Maximiliani II. forteque nunquam adeò exactè ut in electione Matthiæ Imperatoris observatum scribit Buxtorf. *dissert. ad cap. 1. Bullæ Aureæ th. 24. in fine*. Sanè in Electione Leopoldi I. constat ex descriptione introitus Electorum apud Autorem Diarii Europæi part. 1. illos plures Comites habuisse. Illud nihil interest, Electores ipsi, an Legati illorum Comitia hæc adeant *A. B. tit.* 1. *vers. Debet autem unusquisque Princeps Elector vel Nuncii sui & seqq.* quamvis autem alioquin in alternativis electio sit ejus ad quem verba diriguntur *l. 10. ff. de jure dotium cap. in alternativis 70. de R. I. in sexto* propter verba tamen sat exserta *quæ tit. 28. Bullæ Aureæ vers. Quandocunque*: requirunt justum impedimentum absque eo, Legatum mittere, cùm ipse Elector adesse possit, inter vetita habemus. Goldastus in *Replicâ pro Imperio fol. 114.* quem reliqui Juris publici Scriptores ferè sequuntur, etiam impedimenti hujus fidem reliquis Electoribus juramento ejus, qui Legatum mittit, faciendam autumat. Idque præstitisse Bohemiæ Regis Legatos adjicit. Et videtur pro Goldasti sententiâ stare *1. cap. 42. X. vers. illud autem de Elect. & electi potestate*, ubi constituitur, ut, si quis constituere destinavit procuratorem in Electione Episcopi, teneatur juramento probare se necessario impedimento adesse prohibitum. 2. quia, si sufficeret allegare impedimentum, promptum foret illudere huic constitutioni *A. B.* quæ Electorum præsentiam, nisi impediantur causâ admodum probabili, requirit. Nobis verior videtur sententia, quam & usu probari novimus, non requiri tale juramentum,

tum, quod Bulla Aurea impedimentum justum solummodo, non etiam juramentum requirat: & aliàs Juri communi incognitum sit, eum, qui Procuratorem, etiam in arduis & magni momenti caussis constituit, juramento adstringi ad probandum impedimentum; *prin. Inst. de iis per quos agere possumus.* Nec securè videtur ab Electione Episcopi ad Imperatoris Electionem produci consequentia: & Electores, maximos Imperii Principes, falsam absentiæ caussam assignaturos præsumi non debet: ac ipsorum *virtuti, integritati, ac fidei, quâ Romano Imperio adstricti sunt*, ut loquitur Bulla Aurea, non convenit. Nec Wenceslai exemplum nos movet. Fortassis enim non defuit peculiaris ratio, quare Wenceslao, sæpius Principibus Imperii illudenti, illud deferendum putaverit Electorum Senatus. Et sunt in adversum exempla longè plura, ubi Juramentum exactum non fuit. Illud plerisque Jurispublici autoribus expeditum est, Mandatum, quod Elector legato concedit, non debere conceptum esse in certam personam, vide saltem Wurmser. *Exercit. Jurispubl. 2. quæst 5.* Rumelin. *in notis ad Bullam Auream cap. 19. th. 15.* Limn. *ad Ottonis cap. X. p. 248.* Apud Crantzium tamen *l. 9. rerum Saxonicarum* & Cuspinianum *de Cæsaribus*, sub titulo, *de divisione Imperii ob duos Competitores*, legitur, Waldemarum Electorum Brandenburgensem Legato suo Nicolao à Bock publicis tabulis in mandatis dedisse, ut Fridericum Austriacum eligeret; illum verò, qui plusculum lucri à Ludovico Bavaro speraret, abbasâ membranâ expunctoque Friderici nomine substituisse Ludovicum: quæ caussa fuit, ut illum reducem in carcerem conjiceret, & necaret Marchio. Unde istum quidem Electorem aliter de hac controversiâ sensisse apparet. Meminimus etiam olim legisse in Tractatu, qui inscribitur die Anhaltische Cantzley/ Camerarium idem cum isto electore sensisse, nec aliud videtur Ottoni *Dissertationis Jurispublici cap. 10. p. 247.* Videntur autem in hac Controversia parum accuratè versari Authores, & confundere ideò quæstiones diversas, quibus distinctis demum rectè respondetur. Quod si enim de mandato, quod publicè producere debet Legatus, utrique quærunt, verior est haud dubiè communis sententia, quæ generale mandatum exigit; Et extat ipsa illius formula *cap. 19. Bullæ Aureæ*, unde illud colligere ni-

mis expeditum est. Et meminit Matthesius *lib. 2. de Elect. Ferdinandi II. p. 76.* cum legatus Saxonicus limitatum mandatum exhibuisset, reliquos Electores progredi ad Electionem noluisse, nisi generale mandatum ab Electore suo antea impetrasset. At secreta instructione quin designari certum subjectum Legato possit, immeritò, ut nos existimamus, ambigitur. Quod si priores illi de generali mandato, quod publicè producendum est, posteriores de instructione illa secreta loquuntur nullam esse contradictionem, cùm ad illam, ut sit, de re eadem, requiratur, manifestum est. Si Electorum aut Legatorum, anteà absentium, aliquis, ante perfectam tamen electionem accedat, is ad *Electionem in eo statu admittitur, quo illa adventus tempore*, ut loquitur *Bulla Aurea tit. 2. vers. Postquam autem*: consistebat. Quod si quis planè absit, nec Legatum miserit, ejus suffragii in ista quidem Electione nulla habetur ratio; dicto §. *postquam tit. 2. adde arg. l. 7. §. ult. ff. quod cujusque universitatis nomine.*

X. Postquam convenere Electores, statim *sequenti die diluculo in æde S. Bartholomæi*, si Francofurti, ut plerumque, celebratur conventus hic, conveniunt; ibi Missa cantatur. Bullâ Aureâ quidem in *princ. tit. 2. id fieri in omni illorum præsentia*, dicitur. Electores tamen Augustanæ confessioni & Religioni, quam vocant Reformatam, addicti, eorumque Legati, interea dum Missa recitatur, non semel in aliud conclave secesserunt. Ita in Comitiis Electorum, quibus Maximilianus II. Rex Romanorum salutatus fuit, Palatinus, Saxo, & Brandenburgensis ex Choro tantisper in proximum conclave, cum aliis Principibus pluribus, concesserunt, ibique ad finem Missæ usque substituerunt. Vide Simonis Schardii *narrationem apud Goldastum in Polit. Imper. disc. 9.* & Nicol Heid. *in Elect. Maximil.* apud eundem in *disc. 13.* Cum Matthias eligeretur, ac Moguntinus ad altare accessisset, Palatinus, Saxo ac Brandenburgensis Legatus in Sacellum, quod propè chorum est, cum Consiliariis Aulicisque suis secesserunt: vid. Gothard. Arthus: *de Elect. Imperatoris Matthiæ*: de Electione Ferdinandi II. vide Matthes. *lib. 2. p. 84.* ac in Electione Ferdinand. III. surrexisse Legatum Saxonicum scribit Carpz. *ad legem Regiam cap. XI. sect. 7. n. 10.* & Bertram de *Comitiis th. 65* negat statum Augustanæ

Con-

Confessioni addictum posse salvâ conscientiâ interesse missæ. Fuit tamen ubi & Evangelici non dubitarunt missæ interesse: ac meminit Cœlestinus in *Historia Comitiorum Augustanorum Anni 1530. p. 103.* Electori Saxoniæ illorum Consilium requirenti respondisse Theologos confessionis nostræ, posse ipsũ interesse missæ, ut officiũ, quod muneri ipsius cohæret, Imperatori præstet, non verò ut eo actu se Deo cultum exhibere existimet, cui illud sacrum acceptum non sit. vid. etiam Sleid. *lib. 6.* & extat consilium eruditum Balthasaris Bidembachii concionatoris Aulici Ducis Würtenbergici de hoc negotio *decad. 5. consf. theol. cons.* 1. Illud dubio caret, anno 1653. die 18. Junii, cùm eligeretur Ratisbonæ Ferdinandus IV. ac Missam celebraret Episcopus Ratisbonensis, interfuisse Palatinum, ac Saxonici & Brandenburgici Electorum Legatos, nec ipsos, aut alios, qui aderant, in conclave aliud secessisse: vide autorem *Comitiologiæ Ratisbonensis part. 3. p. 125.* sed & illud constat, non secessisse, cùm eligeretur Leopoldus I. vid. Pastorium in *Floro Germanico p. 655.* & Diarium ad *annum 1658. p. 872.* ut nec in actu solenni 22. Julii anni 1658. cùm ei corona imponeretur. Peractam Missam hymnus excipit, quo finito deinceps ad altare accedunt Electores & Nuncii, & Juramentum Electionis præstant, vulgariter, ut habet Bulla Aurea *tit. 2. vers. postquam autem in fine*: quod idem est, ac vulgari lingua. Versio præmissa Imperii Recessibus vertit, **den Eyd in Teutsch schweren.** Goldasti illa inter Constitutiones Imper. *pag. 124 part. 2.* **der Reichs-Satzungen** reddit, **den Eyde in Teutsch thun** Limnæus in *observat. ad Bullam Auream cap. 2. §. 1. obs. 20.* differre putat, *præstare juramentum vulgariter*, & illud *præstare lingua vulgari*, sed Imperii perpetua praxis & antiquissimæ versionis, & styli, qui illo tempore, quo Aurea Bulla conscribebatur, erat, ratio aliud intelligi vetat. Juramentum illud primus præstat Moguntinus: non quidem ex lege Bullæ Aureæ, seu ex more; vid. Goldastum **Politischen Reichs-Handel.** *tit. 24. p. 39. & 67.* Matenesium *de Electione Ferd. II. lib. 2. p. 84. §. omnes.* Formulam exhibet ipsa Bulla Aurea *tit. 2.* Electores tamen protestantes eorumque nuncii, loco illius, quod Catholici jurant, **auff das heilige Evangelium/** illud hâc formâ præstant **zu dem heiligen Evangelio**: & verba ista ultima: **und**

alle

alle Heiligen / illos omittere observat Cubach *De Jure publico l. 2. cap. 13.*

XI. Consvevit illud etiam in quæstionem adduci, an Electoribus competat jus eligendi ut singulis, vel ut Collegio? Quæstio est antiqua, de quâ jam olim quid sentirent Johannes Andreas *in addit. ad Speculatorem*, Panormitanus quoque, & Hostiensis exposuerunt. Plerique id illis competere volunt ut Collegio, quæ Johannis Andreæ & Panormitani sententia est, prolixè propugnata à Petro de Andlo *lib. 2. de Imperio Romano-Germanico*, Lupoldo Bebenburgh *cap. 6.* & Henrico Gœden *consil.* 1. contraria fermè solum Hostiensem Patronum hactenus habuerat. Invenit tamen nuper defensorem virum celeberrimum, qui illam etiam tutandam suscepit. Nobis controversiæ dirimendæ sufficere videtur, si rectè explicetur, quid significent controvertentibus, verba illa *Jus eligendi competere Electoribus ut Collegio.* Si enim id quæritur, an necesse sit, ut Electores conveniant, & ita congregati Imperatorem eligant? an verò sufficiat, si singuli seorsim, quem Imperatorem velint, declarent? certum erit receptam sententiam esse verissimam, perlegentibus saltem primum & secundum titulum Bullæ Aureæ: nec alio sensu accipere videntur illius sententiæ autores, vide saltem Dn. Schützium *vol. 1. de Statu Rei Romanæ Disp. 2. th. 14. lit. e.* ubi ait: *Collegialiter, non in locis diversis vel Scripturâ fieri debet electio: est enim actus Collegialis individuus.* Cæterùm si quis phrasin ita intellexerit, ac si omnes Electores in unum consentire debeant, aliter respondendum fuerit, ex definitione Imperatoriâ quæ est *tit. 2. Bullæ Aureæ vers. 4.* Fuerit tamen ista acceptio admodum impropria, & præter mentem Doctorum Juris Publici, qui affirmativam in hac quæstione tuentur. Quo ordine vota rogentur, explicat *cap. 4. §. 3. Bullæ Aureæ*, ubi primum Trevirensi competere dicitur, *sicut* addit Imperator *invenimus hactenus competiisse.* Guntherus tamen in *Ligurino l. 6.* in Friderici I. electione primum votum dixisse, *ex jure vetusto* Moguntinum scribit;

Ad Proceres electio pertinet, in quâ
Præcipuam vocem Præsul de Jure vetusto,
Moguntinus habet.

Et

Et ne quis falli putet Guntherum, idem legere est apud Radevicum *lib. 3. cap. 16.* & Schaffnaburgensem ad *annum* 1073. Autor speculi Saxonici *lib. 3. art. 57.* **Der Bischoff von Maintz/ der hat die erste Stimme der Wahl/ der Bischoff von Trier die andere:** & probare possemus asserti hujus veritatem ex Historia Electionis Henrici V. Friderici II. & Richardi. Aliud tamen visum Bullæ Aureæ, loco quem adduximus. Rediisse autem Electores hac in parte contra dispositionem Bullæ Aureæ ad antiquum morem existimant, Arumæus *disc. ad A. B. th.* 14. *pag.* 134. **Reinkingh** *De Regimine seculari lib.* 1. *class. 3. cap. 5. num.* 15. & 16. Goldast. *in Replicis pro Imperio cap.* 13. *pag.* 173. quòd Moguntinum primam sententiam dixisse in electione Caroli V. Sabinus *in Historia Electionis apud Goldastum* & Sleidanus *lib.* 1. *Historiarum* commemorent. Primus huic sententiæ contradixit Joachimus Cluten, quem secutus Limnæus *de Jure publico lib. 2. cap. 3. num.* 61. eâ ratione, quòd Sleidanum & Sabinum non de suffragatione solenni, sed de deliberatione quadam, hoc suffragium aliquot diebus præcedente, intelligi vellent: quod ex ipsis Sabini verbis: *quoniam congressus hic institutus, non ut suffragia feramus, sed ut liberè colloquamur*, liquidò patere judicant: Et Protocollum Electionis doceat, in illâ Electione non recessum esse ab ordine, quem præscribit Bulla Aurea. Extat Protocollum illud apud Goldastum *part.* 1. **Politischer Reichshändel.** Accesserunt Limnæo Dn. Schütz. *de statu Rei Romanæ disp. 2. th.* 14. *in. fine.* Dn. Carpzovius *ad legem Regiam c. 2. sect. 8. n.* 7. & *quæst. 4.* addita *disp. feudali secundæ n.* 11. Dn. Strauch. *Exercit. Epot. dissertatione 4. th. 3.* Deinceps tamen aliter visum est Dn. Carpzovio, *dissertatione*, quam inscribit, *discussionem voti Septemviralis gravissimi pro Carolo V. contra Regem Galliæ dogmate 2. ubi se in errorem deductum à Limnæo quæritur, & Sabinum mentionem facere non solùm hujus deliberationis, sed disertis etiam verbis in ipso electionis solennis actu Moguntino primam vocem tribuere, eodemque modo Electum Maximilianum II. ex descriptione Adami & Nicolai Heidenorum*, ait. Nos, ut verissimum judicamus, Sabiuum & Sleidanum, restè perlectos, votum Moguntino in Electione Caroli V. primum adscribere, ita, cum ipsis Protocollum Electionis & Electores ipsi, qui interfuerunt, in *re-*

latione Electionis Carolo V. facta, contradicant, non putamus peccare, qui his scriptoribus eandem, quam alias merentur fidem, hic tribuere nolit, sed hodieque nullam Bullæ Aureæ mutationem hac in parte agnoscat.

XII. Illud quoque quæri potest, *si duo votis æqualibus Electorum eligantur*. quod hodie inprimis, aucto Electorum numero accessione octavi, facilius contingere potest, *quid Juris sit*? Gœden. *Consil.* 1. *de coronat. n.* 3. eo casu utrumque electum administrare posse existimat, donec alteruter illorum per Pontificem fuerit reprobatus. Historiam veterem considerantibus, apparebit partes armis jus suum olim disceptasse, *quo factum*, conqueritur Moguntinus, *ut Imperium nostrum iis dissidiis afflictum nunquam potuerit recuperare pristinam suam Majestatem.* Sed haud dubie rectius, qui ex hujusmodi Bellico aut Pontificio jure rem non definiunt, sed cum Bulla aurea, aliquem plurium votis electum velit, ubi paria sunt vota, neutrum Imperatorem dici, tuentur, quo modo & Rumelino visum *ad Bullam Auream dissert.* 3. *th.* 11. Repetenta ergo electio videtur Arumæo ad *B. A. disc.* 2. *th.* 17. Sed quid, si ne sic quidem convenire in unam sententiam possint Electores? Salvis aliorum Judiciis, ad Principes & status Imperii reliquos negotii decisionem remittendam existimamus, ut is Imperator sit, quem in illa Electoralium votorum æqualitate ipsi optaverint, *arg. art.* 8. *Instrumenti Pacis Cæsareo-Svecici*. Illud consensu Autorum controversia vacat, posse aliquem, qui nominatus antea ab alio Electore fuerit votô suô seipsum Imperio destinare. *B. A. cap.* 2. §. *ult.* at non perindè liquidum, si aliorum vota non præcesserint. Negant Cluten, & nuper Dietericus *ad Bullam Auream ad cap.* 2. §. *ult.* dissentiente Limnæo *in Observat. ad Bullam Auream*: mentem nostram requirenti in conflictu explicabimus, quamvis rectè inspicienti textum Bullæ Aureæ, eâ de re vix superesse possit ambigendi locus. Collectis suffragiis, illa referuntur in literas; vid. Caspar. Ens *in summario Electionis apud Goldastum in Politica Imperiali part.* 1. *disc.* 3. & in *Historia Electionis Caroli V.* cui fini & testes nonnullos è Consiliariis, ac Notarios plerumque in universum duos, in conclave evocare solent singuli Electores, vid. Johannem Angustinum Pastorium *in Floro Germanico p.* 650. ubi illorum nomina, qui à singu-

gulis Electoribus quini in Electione Leopoldi I. in conclave vocati sunt, enumerat. adde Diarium Europæum *p.* 872. Postquam in scripturam relata sunt hæc suffragia, Electorum singulorum sigillis insuper confirmantur: Sabinus & Ensdictis locis. Electus deinde, si adsit (nam absens per Legatos & literas se electum accipit.) vid. Sleid. *lib.* 1. *Hist. pag.* 21. præstito juramento quo Capitulationi servandæ se adstringit, ab Electoribus universis ad Altare deducitur, ubi recitatis precibus, & audito Musicorum concentu, elevatur in altare, & populo feliciter apprecandi ostenditur. Solenni deinceps cantico Dei nomen celebratur, & concinentibus Instrumentis Musicis, & tubis, publicè in Cæsarem proclamatur, bombardis & campanis in publicæ lætitiæ indicium sonantibus, & Electoribus eâ ratione, quæ in Aurea Bulla traditur, insignia præferentibus, nisi quòd Palatino in locum adempti pomi Imperialis, quod Bavarus nunc præferre consvevit, Corona Imperii cessit. Postquam ceremoniæ hæ cessant, Electoribus statim privilegia & Jura omnia confirmare tenetur: Aurea Bulla *tit.* 2. §. 5. Sinoldus tamen *tom.* 1. *de statu Rei Romanæ Disp.* 2. *th.* 18. *lit. a.* satisfieri huic constitutioni autumat, si id fiat ante Coronationem. Illud addendũ adhuc existimamus, qui Historias Electionum posteriorum aliquot Imperatorum legere velit, reperturum descriptionem Electionis Maximiliani I. ab autore anonymo: Caroli V. autore Sabino: Maximiliani II. autore Scardio & Fratribus Heidenis: Matthiæ Imperatoris autore Gothardo Artus, apud Goldastum in *Politica Imperiali.* Illam Ferdinandi II. Matenesius libris duobus *de parentel. elect. & coron. Ferdin. II.* executus est: Ferdinandi III. subjungitur tractatui Justi Asterii, quem apposuit comitiis Ratisbonensibus: de Ferdinandi IV. quoque Electione prodiit, Relatio, cujus partem Comitiologiæ Ratisbonensi inseruit **Gottlieb von Hagen** *part.* 3. *pag.* 123. Postremam Leopoldi I. legere est in Diario Europæo & Floro Germanico.

Ad

GENEROSUM & PRÆSTANTISSIMI INGENII JUVENEM

DETLEVUM RANTZOVIUM,

EQVITEM HOLSATUM.

Anno Ætatis XIV. secundo suo Climacterico.

DE

COMITIIS ELECTORALIBUS

Disputantem.

EN iterum Cimbris surgunt miracula Musis,
Ac ipsum Themidos culmen ephebus adit.
Vidit & obstupuit CAJUM tria lustra teneatem
Vel Cajis priscis digna sonasse Themis.
Jam Frater, cui vix bis septima ducitur æstas,
Septenos docto disserit ore Patres.
Macti animo Fratres! Macti virtutibus! O Par
Absque pari, soli par quod utrinque sibi,
Quos inter dubio Genitor suspensus amore
Ambigit, an prior hoc ille, vel iste minor.
Sed geminos hinc inde notans, quantum omnibus ille
Dissimiles; similes tam videt esse sibi.
Macte animo! DETHLEVE, sacraque de semina flammæ,
RANTZOVIUMQVE, olim sparge per astra Decus.
Colligis angustis Collegia splendida chartis,
Censuramque ferunt nomina summa tuam.
Augustus Juveni Tibi panditur iste Senatus,
Imperiique Patres inter, ephebe, sedes.
Quàm faustis crescit tibi climacteribus ætas,
Præcurrisque tui temporis ipse gradus!
Nec gradus incidit numeris æqualibus annos,
Sed duplâ semper se paritate præit.
Nam dum te format bis septimus annus ephebum,
Jam repræsentat mens tibi adulta Virum.
Sic minimis surgit gradibus minor orbis; at inde
Dirigitur vastis orbita magna viis.
Macte tuis gradibus! juvenis doctissime, qui jam
Grammaticos ultra crescis abisque gradus.
Macte tuis gradibus! queis si mens crescit & ætas,
Immenso superas secula & astra gradu.

DE

DE

NOBILITATE INPRIMIS GERMANICA DISSERTATIO.

Præfatio.

UT Ratio meritorum constaret iis, quibus non modò non referendâ, sed ne cogitandâ quidem gratiâ satisfacere possum, occupavi annos adolescentibus ad cohibendum in togâ brachium constitutos. Absolvent, ut credo, à culpâ errorem hunc etiam ipsius Pythagoricæ disciplinæ alumni, dummodo ingrati animi crimine, nullum esse detestabilius vitium, concedant. Quod ut effugiam, præsentem dissertationem luci expono. *Multos*, ajebat Hannibal, (umbraticolam aliquem Phormionem, de bello ineptissimè disserentem, & è terrâ navem gubernantem audiens) *se vidisse deliros, sed qui magis quàm Phormio deliraret, vidisse neminem*. Ne idem mihi quis ingerat, à quovis etiam atque etiam contendo: agnosco infantiam meam, & vires gravissimæ huic materiæ, cùm meipsum interrogo, minimè sufficientes. Ast in arduis vel solùm voluisse, magni æstimatum esse scio. Utar exceptione annali,

juvenis ſum, juvenilibus conatibus etiam rigidiſſimum quemque Cenſorem veniam daturum eſſe, certiſſimè mihi perſuadeo.

I.

NObilitas an ex jure Gentium originem trahat, an ſit Juris Civilis inventum? non adeò inter omnes conveniti. Poſterius communis Doctorum ſchola affirmat, in quam tamen ſententiam diſceſſionem facere multi eruditorum timent, genus quidem Nobilitatis juri gentium inniti, (cùm nulla tam barbara gens reperta fuerit, quæ non ſuos habuerit Nobiles Bod. *d. Repub. lib. 7. cap. 8. num. 350.*) certas verò ejus ſpecies, per cujusque populi placita cæpiſſe autumantes. *Limn. libr. 6. Jur. publ. cap. 1. n.* 28. *Stephanus d. Civil. Nobil. c. 3. n. 6. & ſeqq. Ludovicus Majernus Turquetus, Monarchiæ Ariſtodemocraticæ l. 5. p.* 244 In Etymon Nobilis, cujus denominativum eſt Nobilitas, valdè ſollicitè inquirere, ſupervacaneũ judico. Quibus luſus vocabulorum placet, nonnunquam ſanè quam frigidus, ii *Nold. d. ſtat. Nob. Civ. cap.* 1. *concl.* 1. *Limn. lib. 6. cap.* 1. *n.* 1. *& ſeqq. Sinold. cognom. Schutz. vol.* 1. *Diſp. 9. theſ.* 1. ac Etymologos conſulant. Optimè videtur dici deſcendere à noſcendo, quaſi Noſcibilis ſeu notus, & propter genus, & virtutem celebris & famoſus. Unde eſt quod *Horatius lib.* 1. *Sat. 6.* ignotum pro ignobili dicit,

Non quia Mæcenas. Lydorum quicquid Etruſcos
Incoluit fines, nemo generoſior eſt te
Nec quod Avus tibi maternus fuit atque paternus
Olim qui magnis legionibus imperitarint,
Utque plerique ſolent, naſo ſuſpendis adunco
Ignotos, ut me libertino patre natum.

Et quod Cicero plus ſimplici vice ignotum nobili opponit; *Lapſa eſt,* ait in Paradoxis, *ipſius libido in muliere ignota, dolor ad pauciores pertinet, quam ſi petulans fuiſſet in aliqua nobili virgine.* Iterum pro Lucio Flacco: *Dubitabitis judices, quin ab ignotiſſimo Phryge nobiliſſimum Civem vindicetis.* Sunt ſimilia apud *Plautum, Virgilium, Ovidium,* ſcripto-

ptores bonæ notæ alios, quæ advocare omnia in re clara præter necessitatem est.

II. Nobilis, florente re Romanâ, ille dicebatur, cujus Pater aut Majores Magistratum gesserant curulem, *Bodin. 3. lib. de Rep. 8. num. 351.* Et fuit hoc nomen initio commune patriciis & plebeis; postea tamen accidit, ut illi generis sui nomen retinerent, ac speciali & proprio nomine Nobiles dicerentur, qui cùm essent plebejæ gentis, Majores tamen Magistratibus curulibus honoratos habuerant. Ita *Ascanius Pædianus* Patricios à Nobilibus distinguit, *Sex*, inquit, *Competitores Cicero habuit: duos Patricios, quatuor plebejos, ex quibus duo Nobiles, &c.* Deinceps Imperatores & Cæsares Nobilissimos & Nobiles dictos esse, patet *ex l. 3. ff. de Natal. test.* Et probant rem nummi veteres, qui hodieque supersunt non pauci. Extat inter reliquos nummos Cimeliarchi, Lansiani, Viri laudatissimæ memoriæ, quod hodie est penes JCtum Academiæ hujus celeberrimum Dn. Lauterbachium, æreum Constantini numisma, cum inscriptione CONSTANTINUS NOB. CÆS. & antiquius MAXIMINI, eodem modo inscriptum. Quin apud Occonem jam DECIUS hoc nominis usurpasse legitur. Ut planè necessum sit, falli viros doctos, qui ante CONSTANTIUM CHLORUM nobilitatis titulum nullis nummis adscribi autumant. Inclinante verò Imperio Romano, cùm contra Majorum instituta, & pueri & infantes Consules proclamarentur, (nam & ante Cajus Caligula equo suo *Incitato* Consulatum destinasse tradebatur, *Suet. in Calig. cap. 55.*) hi pueri Nobilissimi dicebantur. Ita Gratianus Consul Collega Dagalaipho cùm annorum esset quasi septem, N B. P. *Nobilissimus puer* dictus est. *l. 6. C. Theodos. ad SCtum. Claud. l. 9. ib. de diversis offic. & apparit.* Eodem modo Valentinianus annos natus tres Consul cum Aurelio Victorio, *ib. l. 8. de Med. & Professs.* N B. P. *Nobilissimus puer* vocatus est. Quin etiam Principum filiæ & sorores hoc titulo gaudebant, imò & ipsæ Augustæ, vid. *Guth. de offic. dom. August.*

III. Superiorum temporum scriptores sub voce *Nobilium* & Principes quandoque vel Comites intelligere tam certum est, ut vix in dubium vocari possit, sic in *Histor. Austral. apud Freher. Tom. I.*

Ger-

German. rer. Script. *Rudolphus Rex* dicitur *curiam celebrasse, ibique de consilio & voluntate Nobilium, qui aderant, Albertum filium suum Ducem Austriæ & Stiriæ constituisse*; ubi nomine nobilium, hos quos diximus intelligi debere, ex aliis illorum temporum scriptoribus discimus, *Lehman. lib. 5. Chron. Spir. cap. 105. p. 625.* Hoc etiam titulo Pontifices, Electores & Duces mactare solent. Ita Innocentius III. Marchionem Orientalem Nobilem virum vocat, *c. venerabilem extra d. Elect. & elect. potest.* Clemens etiam V. Pontifex ad Ducem Rudolphum: *Dilecto filio nobili Viro, Rudolpho Duci Bavariæ. Gevvold. de Sacr. Imp. Septemv. cap. 6.* Et Leo X. *Nobili viro, Ludovico Comiti Palatino, Sacri Romani Imperii Electori. Freher. in Ep. respons. de Elect. Rom. Imp. Comitiv. Palat. Rhen. antiq. annex.* Paulus quoque V. Papa in epistola gratulatoria de victoria Pragensi, sub dato Romæ 3. Decembr. anno 1620. Bavariæ Ducem Maximilianum, non alio quàm hoc affatur titulo: *Dilecto filio Nobili Viro Maximiliano Duci Bavariæ, &c. Dilecte fili, Nobilis vir*: ut refert **Reinking.** *d. regim. Secul. & Ecclesiast. lib. 1. Class. V. cap. 11. num. 9.* Narrat tamen Chythræus Saxoniæ *lib. 20.* literas hoc titulo inscriptas anno 1561. ab Imperii Principibus, ne dignitatum ordines confunderentur, nuncio Pontificio non resignatas redditas esse. Doctiss. Freherus nihilominus anno 1591. Electorem suum Fridericum IV. dum ei inscribit tractatum de Existimatione, Illustrissimum & Nobilissimum appellat. Habet autem Curia Romana in titulorum distributione aliquid præcipui, & maximè ab aliis diversum; Ita Papam, Reges Charissimos filios, reliquos verò Principes dilectos filios appellare, notat *Ludov. Rudolph. d. Sabloneta, tract. d. Orig. dign. & potest. Duc. Ital. n. 337. p. m. 85.* Cardinales verò & Episcopos fratrum nomine salutare ipsi solenne esse solet, videsis *Bernard. Ferrar. lib. 3. Ep. Ecclesiastica gener. cap. 1.* In aula verò Saxonica stylum Curiæ ferre, ut Barones saltem eo titulo decorentur, notat Carpz. *ad L. Reg. cap. 3. sect. 13.*

IV. In Gallia quid per vocem Nobilis intelligatur, nemo melius explicat *Gabr. Barth. Grammon. Histor. Gall. lib. 3. Scire opus*, inquit ille, *vocari apud Gallos nullo adjecto, Nobiles eos, qui arma tractant, nempe, si prosapia valent, illorum ordo nobilitas dicitur: Clero & Parlamentis ad-*

scri-

ſcripti, & ſi ſunt natalibus nobiles, plerumque, deſignantur ab ordine quisque ſuo: ſic cum de militaribus viris quæritur nobilitatem, cum de togatis, ſi ſuprema illis jurisdictio eſt, Parlamenta, cum de reliquis ordinib. populum dicimus. Confer *Limn. in Notitia regni Franciæ lib. 4. cap. 1. Loyſeau de ordinibus c. 4. n. 28. & ſeqq.* Nos hic loci ſpecialiter & propriè accipimus pro iis, qui vel natalibus, aut ſpeciali conceſſione nobilitatem nacti & plebejorum numero ſunt exempti.

V. Qui Latinis nobiles ſunt, ii diverſis nominibus aliis Gentibus appellantur. Hebræi אצילים Atſilim vocant, *quod Sanctes Pagninus in theſauro reddit ſelectos,* quaſi à plebe ſeparatos admonere velit. Vocantur iidem & aliquando חורים Chorim, à radice Chur, qua ex *Reuchlini mente* colorem album, hyacinthinum, aëreum vel carbaſinum, ut vocant, indigitari ſcribit *Buxtorfius*, quòd iis coloribus priſcis temporibus ornati legantur Orientales Nobiles: etiam in ſcriptura, ubi id de Joſepho & Mardochæo tradi notant Interpp. Græcis generali vocis uſu eſt γνώριμος ac ἐπιφανής etiam, de quibus vide *Bodin de Republ. lib. 3. c. 8. n. 352.* ἐπίσημον quoque ad amuſſim deſignare nobilitatem notat illuſtris *Scaliger, lib. 3. de arte Poetica, c. 110.* Qui verò Græcis ſunt εὐγενεῖς, ii ex nativitate nobilitatem repetere videntur *Bodin. dict. l. Perionius Comment. in Eth. ad Nicomach. c. 11. Tholoſan. d. Republ. l. 4. c. 2. ſect. 1.* Romana poſteriorum ſeculorum lingua Miniſteriales vocantur, *Bignon. in not. ad Marculph. Formul. p. 627. Lehman. Chronic. Spirenſ. lib. 2. c. 19. Beſold. Theſauro practico. voce* Adel & Edelknecht/ ſervi Principis, *ex Lindebrog in gloſſ. verbo* Adelſchalck *dicta voce* Adel/ *apud Beſold.* ac in antiquis, quarto abhinc ſeculo conceptis urbium inferioris Germaniæ privilegiis, Famuli, ad morem rudis & Barbari ſeculi, qui ita Germanicum Knecht/ quo hodieque Nobiles in privilegiis Imporatorum aliquando deſignantur, reddidit. *Beſold. Diſſert. de jure & ordine Civium, cap. 9. num. 7.* etiam milites appellari tradit, quod proprium nobilium ſit, pro patria pugnare. Galli nobiles vocant Gentilshomnes, Hiſpani Hydalgos, Ægyptii Mammelucos, Indi Nairos, ex *Prucmanno Nolden de ſtat. Nob. cap. 1. num. 5.* Angli Wallos ex aliis *d. lib. Nolden.* Germanis antiquioribus inprimis audiunt Adelſchalck / Edelknecht / Knechte des Reichs

Wepeling / *Besold. thes. Pract. de voce* Adel / Degen *ex Goldasto ad Paraenet. f. 364. Besold. thesaur. pract. voce* Edelknecht / Item Schufft id ab Hebræo Schuphtim, quomodo judicem illos appellare ait, derivatum credit *Nolden. d. cap. 1. n. 2.* quod vocabulum licèt hodie ignominiam quandam sapiat, olim tamen honestum fuisse, non adeò ignotum esse potest. Neque enim novum est, pro varietate temporum & vocum variare significationem. Sic olim inter Tyrannum & Regem parùm intererat, nisi quòd Reges vocabant, qui potestate & nomine tales erant: Tyrannos verò qui vim haberent Imperii, non nomen, *Cornelius Nepos in Miltiade sub fin.* Hodie verò tales cluent, qui non jure ac legibus æquis, sed vi & libidine animi dominantur. Non ita obvium est, vocem lenonis, etiam de re honesta esse usurpatam; idem enim olim fuit, quod legatus, fecialis, sive ut explicat *Glossarium quoddam, qui Italis Ambassador, Justinus lib. 2. cap. 3. Primus Scythis bellum indixit Sesostris Rex Ægypti, missis primò lenonibus, qui hostibus parendi legem indicerent,* Ast quis nescit, hodie flagitii propudiique ministros, hoc nomine insigniri.

VI. Hodiernis temporibus, appallantur primò Juncker quasi Junge Herrn / quæ denominatio olim Ducibus, Principibus & Comitibus tributa fuit, ut apparet ex *Diplomatibus Ducum Brunsuicensium de anno* 1374. Ubi ita legitur: We Junckherren Frederick / Berndt / Henrick / und Otto / Bröder / von der Gnade Godes / Hertoge tho Brunschwig und tho Lüneburg. Sic *in literis quibusdam*, quas Reversales appellant, *Senatus Brunsuicensis de anno* 1400. legitur: Wir der Raht der Statt Brunschwig / bekennen / daß uns de Hochgeborne Fürste / Juncker Otto / Hertog tho Braunschweig / unse leve gnädige Juncker / rc. ac mox insequentibus: unser Herr genante Juncker von Brunschwig / & alibi in actis der Statt-Brunschwig contra Braunschweig. Testatur quoque *Cyriacus* Spangenberg / *lib. 5.* der Hennebergischen Chronick / *cap. 13. p.* 200. se vidisse antiquum instrumentum, in quo Regis Daniæ filius subnotarit, Junckher Otto von Dennemarck / Ita quoque ex Epitaphio quodam vetusto, *Reineccius* in tractatu von des Adels anfänglichen Herkommen. fol. 60. der Edle wolgeborne Junckher / Junckher Bernhard / Edler

Herr

Herr zu der Lippe / ꝛc. Idque nomen Nobiles demum ſibi attribuêre: & tamen ab eodem, multis jam in locis, abhorrere incipiunt: Dein quoque patrio ſermone vocamus, Edelleut / oder die Edlen. Notari tamen hic velim titulum Edle Herren quibusdam in Imperio Romano ſpecialiter competere, quales ſunt: Die Edle Herrn zu Heldrung / Edle Herr zu Lipp. Edle Herrn zu Spiegelberg / Edle Herrn zu Budlitz / Edle Herrn zu Diepfholtz / Edle Herrn von Wartemberg / ꝛc. Non raro quoque comprehenduntur Nobiles ſub vocabulo der Ritterſchafft / ſumpto vocabulo in generali ſignificatione R. A. *de anno* 1555. und in ſolchem Frieden. in ſpeciali verò ſignificatione, Eques gradu Nobilem ſuperat. Königliche Satzung zu Worms / *de an.* 1495. *tit.* von Einnam der Aufflag. ibi. Herrn / Ritter / Edelmañ.

VII. Nobilitatem hanc, alii alio modo definiunt, vel deſcribunt, prout quisque ejus vocis uſum, vel ad plura extendit, vel ſtrictiori ſignificatione uſurpandam exiſtimat. Charron, Gallus & recens ſcriptor *Hiſtoriæ univerſ. cap.* 105. *pag.* 732. *&* 733. eam ex aliis in tres ſpecies diſtinguit; Naturalem, Spiritualem, & Civilem: ut Naturalis ſit, illa, quâ Angeli homines, hi beſtias, bruta plantas ſuperant: Spiritualis, illa, quæ ex virtute & ſcientia ſolis conſtat: Civilis, quæ additos virtuti habet nobiliores natales, vel Principis, qui è plebe ſingulari modo exemptum cupit aliquem, autoritatem. Juriſconſulti veteres nonnulli ſecuti Bartholum, diverſas nobilitatis ſpecies, in Supernaturalem, Naturalem & Civilem dividunt. E Patribus *Gregor Nazianzenus* in Divinam, Virtutis, & Sanguinis Nobilitatem dirimit. Apud *Ariſt.* 4. *Polit.* 410. in quatuor diſpeſcitur ſpecies, eam quæ ex divitiis, ſanguine, virtute, ſcientia oritur; in quem locum vide quæ eleganter more ſuo commentatur doctiſſimus *Piccartus*, Academiæ Noricæ, quæ eſt Altorffi, olim Profeſſor celeberrimus. Et qui pauciora Nobilitatis nomine complectuntur, ii, quid ſit quod hoc nomine appellari volunt, non bene conveniunt. Unde *Bodin, de Republ. lib.* 3. *cap.* 8. *n.* 350. *Nunquam potuit*, ait, *una popularis omnibus conveniens definitio Nobilitatis afferri*, quem ſequuntur Gottfr. Anton. *diſp. feud.* 2. *th.* 4. *lit. g.* Heigius *part.* 1 *quæſt.* 2. *num.* 63. Cæterum illi, quam naturalem ex aliis appellat Charron, locus eſt ſaltem inter ea, quæ ſpecie differunt: quales

cùm homines non ſint, nil mirum eſt ei, hic nullum relinqui locum. Et quæ ex virtute ſola oritur, ac aliis Philoſophica dicitur, eam majoris æſtimari apud Philoſophos quàm Politicos, ac pretium ejus omne una ferè animi tranquillitate conſtare, ex re & vero ſcribit Bret. de Maj. Reg. *lib. 2. cap. 7. p. 212.* Divitias autem nobilitare, quamvis præter Ariſtotelem, Euripides quoque ac pauci alii crediderint, ſecus tamen eſſe, & uſus; & ſcriptorum loci infiniti, ac ipſi Impp. *Honorius & Theodoſius* oſtendunt, qui divites nobilibus opponunt, *in l. 3. C. de Commerciis & Mercat.* de qua quæſtione conſuli meretur Tiraquellus *de Nobil. cap. 3.* Videtur autem quæ reſtat Nobilitas, definiri vel ſaltem deſcribi poſſe, quòd ſit *dignitatis, in Republica gradus eminentior, qua quis ab eo vel illis, qui conferendi jus vel per ſe vel ex communicatione aliorum habent, plebeja conditione legitimè eximitur, & præclaris privilegiis ornatur.* Henr. Gornelius Agrippa ab Nettesheim, *libro de vanitate omnium ſcientiarum & artium, cap. 80.* ineptè Nobilitatem nihil aliud eſſe, ait, quàm robuſtam improbitatem atque dignitatem, nec niſi ſcelere quæſitam benedictionem & hæreditatem peſſimorum filiorum. Sed vana eſſe quæ ſcribit vel ſolo titulo libri ſui prodit, nec ullum eſt adeò vitæ genus, quod non arrodat canis ille, qui nec Theologiæ Propheticæ, nec ipſi Dei verbo, impio libro ſuo parcit: nec opus valde eſt hæc confutare, cùm inepta adeò ſint, ut recenſere ſolùm, hoc jam ſit refellere.

VIII. Confert autem hanc in noſtro Imperio Imperator, cùm ab eo tanquam à fonte omnes omnium dignitatum rivuli profluant: unde & ipſe vocatur, **ein Pflantzer und Handhaber des Adels:** *Goldaſt.* **in Reichsſatzungen** / *part. 1. pag. 284. num. 8.* Ita ut novi iſti homines ad ludos equeſtres, & Canonica collegia admitti poſſint, cùm honor ſit, circa quem Imperatorem diſpenſare poſſe credimus, modò privilegio nobilitatis hæc clauſula inſerta ſit, **Allermaſſen und geſtalt / als ob ſie von ihren vier Ahnen Vatter und Mutter Geſchlechten beyderſeits recht Edel geborne Lehens/ Turniersgenoſſen und Rittermaſſige Leute gebohren wären** / vel ſimilis, **Lindenſpier** / *differt. de famil. orig. mut. &c. cap. 30. num.* 19. Stamlerus *in tract. de reſervatis Imper. §. 76. n. 5.*

IX. An

IX. An verò Rex Romanorum, qui vivo adhuc Imperatore, & ad clavum Imperii sedente, eligitur, noblitare possit, dubium fortè esset, ni diversi Recessus Imperii & Capitulationes ipsis præscriptæ, id nos docerent, sic namque legitur in *Recessu Augustano de Anno* 1548. §. Wiewol auch in der Ringerungs Handlung bedacht / daß die Grafen und Herrn / so künfftlich ihre dignität erlanget / sölten in recognitionem præeminentiæ, so sie von uns / und unserm freundlichen lieben Bruder dem Römischen König empfangen / rc. ita quoque in Capitulatione Ferdinandi III. *Artic.* 46. hæc leguntur: Wir sollen und wollen auch in fleissige Obacht nehmen / und verschaffen / daß die jenige expeditiones so in Gnaden und andern Sachen / insonderheit aber Diplomata über den Fürsten / Grafen und Herrnstand / auch Nobilitationes, Palatinaten / sampt andern privilegien und Freyheiten / welche wir als Römischer König / und künfftiger Kayser ertheilen werden. Adde Capitulationem Ferdinandi IV. *art.* 44. & novissimam hodierni Imperatoris Leopoldi, *art.* 44. Et extant utroque sermone Latino & Germanico formulæ literarum, quibus nobilitatem tam Imperatores quàm Reges Romanorum concesserunt, ut frustra sit, qui ea de re ultra dubitet. Quomodo verò hoc jus exerceat, propriâne vel Imperatoriâ authoritate, tam diu vix certum esse potest, quamdiu non convenit, an Regi Romano delegata, an ordinaria competat potestas, quam litem tamen non facimus nostram.

X. De Electorali Collegio, sunt, qui ex eo, quòd potestatem habeat Regem Romanorum, vel Imperatorem, (qui est Nobilissimus) eligendi, dignosci posse putant, summam illud nobilitatem conferre posse, *Dn. Limn. lib. 6. cap. 1. n.* 31. qua de re, quæ nostra sit sententia in conflictu explicabimus, ubi annon adhibita commoda distinctione accuratius res definiri possit, dispiciemus. Sacri verò Romani Imperii Provisoribus, seu, Vicariis, qui interregni tempore vices Imperatoris gerunt, ut alia multa, ita & hanc competere facultatem, persuasissimũ nobis est. Licèt enim hoc in A. B. tit. V. ubi Jura Vicariis competentia enarrantur, non inveniatur expressum, expressis tamen etiã non expressa, modò non specialiter fuerint excepta, comprehensa esse putamus. Multum sanè potestatis Vicariis his tribuit *Quirinus*

Cubach. libr. 2. Jurispr. publ. c. 30. cùm dicit, *extra casus exceptos in tantum Vicariorum potestatem æqualem esse cum Imperatoris potestate circa jura Imperii, ut illis etiam exercitium actuum Imperatori reservatorum competat.* vid. prolixius disputantem *Gerlac. Buxdorff. in dissert. ad 17. priora capita A. B. thes. 71. & seqq.* Et quantum specialiter jus hoc nobilitandi spectat, illud Comitem Palatinum Rheni Anno 1619. ut Vicarium exercuisse testatur *Stamlerus, tract. de reserv. Imperat. §. ult. num. 3.* ac constat de rei veritate etiam recentibus postremorum Vicariorum exemplis.

XI. Agendum jam de his cum quibus Imperator hoc reservatum communicavit. Nobilitare itaque hoc modo possunt. I. Rex Bohemiæ, in Bohemia scil. & provinciis eo spectantibus, quales sunt Moravia, Lusatia, Silesia, *Limn. de jure publ. lib. 6. cap. 1. num. 32.* Dein Archiduces Austriæ, non quidem in toto Imperio, ut vult Dan. Otto *in Disser. jurid. polit. de jure publ. Imp. Rom. cap. 11.* sed in suo solùm Archiducatu, per verba privilegii Archiducalis, **Auch diese und ihre Erben und Nachkommen in allen ihren Landen / Herrschafften und Gebieten.** NB. **als oben gemeldet ist / Grafen / Freyherrn / Ritterknecht / auch Düchsam und Verdiente von neuem Edel machen / etc.** III. Comes Palatinus Rheni, cujus eximiam facultatem non solùm Nobiles, sed etiam Comites creandi ab antiquo præscriptam, & diversis actibus comprobatam extra controvesiam esse testatur Freherus *in not. ad Petr. de Andlo, de Imp. Roman. German cap. 11. pag. 29.* Denique ab his ad titulares illos Comites Palatinos Nobilitatem conferendi potestatem descendisse, tradit Freherus *l. c.* qua in parte tamen calculum nostrum addere non possumus. Neque assentimur Vultejo *lib. 1. de feudis cap. 8. num. 10. §. ignobile. &* Nolden. *tract. de Nobilitat. cap. 2.* §. 18. cæterisque quos allegat *Nolden. d. l.* qui cuilibet Principi Imperii, jus illud Nobilitandi asserere conantur. Quamvis enim communis hodie sit regula, quòd in suis provinciis Principes nostri Imperatorem repræsentent, haud tamen illa catholica est, sed secundùm quid accipienda: nimirum non de juribus majestaticis, vel reservatis Imperatoris, sed juribus tantùm territorialibus & concessis, Magnificus Dominus Mylerus *de Princip. & Stat. Imp.*

Ro-

Romano Germ. c. 14. *n.* 10. *& ſeqq.* Reinking. *de Regim. ſecul. & Eccleſ. lib.*1. *Claſſ. V. cap.* 5. *num.* 16. *& pl. ſeqq.* Limnæus *de jure publ. lib.* 4. *c.* 8. *num.* 7. *& ſeqq.* Et vel indè hæc ſententia erroris convincitur, quòd exempli gratia, nullum eſſet Archiducum privilegium, ſi quivis Princeps jus hoc nobilitandi exercere poſſet, *arg. l. un. C. de theſauris.* Optimè ſanè monet *Limnæus*, diſtinguendum eſſe inter honores & Nobilitatem: *honores quidem, qui quàm proximè ad nobilitatis accedant faciem & analogiam: at nobilitatem non tribuere, lib.* 6. *jur. publ. c.*1. *num.*46. vid. omnino Dn. Mylerum in egregio opere additionum ad diſſertationes Rümelianas, *part.* 3. *Diſſert.* 3. *theſ.* 4. *lit. C.* ubi autores hujus ſententiæ laudat præter clariſſimos Academiæ hujus Anteceſſores, Bocerum, Beſoldum, etiam Bodinum, Choppinum, Pfeilium, Sixtinum, Stephanum, Carpzovium, Theodorum Hoppinck, & Sinoldum cognomento Schutz.

XII. De aliis extra Imperium noſtrum, qui nullum agnoſcunt ſuperiorem, res ſatis expedita eſt. Ac ne de Papa quidem eſt, quod meritò dubitemus. Licet enim nonnulli ex eruditis & inter eos qui publici juris peritiſſimus ætate ſua meritò habitus eſt Marquardus Freherus *in Comment. ad donat. Ottanis III.* Pontifici Majeſtatem ſive ſummam poteſtatem penitus detrahant, argumenta tamen eorum tanti non ſunt, ut nos à ſententia dimoveant. Vide hanc ſententiam pluribus defenſam à Dn. Carpzovio *ad Leg. Reg. c.*13. *n.*17. *usque ad* 22. Conf. Dn. Ludwell. *ſynopſ. Feud. cap.* 13. *pag.* 325. *circa fin. & ſeqq.* Barclaium *de poteſt pag. c.* 1. *& ſeqq.*

XIII. De Regibus Hiſpaniæ, Galliæ, Daniæ, Poloniæ, &c. ut & liberis Rebuspublicis nullum credo ſuboriri poſſe dubium. Et qui id de ſingulis Europæ Regnorum Regibus aſſerant, collecti videri poſſunt apud Nolden. *cap.*2. §. 2. *num.*16. Poſſunt autem ii, quos diximus, etiam quando extra territorium commorantur, Nobilitatem conferre ſubdito. Nobilitare enim eſt actus voluntarius: qui autem actus ita voluntarii ſunt, ut contentioſis opponantur, ii etiam extra territorium exerceri poſſunt, *arg. l.* 2. *ff. de offic. Proconſ.* Steph. *de Nobilit. Civil. cap.* 5. *num.*39. *&* Tiraquel. *tom.*1. *cap.* 6. *num.* 26. id ideo fieri ajunt, quia hic actus ſit voluntariæ jurisdictionis, quæ ratio non ſatis

firmo

firmo talo nititur; neque enim jurisdictionis est nobilitare, sed ad regalia pertinet, & quidem majora, Sixtinus *de Regalibus, l. 1. c. 2. n. 36.* Vultejus de feud. *l. 1. c. 5. n. 7.* Rosenthal. *tract. de feud. c. 5. conclus. 2. num. 4. lit. l. ubi plures adducit* Bocerus de regalib. *cap. 2. num. 7.* & agnoscit sui oblitus ipse Steph. *dict. tract. & cap. num. 7.* ubi *absque dubio*, ait, *jus nobilitandi, vel Nobilitatio est de majoribus regalibus & reservatis Imperatoris.* vid. in simili Dn. Lauterbach/*tractat. de volunt. jurisdictio. ths. 42.* Negat quidem, quod diximus, nobilitandi jus ad majora regalia pertinere Nolden *de stat. Nobil. cap. 2. num.* 12. sed ex adductis ab ipso autoribus errore factum esse, quod negat, satis apparet, ii enim nostram hanc & veram sententiam sequuntur.

XIV. Subnectimus hic demum, quæstionem satis vexatam, An Nobilis in uno regno talis etiam esse debeat in altero regno? Affirmant plerique, eò, quòd Nobilitas sit dignitas homini inseparabiliter inhærens, eumque perpetuò concomitans. Verùm hanc rationem vacillare deprehendet, qui saltem æqua mente illam ponderabit: nam & jurisdictio authoritasve Magistratui inseparabiliter inhæret, nec tamen exinde sequitur, quòd qui Magistratum gerit, e. g. in Polonia, tali etiam polleat potestate in Dania. Quin potius hoc receptum est ex mutuo populorum consensu & quadam quasi patientiâ, propter communem necessitatem & utilitatem, Faber. *in Cod. lib. 9. tit. 28. c. 12. num. 6. & seqq.* Nam si Nobiles Germaniæ non essent Nobiles in Gallia vel Polonia, jure eveniret, ut Germani nec Gallos aut Polonos tales dici paterentur in Germania: cùm novum non sit, ut, quod quis juris in alterum statuit, ipse eodem jure uti cogatur. *tot. tit. ff. quod quis juris &c.* Hoc autem non impedit, quò minus de privilegiis, quæ Nobili ratione ejus loci, in quo Nobilitatem est consecutus, competunt, aliud dicendum esse statuamns; cùm pro nobis optima rerum magistra, quotidiana militet experientia.

XV. Dotes quæ nobilitato adesse debent, ne molestiâ lectori facessamus, saltem delibabimus. Virtutem hîc ac quidem civilem ac Reipublicæ ac vitæ Politicæ utilem requirimus. Unde meritò in Nobilitatem quæ hac destituitur, ludit Charron de La sagesse, *l. 1. c. 59. ex illo*

illo Oseæ *9. verſ.* 11. *Gloria illorum omnis à partu & ab utero & conceptu*, ſi à majoribus deſcendat; ſin ex Principis beneficio ſit, *c'eſt*, ait, *une nobleſſe en parchemin*, nobilitas illa cui virtus deeſt, membranacea eſt, pecunia, aut favore redempta. Bene Dux ille apud Poggium cuidam vita inculto à ſe nobilitatem petenti, reſpondiſſe fertur: *divitem te facillimè facere poſſum, Nobilem nunquam.* Tiraquell *de Nobil. cap. 6. num. 26. inſ.* Placet hic Marius, quem Saluſtius in *bello Jugurthino* ita loquentem introducit: *Comparate nunc Quirites, me hominem novum cum illorum ſuperbiâ; Quæ illi audire, & legere ſolent, eorum partem vidi, alia geſſi: quæ illi literis, ea ego didici militando. Nunc vos exiſtimate, facta an dicta pluris ſint: Contemnunt novitatem meam, ego illorum ignaviam: mihi fortuna, illis probra objectantur: quanquam ego naturam unam & communem exiſtimo omnium, ſed fortiſſimum quemque generoſiſſimum.*

XVI. Laudantur potiſſimum hoc nomine Turcæ, qui nullam in pretio habere dicuntur nobilitatem, niſi quam ipſa facta pepererunt, Petr. Bellon. *lib. 2. obſerv. cap. 96. Maxima illorum laus eſt, quando dicere poſſunt, parens meus fuit agricola vel operarius, vel pecoris paſtor; ego virtute, labore, & induſtriâ hunc mihi dignitatis gradum acquiſivi*, vid. Salomon Schweigger *lib. 2.* ſeiner Reiß. *cap. 48.* idem etiam refert Auger Busbequius, *epiſt. 1. Legat. Turcicæ.* Miramur hic Carolum V. quod Scribis, ſalis venditoribus & innumeris, dummodo 25. vel circiter aureos nummos ſolverent, nobilitatis honorem contulerit, ex Pet. Bellin. *de re milit. Dn. Limnæus lib. 6. cap. 1. num. 53.* Excuſari tamen is melius poteſt, quàm filius ipſius Philippus II. Hiſpaniæ Rex, qui id, quod virtutis eſt teſtimonium ſceleris præmium eſſe voluit. Nam jura Nobilitatis cum viginti quinque millibus coronatis annuis illis, qui Wilhelmum Principem Auriacum vel vivum ſiſtere, vel mortuum tradere poſſent, promiſit, *Meteran. lib. 16. hiſtor. ſub anno 1580.* adde Stradam. *Decad. prim. bell. Belg. libr. 6.* Merentur verò laudem Veneti, qui quamvis vendere hanc dignitatem nonnunquam ſoleant, ubi ad bellum gerendum nummis deſtituuntur, id tamen cautiſſimè faciunt; Si enim. e. gr. alter offerat mille, alter duo millia aureorum, dummodo iſte accommodatior videatur, præfer-

fertur etiam plura porrigenti, Marcus Zuerius Boxhorn. *in Instit. polit. lib. 1. cap. 8.*

XVII. Ergo solòm qui hoc honore dignus, meritò nobilitatur: idque vel *expreßè*, vel *tacitè*. *Expreßè*, quando per solennem actum, is qui potestatem nobilitandi habet, adhibitis ritibus aliquem Nobilem esse jubet; frequentius tamen hoc fit rescripto vel diplomate, modo, etiam priscis usitato, vid. *l. 1. C. Theodos. de Decur. urb. Rom.* Symmach. *lib. 10. epist. 18.* Hujusmodi diplomatis clausulam repræsentat nobis Daniel Otto *in Dissert. juridicopolitic. de jure publ. Imp. Rom. cap. 11.* **Und darum um solcher Redlichkeit / Adelichen guter Sitten / Tugend / und andern zu einer Anreitzung / nach gleichmässigen Ehren / Tugenden / Adel und Redlichkeit zustreben / so haben wir mit guter Vorbetrachtung / wolbedachtem Muht / guten zeitigen unser Edlen Rähte / und lieben getreuen / Raht und rechter wissen / auß Römischer / Kayserlicher / auch Hungarischer und Böhmischer Königlicher Macht und Vollkomenheit / gedachten N. N. sampt seinen Ehelichen Leibs-Erben / und deroselben Erbens Erben / Mann und Frauenpersonen zu ewigen Zeiten / in den Stand und Grad des Adels / unser und des H. Röm. Reichs / auch unser Königreichen / Fürstenthumen und Landen / recht von Edelgebohrnen / Wappens und Lehens / Turniersgenossen und Rittermässige Leute erhebt / darzu gewürdiget / geschöpfft / geadelt / und sie der Schaar / Gesellschafft / und Gemeinschafft des Adels zugefügt / zugestellt / und vergleichet / allermassen und gestalt / als ob sie von ihren vier Ahnen / Vatter und Mutter Geschlechten beederseits recht Edelgebohrne / Lehens / Turniersgenossen und Rittermässige Leut gebohren wären.** Et extat integra formula Latino idiomate apud Bertium *lib. 3. rerum Germ. cap. 2.* quâ Carolus V. Georgio Sabino & posteris nobilitatem confert, unde qui velit petere potest. Hæc imperatoris diplomata expediri debent in Imperio nostro **in der Reichs Cantzley** / in qua acta Imperii asservantur sub cura Moguntini Archicancellarii (unde & nonnunquam vocantur **die Maintzische Cantzley R. A. zu Regenspurg** de anno 1598. §. **Dabey**) ita ut diplomata apud aliam Cancellariam (quales sunt **die Böhmische und**

und Ertzhertzogliche Oesterreichische Hoff-Cantzleyen/Capit. Ferdinand. IV. art. 44.) quam illam collata, sint nullius momenti; & illa impetrantes, antequam data certa taxa confirmentur, nullibi tales habeantur. *Capit. Ferdinandi IV. & Leopold. noviss. art. 44.* quæ redemptio fieri debet intra tres à concessione menses proximos, sub pæna amissionis & ipso facto secutæ cassationis *d. cap.* Leopoldi, *art. 45.* In Gallia, idem, per codicillos Nobilitatem dandi modus, frequentatur, qui tamen, nisi à Magistris ratiociniorum Pariensibus comprobentur, *Freher. ad Pet. de Andlo, lib. 2. c. 11.* valere non dicuntur. Addit *Limnæus in annot. ad art. 46. Capit. Ferdinandi III.* eos approbari debere, tam in Camera computorum, propter deminutionem Juris Regii, quam in curia subsidiorum, propter exemptionem à contributionibus: ubi notat etiam, in majorem securitatem sæpius fieri, ut Nobilitatus literas illas in Parlamento approbari petat. vid. Loyseau de Ordinibus, *cap. 5. n. 54. & seqq.* & Limn. *in Not. Regn. Franciæ, lib. 4. cap. 1. lit. q.*

XVIII. Nobilitati ita collatæ à conferentibus certa quædam adjici solent signa vel indicia. Id præstabat apud Romanos anreus annulus, Quod probant cum alia, tum historia notabilis in hanc rem erroris exercitus Cæsariani, cujus memoriam Suetonio debemus in vita Cæsaris, *cap. 33. Existimatur*, ait ille, *etiam equestres census pollicitus singulis, quod accidit opinione falsâ: Nam cùm in alloquendo, exhortandoque sæpius digitum lævæ manus ostentans, affirmaret, se ad satisfaciendum omnibus, per quos dignitatem suam defensurus esset, annulum quoque æquo animo detracturum sibi, extrema concio, cui facilius erat videre concionantem quàm audire, pro dicto accepit, quod visu suspicabatur, promissumque jus annulorum cum millibus quadragenis fama distulit.* Clarius id exprimit *Florus*, inprimis Cannensem Nobilium Romanorum cladem recensens, *libr. 2. cap. 6. modii duo annulorum Carthaginem missi, dignitasque equestris taxata mensura.* Nobis tantundem valent insignia seu arma, Wappen/ Waffen. Solebant enim illa in armis, maximè verò in clypeis sculpi & depingi, Docet id nos *Virgil. lib. 7. Æneid.*

Clypeoque insigne paternum
Centum angues, cinctamque gerit serpentibus hydram.

Et erant hæc Nobilibus adeò propria, ut Nobilis und einer der Wappengenoß ist / pro Synonymis haberentur. Nullum hic in testimonium cito, cùm id alias ex documentis antiquis constet, præter Franciscum Guillimannum, *lib. 2. cap. 11. circa fin.* ubi significaturus Comitem aliquem, Brunonem de Lupsen, conquestum fuisse, quòd Johannes Comes de Lupsen concederet feuda ignobilibus, dicit illum dedisse hominibus ejusmodi, die nicht Wappensgenossen seyn / vel ut ab aliis exprimitur, die nicht zum Schild gebohren. Verùm temporibus in pejus ruentibus, ambitione inter privatos invalescente, inter superiores avaritia, cùm auro cunctæ dignitates venire inciperent, etiam argento, vilioribus insignia fuerunt facta venalia. Hinc Nobiles, galeas coronando, se à plebejis differre voluerunt, quod, cùm tandem etiam cum aliis communicatum, galeæ ab ipsis clatratim aperiri cæperunt, cùm viliores clausas illas gestarent. Hoc Lindenspür / *d. diss. cap. ult.* raro ante annum 1450. factum esse tradit; quin etiam, addit, adhuc ab anno 1468. extare sigillum quoddam Friderici III. ubi in circuitu circuli sint integra insignia dominiorum hæreditariorum, singulis tamen galeis clausis. Moribus nostris quid obtineat, notius est, quàm ut explicatione egeat. & consuli potest, qui rem integro & prolixo tractatu explicavit Theodorus Hoppinck, quem inscripsit de jure Insignium.

XIX. Satis de expresso nobilitandi genere. Tacitè confertur Nobilitas, cùm quispiam ipso jure & per necessariam consequentiam, nullâ antecedente expressa declaratione, lege ita disponente, Nobilitatis privilegia consequitur. Hoc modo is censetur Nobilis, qui à nobilitandi potestatem habente nobilibus præficitur muneribus. Romæ, postquam per legem Canulejam plebejis aditus ad honores antea obvallatus, patere incepit, Magistratibus curulibus Nobilitas posteritati acquirebatur. Hodie Imperatoris Consiliarios, ejusque aulici & Cameralis judicii Assessores, die Reichs Hoffrähte und Cammergerichts Beysitzer nobiles fieri Cæsareæ aulæ consuetudo & quotidiana testatur experientia. Pari modo in Gallia, Cancellarii Franciæ, Custodes sigillorum Regiorum, Consiliarii status, Secretari status, majores dignitates militares, justitiæ ac domus Regiæ nacti, eo ipso Nobiles fiunt,

fiunt, & posteris suis nobilitatem pariunt: quam acquirunt etiam, sed talem, quæ ad posteros non pertineat, qui Consiliarii sunt supremarum Curiarum, Thesaurarii generales Franciæ, Secretarii domus Regiæ, Capitanei & locum tenentes centuriæ militum: quod genus Nobilitatis, minus plenum, ad distinctionem alterius appellant. Limnæus *Not. Regni Franciæ, lib. 4. cap. 1. lit. x. usque ad lit. k. k. &c.* Absit tamen ut totam familiam aulicam Nobilitate clarere existimemus: debent enim munera aulica esse nobilia, ut effectum talem producere possint. Ridiculus hinc *Rudolphinus*, qui coquum & barbitonsorem eo ipso Nobiles esse censet, dummodo Imperatori vel Duci id servitii præstent. *Tract. de orig. Dignit. & potestat. Duc. Ital. n. 69.* Similiter risu is accipiendus erat, qui in Gallia, apud subsidiorum judices, Nobilitatis suæ originem deducturus, exinde se defendebat, quòd habuisset abavum culinæ regiæ mediastinum, *Limn. in annotat. ad Cap. Carol. V. artic. 13.* Tale quoque est, quod nonnulli nobilem ajunt, quæ Imperatori vel Regi ubera præbuerit. Faber *Cod. lib. 9. tit. 29. def. 21.*

XX. Deinde nobilitatur tacitè fæmina plebejæ conditionis, si viro nubat Nobili. *Fæminæ*, inquit *Ulpianus*, *nuptæ clarissimis personis clarissimarum personarum appellatione censentur. l. 8. ff. de Senator. vid. l. 5. ff. de Curator. fur.* Etenim uxor mariti coruscat radiis & privilegiis, ejusque generis Nobilitas ac familiæ splendor à viris dependere putatur. Quid verò, si quis investiatur de feudo nobili, an & is Nobilitatis jura consequatur? res inter feudistas controversa est: nos litem jam nostram non facimus; Hoc tamen dici posse videtur, quòd licèt concessio Nobilitatis debeat fieri à nobilitate, cuidam, quem ille nobilem esse vult, modus tamen concedendi, possit fieri per rei interventum, ita, ut secundum voluntatem conferentis is Nobilis fiat, cui hæc vel illa res in feudum est concessa. Ea certè fuit mens illorum, qui cùm ex indulgentia Principum, nobilium feuda & prædia possiderent, ea possessione etiam nobilitatem sibi vindicare non timebant: Guillimannus de rebus Helv. *libr. 2. cap. 11. in fine.* Alioquin non necessariò, etiam cum majoribus feudis, semper dignitas hæc transit, quod matriculæ & subscriptiones Recessuum ostendunt, ubi non raro legitur,

N. Einhaber der Graffschafft N. Einhaber der Herrschafft N. Qui plura de hac quæstione legere desiderat, adeat Petr. Frize *in conclus. de Nobil. civ. concl. 6.* Magnificum Dn. Mylerum, *in addit. ad Dissert. Rumelianas, part. 3. dissert. 3, th. 7.* ac Feudorum scriptores ferè omnes. Plures sunt modi, quibus Doctores tacitè nobilitandi vim inesse statuunt: ac inter eos ille quoque, quando in Academia per Doctorum collegium Doctoratus vel Licentiæ honores alicui conferuntur, vid. Schütz. de stat. rei Romanæ, *vol. 1. Disput. 9. thes. 4. lit. c.* Steph. de Nobilit. *lib. 2. per tot.* Verùm nos brevitati studemus. Unum tamen adhuc addimus, Gallis solennem: constitutum enim est Edicto Barleducensi, decretis Reginæ atque sententia Curiæ anno 1602, ut præscriptione quadraginta annorum etiam nobilitas acquiri possit, Limnæus *id addit. ad lib. 6. Jurispl. c. 1. n. 54.* quæ nobilitandi ratio successit in locum sublatæ tum alterius, per Feudi nobilis acquisitionem. Unde hodie tres modos esse acquirendæ in Gallia Nobilitatis scribit celeberrimus Galliæ JCtus, Claudius Expylli *plaidoyé 1. p. 3.* Primum, per Principis concessionem, quando alicui literas nobilitatis largitur: secundum, quando Rex aliquem ad munus promovet, cui nobilitas inhæret: tertium, per præscriptionem quadragenariam.

XXI. Ab hac nobilitate, quæ expresse vel tacitè confertur, distinguunt nonnulli aliã Nobilitatem, quam ad posteros transmitti volunt. Nempe existimant, quando illi, cui collata est Nobilitas, ita tributa est, ut etiam filii & posteri hac dignitate emineant, tum ipsam transferri, & quidem hæreditario velut jure. *Tanta*, verba sunt Sinibaldi Ubaldi (vero nomine, est Hyppolithus à Collibus) de Nobilitate *axiom. 28. Nobilitatis vis est, ut quamvis ejus sit propria, à quo manat, egressa tamen mortalitatis fines, non cum homine intereat, cujus est vita angustis finibus circumscripta, sed ad posteros transmittatur.* Cæterum, quamvis negari non possit, regulariter, qui nobilitantur, eos ita nobilitari, ut etiam prognati ex illis liberi & posteri nobiles sint: id tamen haud concedendum putamus, beneficium hoc illos consequi jure successionis, aut per modum transmissionis, ut realia privilegia, sed immediatè ex ipsa concedentis voluntate. Etenim privilegium Nobilitatis, quod habent liberi, quamvis specie non differat, numero tamen idem non est, cum eo quod defun-

functus parens habuit, & cum ipsius persona extinctum est. Er sunt hæc privilegia ob certam personæ inhærentem conditionem concessa, adeoque personalia, *arg. l. 68. ff. de Reg. Jur.* Nec quilibet hæres, qui nobili succedit, nobilis fit, quod fieret tamen, si reale esset hoc beneficium *l. 196. de Reg. Jur.* Adde, quod jam tum, vivo patre, filius nobilis est, adeoque privilegio hoc non demum jure hæreditario gaudet, qua de re acutissimè disserentem, Dn. Lauterbachium Disput. de Beneficio Competentiæ, *thes.* 7. consulere potest, qui plura velit.

XXII. Quando autem eo modo, quo diximus, beneficium Nobilitatis conceditur, ut liberi & posteri etiam Nobiles declarentur, sufficit, si quis ex patre generetur nobili: cùm vir nobilis uxori ignobili Nobilitatem tribuat, ut supra probatum dedimus. Ita Polonos Nobilitatem ex solo patre æstimare, tradit Arnisæus *in doctr. Polit. cap. 6.* Clariores tamen & illustriores credimus esse liberos, si tam ex matre quàm patre generosa ipsis accedat Nobilitas, ut dicere possint, quod ille apud Poëtam.

Est quoque per matrem Cyllenonem addita nobis
altera Nobilitas

Et hi solent vocari, **vollbürtige Ritterleut / die ihre Ahnen mit Schild und Helm beweisen können.** Quin fuerunt olim gentes, ubi originem matris ac Nobilitatem sequerentur filii, ac indè vel solùm vel præcipuè æstimarentur: quod probat de Iliensibus, Delphis, & Ponticis, elegans Ulpiani locus in *l. 1. ff. ad Municipalem*, ex quo eodem patet, falli doctissimum Bodinum, qui idem etiam de Cappadociæ incolis verum existimat, *lib. 1. de Republ. cap. 3. num 19.* De Xanthiis tamen (Lyciorum populo) illud ex Heraclidis Politicis prodit Plutarchus *lib. de claris mulieribus, cap. 9.* quod Herodotus etiam *lib. 1. Historiæ* de Lyciis in universum asserit. Sed & hodieque in Galliæ locis nonnullis, Campaniæ inprimis, simile quid observari testatur Petrus Gregorius Tholosanus *de Republ. lib. 7. cap. 11. n. 90.* post Bodinum *alleg. loc.* Et ne in Gallia solùm id alicubi receptum quis existimet, *Septem*, ait, de Lovanio, in descriptione ejus Lipsius, *Familiæ primariæ sunt, quibus jus etiam est, ut Nobilitatem per fœminas transmittant.*

XXIII. Diximus ad descendentes nobilitatem pertinere: idque

in

in infinitum obtinet, ſecus ac apud Turcas, quorum moribus Nobilitas ſolùm usque ad pronepotes durat: nam illi ac poſteri deinceps ipſis ignobiles habentur, niſi ſua virtute ac rerum geſtarum gloriâ dignitatem avorum tueantur, Bodinus *de Republ. lib. 1. cap. 5. num. 43.* Intelligimus autem deſcendentes legitimè natos: adeòque excludimus nothos ac ſpurios, *arg. l. 19. ff. de ſtat. homin.* cùm viles quodammodo & macula notati exiſtant: *Sordes enim inter præcipuos numerari non merentur. arg. l. 7. C. de inceſt. nupt.* Unde etiam uti inſignibus familiæ nequeunt, poſt Chaſſaneum *Cat. Glor. mund. part. 1. conſ. 38.* Decianum *Reſp.* 31. *num. 9 2. vol.* 2. Guidonem Papæ, *deciſ. 580. n. 2.* Fr. Marcum, Peregrinum & alios, Limnæus *de Jure publ. lib. 6. cap. 6. num. 16.* niſi id peculiariter uſu regionis receptum ſit, ut liceat: quod de Gallia ex Boerio d. l. notat Limnæus, ita tamen ut inſignia hæc à legitimis eos hac ratione diſtinguant, quòd linea per medium ſcuti à ſiniſtro latere ducatur, quam barram vocant d. l. Limnæus. Et quamvis in dicto Franciæ regno Doctores plurimi, ac ferè omnes, interque eos Chaſſanæus, Guido Papæ, Boerius, Imbertus, Rebuffus, perſuaſum habeant, ſpurios Nobilium immunes eſſe à ſubſidiis (exempts de tailles) generali regni conſuetudine: verius tamen eſſe contrarium *ex articulo 46. Ordinat. de anno 1600.* ſcribit Loyſeau de Ordinib. *cap. 5.* Ac ſi vel maximè, quomodo illi tradunt, ita ſe res haberet, non tamen conſequeretur inde, in eos tranſire Nobilitatem. Unde Bret. de Majeſtate Regis *lib. 2. cap. 9. p. 243. Regula generalis hæc haberi poteſt*, ait, *Naturales liberos Nobilium, niſi à Rege nobilitati ſint, eſſe plebejos*: addit tamen, Naturales Regis eſſe Principes (ſont Princes) Principum Dynaſtas (Seigneurs) Dynaſtarum verò Nobiles. Quod an ubique obtineat? juſta nobis eſſe videtur dubitandi cauſa.

XXIV. De ignobilibus à nobilibus adoptatis ita habendum, quòd licèt olim dignitas familiæ à nudo jure civili dependens per adoptionem fuerit quæſita, *l. 13. l. 35. ff. de Adoptionib. l. 5. 6. 10. ff. de Senatorib.* hodie tamen plebejus adoptatus à nobili per adoptionem non conſequatur nobilitatem, quia hæc pertinet tantùm ad procreatos ex ſanguine ejus, cui collata nobilitas: nec poteſt hujus collatio à voluntate adoptantis & adoptati hujusve patris, ſi quem habeat, depen-

pendere; cùm solius Imperatoris sit, per se jus hoc nobilitandi exercere in Imperio nostro.

XXV. Non sunt autem unius generis Nobiles omnes, sed pro diversitate gentium divetsimodè distinguuntur. Et Romanos quidem Nobiles suos distinxisse, docet nos *Seneca de Consol. ad Polyb. cap. 36. Quamvis*, inquit, *in aliis rebus dignitatum ac Nobilitatum magna discrimina sint, virtus in medio posita est, neminem dedignatur, qui modo se dignum illa judicat*. Erat quippe Nobilitas alia patricia, alia plebeja. Patricii erant, qui ex patribus sive primis Senatoribus, quos legerar Romulus, nati, ducebant genus. *Patres ab honore, Patricii qui progenies eorum, appellati*, inquit *Liv. lib. 1. cap. 8.* Distingui & ipsi cæperunt in Patricios majorum gentium; nam quos Romulus legerat, majorum gentium vocati sunt; quos verò centum addiderat Tarquinius, ex plebeja multitudine, minorum gentium sunt vocitati, vid. *Liv. lib. 1. cap. 35. & 47. Cicer. lib. 9. Epist. fam. epist. 21.* Plebeja Nobilitas alia fuit novorum hominum, alia Nobilium natorum: illi dicebantur, qui nullos claros majores habuerant, qui ipsi primi lucem generi suo iutulerant & publica munera & dignitates erant consecuti; hinc Nobiles & novi sibi opponuntur. Sic *Cicero lib. 5. Epist. famil. epist. 18. plus tibi virtus tua dedit, quàm fortuna abstulit, propterea quod adeptus es, quod non multi homines novi: amisisti, quod plurimi homines nobilissimi.* Idem *in Verr. 7. Videmus quanta sit invidia apud quosdam homines Nobiles, novorum hominum virtus & industria.* Hinc nova Nobilitas dicitur *Salustio in Orat. Marii. Sed quia imagines non habeo, quid mihi nova nobilitas? quam certè peperisse, quam acceptam corrupisse melius est.* De Nobilibus natis vide thes. 2. Hispani Nobiles suos dividunt in illos, qui sunt inferioris subsellii, quales sunt Hydalgi, & altioris dignitatis Cavaleros, quales ipsis sunt Varrones sive Vicontes, Condes, Marquoez, Duquoes, tandem Los Grandes: quorum ultimorum tanta est dignitas, ut Regem adeuntes & alloquentes, tecto semper sint capite, Golniz. *lib. 2. Compend. Geograph. p. 3.* In Gallia quotuplex sit Nobilitas, docet nos Gram. *lib. 2. hist. Gallis nobilitatem*, inquit, *dividere moris est in duos gradus; quæ proximè Regi decedit, prima Nobilitas dicur: proximè verò accedit, quæ per regiam munificentiam aucta est*

ab omni ævo. Secundi gradus nobilitas est, quæ ex propriis reditibus parcè & privatim agit, non vacans commercio, quale exercent mercatores, vile in Gallia hominum genus.

XXVI. In Imperio nostro Romano Germanico, (cujus Nobiles, quòd eorum privilegia à maximo Christiani orbis Principe procedant, atque, quòd à commerciis, magis etiam quàm aliarum regionum Nobiles, abstineant, reliquis meritò præferuntur; confer Trajan. Boccalini, *Parnass. libr. 2. cap. 8.*) alii sunt *Immediati, alii Mediati.* Immediati sunt, qui Imperatori & Imperio ita parent, ut alium statum pro domino aut Magistratu non agnoscant, die ohne Mittel der Kayserl. Majest. und dem Reich unterworffen / R. A. zu Augspurg / de anno 1555. §. und in solchem Frieden. Distinguuntur autem hi ratione loci in tres classes, Suevicam, Franconicam, & Rhenanam, R. A. de anno 1542. §. demnach haben wir / 2c. E quibus reliquas dignitate superat Suevica, Zeiler / in Continuat. Itinerarii Germanici, *c. 3. p. 49. num.* 13. Limn. in add. prioribus, *ad lib. 6. c. 3. n. 34.* Ea dividitur in quinq; loca, die fünff Theil / Zeiler / d.l. Olim plerumque vocabantur die fünff Viertheil / adhuc in Renovatione Ferdinandi II. confirmat: privilegii, wider der Juden wucherliche Contract de anno 1620. §. So haben wir demnach / & ita hedieque appellat Kreydemann in eleganti libello Germanico, anno 1646. hic typis excuso, cui nomen fecit von des Teutschen Adels / sonderlich der freyen Reichs Ritterschaft in Schwaben / Statt uñ Stand / 2c. *quæst.* 10. *n. 6.* sunt autem hæc quæ sequuntur 1. an der Thonau / 2. im Hegau / Algau / Bodensee. 3. Necker / Schwartzwald und Ortenau. 4. am Cocher / und 5. am Kreichgau. Kreid. *dict. quæst.* 10. *n. 6.*

XXVII. Post Suevicam sequitur Franconica, quæ incipit zu Franckfurt am Mayn / hinunter auff dem Vogelsberg / nach dem Knoll / zu dem Sollingswald / an die Werra / dann disseits solches Flusses an dem Thüringer und Böhmer Wald herum / hinter dem Nortgau her / bis an das Hertfeld / und herwerts des Kochers die Jaxt hinab dem Necker zu / gegen Wimpffen / von dannen nach Aschaffenburg / uñ also den Mayn hinunter / bis wieder in Franckfurt / ut habent verba privilegiorum Cæsareorũ Nobilitati huic concesso-

cessorum, quæ extant apud Limnæum *dict. lib. 6. cap. 3.* Dividuntur in sex loca, sechs Viertheil/ ut vocat Kreidemannus d. l. 1. Ottenwald/ 2. Gebürg/ 3. Rona und Werra/ 4. Baunach/ 5. Steygerwald/ apud Limnæum d. lib. *cap. 3. n. 46.* est Steygwald/ vitiose, ut videtur, 6. Altmühl. Quemadmodum hæc locorum appellatio (in quâ alioquin Doctors variant, ut videre est apud Limnæum & Kreidemannum *d. l.*) legitur in Ordinatione Franconicæ Nobilitatis *part. 2. tit. 1.* Et demum Rhenana, cujus districtum determinat privilegium Rudolfi II. betreffend die Wildfuhren de anno 1605. quod est apud Limnæum *d. cap. 3.* daß es seinen Anfang am Hagenauer Forst gehabt/ und sich auff selbiger Seiten des Rheinstroms biß an das Ertzstifft Cöln erstrecke/ auff der andern Seiten aber des Rheins/ des Orts gegen Mayntz über/ da der Mayn in den Rhein fleusst/ anfahend/ und daselbst an dem Mayn hinauff biß gen Aschaffenburg/ von dannen widerum auff Gelnhausen/ folgends hinüber auff den Lohnstrom/ von da auff beeden Seiten den Westerwald hinab/ biß an das Land zu Bergen gehe. Eam dividit Limnæus, *in add. ad cap. 3. lib. 6. n. 58.* in drey Landschaffts Ort/ 1. Gau und Waßgau/ 2. Wetterau/ Westerwald/ Rheingau/ 3. Nieder Rheinstrom/ Hundsruck/ Eberswald. Kreideman paulo aliter *dict. tract. & loc.* in Rhenanam in specie sic dictam, & Wetteravicam distinguit.

XXVIII. De Nobilibus Alsaticis res omnino expedita non est. *In Alsatia quoque Nobiles (qui semet vocant* Gefreyte Landsassen) *Immediatos reperiri*, verba sunt Noldenii de statu Nobilium, *cap. 16. thes. 2. nisi sub Rhenano circulo comprehendantur, non facile crediderim.* Eos interim immediatos esse agnoscit Hertzog *in Chron. Alsatiæ, lib. 6. cap. 3.* Limnæus *lib. 6. cap. 3. n. 3.* Casper. Lerch. *de Ordine Equestri fund. 2. summ. 53. & seqq.* Hyppolythus à Treißbach/ im unverreifflichen Bedencken/ über etliche Fragen der Reichs Ritterschafft Stand und Session betreffend/ ac apud eum pag. 253. reliquarum Classium Nobiles Immediati, in conventu, (dem Correspondentz Tag) zu Eßlingen/ de anno 1610. 5. Maji. Et dubitationem excludere videtur, quod tales esse dicuntur, in privilegiis ipsis à Carolo V. Maximilia-

liano Matthia & Ferdinando II. concessis in princip. ibi, unser und des Reichs liebe Getreue/die gefreyte Ritterschafft und Adel im Elsaß. Id minus in promptu est, an ad aliquam è tribus superioribus classibus pertineant, an verò separatum corpus constituant? Caspar Lerch/allegato loco, se reperire ait, quòd in Tornea mentis inter Rhenanos multi Alsaticæ Nobilitatis olim numerati fuerint: quare illos partem Rhenanæ Nobilitatis constituere existimat und seynd derentwegen / verba ipsius sunt, (salvis tamen ipsorum documentis certioribus) nicht unbillich vor ein besonders Reichs Ritterlich Rheinisch membrum oder Ritterorth zu halten. Hypolithus m. à Treißbach/ contrarium scribit, hanc Nobilitatem non contineri tribus illis classibus, Suevica, Franconica, & Rhenana, quod apparuisse, ait, in conventu Eslingensi, ubi cùm Legati Alsaticæ Nobilitatis admitti ad deliberationem peterent, neque vellent se addere alicui ex tribus classibus ante memoratis, sed animadverteretur eos separato à reliquis corpore negotia sua expedire velle, tum quidem hac ratione, ut quartam classem constituerent, non admissos fuisse. Addit autem, promisisse reliquarum classium Nobiles, fore, ut si quid ibi concluderetur, quod ex re communi Imperii Nobilitatis esset, id ipsis etiam, quantum quidem fieri possit, communicaretur.

XXIX. Id silentio minimè prætereundum, non omnes Nobiles, qui incolunt terras, quas classibus tribus immediatorum Nobilium, & Alsaticæ etiam Nobilitati adscripsimus, connumerari inter immediatos ac liberos Imperii Nobiles; sed solùm illos, quorum nomina in matriculam, ac qui in unum cum reliquis corpus relati, huic societati (der freyen Reichs Ritterschafft und Gesellschafft) contribuunt: alioquin enim mixti cum illis vivunt etiam mediati, Landsassen / Kreidemann *alleg. sup. tract. quæst.* 10. *num.* 9. Quanquam nihil etiam prohibeat, diverso respectu & ratione aliorum bonorum, unum eundemque esse & mediatum & immediatum, eoque casu bona libera, die freyen Rittergüter / dici Sattelgüter / notat d. l. Kreidemann. Cæterum de Nobilibus immediatis, varia quæri solent, quæ hic definire nec temporis nec institutæ disputationis ratio permittit. Inprimis illud, An fuerint vel sint hodieque Imperii status? Quod affirmat & latè de-

defendere aggreditur dicto tractatu Hyppolithus à Treißbach/ (qui non alius est quàm Philippus Knipschild/cujus nomen, cùm hic curaretur editio, legebatur in primi quaternionis fronte, quod mutare deinceps ipsi placuit) *tota quæst*. 2. *adde & 3. ac*. 4. Negarivam post plures alios sequitur Limnæus, *lib. 6. cap*. 3. *num*. 18. *& seqq*. quam prolixius defendit in addit. De sessione quoque, si conveniant cum liberis civitatibus Imperii, quis utrisque debeatut locus? non levis est controversia, agitata in conventu unionis Norimbergæ anno 1619. in compositionis conventu Francofurti 1631. ac 1633. & 1634. Heilbronnæ quoque 1633. Qua de re qui plura velit, is consulere potest Hyppolithum à Treißbach/ *dict tract. quæst. 6. per tot*. Literas à Nobilibus correspondentibus Norimbergæ congregatis exhibitas, quæ sunt etiam apud Limnæum, *lib. 6. cap. 3. num. 35*. Memoriale Nobilium in conventu quatuor superiorum circulorum Heilbronnæ anno 1633. exhibitum apud Limnæum *in addit. priorib*. cui opposuerunt civitates Jhre Gegenerklärung; Ludovicum Gremp, & Hieronymum zum Lamb im Bedencken des heiligen Reichs Erbaren Freyen und Reichs Städten session, Stand und Stimme betreffend.

XXX. Mediati Nobiles, illi sunt, qui Imperatori ac Imperio, mediante Principe aut alio statu, cui subditi sunt, parent. Eorum nonnullas differentias agnoscunt Dd. In Franconia enim dividi in Lehenleut/ & Landsassen/ post Stephanum scribit Nolden. *cap. 16. th. 1.* & Limn. *lib. 6. c. 4. n. 2.* ex quibus illos tamen, non confestim mediatos esse, haud malè monet Schütz *de stat. rei Rom. vol. 2. disp. 1. th. 5. lit. C.* In Saxonia ferè sunt Landsassen/ quemadmodum etiam in Austria, Bavaria, Hassia, Hyppolithus à Treißbach/ *in præf*. des unvorgreifflichen Bedenckens/ 2c. Quomodo autem definiendus sit ein Landsaß und die Landsasserey/ multis Imperii conventibus solicitè & curiosè quæsitũ, nondum tamen inventũ esse, ex Waremundi de Eremb. *de fœderibus l. 2. c. 1. n. 40* notat Ziegler *ad auream praxin. Calv. ad. §. Landsassii, concl. 1. n.* 15, ubi adjungit nonnullos eum definire, hominem jurisdictionalem, cui in omnibus mandari & præcipi possit. Interim tradunt communiter Dd. eos subditos esse Principi suo in secularibus & Ecclesiasticis, teneri ad homagii præstationem, ad accipiendum in

criminalibus & civilibus, realibus & personalibus, judicium, teneri ad solutionem mulctarum, obligatum esse, ut se sistat ad Provinciales conventus, & ut sequatur Principem pro defensione regionis vocantem, in der Folge und Munsterung/ & alia, de quibus vide inprimis Zieglerum, *alleg. conclus.* 1. *num* 145. ac multis seqq. & Hyppolithum à Treißbach/ *in dict. præf.*

XXXI. In Saxonia Mediati hi nobiles, quos vocant Landsassen/ dividuntur iterum, in Amtsassen vel Schrifft oder Cantzleysassen/ Wehnerus in observat. practicis *vocabulo* Ambtsassen. Appellantur autem Amtsassē/ qui Toparchis & Præfectis (den Amtschössern) subjiciuntur, die unter die Ampter sitzen: Schrifftsassen/ quibus immediatè Princeps imperitat. Ut hoc respectu & relatione ad Principem ac statum Imperii habita, cui illi præter Imperatorem subsunt, & in comparatione ad alios, qui Præfectis etiam subjiciuntur, ferè immediati appellari possint. Origo differentiæ hujus non satis in propatulo est, vid. tn. Ziegler. *d. tract. ad* §. *Schrifftsassii, num.* 4. *& seqq.* Præterquam autem, quod ea ratione ab invicem differunt, quod hi immediatè, coram Electore, vel in Curiali judicio ejus conveniantur, quos autem vocant die Amtsassen/ ii Præfectorum cognitioni subjiciantur: hæc quoq; inter utrosque differentia est, quod quando posterius nominati, aliquem ex illis, quos communiter appellant Schrifftsassen/ in curia convenire animum induxerunt, non, nisi præstita satisdatione de expensis litis & reconventione, admittantur, ut maxime bona immobilia possideant: quod secus est, bey den Schrifftsassen/ qui nulla satisdatione arctantur, Matth. Wehnerus in Observat. dict. voce Amptsassen/ Ziegler ad Calvolæ auream praxin *conl.* 2. §. *Schrifftsassii*, & ibi alleg Mollerus, Knichen, Berlich, Jacob Schult. Qeumadmodum autem priorem distinctionem in Lehenleut & Landsassen/ in Pomerania ignorari scribit Matth. Steph. *de jurisdict. lib.* 2. *part.* 1. *cap.* 7. *mebr.* 2. *num.* 130. quod & de pluribus aliis provinciis verum est: ita & distinctio illa Nobilium in Ampsassen und Schrifftsassen/ ferme solâ Saxonia continetur.

XXXII. Vidimus hactenus quid sit Nobilitas, quàm diversi ejus gradus, quis conferat, quomodo ac quibus conferatur. Nunc paucis re-

repetenda videntur, quæ ad cognoſcendos ejus effectus faciunt. Conſiſtunt autem illi potiſſimum in Privilegiis, quæ collegerunt prolixa opera, Tiraquell. *tom. 1. operum, cap. 20.* Nolden. *de ſtatu Nobilium, cap. 9. 10. 11. & 12.* Stephanus de Nobilit. civil. *cap. 6.* Frize in concl. *theſ. 22. 23. 24. 25.* Kreidemann in tractatu **vom Teutſchen Adel** / *quæſt. 4.* Hyppolithus à **Treißbach im unvorgreifflichen Bedencken** / *quæſt. 6. n. 519. & ſeqq.* Beſold. de Jure Ordinibusque civium *c. XI. th. 41. & ſeqq.* Cæterum multa in hac Recenſione privilegiorum meritò deſiderari, neminem, qui diligenter illa excuſſerit temerè latere poterit. Unde de Tiraquello non veritus eſt aſſerere Loyſeau tract. *de ordin. cap. 5. num. 69.* plus quam viginti ridicula & falſa privilegia illum Nobilibus tribuere, Dn. Limnæus *lib. 6. Juris publici, cap. 4. num. 21. & ſeqq.* Compendium eorum dare tentavit; ſed nec eum quidem medicinam huic malo attuliſſe patet, & ſunt in illo compendio multa, quæ jure meritoque compendefieri poſſe videntur. Quod enim primum dixerat, *nobiles præſumi virtutibus magis excultos atque excellentes quàm plebejos*, id ſeptimum, *præſumi eos fideliores*, & octavum *Nobiles non præſumi prodere Principem*, & nonum, *Nobiles non præſumi mentiri vel fidem fallere*, ac decimum, *Nobiles præſumi liberales*, jam tum includit. Ut de quinque prioribus, quorum non diverſa videtur ratio, nihil nunc addam: Quod, ſi ſpecialiter virtutes omnes enumerandæ fuerint, jam ille numerus ne ſuffecerit quidem, ſed pro decem ejus generis, quæ tradit, Privilegiis, facilè viginti naſci debuiſſent.

XXXIII. Forraſſis autem, qui diſtinguendis & examinandis Privilegiis his utilem operam impendere velit, eam non ineptè collocaverit, ſi primo, quæ falſa, tum quæ ridicula, ea etiam quæ omnibus nota, ac demum quoque dubia, apud collectores extant, à veris ac certis diſtinguat & ſeparet: ſunt autem ejus generis non nimis pauca, Tale e. gr. illud eſt, *quod Nobili, ſi Legatus ſit, etiamſi non exhibeat literas credentiales, tamen fides habeatur*, quod poſt alleg. à Tiraquell. *c. 20. n. 39.* & Nolden, *cap. 9. th. ult.* etiam ex *cap. nobiliſſimus 97. diſtinct.* (apud pleroſque & Nolden quoque, malè eſt 17. diſtinctio (exiſtimat Schonborn, *Polit. libr. 3. c. 29.* Secus tamen eſſe, notat qui pluribus Imperii conventibus, ipſe legatus, interfuit, Dn. Canc. Schütz, *vol. 1. de ſtat. Rei*

Ro-

Romanæ Disp. 9. th. 6. lit. d. ubi id & cum jure & cum praxi nostra', pugnare ait: confer Kirch. de Legato, *l.* 1. *c.* 7. *n.* 14. Tale illud apud Stephanum *de tract. c. 6. n.* 13. & Nolden. *c.* 10. §. 13. quòd uxores Nobilium non teneantur marito lavare caput, pedes, cibos parare, lectum sternere, & similia præstare, quòd non teneantur lactare filios, ut faciem à rugis conservent, & eo citius post partum amplexentur Venerem, ex Patricio de Republic. *lib.* 4. *tit.* 6. Nolden. *cap.* 10. §. 12. Tiraquell. *d. cap.* 20. *n.* 78. *& seqq.* Id quoque omnibus notum, ac vulgarius est, quàm ut memorari debeat, Nobilium facta majori pompa pertractari, quàm reliquorum, quod tamen repetunt ferè omnes.

XXXIV. Inter dubia autem illa reputari possent, quæ alii Dd. Nobilibus tribuunt, alii negant. Huc referri queunt, quæ *cap.* 9. §. 6. *& cap.* 10. §. 1. cumprimis autem quæ *c.* 10. §. 6. exhibet Nolden: Nobiles in criminalibus satisdatione non onerari, sed juratoriam saltem ab iis cautionem exigi, per *l. penult. C. de dignit.* pro qua sententia adducit etiam Wesembecium, Heringium, Cacheranum. Sed hodie non observari amplius, post allegatos à Noldenio, Julium Clarum, Farinacium, Nicolaum Eberhardum Juniorem, Seilerum præjudicio Camerali *de die 30. Octobris Anno 1534.* in Baronibus quoque & Comitibus, qui aliquando etiam incarcerentur, tradit *ad dict. leg. penult. Grœnevvegen.* Huc pertinet etiam beneficium competentiæ, quod Nobilibus, cum aliis, etiam Kreidemannus *dict. tract quæst. 4. num. 59.* tribuunt. Sed Negativam juri nostro Justinianeo magis congruere, neque valere, deductam à milite, equite, & vasallo, ad Nobilem, quâ nobilem, consequentiam meritò monet Amplis. Dn. Lauterbach, Disput. Inaug. de Beneficio Competentiæ, *th.* 34. Ubi etiam, quid in praxi, pro ratione locorum & personarum observari possit, accuratè monet.

XXXV. Post hanc discussionem, quæ supersunt Privilegia, ea distingui posse videntur, in illa quæ propria sunt Nobilibus unius regni vel Reipublicæ, e.g. Nobilibus immediatis Germanicis, & ea quæ plurium Regnorum Nobilibus communia sunt, quæ hactenus plerique confundunt. Ita Tiraquellus communia Nobilium privilegia cum iis

quæ

quæ Gallis, Kreidemann, cum iis quæ Germanis peculiaria ſunt, interdum miſcent. Cæterũ, omnia illa pro dignitate nunc quidem perſequi, id per temporis rationem & diſputationis anguſtiam nobis integrum non eſt. Subnectemus tamen de communibus primum, tum deinceps de iis, quæ immediatæ Nobilitati peculiaria ſunt, nonnulla. Sequemur autem, donec de accuratiori meditandi otium ſit, vulgatam illam Noldenii & Limnæi diſtributionem, quòd partim conſiſtant, in *præſumptionibus virtutis, & indè ortis conſectariis*: partim *in honore, Reverentia ac quæ indè dependent*: partim *in immunitatibus*, ac denique *in pœnarum temperamento*; quamvis alioquin non bene invicem in univerſum opponantur, quæ ex virtutis præſumptione oriantur Privilegia, iis, quæ conſiſtunt in Reverentia & Honoribus: cùm ipſa hæc Reverentia & Honor, in multis privilegiis, originem debeant virtutis præſumptioni.

XXXVI. Sit ergo I. quod pro illis, in dubio, & quando aliter non conſtat, major quàm pro plebejis ſtet virtutis præſumptio, arg. *l. un. ff. de officio præfecti præt.* Limn. Nolden. *d. l.* Stephan. *de Nobil. cap. 6. n.* 17. Tiraquell. *cap. 20. n. 29.* Ex quo varia Dd. deducunt conſectaria. Hinc eſt, quòd, cùm veracior quàm plebejus exiſtimetur, ipſius teſtimonio regulariter major fides adjungatur, arg. *l. 3. ff. de teſtibus, Novell. 90. c.* 1. ex Farinacio Gothomanno Pruckmanno & aliis, Nolden. *dict. cap. 9.* §. 1. quod tamen quando fallat, tradit Tiraquell. *dict. c. 20. n. 34.* Et plenius Maſcard. *de prob. concl. 1097. num. 3.* ubi adjungit etiam Ampliationes, ut vocat. Unde in nonnullis Germaniæ locis, ad teſtimonium dicendum perſonaliter competere non tenentur; ſed ſufficit, ſi per ſcripturam deponant, **unter ihre Handſchrifften und Pittſchafften** / abſque corporali juramento & depoſitionem judici transmittant, Gail. 1. *obſ.* 100. *num.* 21. *&* 22. & adducit Kreidemann. *quæſt. 4. num. 245.* Rutgerum Ruland. qui atteſtatur ſe ſcire hoc in praxin deductum. At in aliis tamen judiciis, ad ſolidum juris effectum, etiam Nobiles teſtes, niſi partes juramentum remittant, ad id teneri verius eſt, *l. 9. l.* 19. *C. de teſtibus*, Gail. *dict. obſ.* 101. Schutz de ſtatu rei Romanæ, *diſp. 6. th. 6. lit. d.* Ipſe Dn. Kreidemannus *d. quæſt. 4. num.* 246. ubi ſe in pluribus commiſſionibus Cæſareis

juramentum, à Nobilibus petiisse, neque illos id recusasse, testatur. Quo casu, si nobiles cum vilioris conditionis hominibus simul ad testimonium dicendum producantur, iis singulariter & seorsim hoc delatum fuisse scribit d. l. *n. 247.* vide etiam Stephanum *dict. tract. & c. 1. n 19.* quod tamen urbanitatis potius, quàm necessitatis esse notat Rutger Ruland. in tr. de Commiss. *part. 2. cap. 12. num. 13.*

XXXVII. Hinc illud quoque deducunt alii, *quòd* promissiones, quas faciunt Nobiles sub singulari allegatione fidei suæ, **bey Adelichen Ehren / Treu und Glauben /** quòd valorem promissonum, ubi juramenta corporalia præcise non requiruntur, quandoque æquipolleant juramentis, Myns. *1. obs. 17.* Gail. *2. obs. 59.* ibique Grævæus & Fabricius, Dn. Schütz. *dict. disput. 9. thes. 6. lit. d.* Struvius *Syntagm. Pand. vol. 2. Exercit. XVII. thes. 11.* *Quòd* in Legationibus, & aliis muneribus capessendis, regulariter aliis præferantur, arg *l. 14. §. 3. D. de muneribus & honoribus. l. 7. §. 2. de Decurionibus, l. 1. C. de condit. in publ. horreis, Novell. 15. cap. 1.* Hyppolithus à Treisbach. *dict. tract. quæst. 6. n. 526.* quod, an meritò fiat, vide eruditè disquirentem, ac affirmantem, Dn. Levinum **Molcken /** Equitem Megapolitanum ac Vicecancellarium modò Holsaticum Gottorpiensem eruditis notis *in religionem Medici, pag. 327, usque ad 335.* In Imperio nostro Campi Mareschallus, nullum alium sibi adjungere potest equitum Magistrum, nisi Nobilem, **Reuterbestallung zu Speyr** de anno 1570. tit. **wie das Ritterrecht zubestellen.** Diximus tamen præferri aliis Nobiles regulariter, nam fuisse etiam, & esse, ubi arcana Reipublicæ ratio aliud suadeat, vel uno Genuensium exemplo constat, qui Nobilibus Reipublicæ suæ ad summam in ea Ducis dignitatem perveniendi, latâ peculiari lege, spem ademere omnem, *Comin. lib. 8. p. m. 594.* Quid circa vota & alia illis tribuatur, vid. Treisbach *dict. quæst. n. 522. & seqq.*

XXXVIII. Pergimus ad illa, quæ in **Reverentia & Honoribus** consistunt. Hujus generis esse volunt, *quòd* Nobiles præ aliis reverenter sint salutandi: quod judicibus etiam imperat. *l. 3. C. de officiis divers. judicum,* Kreidemann, *dict. quæst. n. 268.* **Treißbach** *quæst. 6. n. 521. & alleg.* Limnæus, *lib. 6. I. P. c. 4. n. 30.* ac alleg. Necessitatem tamen salutationis hujus hodie plebejis impositam esse negat, sed

mo-

moribus solùm & civilitati eam convenire affirmat nuper Loyseau, *de ordinib. cap. 5. n. 78.* vid. tamen *d. l. 3.* Quòd *dignior plerumque locus Nobilibus tribuatur*, quo casu tamen multum momenti habere consuetudinem, & ad eam præcipuè in sessionibus respiciendum monet Gail. 1. *obs. 21. in f. post Bartol & Bald.* Quòd *quando alicui testimonium perhibere debent, non ad tribunal vocandi, sed domi examinandi sint, & ibi jurent*, *l. 15. ff. de jurejur.* Treißbach *d. q. n. 539.* Schütz. *d. l. lit. F.* *Nold. cap.* 10. §. 3. Wesenb. *in Parat. de testibus. num. 5.* ipsique *sive civiliter vel criminaliter conveniantur scripto citandi sint*, Treißbach. Schütz. *dd. ll.* Nold. *d. cap.* §. 2. Cæterum adducta ab illis *l. quoties* 17. §. 1. *C. de dign.* nihil, unde id solidè probari possit, continet: & de consuetudine, id in Gallia non observari expresse scribit Tiraq. *cap.* 20. *num* 187. Addunt deinceps *Nobiles tam in Civilibus quàm Criminalibus causis per procuratorem agere & comparere posse*: quod tamen ratione causarum civilium, utpote commune etiam plebejis, privilegium dici nequit, ratione autem criminalium non probatur ex adductis *l. pen. & Auth. seqq. C. de Procurat. l. f. C. de injuriis.* loquuntur enim saltem de Illustribus, quo nomine non simpliciter veniunt, in Justinianeo jure, Nobiles. Interim, ubi id consuetudine receptum, quin admitti possit nulli dubitamus. In Gallia tamen moribus non observari, scribit Tiraq. *d. c.* 20. *num.* 14. Notant præterea *quòd injuria facta Nobili gravius puniatur eâ quæ illata est plebejo*, *arg.* §. 7. & 9. *Inst. de Injur.* & damnum instituta utili L. Aquiliæ actione majoris æstimetur, quàm quod ignobilibus illatum. Unde in Camera militi, utroque oculo ex vulnere insidiose ita læso, ut usum præstaret nullum, multa millia pro militaribus officiis, quibus postea cariturus esset, per sententiam adjudicata fuisse refert Gail. *l. 2. de pace publ. cap. 2. num.* 19. Multò plura ad hanc classem referunt Dd. v. gr. quòd *Nobiles non teneantur ire pedites, sed equo vel vehiculo uti possint.* Cujus privilegii usum apparere ajunt in productionibus testium: cùm enim competentes sumptus à parte producente præstandi sint, *l. 11. C. de testibus* Nobili, si equo utatur, sumptus, non item rustico reddendos esse, Nold. *cap.* 10. §. 4. Quòd *eorum Nuptiæ & exequiæ majori pompâ celebrandæ*, arg. *l. 12.* §. 5. *de Religio. & sumptibus funerum.*

Quòd *dos major propter Nobilitatem viri constituatur*: & minor, si is diversæ & inferioris sortis sit, arg. *l. 69. §. 4. ff. de jure dotium l. 60. ff. eod.* Tiraquel. *de Nobil. cap. 20. num.* 163. *&* 164. & ibi *alleg pl.* vid. tamen Dn. Creidenmann. qui id dicta *quæst. n. 279.* quod ad prius membrum attinet, ita limitat, ut honestatem illud requirere dicat, si modò facultates Parentum admittant. Quòd *alimenta ampliora constituenda sint Nobili quàm plebejo* arg. *l.* 15. §. *2. de Usufructu & quemadm. quis utatur fruatur.* Neque enim Nobiles tenentur comedere allium, atrum panem & similia rusticorum cibaria, ex *glossa, Surdo, Azeveda, Limn. lib. 6. J. P. cap. 4. num.* 51. & Nolden. *cap.* 10. §. *9.* Quòd *Insignia ornent galeis apertis*, mit einem offnen Helm / cùm aliis id non liceat. vid. Steph. *d. cap. num. 5.* & Schütz. *vol. 2. Disput. de stat. Rei Romanæ Disp.* 1. *th. 6. lit. b.* & alia, quæ prolixiùs explicare temporis angustiâ modò prohibemur.

XXXIX. Quæ in Immunitatibus consistunt Privilegia, ea paucis quoque attingamus. L. quorum numero faciunt *Nobiles ad collectas & munera publ. non teneri.* Quod tamen assertũ universaliter verũ non videtur. Quare ita distinguimus: Sunt officia Civilia Personalia in quibus plus oneris quàm dignitatis: ab illis Nobiles excusationem ut plurimum mereri, aut adhortari, ut ea capessant potius, quàm eò adigi debere, verius judicamus, arg. *l.* 10. *ff. de muneribus & honoribus.* Steph. *sæpe dict. tract. &* 6. *num. 30.* conf. tamen omnino Tiraquellum, & quæ apud illum legitur asserti hujus restrictionem, *tom.* 1. *cap. 20. n.* 165. Unde etiam justam excusandi causam à tutela pupilli ignobilis, nobilem virum habere autumant Dd. arg. *l. 1. ff. de Excus.* vid. Nolden. *cap.* 11. §. *3. & ibi pl. alleg.* Tiraquell. *c. 37. n.* 16. *&* 17. Sunt alia munera realia, de quibus si quæratur, separandi videntur Nobiles, primum in Mediatos & Immediatos: tum illi in Landsassen & Lehen-Leuth. Quod spectat die Landsassen/qui bona sua non habent Feudi jure, nisi quid aliud consuetudine, pactis, privilegiis introductum aut præscriptum sit, sive in civitatibus habitent, sive in aulis Principum versentur, realibus muneribus Patrimoniorum ordinariis, tributis & indictionibus, eos non minus obstrictos esse putamus, quàm plebejos: tam de jure Justinianeo *l. fin. §. 24. ff. de muneribus l. 10. princ. l. 11. ff. de vacat. & Excus. munerum*

rum, quàm Consuetudinario, Modest. Pistoris *vol. 2. conf. 9. num. 45.* Steph. *d. c. 31.* Et Bodinus *lib. 6. de Republ. cap. 2. num.* 661. id Romanorum, Græcorum, imò populorum omnium moribus ac institutis convenire, scribit. Dn. Stephanus eod. loco hoc etiam ad extraordinaria munera, simpliciter extendit; quod tamen an jure Justinianeo ubique firmo talo nitatur, non leviter ambigimus, ob *l. 6. l. 8. §. 3. ff. de vacat. & excus. munerum.* Interim, praxi locorum Germaniæ multorum id obtinere credimus, asserenti Stephano, Modestino, & aliis. Et hinc est, quod notat Ziegler ad auream praxin Calvolæ §. *Landsassi concl.* 1. *n.* 150. Landsassios hos, una cum reliquis subditis, ratione subjectionis teneri ad solutionem collectarum, zur Landbeede / Landsteur / Ungeldt / Tranckfteur / Breusteur / Bier-recht / rc. quem confer omnino & ibi alleg. pl. *d. num.* 150. *&* 153.

XL. Aliter se res habet quod ad Vasallos, ii enim ad onera hujusmodi non tenentur Mod. Pistor. *d. l.* Petrus Heigius *part. 1. qu. 18. n.* 17. *&* 18. Tiraquel. *dict. cap. 20. num.* 166. Nolden. *cap.* 11. §. 1. ne alias duplici onere premantur Stephan. *de Nobil. c. 6.* Limn. *in Notit. Regni Franciæ lib. 4. cap. 3. Lit. bb. in fine*: quod tamen limitationem patitur in casu extremæ necessitatis, belli, incursionis Turcicæ, &c. quamvis ne tum quidem id admittere velint, Mynsing. *decad.* 15. *resp.* 1. cui accedere videtur Modestinus Pistoris. Verior nihilominus videtur ab his dissidentis Heigii sententia *dict. qu. 18. n. 23. & seqq.* quam tamen de solis mediatis Nobilibus interpretandam autumat Creidemann sæpe laudato tractatu *quæst. 4. num. 282.* neque ad immediatos posse extendi, qui ne tum quidem à Statibus Imperii queant collectari (quod existimat Steph. *dict. tract. cap. 6. num. 37.*) sed Cæsarem ab illis desiderare, ein besondere Rittersteur / in quam consentiant Nobiles immediati; ut tamen antea caveatur ipsorum immunitati à collectis, datis reversalibus, & observato modo eo, cujus ipse antea meminerat *num. 82.* Id expeditum esse videtur, Immunitates has, quas competere Nobilibus diximus, non extendendas ad bona paganica Baur-Güter vel à Civibus, ac plebeis empta *l. penult. & ult. C. sine censu vel reliquis fundum comparari non posse l. 8. C. de exact. tribut.* Schütz. *vol. 1. Coll. de Stat. Rei Rom. Disp. 9. th. 6. lit. g. in fin.* Nolden. *cap.* 11. *num.*

num. 98. Besold. *de Jure ordinibusque Civium edit. Argent. de 1641. c. 11. th. 41. p. 109.* ubi consentientes laudat, è Practicis, Meisnerum, & Kopen, in Decis. Paponum in Arrestis, Knichen, Modestinum Pistoris, & Vietorem, quibus addi potest Bidenbach, *qst. 19.* & Creidemann. *quæst. 4. num. 57.* qui id agnoscit, addita limitatione, nisi per quadraginta annos nihil eo nomine à Nobili possessore postulatum & solutum sit. In Gallia tamen Nobiles nobiliter viventes esse immunes à tallis nulla distinctione bonorum Feudalium vel Allodialium post Masverium notat Guido Papæ *decis. 387.* ibi *sed quid de Nobilibus* ubi observat, hoc in Gallia quidem procedere, etiam in rebus aliàs subjectis hujusmodi subsidiis, quas à plebeis scilicet recenter acquisiverunt, ut etiam pro illis non teneantur contribuere in subsidiis, Tiraquell. *tom. 1. c. 20. n. 168.* Et ideo Nobilitandus in Gallia, pro exemptione illa à contributionibus & subsidiis pecuniariis, ab initio certam pecuniæ summam à Camera Computorum denominandam solvere debet, Limn. *ad Cap. Ferdin. III. art. 46. A vectigalibus quoque in specie Nobilitati immunitatem* concedunt post alios Dn. Bocerus *de Regalibus cap. 2. n. 197.* Josias Nolden. *cap. 11. n. 99.* Besold. de Jure ordinibusque civium *cap.* 11. *th.* 41. *p.* 109. Limn. *lib. 6. J. P. cap.* 11. *num. 53.* Creidemann. *dict. quæst.* 4. *n. 3.* E quibus non nemo eam immunitatem etiam ex jure civili repetit, in quam rem adducit, *l. 6. C. de vectigalibus & commissis.* Sed nec in ea quicquam tale dicitur, ac urget pro contratia sententia haud immeritò Dn. Limn. *seqq. l. 7. eod. tit.* & vera est Dn. Besoldi observatio *dict. pag.* 109. doctissimum hunc Virum quidem autoritate Juris scripti à vectigalium onere liberos pornuntiare Nobiles, cæteros verò consuetudini solum illud adscribere. Forte magis probabiliter hanc immunitatem Juri civili aliquis acceptam tulerit ex *l. 5. C. eod. tit.* ubi *provinciales omnes, pro rebus, quas ad usum proprium, vel ad fiscum inferunt, vel exercendi juris gratia revehunt,* nullum vectigal exsolvunt. Sed, præterquam, quod, quæ scribit de legibus tituli hujus, Grœnwegen. *de Legibus abrogatis ad rubr. tit. & dict. leg. 5.* Batavos uti in hac materia, edictis suis, quæ appellant **placcaten/ van de gemene Middelen/** non tituli hujus legibus, ea etiam alibi passim, seculo nostro, obtinent: hoc quidem, utpote, Justinia-

nianeo jure, omnibus plebeis provincialibus commune, Nobilium speciale Privilegium, eo quidem jure, dici vix posset. Quare, ex antiquissima Germaniæ consuetudine id deducit, post adductos Thomatum, Mynsingerum, Arnisæum, Dn. Besold. *d.l.* Bidenb. *quæst. Nobil.* 18. Frid.] Mindanus *lib. 2. de Mandatis cap. 42. n. 20.* Kœppen. *decis.* 61. *n. 4. p.* 1. Limnæus *d. l.* ubi addit hoc in pluribus locis evilui sse, nec multo aliter existimat Klock. *de vectigal. th.* 30. Immediati tamen Nobiles à vectigalibus immunitatem sibi vindicant ex Privilegiis Imperatoris, è quorum numero Limnæus *J. P. lib. 6. cap. 3. num. 52.* exhibet Renovation und Declaration der gefreyten Fränckischen Ritterschafft Kayserl. Privilegii wegen der Zolls-freyung/ & ejusdem capitis *num. 60.* Divi Caroli des Fünfften/Freyheitsbrieff dem Rheinischen Adel gegeben/betreffend die Zoll-Freyheit. Et extat apud Dn. Creidemannum in annexis dict. Tractatui Copiis Privilegiorum immediatæ Nobilitatis Suevicæ. *num.6.pag.*32. Ferdinandi II. Confirmation / Declaration / und Extension über der Freyen Reichs-Ritterschafft Zollbefreyhungen. Quæ Privilegia tamen, ex verbis concessionis & usu restringit Creidemann. *dict. quæst. num.* 66. 67. & 68. ad ea quibus ad domesticos & rei familiaris usus Nobiles indigent; nec extendenda monet à Personis Nobilium ad Personas subditas: ac ne tum quidem, quando peregrinus auriga Nobilium bona sub certa mercede vehenda recepit, illum à telonio immunem esse, quod ita praxi observari addit. Opponere tamen hisce Nobilium Privilegiis Status nonnullos alia, eaque, ut ajunt, antiquiora privilegia, ex Dn. Creidemann. *num.* 64. Besoldo *d. l.* patet: quibus regerere notant immediatam Nobilitatem, ipsorum Privilegiis additam clausulam derogatoriam legi: quo casu quid juris sit, definiunt ibi Dn. Creidemann. Besoldus & Klockius *thes.* 31. Nos potius Negotium hoc legitimis Judicibus dirimendum relinquimus, præcipuè cùm moneat Dn. Creidemann. *num.* 70. alicubi inter status & Immediatos, Nobiles pactis provisa esse, quæ observari per certos annos debeant, quibus elapsis, salvum utrique parti jus suum ac facultas eo experiundi relicta sit. De Beneficio Competentiæ, ex quo aliud Nobilitatis Privilegium

non-

nonnulli faciunt, quæ nostra sit sententia ante *in thes. 34.* paucis explicavimus.

XLI. Reliquum est ut de IVta Classe Privilegiorum, quam **in pœnarum temperamento** consistere volunt, quædam attingamus. *Nobiles ergo regulariter mitius puniendos* docent Dd. qui Nobilitatis privilegia commemorant, quod sciam, omnes. Tiraquel. *c.* 20. *n.* 108. *& seqq.* Steph. *cap.* 6. *n.* 40. *& seqq.* Besoldus *de Jure ordinibusque civium th.* 41. *p.* 110. *edit. Argent.* Nolden. *initio cap. XII.* Treisb. *quæst. 6. num. 540.* Limn. *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 54. Dn. Creidemann. *quæst.* 4. *num.* 287. qui, usurpari ibi pœnam modo non Arithmetico, sed Geometrico scribit. In quam sententiam adducunt manifestissimos, ut videtur, Civilis ac Canonici Juris textus *l. 6. ff. ad leg. Juliam peculatus l.* 4. *l.* 12. *ff. de incendio ruina naufragio. l. 6. ff. de Extraord. criminibus l. ult. ff. de sepulchro violato l.* 1. §. 3. *ff. de Abigeis l.* 1. *ff. in fine de furibus balneariis*, *l.* 1. §. 1. *&* 2. *ff. de effractoribus*, *l.* 1. §. 2. *de crimine stellionatus*, *l.* 2. *ff. de termino moto*, *cap. fin. x. de pœnis*, *cap. qui contra* 24. *quæst.* 1. Cæterum, ut mentem nostram paucis explicemus, pœnæ ad invicem vel abstractivè, ac quales in se citra relationem ad Personam sunt, vel concretivè, ac quales irrogantur Titio vel Seio, Nobili vel Plebeio, considerari possunt. Priori modo, pœna fustigationis, in abstracto, ac nullo-habito ad Personam respectu, nuda ac ab hujusmodi ad certum Individuū relatione separata, semper major est pœna carceris eodem modo considerata. At in concreto considerata carceris pœna, quatenus irrogatur Viro Generoso ac Nobili, sæpe quantitate eadem est, ac perinde gravis illi, ac vilis conditionis homini fustigationis pœna: quod agnoscunt, ipsi dissentientes, è quibus Tiraquel. *dict. cap. num.* 126. *magis*, ait, *affligitur Nobilis ex parva quapiam pœna corporali quàm ex magna ignobilis, ideoque modica pœna major in eo censetur, quàm magna in plebeio.* Quare non existimandum est, aliam hic quàm proportionem Arithmeticam, quando res accuratè expenditur, observari, neque pœnæ has irrogationes ad aliam, quàm commutativam justitiam pertinere, vid. quæ eruditè in hanc rem tradit more suo, subtilis Frantzk. *in Comment. ad Pandectas ad tit. de Just. & Jure num. 33. & seqq.* quæ iisdem verbis ut sæpe alias, repetit *in* *com-*

*comment. ad Instit. eodem tit. n.*33. Et extant ea de re doctæ concertationes Dn. Fibigii, & Dn. Musæi, qui acriter eo de negotio in Jenensi Academia invicem disceptarunt. In abstracto tamen considerata vera est Dd. regula: neq; enim semper, quando fustigatio plebejo dictatur, eâ etiam plectitur Nobilis: & ita etiam intelligendæ veniunt, advocatæ à Dd. ad probandam eam sententiām leges, eoque sensu etiam nos, ut Regulam admittimus.

XLII. Unde porrò id efficiunt I. esse quædam pœnarum gene... quibus non afficiantur Nobiles, qualis 1. *pœna laquei.* arg. *l.*9. §.11. *ff. de pœnis.* Quod apud Italos obtinere liquet ex Bartolo, in *l.*3. §. 1. *de re militari,* ubi hac ratione Italos Gallis opponit, ac, *apud Gallos,* ait, *quilibet nobilis suspenditur.* Qua in parte tamen illum à vero abesse meritò monet Tiraquel. *cap.*26. *n.* 112. Apud Gallos enim, ut ibi notat, Nobilis non suspenditur, nisi crimina quæpiam sordida commiserit. Et Bodinus quidem solam sufficere proditionem ad id ut suspendi Nobilis Gallus possit, autumat *lib.*6. *de Repub. c.* 6. *n.* 762. *lit. c.* quod crimen, quamvis in Nobili, etiam in Italia, hac pœna plectitur. Clarus *lib.*5. *Pract. Criminalis* §. *fin. q.*60. *n.*24. Nolden. *de statu Nobilium c.* 12. §. 9. Quod tamen, quod ad Galliam aliter se habere, vel mutatum esse, apparet, ex Coquille ad Consuetudines Nivernenses *c.* 1. *art.* 8. *p.*28. ubi Nobilem, Gallum furti convictum condemnari ad restim tradit, ac indignum reputari, ob vilitatem delicti, pœnâ Nobilium, quæ est Amputatio capitis. In terris Saxonicis quoque Nobilibus ob furtum laquei pœnam dictari, & eam à Magistratu Inferiori necessariò imponendam esse putat Dn. Carpz. *Pract. Crim. part.*2. *q.*82. *n.*63. ubi addit præjudicia, *n.*64. & 66.

XLIII. *Fustigari quoque Nobiles non posse* arg. *l.*5. *C. ex quibus causis infamia, &c. docent* Azevedo *cons.*29. *n.* 1. Boerius *tract. de seditiosis quæst.* 7. *num.* 50. Treisb. *d. quæst. num.* 546. *Nec ad triremes* auff die Galeren / nisi ob causas gravissimas condemnari, Farinacius, *part.* 3. *quæst.* 98. *num.* 99. vid. Covarruvias 2. *variar. resol.* 9. *num.* 3. & *seqq.* Frize. *concl.* 25. Steph. *cap.* 6. *num.* 46. Nolden. *dict. cap.*12. §. 9. qui eodem loco *illos etiam à strapecorda, quando delinquunt, immunes,* solus tamen, quod sciam, pronuntiat. *Manum quoque propterea, quòd aliis*

in via insultarint, ipsis amputandam non esse, judicat Berlich. *part. 4. concl. practic. 20. num. 24.* Sed hoc casu, vel Relegatione, vel alia arbitraria pœna puniendos autumat; quam sententiam secuta est Facultas Juridica Jenensis, Matth. Coler. *part. 1. decis.* 155. *n.* 19. 20. *& seqq.* quo casu tamen antehac Scabinos Lipsienses An. 1584. etiam Nobili amputationem manus dictasse notat Berl. *d. l.* & Dn. Carpz. *p. 3. pract. crim. qst.* 129. *n. 38.* conjunxisse eam sæpe cum fustigatione Scabinos, earumque alterutram quam reus eligere maluisset, ipsi infligere jussisse, observat. Unde non immeritò monet Limnæus *J. P. l. 6. cap. 5. n. 64.* hanc pœnam alios dictare Nobilibus, alios ab ea illos liberare.

XLIV. Sed & *à Tortura Nobiles immunes sunt. l. 4. C. ad legem Juliam Majestatis*, (quam verè illud probare bene judicat. Tiraq. *cap. 20. num.* 139. quicquid in contrarium parùm solidè disserat Zanger. *de quæst. seu Tortura Reorum cap.* 1. *num. 30.*) arg. *l.* 10. *C. de dignit. l.* 11. *de Quæstionibus*, è quibus id itidem conficientem, consule Zangerum *d. l.* confer. Dn. Carpzov. *part. 3. practicæ criminalis quæst.* 118. *n.* 80. Ac Nobiles, licet indicia commissorum criminum contra illos adfuerint, non torquendos tamen, responderunt Lipsienses, ut notat Stephanus de Nobil. Civili *cap. 6. num.* 41. ubi addit eorum confessiones ex tortura erutas nullas esse, & nemini nocere, & alia. Quæ tamen Regula suis obnoxia est limitationibus & exceptionibus, vid. *d. l.* 4. *C. ad legem Juliam* & quæ notat Zanger. *alleg. loco* Stephan. *de Nobilit. cap. 6. num. 42.* Cæteroquin Privilegium hoc de non torquendo adeò firmum esse Dd. plurimi autumant, ut nulla consuetudine aboleri possit, vid. alleg. à Carpzovio *dict. quæst. num. 83.* Bocerum de tortura reorum *cap.* 4. *n. 78. & seqq.* Nolden. *cap. 12. §. 3. num.* 104. Matthias tamen Colerus de Processibus executivis *part. 2. cap. 3. n.* 165. nemini se autorem fore scribit, ut istis Juribus de non torquendis Nobilibus nimium fidat. Et Jura hæc non observari in Regno Franciæ, ubi omnes nullo generis aut Nobilitatis discrimine quæstioni subjiciantur si Rex exegerit, asserit, ac exemplo etiam Comitis probat Tiraq. *cap.* 20. *num.* 140. Et à Venetis, ac in tota Italia, hoc Privilegium susque deque haberi, ex Francisci Cason tractatu de tormentis scribit dict. quæst. Dn. Carpzov. *num. 85.*

XLV. Adjungunt his illa etiam, quod *ob civilia debita in Carcerem Nobiles duci nequeant*, Covarruvias *lib. 2. variarum Resol. cap.* 1. *num.* 4. Limn. *J. P. lib. 6. cap.* 4. *n. 58.* Tiraquel. *cap.* 20. *n. 30.* Lucæ de Penna tribuit generalem hanc Regulam *Nobiles pro delictis non puniri in carceribus*; sed eam falsam esse ipse fatetur & ab aliis confutatam. *In Criminalibus quaque non ante carceri adjudicandum Nobilem autumant plures, quàm convictus vel confessus sit.* arg. *l. ult. C. de Accus.* sed vel in Civitate Gail. *de Pignorat. observ. 9. num.* 4. in palatio vel Curia, Treisb. *quæst. 6. num.* 541. vel in loco editiori, sub custodia militum, asservandum, Colerus Processl. Execut. *part.* 2. *cap.* 3. *n.* 177. Est & illud huc referendum, quòd quamvis vilior persona, cui pecuniaria pœna imposita est, si solvendo non sit, inflictâ corpori pœnâ delictum luat *l. 7. §. 7. ff. de Jurisdict.* Nobilium tamen aliam rationem esse velint multi Juris nostri Interpp. vid. à Noldenio alleg. *cap.* 12. §. 4. Sichardum, Schneidwinum, Girlandum, Covarruviam, Stephanum, cum quibus facit etiam Treisb. *dict. quæst. 6. num.* 547.

XLVI. Id quoque inter Privilegia hujus Classis numerant non pauci, *quòd plebejo non teneatur Nobilis ad Palinodiam* Nolden. *dict. c.* 12. §. 3. & ibi adducti plures, Limnæus *J. P. lib. 6. c.* 3. *n.* 67. Creidem. *dict. quæst.* 4. *n.* 290. qui secus esse ait, si cum æquè Nobilibus aut Nobilioribus ipsis res sit, ibi enim locum esse Palinodiæ, idque se vidisse Pragæ factũ in causa B.B. & uxoris contra Ducem Brunsuicensem, ubi B. B. & uxor condemnati fuerint ad publicam recantationem, ut vocant. Ego, ut negare nolo, alicubi ita receptum esse, ceu id de Hispania testatur adductus ab eo Petrus Salazar. (quamvis de eodem regno id ex aliis neget, Stephan. *cap. 6. num.* 52.) ita hoc juris communis, & ubique recepti esse, haud vereor à vero alienum pronuntiare. Quod & accuratè more suo observat Dn. Lauterbach *Disputatione de Actione Injuriarum Recantatorea th.* 25. ibique alleg. Carpz. *pract. crim. part.* 2. *quæst.* 96. *num.* 13. ac Berlich. confer Stephanum *de Nobil. Civili cap. 6. num.* 52. Mollerum *in Comment. ad constit. Saxonia constit.* 42. *n.* 9. 10. Quando enim ad Palinodiam agitur, non ad pœnam corporalem, vel similem, nec pecuniariã fisco applicandam, sed saltem privatum interesse, honoris restitutionem agitur, ubi nulla Personarum distinctio locũ habet. Carpz. *d. l.*

XLVII. Regula tamen hæc antea tradita, *Nobiles mitius puniri pœnâ considerata abstractivè deq; foro solùm Judiciali, non etiam conscientiæ accepta*, vid. Tiraquel. *cap.* 20. *num.* 135. & ipsa aliquando perdit officium suum. Primo quidem in pœnis uniformibus, ut vocant Dd. hoc est non arbitrariis, Tiraquel. *cap.* 20. *num.* 131. Carpzov. Pract. Crimin. *part.* 1. *quæst.* 33. n. 25. Unde quamvis incendiarii Nobiles Jure Civili levius aliis plectuntur *l. fin.* §. 1. *de incendio ruin. naufragio.* quia tamen articulo ord. crim. Carolinæ 125. pœna uniformis definita, etiam Nobilibus illam dictandam censuerunt Scabini *d. l.* apud Carpzovium *num.* 25. II. in illis criminibus ubi Nobilitas & dignitas augent crimen, qualia quædam esse, arg. *l.* 14. *l.* 2. & 6. *ff. de pœnis* colligere est, Tiraquel. *dict. cap.* 20. *num.* 116. Sunt autem, quibus in his peccatur, quæ ipsam dignitatem concernunt; ut si sit Proditor. Proditionem enim maximè Nobilitati repugnare cernitur, ex *l.* 24. *ff. de pœnis*, si sit falsarius arg. *l. 8. ff. & Auth. sequenti Presbyteri C. de Episc. & Clericis.* III. nisi statuta aliter expresse disponant, & ex eodem delicto gravius Nobiles quàm ignobiles puniant, Tiraquel. *dicto loco* IV. Non procedere in pœnis pecuniariis, in quibus gravior pœna manet Nobiles, arg *l.* 13. §. 8. *C. de Judiciis* vid. pl. apud Tiraquel. Ex quibus limitationibus patet, in sat multis Criminibus Regulæ huic locum non esse. Non in Crimine læsæ Majestatis arg. *l.* 4. *C. ad l. Juliam Majestatis*, in proditione *l.* 3. *l.* 7. *ff. de re militari* & veneficiis *l.* 7. *C. de maleficis & Mathemat.* Paria de Assassinio, Sodomia, Furto, Crimine Falsi, notat, & adductis autorum plurium locis probat Nolden. *cap.* 12. §. 3. *n.* 104.

XLVIII. Præter hæc generalia Nobilium privilegia, superesse diximus, quæ specialia sint singulorum Imperiorum & Regnorum Nobilibus. Qualia etiam (ut de aliis modò nihil dicam) in Imperio nostro Romano Germanico Nobilibus Immediatis non pauca concessa sunt. Est verò etiam eorum, quamvis brevissima, hîc facienda mentio. Quo ipso tamen, cùm sciamus inter ea referri, quæ à Statibus Imperii nonnullis aliquando oppugnentur, quæ à Nobilibus extendantur, ab aliis limitentur, lites has nostras facere nolumus; sed si quid tale sit, id omne legitimis Judicibus dirimendum relinquimus. Nobis suf-

suffecerit, circa aliam dispectionem, illorum privilegiorum meminisse, quæ vel in Imperii Constitutionibus leguntur, vel alioquin seorsim typis descripta habentur.

XLIX. Ex iis præcipuè sunt, quòd *immediatè Imperatori subjecti sint, nec alteri Imperii Statui pareant*, R. A. zu Augspurg *de An.* 1555. §. und in solchem Frieden *ibi* welche ohne Mittel der Kayserl. Majest. unterworffen. Invictiss. Imperat. Leopoldi Capit. *art.* 3. ibi die ohnmittelbahr Reichs Ritterschafft / & passim in aliis artic. inprimis *art.* 18. ubi expresse de hac Nobilitate constituitur, sie sollen bevorab bey ihrer immedietät gelassen / ꝛc. Ex quo privilegio varia deducit Dn. Creidem. sæpe alleg. *Tr. quæst.* 4. *n.* 6. *& pl. seqq.* conf. Käiserl. Confirm. und Declaration der Fränckischen Ritterschafft Privilegien, contra die Landsasserey / quod sub n. 1. subjunctum est den Erneuerten Rahtsatzungen und Ordnungen der Ritterschafft in Francken / ꝛc. Quid verò dicemus, si Nobilis Immediatus in territorio cujusdam Principis; aut Status Imperii delinquat, an hoc casu Dominum territorii faciemus Judicem? vid quæstionem hanc ex re & vero definientem Magnif. Dn. Myler. *de Princip. & Stat. Imp. Rom. Germ. c.* 37. *n.* 10. ubi alleg. pl. Quòd *Jurisdictionem habeant territorialem*, Gail. 2. *obs.* 62. *n.* 3. Dn. Mylerus ante laudato *tr. c.* 25. *n.* 22. Schütz. *vol.* 1. *Disp.* 9. *th.* 10. quod satis probant actus superioritatis, quos ratione pagorum, Vicorum, ac Castrorum liberorum exercent: hi enim probant superioritatem velut effectus causam, Ming. *de Superiorit. territ. concl.* 59. Schütz *d. l.* qui id pl. etiam adstruit. Hæc autem superioritas, quæ in Principe vocatur Lands-Fürstlich / in Comite, Gräfflich / in Nobili immediato die Frey Adeliche Obrigkeit appellatur, Dn. Myl. Dn. Schütz. *d. l.* conf. Besold. *de Iure Ord. Civ. c.* 9. *th.* 41. Negat quidem id post Speidelium, nuper adeò doctissimus autor Exercitationum Exotericarum *Exercit.* 4. *th.* 22. eo argumento, quia status non sint, quo tamen contrarium non persuaderi, in conflictu demōstrabimus. Quid autē nomine territorialis Jurisdictionis veniat, breviter collectum legitur apud Dn. Creidem. *d. q. n.* 174. *& mult. seqq.*

L. *Ad Regalia illos etiam admittit* Creidem. *d. q. num.* 170. seque scire, ait, Nobiles fodinas metallicas in suo reperisse, & iis usos esse & Dn. de Welwart recipere Zoll und Weggelder *num.* 121. qui

bus addi qoteſt, quod ex Pierre d' Avity deſcriptione Europæ notat nuper *ſecundo tomo Addit. ad lib. 6. de J. P. cap. 3. num. 39.* Dn. Limnæus, Conrado Grunbachio Nobili Franconiæ licentiam cudendæ monetæ conceſſiſſe Rudolphum II. Imp. pro tribus thalerorum millibus. *Gaudent beneficio Pacis Religioſæ*, quod expreſsè definitur. §. **Und in ſolchem Frieden.** Quanquam autem variis controverſiis hoc jus obnoxium deinceps fuerit, reſtricta à nonnullis Statibus hac libertate ad Perſonas Nobilium Evangelicæ Religioni addictorum, & impedita reformandi poteſtate in multis terris, quas feudalis fidei lege tenebant Evangelici, qua de re, ut & de aliis contra hanc libertatem gravaminibus valde adhuc Anno 1646. cum Tract. ſuum ederet, conqueritur Creidem. *d. quæſt. 4. n.* 144. *& ſeqq.* Inventa tamen deinceps An. 1648. Inſtrumento pacis Cæſareo Suecico, huic malo medicina eſt, iis verbis, quæ leguntur *art 5. num.* 10. & hic ſequuntur. *Libera & Immediata Imperii Nobilitas, omniaque & ſingula ejus membra, unâ cum ſubditis & bonis ſuis, Feudalibus & allodialibus, niſi fortè in quibusdam locis, ratione bonorum & reſpectu territorii vel domicilii, aliis ſtatibus reperiantur ſubjecti, vigore pacis religioſæ, & præſentis conventionis, in Juribus religionem concernentibus & beneficiis indè promanantibus, idem jus habeant, quod ſupradictis Electoribus, Principibus & Statibus competit, nec in iis ſub quocunque prætextu impediantur aut turbentur. Turbati verò omnes omnino in Integrum reſtituantur.* Fruuntur jure Auſtregarum, h. e. conceſſum eſt ipſis, ut coram judicibus certis electis, negotia & lites in prima inſtantia, ac antequam ad Cameram deferantur, determinare poſſint, Ordinat. Cameral. *part. 2. tit. 3. & 5.* quo loco tamen minimè prætereundũ, uti illos beneficio hoc, ſi vel à ſimilibus, vel ab aliis immediatis in jus vocentur, non etiã ſi à mediatis, aliisque privatis, qui illos in Camera in prima inſtantia convenire poſſunt; adeoque requiritur, ut uterque tam actor, quàm reus ſit immediatus, *d. tit. 5. Mynſing.* 1. *obſerv. 89.* qua in parte differunt Nobiles Immediati à Principibus, qui etiam hoc caſu habent privilegium, & jus primæ inſtantiæ. Dn. Schütz. *vol.* 1. *Diſp. 9. th.* 11. *lit. b.* Ceſſat etiam ſi reali actione Nobilis, in loco rei ſitæ conveniatur: hoc enim forum, ſi lis ibi inſtituatur, auſtregas ſemper excludit, quod fuſe probat Ziegl. ad Calvol. §. *Auſtreganum.*

num. 35. p. 54. & seqq. ad quem §. prolixè etiam alias causas, quæ cessare Austregas faciunt, enumerat. Fruuntur Constitutionibus Imperii *in puncto arrestorum, Pignorationum, litigiosæ possessionis, diffamationis,* Creidem. *d. q.* 141.

LI. *Nihil etiam ad Cameræ sustentationem contribuere tenentur, neque ad exolvendas contributiones & collectas, de quibus invicem convenerunt in comitiis Imperii Status, adiguntur.* Dn. Creidem. *d. q. n.* 81. Quamvis enim ante hac de iis scripserit Dn Limnæus *l. 6. 7. P. c. 3. n. 24. Coguntur sarcinam subire non solum Turcicarum collectarum, verumetiam tenentur* zu Schutz und Schirm gemeiner Sicherheit / in gewisser Anzahl den Creisen zuzuziehen. Rem tamen secus se habere ita perspicuè ostendit Dn. Treisbach. im unvergreifflichen Bedencken *q. 2. num.* 236. ut haud obscurè ipse Dn. Limnæus manus veritati det, *in primo Tom. Addit. ad l. 6. cap. 3. n.* 24. ubi de iisdem his Nobilibus *subeunt*, ait, *onera requisiti, vel admoniti ab Imperatore, & certiores facti de necessitate; Subeunt tamen ea non coacti præcepto, aut exemplo Statuum Imperii, sed inducti amore patriæ &c.* Confer Divi Ferdin. I. Römischen Königs Freyheits-Brieff / dem Reinstrom. Adel gegeben den 27. Aug. Anno 1542. Requisiti tamen ab Imperatore plerumque aliquid solvunt, ita tamen, ut eorum libertati, datis Reversalibus caveatur. Modum hunc esse prodit Creidem. 1. scribere Imperatorem ad Nobiles, Imperii 2. exponere periculum, ac 3. quantum Imperii Status contribuere promiserint; 4. Petere etiam ab ipsis, subsidium 5. deputari Cæsareos Comissarios, 6. hos conventum Nobilium desiderare, ut jussa exponant, 7. denominari à Directoribus Consiliariis & Deputatis diem & locum ubi Cæsarei Commissarii audiantur, omnia perpendantur, consultentur demum 8. certum quid loco subsidii promitti, 9. ac contribuere Nobiles & eorum subditos donec summam hanc conficiant, 10. quæ solvitur Commissariis, receptis apochis seu solutæ pecuniæ testimoniis, & reversalibus, sub signo Majori Imperiali. Solvunt plerumque 15. 20. vel 25. mille florenos ad summam triginta millia, Creidem. *d. l. num.* 83. quod tamen quomodo conveniat cum eo quod legitur *num.* 85. ipsos An. 1596 solvisse 32000. & 1577. sexaginta mille florenos, nisi prius assertum de hodiernis, posterius de prioris secu-

culi temporibus accipias, non video. Non contribuunt autem æqualiter quinque hæc loca, ſed modo illo, cujus typum exhibet *d. l.* Creideman.

LII. Etiam illo Privilegio Immediatæ Nobilitatis commodis conſuluit Imp. quod *Judæis prohibitum eſſe voluit, citra conſenſum & approbationem Magiſtratus, quoscunque contractus, nominatos vel innominatos, præter Emptionem venditionem, cum ſubditis Immediatorum Nobilium, celebrare*, ſub pœna nullitatis contractus & viginti marcarum auri, ſi cum Suevicis Immediatis Nobilibus, eorumque ſubditis, (citra conſenſum legitimum ſuperiorum) quadraginta, ſi cum Francicæ vel Rhenanæ Nobilitatis ſubditis contractum ſit, & Commiſſi. Neque intereſt, an ſimplex ſit contractus, vel juramentum, hypotheca, pignus, transactio, pactum, aut quodcunque demum acceſſerit: additur quoque nullas eſſe, factas contra privilegium Subditorum renuntiationes vid. apud Creidemann. Renovationem *Confirmationis Privilegii*, **wegen der Juden wucherlichen** Contract *num. 4.* Privilegium tertiũ, inter inſerta **der Fränckiſchen Ritter-Ordnung** nuper adeò editæ, **Kayſer** Rudolphi **Freyheit dem Römiſchen Adel befeſtiget** apud Limn. *l. 6. c. 3. num. 67.* Creidemann. *d. q. 4. num. 72. & ſeqq.* Quod Privilegium quanti æſtiment Immediati Nobiles videre eſt ex eorum ſupplicationibus, quæ præmiſſæ privilegiis leguntur. Et ſanè compertum eſt, exemplis in Germaniâ, Judæos peſtem eſſe ditionum quas incolunt, & contractus ipſorum ferè ſemper noxios ſubditis, quam in rem conſuli merentur, quæ ex aliis monet diligentiſſimus Limnæus *in addit. tom. pr. ad lib. 3. cap. 3. n. 15.* Quo loco illud negligendum non videtur, quod circa forum Judæorum ſingulare eſt, ut conveniri poſſint, non ſolùm coram judice domicilii, ſed etiam judicio Rothweilenſi, Imperiali Camera, ac Judicio aulico Imperiali, ex hac ratione, quia ſunt ſervi Cameræ Imperatoris **eines Röm. Kayſers Cammer-Knecht** Wehn. in Ord. Rothw. *p. 2. t. 5.* §. 17.

LIII. Sequitur demum privilegium concernens Jus Retractus, quod Suevi *ex privilegio Ferdinandi II.* Rhenani *ex privilegio Rudolphi II.* Franconici, ex ejusdem Rudolphi, *& Confirmatione, Declaratione, Extenſione Ferdinandi III.* ſibi tribuunt. Vigore quorum, ratione bono-

bonorum agnati proximi, vel iis deficientibus quilibet Nobilis Immediatus ejus Classis, hoc jus habeat: quâ de re plura legi possunt apud Creidemann. *d. l. n.* 119. qui tamen observat *n.* 129. multa post impetrata hæc privilegia bona alienata esse, non observatis præscriptis in eis requisitis.

LIV. Superest Privilegium ratione der Leibeignen concessum, de quo vid. itidem Creidemann. *d. quæst. num.* 33. *ac seqq.* & in subjectis Tractatui suo privilegiis, *num.* 3. Privilegium VII. inter Franconica, quæ habentur in nuper edita Ordinatione, wegen der Leibeigen-Leut. Privilegium III. inter Rhenana apud Dn. Limn. *l.* 6. *cap.* 3. *n.* 61. Privilegium ratione der Wildfuhren de quo idem Dn. Creidemann. *ibid. num.* 58. *& seqq.* cujus tamen omnia, quæ ibi leguntur, nostra non facimus. Confirmatio Declarationis & Extensionis Privilegii die Wildfuhren / Forst / und Jagens-Gerechtigkeit betreffend / apud eundem. Quâ de re consuli etiam potest inter Franconica, Confirmatio Declarationis & Renovationis Privilegii die Wildfuhren betreffend. & inter Rhenana, Privilegium quod exhibet Limn. *lib.* 6. *c.* 3. *n.* 36. De Immunitate à Vectigalibus consule *th.* 42. *Possunt etiam Immediati Nobiles instituere Ganerbinatus.* Dn. Schütz. de Stat. Rei Rom. *vol.* 1. *disp.* 9. *th.* 14. *lit. a.* De Ganerbiis autem erudita sunt, quæ observavit Dn. Wehnerus in Observ. Pract voce Genarben / & Killinger peculiari tractatu de Castrorum Ganerbiis. Possunt *ad familiarum conservationem pacta successoria facere*, qua de re pluribus agit Betsius de pactis familiarum Illustrium.

LV. Illud Regale, cujus mentio est apud Dn. Creidemann. *dict. quæst.* 4. *n.* 104. quod Matthiam Imp. Anno 1615. Nobilitati Suevicæ concessisse memorat, über das Blut zurichten / de quo multa haud vulgaria *d. l. & seqq.* addit, inter privilegia Rhenana & Franconica hactenus edita, non reperio; quare illud privilegium Nobilitatis Immediatæ Germanicæ in universum esse, pronuntiare non audeo. Adscribit etiam Suevis Dn. Creidemann. *d. q.* 92. Privilegium exemptionis à Judiciis & tribunalibus extraneis, concessum Anno 1560. quo ipso tamen, corpus Nobilitatis hujus non exemptum esse tradit, à Judicio

Rohtweilensi: à quo nihilominus certæ familiæ impetrarint exemtionem privilegio peculiari: quâ de re vid. quæ pluribus disserit *d. n. & seqq.*

LVI. Latus se aperit de his pluribus disserendi campus, sed brevitatis studio, & aliis de causis, in præsens operâ hac supersedemus. Quam propter rationem etiam accuratè perpendendi otium non est, quæ de probatione Nobilitatis prolixè apud Authores tradita leguntur. Cui ex usu erit, ea quoque cognoscere, is adeat Mascardum *de Probat. conclus. 1094. in princ.* Menoch. *libr. 6. præsumpt. 60.* Decian. *Resp. 66. num. 50.* Besold. *de Jur. Ordinib. Civ. c. 11. p. 112.* Nolden. de Stat. Nobilium, edit. Hampel. in Nucleo discursuum cap. 14. integro. Conf. & Monf. le Bret au trentesixiesme plaidoye.

LVII. Excessimus fere Disputationis modum, quare colligenda vela sunt, & properandum ad portum. Desinemus autem in iis, quæ Nobilitati finem imponunt. Collegit eorum multa Tiraquel. *tom. 1. cap. 24. & seqq.* Ex cujus *c. 34.* descripsit maximam partem Nolden. cap. suum 17. Impendit autem etiam explicandis hisce operam Dn. Stephanus *c. 7.* Tractatus *de Nobilitate Civili.* Nobis sufficerit, paucis necessariis delibatis, eorum, quæ vel ab ipsis prætermissa, vel ita tradita sunt, ut de rei veritate justæ dubitandi causæ superesse videri possint, meminisse. Amittitur ergo Nobilitas. I. **Juris Infamia.** *l. 2. C. de secund. nupt, l. 8. C. de decurionibus* vid. *l. 47. ff. de Nuptiis l. 1. C. ubi Senatores vel Clarissimi l. 12. C. de Dignit. Thoming. tom. 7. consil. 12. n. 30.* confer. *art. 43.* in Legibus Torneamentorum antiquis Germanicis, apud Comitem Solmensem libro Germ. **von des Adels Ursprung.** An autem Infamiâ hac præjudicetur liberis? quæritur. Cravetta. *consil. 165. num. 4.* respondit præjudicari. Tiraquel. *c. 35. ac* Dn. Schütz. *vol. 1. Disp. 9. th. 8. lit. d.* variè hic distinguunt. Nos, ut consuetudinibus diversorum locorum nihil detractum volumus, ita de Jure, eo liberis regulariter noceri, negandum putamus: quod persuasum habeamus, immediatè, ex ipsa concedentis voluntate (cum potestate conjunctâ tamen) derivari Privilegia Nobilitatis, quibus filii gaudent, qua de re pluribus *th. 21.* egimus. *Quando Princeps autem*

alicui

alicui Nobilitatem & suis liberis concesserit, non putarem ipsum patrem posse præjudicare Nobilitati liberorum quam ab eo non habent; sed à Principis liberalitate & Provisione, verba sunt distinguentis alioquin Tiraquelli *c.35.n.5.* quæ ipsi veritas haud dubiè expressit. Non recuperat autem Nobilitatem, qui eam per infamiam & vitæ turpitudinem amisit, si ad meliorem vitam redeat, ipso jure; sed interdum saltem per rescriptum Principis arg. *l. 1. C. de Sentent. passis* Tiraquel. *d. cap. 24. num. 3.* Ut nec, quamvis privilegia Nobilitatis perdat, ab oneribus, quæ à dignitate separari possunt, liber est. Pulchre Martianus: *honore illum arceri puto, cæterum impendia debere præstare. l. 8. ff. de interdictis & relegatis. l. 7. §. ult. eod. l. un. C. de infamibus.*

LVIII. Quæ hactenus tradita sunt, ea non ita simpliciter admittit nuper, Loyseau, Gallus & Ingenii non insubtilis Scriptor, Tractatu Gallico *de Ordinibus cap. 5. n. 89. & seqq.* ubi pluribus ea de re disserit. Quia autem prolixiora sunt, quàm ut sine tædio repeti possint, & Gallica, dabimus eorum brevem summam. *Distinguendum ergo* putat *inter Nobilitatem, quæ oritur ex dignitate officii; eam quæ est ex collatione Dominii vel Feudi; (de la Seigneurie) & inter illam, quæ est generis, quam nativam ac quasi naturalem appellitat.* De primâ consentit, *ac ita judicatum esse in Parlamento Parisiensi, Anno 1534. in causa Dn. de Crem. Magistri Rationum, cui prohibitum sit titulo equitis uti*, observat. *Quod ad secundam: quamvis per simplicem condemnationem famosam, circa bonorum Confiscationem, Feudum non perdatur, se tamen existimare, si Ignobilis per Investituram hujusmodi Feudi Nobilis, à Rege sciente factam, Nobilitatem consecutus sit, amissâ per Infamiam Nobilitate, posse adigi, ut Feudum ipsis cedat, ab iis, quorum interest. Cæterum, quousque ibi toleretur, tam diu haberi pro Nobili. Nobilitatem autem generis*, quæ tertia ipsi est, *non perdi per Infamiam autumat, quia jura sanguinis nullo jure Civili dirimi possunt. l. 8. ff. de R. I. l. 8. ff. de capite deminutis*: admittit tamen exceptionem, *quando declaratur ignobilis, aut gradu Nobilitatis amovetur. Nihilominus videri sibi*, ait, *infamem non uti posse juribus Nobilitatis, quæ honoribus constant*, per *l. un. C. de infamib. l. 8. C. de decurionibus, sed Privilegia alia Nobilitatis ipsi manere integra, v. g. ut collectari non possit.* Breviter, videtur ea

 pri-

privilegia, quæ ex præsumptione virtutis oriuntur, quæ in Reverentia & Honoribus consistunt, iis negare; concedere autem qua immunitatem concernunt, & reliqua.

LIX. Non probat autem se nobis ubique etiam hæc sententia. Ut enim primum faciles admittimus, ita qua ratione quod de secundo monet, probari solidè queat, non videmus. Non enim Feudo adhæret vel inhæret Nobilitas, sed Personæ qualitas est, quæ à potestate & voluntate conferentis dependet, Dn. Ludwell *Tract. Feudal. de divis. Feudorum cap. 3. p. 59.* & alleg. qui eam tacitè sæpe per rei Interventum expedit. arg. *2. Feud. 10.* Dn. Struvius *c. 3. Syntagm. Feud. th. 5.* Quæ voluntas concedentis, sive tacita hic, sive expressa ponatur, non excludit conditiones legitimas, etiam eas, quæ resolutivæ dicuntur. Quæ v. de Nobilitate Naturali differit, ac, quam ei quæ ex Principis concessione est, opponit, ea convelli possunt ex th. nostra *21.*

LX. Deinceps Nobilitatem etiam perdi tradunt, per exercitium vilis artificii Tiraq. *c. 34.* Nolden. *c. 17. th. 161.* In quam sententiam ire videtur *l. 6. C. de dignitatibus.* Inter viles autem artifices numerant, de Jure Civili, Pictores, Coquos, Laniones, Pistores, Fabros lignarios, Aurarios, & Vitrarios, Tabernarios, Popinarios, Caupones, Nautas, Stabularios, Fullones, Sarcinatores, Agitatores, Apothecarios, Argentarios, Monetarios, Arenarios, Histriones, Tybicines, Lyristas, Athletas, Pugiles, Balneatores, Tonsores. Quæ munera talia esse, textibus & autoritatibus pluribus adductis evincere tentat Tiraquel. *dict. cap. 34.* & qui illum sequitur Nolden. *cap. 17.* ut nisi ab his artibus desistant, vel à Principe restitutionem obtineant, Nobilitatem expirare faciant. Nold. *d. l.* In nonnullis tamen expresse requirunt; ut lucri vel quæstus, non animi causa exerceantur: quod de pictura inprimis monet Tiraquel. *dict. cap. num. 2.*

LXI. Videntur autem nobis in hac dispectione, An, & quæ mechanica artificia extinguant Nobilitatem? ista præcipuè sicco pede prætereunda non esse. I. Cùm Tiraquellus agnoscat *cap. 27. num. 5.* eos, *quos propter vile artificium, privilegia Nobilitatis perdere* vult, *perdere ea tantisper solùm, dum in his artibus vel officiis versantur; & si desistant*

ſiſtant, redire ad vitã & ſtatum Nobilium, quæ ipſius verba ſunt, probata etiam à reliquis, Nolden. *c.* 17. & allegatis, ac quod ſciam, ab omnibus aliis adeò; eo ipſo illum oſtendere, non perdi hac ratione Nobilitatem: (quod enim perditur, hoc perpetuò nobis abeſt,) ſed ſuſpendi potius eam, ita, ut ſemper, dummodo abſtineat ab hujusmodi opificiis, repetere Nobilitatem poſſit, qui utitur hiſce artificiorum generibus. II. adductos à Tiraquello, Noldeno & aliis textus, diſertis verbis plerumuqe non dicere, tolli artificiis de quibus loquuntur, Nobilitatem. Conſequentiis autem, præcipuè remotis, quales vellem non eſſent tam multæ in Tiraquello, nimiũ dandum eſſe, in odioſis inprimis, qualis eſt ademptio Nobilitatis, non autumo. *cap. odia de R. I. in 6.* Sanè, cur picturam derogare nobilitati velit, vix ſatis cauſæ habet. Quod enim inter fabriles, pictorias operas reponi ait, in *l. 26. §. 12. ff. de condict. indebiti*, id expeditum non eſt, imò, meo judicio omnino falſum. Quamvis enim Codices MSSti nonnulli, hic pictorias operas cum fabrilibus conjungant, alii tamen, & melius, & naturæ rerum, ac ejus ævi ſcriptoribus convenientius, eas adverſativâ particulâ diſtinguunt. Quid enim pictoria ars cum fabrili commune habet? Et fuit Romæ picturæ is honos, ut indè Fabii nomen traxerint. Plin. *lib. 35. cap. 4. & cap. 10.* Ex Imperatoribus Hadrianum ejus peritiſſimum fuiſſe Spartianus, Marcum Antoninum Capitolinus, Alexandrum Severum Lampridius in vitis ipſorum tradidere. Nec alia mens Ferdin. III. glorioſiſſimæ memoriæ Imperatori fuit, qui pictori aulico Nobilitatis inſignia ob artis hujus præſtantiam paucis ab hinc annis, conceſſit. III. quando de amiſſione Nobilitatis agitur, conſuetudinem cujusque loci probè obſervandam. Tiraquel *cap. 34. in princ.* Aureum eſt Amilii illud. *Non eadem omnibus gentibus honeſta ſunt atque turpia*, in princ. *Vitarum virorum Excell.* ac adeò differunt ſæpe nationum mores, ut alibi fama ſit Infamia alibi honor nota. Bodin. *de Republ. libr. 3. cap. 8. poſt princ.* Apud Turcas equidem opificia hujusmodi adeò non tollere dignitatem obſervat, haud ita pridem, Baudier, in Hiſtorica deſcriptione Aulæ Turcicæ *lib. 1. c. 9.* ut peculiari in eam rem lege Alcorani id jubeatur etiam; nec dignus cenſeatur qui vivat, niſi qui ſua manu laboret. Ac inter Imperatores

res ex Ottomannica familia vix ullum esse, ait, qui non ad vitæ suæ usum propriis manibus laborarit. Muhametem Secundum hortos suos coluisse, atque ex fructibus eorum divenditis se sustentasse. Solimannum Secundum sutoriam exercuisse, calceosque, quos consuerat, in foro vendi curasse, ac pretium quod receperat, impendisse, in alimenta necessaria. Selimum Secundum confecisse Imagunculas crescentis Lunæ, quibus utuntur peregrinatores qui Mecham tendunt. Amurathem sagittas, alios cultellos fabricasse, quæ omnia carè vendantur. Inter Leges quibus hodie utitur Respublica Genuensis legitur *cap. 3. p.* 4. artes serici, lanæ, & pannorum, quas vulgus scateriam, lanariam, pannariam, & drapariam vocat, nihil derogare nobilitati, dum tamen Nobiles ipsi eas propriis manibus non exerceant, Vitraria quoque ars, quam exercentes in Germania maximè ignobiles haberi, ex Eberhardo à Weihe tradit Nolden. *cap. 17. thes. 165.* in Gallia non solùm à Nobilibus frequentissimè exercetur, sine detrimento Nobilitatis, quod præjudicio Parlamenti Parisiensis probat Bretau 38. plaidoyé; sed existimant etiam Gallorum Scriptores nonnulli, quamvis falsò, Nobiles fieri, qui eam exerceant; quod tribuit aliquibus Loyseau *de ord. cap. 5. n. 106.* Cæteroquin artium aliarum Mechanicarum exercitium, derogare Nobilitati in Gallia, scribit Vir longè doctissimus. *Estienne Pasquier, eximii Operis des recherches de la France lib. 2. cap. 15.* & ostendit rem exemplis Charron. *Hist. Universalis c. 105. p. 733.* ubi Jacobum Darianum ob cauponariam, quam Aquis Sextiis exercebat, & alios ob mechanica exercitia Nobilitate sua excidisse, memorat.

LXII. **Mercaturæ Exercitium**, nec divina, nec Naturæ, nec Gentium lex, Nobilibus prohibet: tantum abest ut ea amitti Nobilitatem velit. Vetat tamen, *l. 3. C. de commerciis & mercatoribus.* Prohibet haud dubiè, ne Nobiles mercatores sint, lex hæc, sed an etiam decernat, quod volunt plerique, amitti mercimoniis Nobilitatem? nos valde dubitamus. Ait quidem Nolden. *c. 15. n. 174.* Privilegia amitti per actum contrarium. Atqui Mercaturam exercentes faciunt actum contrarium Nobilitati. E. Privilegium hoc amittunt.

Cæ-

Cæterum, ut hac ratione privilegium perdatur, actũ ita contrarium admitti necesse est, ut natura in uno eodemque subjecto non ultra consistere possint duo hæc, Privilegium, & Actus de quo agitur, contrarius: qui si lege solùm Civili prohibitus, ac ea ratione contrarius factus sit, nec additum sit expressè, posito actu tali, amitti privilegium, secus existimari debere judicamus. Moribus tamen, ut etiam Mercatura amittatur Nobilitas induci potest: & alicubi omnino, alicubi quod ad effectus nonnullos, inductum cernitur. In Gallia sanè derogari Mercaturâ Privilegiis Nobilitatis scribit *all. supra loco* Estienne Pasquier. Et in Germania idem observari, exceptis Provinciis, quæ Rhenum, Danubium ac Alpes attingunt, judicat Cluverius *lib. 1. Germ. Antiquæ cap. 18.* Idque expressè cautum Torneamentorum antiquis Germanicis Legibus apud Goldastum Reichs-Satzungen. *part. 1. p. 5.* Et Neapolitanos ac Lombardos Nobiles nihil magis contrarium Nobilitati, quàm mercaturam, existimare, tradit Paruta *de Perfectione Vitæ Politicæ lib. 3.* Apud Venetos tamen & Genuenses, Nobiles, citra Detrimentum generis exercere mercaturam, prodit Tiraq. *c. 33. n. 21.* quod de Florentinis quoque Paruta *d. l.* De Hollandis, Groenewegen. *ad l. 3. C. de Commerc.* de Hispanis, Guinensibus, Lusitanis, Livonis, ex aliis testatur exquisitæ eruditionis Vir Lucas Langermannus *de Iure in Curia Mercatorum usitato, th. 33.* In locis tamen ubi prohibentur mercatura Nobiles, prohibitum non est commercium fructuum, qui ex proventu agrorum ad ipsos pertinentium, eis obtigerunt: *Pasquier. d. l.*

LXIII. Id extra ambiguitatis aleam est, Nobilem fœminam, quæ plebejo nubit, amittere Nobilitatem *l. 8. in fin. ff. de Senatoribus l. 13. C. de dignit.* Procuratoris Judicialis munus Nobilitatem extinguere multi volunt, eamque rem minimè dubiam esse autumat, Tiraquel. *cap. 30. in pr.* arg. *l. 34. C. de decur.* Cæterum textus ille de Procuratore solùm negotiorum loquitur. Quare quando de Jure communi quæritur, magis probo sententiam Nolden. *c. 18. §. 5.* Schützii *vol. 1. de S. R. R. Disp. 9 thes. 8. lit. E.* qui hic in diversum eunt. Et quod scribit Tiraquel, de Gallorum moribus solum verum videtur, ubi noceri

ceri Nobilitati hoc munere etiam docet Loyſeau *de Ordin. cap. 5. num. 106.* Quod ad Germaniam, inprimis eos Procuratores, qui in Camera ſunt, extendi nequit, qui Doctores omnes vel Licentiati ſunt, Ordin. Cam. *part. 1. tit. 18.* Paupertate, Judicis & Advocati munere, Artis Medicæ & Agriculturæ Exercitio, nulla ratione, ſed ne furore quidem tollitur Nobilitas; qua de re conſuli poſſunt ii, quorum antea meminimus. Nos enim Pedem hic figimus.

INTRODUCTIO AD PRAXIN FORENSEM,

Antehac

CONSILIIS CHILONENSIBUS PRÆMISSA.

I.

DIsciplinas Philosophi rectè in Theoreticas & Practicas dispescunt: illas, quæ in cognitione & contemplatione desinunt, cùm id, circa quod versantur objectum, non faciat nisi contemplationi locum, & necessarium sit, aliterque se habere nequeat: has in quarum cognitione mens non acquiescit, sed ulterius progressa, de alio fine sollicita est, & quæ occupantur circa res contingentes. Atque Practicæ illæ, vel ad prudentiam, vel artem pertinent: è quibus Jurisprudentiam, prudentiæ speciem esse, vel ipso ejus nomine monemur. Quæ cùm vulgatiora sint quàm ut aliquem latere possint, ideo tamen hic mihi repetenda fuerunt, ne, qui Theoriæ, ac Praxeως Juris, aut Theoretici & Practici nomina, apud scriptores nostros, legerit, vocis similitudine deceptus, istá quoque acceptione Theoriam, circa easdem res necessarias, unde disciplinis Theoreticis nomen est, versari existimet. Usu enim obtinuit, cùm Practicæ illæ doctrinæ, ad definitiones, divisiones, causas, & præcepta sua, à quibusdam revocantur, si in usum præterea non convertuntur, id Theoriam: istos verò, qui illam in eas operam collocant, Theoreticos dici: quemadmodum ex applicatione earum ad facta, praxis æstimatur, iique qui id agunt, Practicorum nomine à prioribus istis discernuntur. Ita & Medica ars, licèt Practicam esse nemo neget, suos habere Theoreticos potest, qui lectis doctissimorum Medicorum, Hypocratis, Gale-

ni, Arabum, Sennerti, Harvæi, aliorum ſcriptis, uſu artis, & ægrorum curâ abſtineant: & Jurisprudentia, qui Legum cognitioni, applicationem ad facti quæſtiones non adjungant.

II. Quando autem, quid vocabulis illis Theoriæ ac Praxeos propriè veniat, non omnes æquè intelligunt, antequam ad reliqua progrediamur, quid inter utramque ſit diſcriminis, breviter expediamus. θεωρία, nativâ vocis vi, rerum divinarum contemplationem, inſpectionem, obſervationem, Græcis notat. Plerumque tamen, idem illis eſt, quod Latinis ſimpliciter ſpeculatio, contemplatio, conſideratio, Ciceroni meditatio. Unde θεωρητικὸς is eſt, qui Senecæ contemplativus dicitur, ut πρᾶξις actio, πρακτικὸς activus, vel qui res aggreditur. Qui ergo jus vel Leges cognoſcit, qui interpretatur, & quæ ad interpretationem ejus neceſſaria ſunt, definitiones, diviſiones, hiſtoriam, cauſas Legum, callet, is quoque qui de Jure diſputat, hactenus quidem, Theoreticus eſt, eaque didicit quæ ſunt Theoriæ. Nec intereſt Leges illæ ſint Juſtinianeæ, an Civiles aliæ, Juris Naturæ, vel Gentium, Seculares, aut Eccleſiaſticæ. Neque tamen ille hoc nominis ſolùm meretur, qui omnia illa Jura animo complectitur, aut qui interpretari ſimul, & diſputare feliciter, ac ex Hiſtoria lucis plurimum legibus afferre noverit. Ut enim unus altero plura contemplari, ſcire, cognoſcere poteſt, ſic res iſta quoque ſuis gradibus diſtinguitur, ut unus altero magis eſſe poſſit θεωρητικὸς. Ita qui Leges ita novit, ut quæ verborum, quibus illæ conſtant, virtus, vel, quod idem eſt, quæ earum ſententia ſit, non ignoret, is mihi quidem Theoreticus ſit, ut intelligam tamen, plus illâ Juris cognitione valere illum, qui Hiſtoriam & diſciplinas alias adjecerit. Sed & illum, qui quamcunque Juris partem rectè didicerit, licèt totum Juris pelagus emenſus nondum fuerit, ſi iſtam tamen rectè cognoverit, ab illa contemplatione, rectè Theoreticum dici, non ambigo; licèt plura cognoverit, ac amplitudine illam ſuperet illius Theoria, qui reliquas quoque Juris partes iſti peritiæ adjecerit. Scio quidem, nonnullis uſurpatum, Theoreticum dicere non niſi illum, qui hæc omnia, vel pleraque accuratè teneat. quod more potius ac loquendi conſuetudine, quàm verâ rei & philoſophicâ conſideratione excuſatur. Quàmvis eum qui Receſſus Imperii, ſtatuta locorum vario-

riorum, addo etiam, consuetudines plures, & Statuta loci illius in quo degit, Juri Justinianeo, & Canonico addiderit, perfectiorem Theoreticum, altero qui ista ignoret, facilè agnoscam. Qui his processum, vel tractandarum in judiciis causarum, exquisitam rationem conjunxerit, (quamvis illa Jure Civili, Canonico, & Imperii Recessibus, ferè continetur) eum video non paucis jam ex Theoretico in Practicum mutari: cui, ego quidem sententiæ, tum certis rationibus, tum magnorum JCtorum autoritate ductus, accedere non possum. Juris enim cognitio, vel ad illud Jus pertinet, quod materiam Judiciorum tractat, quo causæ controversæ deciduntur, vel formam respicit, ac ista ejus parte constat, quâ modus solùm, vel ratio pandendi merita causarum, ut cum nostris loquar, continetur, quam plerumque processum vocant. Horum neutrum, suis destitui præceptis, in propatulo est. At præcepta hujusmodi Theoriæ esse, nemo ambigere potest; praxin verò circa singulas actiones versari, & ista Universalia singularibus applicare. Ut enim in thesi versatur Theoria, ita ad hypothesin descendit Praxis. Jam & illud satis constat, ut Praxis sit, requiri facti quæstionem, & Jus, quæ duo conjuncta illam efficiunt. At non fit illud, solâ, de qua nunc sermo est, cognitione, sed cognitarum LL. ad casus oblatos applicatione, quæ judicii potius est, quemadmodum illa potissimum memoriæ & ingenii. Fac tamen, eum qui ista didicit, addidisse quoque judicii vim, Legum Naturalium, Gentium, Civilium, Provinciæ suæ Statutorum, consuetudinum, Pactorum gentilitiorum, privilegiorum, & processus cognitioni, jamne à Practico noster ille differet? Si enim ex usu fori solùm rem illam æstimare velimus, verendum, ne iidem, unâ eademque hora, interdum & Practici sint, & esse desinant, dum vel contemplantur aliquid, vel famen explent, vel somno vacant, aut saltem dum ab operatione quiescunt. Sed & quid fiet celeberrimis JCtis, Alexandro ab Alexandro, qui, cùm in regno Neapolitano, & Romæ, causas sæpe doctissimè defendisset, *tandem tamen, ubi in judiciis illis, gratiâ & corruptionibus omnia transigi videret, patronisque contra vim potentiorum nihil ibi amplius præsidii esse, relicto foro, & causarum actionibus, in mitioribus Studiis ætatem consumpsit: satius esse ducens*, ipsius verba sunt, quæ commemoro, *modico civili-*

lig. cultu contentum vivere, quàm bona animi turpi quæstu, pessimo exemplo, fœdare. & Hieronymo Scurfio, laudatissimo JCto, quem & ipsum circa vitæ ultima de Jure respondere desiisse ferunt. Id satis constat, Græcis πρακτικὸν non illum solum esse, qui agit, sed quandoque etiam dici, qui rebus agendis aptus est. quo sensu Cicero libro *de Oratore 1. experitiâ legum & consuetudinis ejus, qua privati in Civitate utuntur, ad respondendum, agendum, & cavendum*, describit JCtum suum. Sanè, cùm Judicium facultas illa sit, quâ jus cognitum facto applicatur, agnitâ Juris cognitione, & judicio, vix est ut Praxis planè omnis negari possit. Erit ergo ille, sed ut Metaphysicorum hic distinctione utar, Practicus actu primo, non item secundo: qui agere, & ritè, possit quidem, non actu operetur tamen: quomodo, posteriori sensu, nec extra actionis tempus practici fuerint, qui alioquin plurimum in foro & judiciis versantur.

III. Differt ergo Theoria à Praxi, cognitio Juris ab usu illius, quod in cognoscendo illa sistat, praxis cognita ad usum & forum transferat: quod circa generale Jus, & finitum quid, illa occupetur; hæc circa singularia hominũ facta, quibus Jus applicat, versetur, quæ numero nullo definiri possunt, cùm sint infinita: quod theoria Jus in thesi consideret, Praxis ad hypothesin revocet: illa solùm circa Jus, hæc circa Jus & facta hujusmodi versetur: hanc præcepta occupant, illam exempla: hæc sine praxi, at sine theoriâ praxis legitima nulla esse possit: hæc memoria & ingenio plurimum perficiatur, ista præcipuè judicio, quamvis utrobique, judicio locum esse, negari nequeat. Theoriæ ergo ista sunt, leges & Jus memoriâ tenere, in thesi, & citra applicationẽ ad facta Petri vel Pauli, id interpretari, in id commentari, de eo disputare, illius conditi Historiam, occasiones, finem, causas alias, tenere. Quæ si adsint, Theoreticum poni nemo negaverit. JCti tamẽ augustum nomen, his omnibus absolvi, nondum concesserim. Et video sanè, hic mecũ facere gravissimos viros inter illos Ulpianum, imò ipsum quoq; Imperatorem Justinianum, qui Ulpiani ista, in ipso Pandectarum limine legi voluit. *JCtos non boni solùm & æqui notitiâ profiteri, sed & æquum ab iniquo separare, licitum ab illicito discernere.* In omnium ore est Cæsaris illud: *Usus omnium rerum optimus Magister.* Et Ciceronis dictum

ctum eſt, *Nec medicos, nec Imperatores, nec Oratores, quamvis artis præcepta perceperint, quicquam magnâ laude dignum, ſine uſu & exercitatione, conſequi poſſe.* Eſt quidem homini his adminiculis inſtructo, facillimum, ut rectè tradit Antonius Faber Epiſtola ad Carolum Emanuelem Sabaudiæ Ducem, operi illius de Pragmaticorum erroribus præfixâ, quæ didicerit, in uſum deducere, & paucorum, quæ ſuperſunt cognitionem, ſuperiori peritiæ addere; *quæ cauſa fuit Viris magnis, ut rem facilem, quam nullo labore addiſci poſſe ſcirent,* verba Antonii Fabri Practicorum ſuæ ætatis doctiſſimi, adſcribo, *diſcere nunquam voluerint.* Sed horum & ipſe ſententiam rejicit, neque ego probare poſſum conſilium. Cogitare enim debuiſſent, Juſtitiam ex eorum bonorum numero eſſe, quæ ſunt ad alium. Unde ἀλλότριον ἀγαθὸν Philoſophis aliquando rectè appellatur. Veteres certè JCtos illos, in uſum legum notitiam convertiſſe, ex tot ipſorum Reſponſis, quæ hodieque in Pandectis extant, quibus ex facto conſulti Judici vel partibus profuerunt, cognoſcimus. Quin & Teſtamenta conficiebant, quod apud Ciceronem *l. 2. de Oratore* Craſſus ad Scævolam innuit. *Si nullum,* ait ibi, *Teſtamentum rectè factum, niſi quod tu ſcripſeris, omnes Cives ad te cum Tabulis veniemus* & è raro contingentibus fuiſſe, ſi quis iſta ætate ſine JCto Teſtamentum ſcriberet, docet *l. 88. ff. de legatis,* I. I. Quid, quod JCti ædes, totius Civitatis Oraculum, idem Cicero appellat? Nec aliter recentiores JCti, qui nomina ſua, non uſu Juris minus, quam theoriâ, famæ commendarunt.

IV. Neque quis mihi objiciat Cujacium, Bachovium, utrumque Juriſperitum celeberrimum, quibus, quod theoriæ, ad admirationem aliorum, exquiſitiſſimâ peritiâ eminerent, è fæce Pragmaticorum nonnulli, vix inter Practicos locum relinquunt. Qui enim illos, vel rudes earum rerum quæ ad Practicam Doctrinam pertinent, vel jus non applicaſſe factis exiſtimant, illi, viris verè ſummis, nihil, ſibi opinionem eruditionis, vel certè integritatis, adimunt. Ignorant, opinor, Cujacium Conſultationes plures (quæ inter opera ipſius editæ extant) conſcripſiſſe, quibus nihil ſimile eruditus orbis ab omnibus illis, qui iſta Cujacio objiciunt, exſpectare poteſt. Jam, Bachovius, quàm non rarò peritiſſimis Practicis, inter illos Fabro, Gailio, Papo, no-

no, errores & nævos, interque eos etiam Practicos, ostendit. Quinimo Pragmaticis isto defensore opus fuit, cùm non haberent ipsi quod reponerent ingeniosis libris, quos de erroribus Pragmaticorum scripserat Antonius Faber. Quid porrò dicet? si his hominibus monstret eruditior aliquis, non pauca, à celeberrimis Practicorum ex Bachovio ad verbum descripta, sæpe ne addito quidem illius nomine: quod non uno loco Carpzovium quoque fecisse, facilè ostendi potest. Scio, esse qui commemorent, Bachovium in Germaniæ supremo Judicio quodam, causas semper infeliciter egisse. Qui ista credunt, Fabulæ originem ignorant, quam illius Autor, quod narrantem audiverunt plures, ideo confinxerat, ut ulcisceretur vehementiam Bachovii, qui ei, cùm Heidelbergæ summos honores peteret, & ad interrogata in publico examine parùm aptè responderet, imperitiam, verbis durioribus, exprobraverat.

V. Sit ergo illud jam extra ambiguitatem positum, è Theoriâ & praxi junctis, verum artificem, quem JCtum vocare possumus, existere: ac licèt esse possit sine usu, cognitio Juris, verissimum tamen esse illud Pinelli, quando *theoriam sine praxi, digestam solidamque Juris cognitionem præstare non posse*, scripsit, secutus, ut videtur, Baldum in *l. Æmilius ff. de minoribus*, qui licèt verbis minus accuratis, eo tamen, quo intelligi voluit, sensu, non absurdis, *Practica*, ait, *est scientia LL. digestiva*: & paulo ante, *Leges in scholis degluttiuntur, in Palatiis verò digeruntur* & deinceps, *tunc leges sapiunt, quando practicantur*. Praxis autem sine Theoria, penitus nulla esse potest. Est enim praxis, applicatio Juris vel LL. ad factum, est conjunctio quæstionis facti cum Jure: ita ferè, ut in Practica ista fori argumentatione, Major propositio Lex, minor factum sit, unde conclusio nascitur Practica, ad certũ Individuum, certamque ejus actionem, pertinens. Quomodo autem applicabit? quomodo conjunget? qui eorum, quæ conjungere debet, nihil rectè intelligat. Imò, quo plures leges, consuetudines, Statuta ignorabit, tanto pauciora applicare poterit, tantumque adeò detrahemus huic Practico, si Diis placet, quantum ipsi deest, notitiæ Juris, ac Theoriæ.

VI. Nec est, quod quis existimet, sufficere ad Practicum, si mores

pro-

provinciæ,ſtylum Curiæ,vel modum procedendi in judicio, ac formulas petendi, excipiendi, ſententam ferendi vulgares calleat; nam nec iſta cognitio,in Germania quidem, detracta Juris Juſtinianei, & Canonici notitiâ,illi relinqui poteſt,quod facile iſta ratione oſtendo. Omnes conveniunt, ubi de Juris Provincialis, vel Statutorum ſenſu diſputatur, interpretationem, ut noſtri vocant paſſivam, ex Jure communi illa recipere,hoc eſt,ita intelligenda eſſe,ut conſentiant cum Legibus illis,vel non admittant alium ſenſum, quàm qui Legibus hujusmodi exprimitur. Juris communis vocabulo autem, id quod diximus Jus contineri, nemo tam hebes eſt,ut non intelligat. Eſt porrò ſenſus ille,vel jam tum liquidus,vel ad certitudinem eam,quam judicia requirunt, frequentiori Doctorum in opinionem receptiorem conſenſu, reductus. Quid ergo hic faciet,qui vel ipſos Juris libros, vel Interpretes ejus non evolverit? niſi ut ignorantiam ſuam,ſi aliquid adhuc frontis ipſi ſupereſt,agnoſcat,& partes decipere, aut Judicem turbare, deſinat. Sed & ubi deficiunt ſtatuta,conſuetudines,Privilegia, quod in plurimis quæ in judicium deducuntur,evenire conſtat, (cùm de illis expreſsè definitis, inter partes non planè ſtupidas temerè lis eſſe nequeat) recurrendum denuò eſt ad Juris communis notitiam, vel, quod idem hic quidem ſignificat,Theoriam,à cujus ignorantiâ,is,de quo diximus Practicus,ſe etiam commendari cupit. Dicam, quod magis mirum videri poſſit,nec factum ſemper rectè tractare poſſe,qui iſta ignorat. Cùm enim multum momenti in circumſtantiis, in omni judiciali negotio, eum ad facti diſceptationem, tum ad ſententiam quoque repoſitum ſit; manifeſtum tamen eſt, quale factum ſit, voluntarium, an invitum: deliberato animo,an,quod JCtus vocat impetu, commiſſum ſit, rectè evolvere, aut oratione vel ſcripto explicare,non eſſe imperiti hujus, qui nec Ethicam quidem,ubi iſtorum principia traduntur,nec leges, ubi certis porrò deciſionibus definiuntur,didicerit. Unde illud rectè concluditur,omnem Practicum,antequam in talem evadat,eſſe Theoreticum.

VII. Factum tamen eſt jam olim, ſtupore dicam, an malitia quorundam hominum, ita exiſtimo, indoctorum, ut hic quoque fumum vendi,& perſuaderi aliis poſſe crediderint,duo illa,Theoriam & praxin, quæ in JCto neceſſitas, & eruditi ævi omnis conſtantiſſimus conſenſus

con-

conjunxit, ita divisa esse ac separata, ut ista ad Praxin non solùm non necessaria, sed ne utilis quidem existimanda sit, & concludere liceat, ab eo qui Theoriæ vel Juri discendo paulo diligentius & cum curâ vacat, eximii aliquid in praxi exspectari non posse. Quod hominum genus à publicis sibilis una res hactenus immunes præstat, quod vocabulorum, Theoriæ & Praxeos, non omnibus perinde cognitorum umbrâ, ineptam opinionem tegunt: quorum loco, si eandem rem verbis perspicuis efferrent, etiam pueris & imperitioribus quibusvis, ludibrium deberent. Praxis enim, quod toties diximus, usus est; usus verò, illius rei, quâ utimur: quomodo utetur autem legibus, qui eas in promptu non habet, aut ignorat? Et sanè, quàm necessaria sit ad praxin Theoria, ostendunt illi ipsi scriptores, quibus illi, qui huic aliquid detrahunt, vel unicè vel saltem præcipuè, in judiciis utuntur, Colerum, Finckelthusium, Carpzov. Richterum, Cothmannum, Menochium, Wesembecium, Schneidwinum, Mevium, intelligo, ut alios innumeros omittam, quos omnes præstantissimos Theoriæ in Academiis Doctores fuisse, ac felicissimè, quæ docebant, ad usum fori revocasse, & applicandi modum ipsis quoque, (si tamen illum norunt) tradidisse, ni fallor, facilè agnoscent. Rectissimè Quintilianus *Instit. Orat. lib. 12. cap. 3. de Oratore suo*: *Juris quoque Civilis necessaria huic viro scientia est.* quod ita deinde probat. *Quo autem modo patronum se causarum non falsò dixerit, qui quod est in causis potentissimum, sit ab altero petiturus?* Et Budæus, in *Forensibus*, eum quem vulgò Practicum bonum vocant, *hominem*, dici vult, *non modò Juris scientissimum, sed etiam formularum & forensis usus callentissimum.* Quin nec quævis Theoria ad praxin sufficit. Non profectò illa, quæ Juris Justinianei, & Canonici, solùm partes aliquas, vel illa etiam integra didicerit, si, in Germania quidem, Imperii Recessus, consuetudines loci illius, ubi ad fori usum se parat, statuta, & Provincialia Jura, neglexerit. Nec tam excellens Juris Civilis cognitio requiritur, qualis fuit Cujacii, Petri Fabri, Fabrotti, Bachovii, Jacobi Gothofredi, aut est hodieque Menagii. Sed quæ Juris Civilis, & Canonici illius quod hodieque usum habet, & veluti paulo ante diximus, Imperii Constitutiones, processus notitiam, quæ Juris Provincialis, Statutorum, loci ubi agit Consuetudinem, memoriam adjecerit. Qui absque ista Theoriâ ad Praxin

xin accedit, & in foro versatur, etiamsi formulas quasdam calleat, non Practicus tamen JCtus, mihi quidem, fuerit; licèt Pragmaticum appellari posse, non valde repugnem. Sunt autem Pragmatici, Græcis, JCtis nostris, & Quintiliano, iidem ferè, qui Veteribus Tabelliones, quos à Juris Studiosis (id est, ut rectè interpretatur post Cujacium Bachovius, peritis) & Advocatis, *in l. 9.* §. 4. *ff. de pœnis* distinguit Ulpianus. Eosdem Oratori suo opponit Quintilianus, eo quem paulo ante adduximus loco. *Neque ego sum*, ait ille, *nostri moris ignarus, oblitusve eorum, qui velut ad arculas sedent, & tela agentibus subministrant: neque idem Græcos quoque nescio factitasse. Unde nomen his Pragmaticorum datum est; sed loquor de Oratore, qui non Clamorem modo suum causis, sed omnia quæ profutura sunt, debet.* Atque ut cautionum ac formularum periti Pragmatici sunt, ita à JCto illo præcipuè differunt, quòd & de his solùm consuli olim consueverint, cùm JCti etiam de verborum proprietate, æqui disceptatione, aut voluntatis conjecturâ, responderent. Eos Ciceronis ævo Romanum forum respuebat. *Non ut apud Græcos*, ait *lib. de Orat. 1. infimi homines, mercedulâ adducti, ministros se præbent in judiciis oratoribus, ii qui ab illis Pragmatici vocantur.*

VIII. Cæterum ad omnem Juris usum, nihil pernitiosius excogitari potest, his hominibus, qui Juris peritiam, ab exercitio ejus separant. Antonii Fabri, Præsidis Sabaudici in Gebennensis Ducatus supremo Judicio, digna sunt verba quæ hic legantur, repetita ex præfatione, quam præmisit libris de Erroribus Pragmaticorum, *Facti*, ait, *audaciores pragmatici jam alioqui per imperitiam procliviores quàm par esset, ad negligenda ea omnia, quæ ad meram veramque juris scientiam pertinent (solâ, ut quidem arbitror, assequendæ ejus desperatione) adeò sibi placent miseri, & blandiuntur, ut quasi nihil scientia conferat ad praxin, illam omnino negligant, hanc unam sectentur. Quæ res, mirum est, quantas in tribunalibus lites, ac potius tragœdias, excitarit. Quemadmodum enim theoria sine praxi, aut nullius, aut perexigui certè usus est, ita nihil reipublicæ perniciosius, quàm si per eos qui jura & res forenses tractant, praxis à theoria sejungatur. Nam, quod jam olim Comicus dixit, Homine imperito quid injustius? quid ineptius? Aut quid ad indu-*

cendos errores accommodatius, quàm si in reddendo jure propriam cuique animi sententiam pro ratione sequi, & nescio quo æquitatis commentitiæ obtentu, legibus illudere passim concedatur? Mos enim sollennis ille est istiusmodi hominum, ut sive delirent, sive rectè sentiant (quod nonnunquam, sed casu evenire necesse est) omnia referant ad æquitatem, quam pro arbitrio sibi fingunt, ut magni non juris tantum, sed, quod etiam in jure præcipuum est, æquitatis arbitri existimentur. Quod si ad eorum ineptias profligandas Papiniani autoritas & quod est consequens, non mera solùm, sed vera etiam, probaque juris æquissimi ratio aliqua objiciatur, Tum isti nudis, quod ajunt, ridere dentibus, & subtilitates istas, aucupia, & apices dicere, ut quia nihil habent, quod commode respondere possint honestè saltem conticescant. Appositè ad rem illam quoque Vultejus *de Judiciis lib. 1. cap. 1. num. 11. Sanè,* scribit, *qui usum sectantur, arte ipsa prius non cognita, his mihi usu venire videtur, quod circumforaneis, medicos se profitentibus, quibus interdum curatio morbi casu magis aut natura, vim morbi superante, accidit, arte nunquam. Cùm enim rerum causas ignorent, casu feruntur, nunquam invenientes solidum aliquid, in quo pedem tuto figant, Justitia causæ quam tuentur, quandoque imperitiam ipsorum supplente. Hi sunt rabulæ forenses, quibus, si coram Judice etiam imperito res sit, nihil est, quod Justitiæ possit esse perniciosius, quod ipsum etiam Ar. Pinellus animadvertit, dicens, quòd praxis absque theoria maximè periculosa sit, & manca evadat. Verùm, ut alteruter tolerandus sit, satius fuerit reperiri rabulam ejusmodi imperitum, quàm imperitum Judicem. Licèt enim quis habeat practicum valdè peritum, Judex tamen imperitus, etiam bene & rectè proposita vix intelliget, nisi naturæ bonitas suppleat id, quod peritiæ deest. Cùm è contrario Judex peritus ab imperito practico imperitè proposita, ita plerumque pro industria sua dirigere possit, ut finem sibi propositum nihilominus assequatur.* Atque ista hactenus, refellendo inepto errori dicta sunto, quem fortassis recensere deinceps, jam erit confutasse.

IX. Æstimamus igitur Practicum nostrum, ex cogniti Juris rectâ applicatione, quod fieri solet non uno modo, nec à Personis semper ejusdem vitæ generis. Faciunt id Judices cùm sententiam ferunt, Advocati cùm clientibus operam præstant, in Academiis JCti,

dum

dum à Judicibus rogati, ipſorum nomine, ſententias juri conformes concipiunt, & delatis ad illorum Collegia è variis Provinciis facti quæſtionibus, Jus applicant. Judicare ergo, de Jure reſpondere, clientibus opem ferre, iſta ſunt, quibus Praxis noſcitur, opera. Unde liquet porrò & aliud, non eandem eſſe Judicis, & quæ illi adjungi ſolent Perſonarum, praxin, cum ea quæ eſt litigantium. Ut enim horum in diſceptando, ita illius in cognoſcendo, & exequendo, induſtria verſatur. Quamvis ergo & Judici & Advocato, utraque, facti & Juris quæſtio, cordi ſit; Judicis tamen potiſſima circa Juris, Advocatorum, circa facti quæſtionem, cura eſt. Ut Judici tamen, ad facti quæſtionem recte cognoſcendam, attentione haud vulgari opus eſt, ita & actor, antequam in forum prodeat, de Jure, & an actionem fundatam habeat, niſi cauſa cadere velit, meritò ſollicitus eſt. Quamvis autem aliam Judicandi, advocandi aliam praxin eſſe, hinc abunde conſtet, non abnuo tamen, ita comparatam utriusque rationem, ut, qui feliciter in foro vel Judicis, vel Advocati munere defungitur, facile & alterum aſſequi poſſit; niſi, quod quia haud paulo difficilius eſt cognoſcere & judicare, quàm diſceptare, & cauſam defendere, multo majoris operæ etiam, rationes, quare ita decidendum ſit, easque genuinas, & ex intimâ Jurisprudentia deſumptas, reddere, plus peritiæ in Judice, quàm in Advocato, plus doctrinæ in JCto, quàm in utroque eorum requiri, manifeſtum ſit.

X. Eſt verò praxin hanc diſcendi duplex ratio. Una quæ experientiâ nititur: altera peritiam illam in foro agendi ex libris repetit. De priori nemo, opinor, controverſiam moverit. An verò & poſteriori modo praxis diſci poſſit? ſeu, an idoneis præceptis complecti illa agendi in foro peritia queat? fortaſſis non perinde omnibus in propatulo eſt. Exiſtimo autem, ne id quidem meritò negari debere. Cùm enim Practici, peritiæ ſuæ fidem, in foro, aliis, oratione vel ſcripto faciant, id ſatis conſtare arbitror, Oratione & ſcriptis quoque illam exprimi poſſe. Quæ autem talia ſunt, libris complecti, atque ideo ab aliis legi, quoque, & diſci poſſunt. Quòd ſi praxeos pars aliqua ſcripto comprehendi non poſſit, ea ſanè fuerit iſta, quæ ſtylus Curiæ vocatur, & in peculiari modo procedendi cujusque fori in cauſis &

negotiis consistit. Sed illam quoque partem literis mandari posse docemur ipso jure Camerali. *Stylum* enim *hunc scripto comprehensum. Assessores longo usu exercitatos junioribus tradere debere*, sancitur: quomodo ex Memoriali, ut vocant, visitationis, Denaysius notat, voce *Stylus Cameræ*. Et quæ eo spectant pleraque, à Lierio quodam non ita pridem Francofurti typis edita sunt. Farinacius quoque, & Carpzovius, quibus Forensis Juris notitiam exactam nemo negaverit, id non fieri posse solùm, sed se quoque præstitisse, judicarunt. Hinc iste quidem libros suos de Criminibus, *Praxin & Theoricam Criminalem* inscribit: cujus istam rationem reddit, in Epistolâ operi præmissa ad Marianum Per Benedictum, & Hieronymum Matthæum, Cardinales: *quia revera*, ait, *nihil aliud sunt hujus modi libri, quàm absoluta quadam (quantum ingenii mei præstare tenuitas potuit) utriusque rerum Criminalium partis expositio*. Carpzovius autem, lectorem Jurisprudentiæ Forensis Romano Saxonicæ ita affatur: *Non facilè quæstionem ab aliis tractatam, vel casum forensem obvenire reor, cujus decisionem veram lucubrationes hæ suppeditare haud possint*. Quod licèt ea ratione, quâ existimat Carpzovius, cùm casus infiniti sint, defendi nequeat, & factum non esse, ipse fassus fuerit, cùm Decisionum partem primam in lucem ederet; satis tamen indè patet, verum esse id quod diximus, praxeos præcepta scriptis comprehendi, atque adeò ex libris quoque addisci posse. Quinimo, istam praxin discendi rationem ut alterâ illa multo expeditiorem, Johannes Petrus de Ferrariis initio libri quem praxin Auream nuncupavit, adeò præ altera filiis suis commendat, ut solo biennio plus hoc modo profici posse, quàm altero illo integro decennio, scripserit. Interim utroque modo conjuncto, perfectiorem prodituram Practicum ne ambigimus quidem.

XI. De cætero, ex eo quod antea scripsimus, versari praxin, circa Legum, consuetudinum, Statutorum, legitimam ad facta applicationem, id quoque consequens est, cùm ea diversis locis discrepent, fieri non posse aliter, quàm ut diversorum locorum praxis quoque non sit eadem; ac falli adeò, qui generalibus Regulis ita ad fori usum formari posse Juvenes autumant, ut ubique æquè facilè causas vel agere, vel defendere, aut dijudicare possint. Est judiciorum in Italia, Hispania, Gal-

Gallia, Germania, Praxis multùm diversa, & in eodem Italiæ regno, non Neapolitani eadem tamen, quæ Romani, aut Mediolamensis fori quemadmodum & in Germania, alia processus facies ubi jure Saxonico, alia ubi Svevico causæ dirimuntur. Imò, Civitates plerumque singulæ, etiam illæ quæ eundem Dominum quandoque agnoscunt, ut Consuetudinibus, Statutis, discrepant, ita & necessitatem diversum quid ab eo quod alibi obtinet, in causarum disceptatione observandi, partibus, vel Advocatis, quin Judici etiam faciunt. Fontes tamen processus omnis, ex Civili, præcipuè autem Canonico Jure repetuntur: quæ causa est, quare si non pleraque, saltem multa, communia habeant Judicia omnia Europæa, & olim longè fecilius praxis addisci potuerit, cùm non viverent in Imperio Romano homines, nisi legibus Justinianeis, quibus omnis processus explicandi ratio, juxta cum eo quod circa negotia humana justum esse vellet Imperator, continebatur. Auxit difficultatem, quod deinceps accessit Canonicum Jus, & Interpretum, Italorum primum, deinceps & aliorum, numerus ingens, quorum plerisque, circa initia præcipuè, id tributum novimus, ut eorum sententiæ non paucæ in Forum deductæ, Juris loco essent. Extant quidem de novissimo Jure Gudelini & aliorum Commentarii; sed qui hujusmodi libros ad praxin sufficere existimat, qui vix pauca quædam, Gallici ac Belgici fori usu recepta, notant, næ, is vehementer fallitur. Ac ne id quidem eandem in Germania Praxin efficit, quòd inferiora Judicia ad faciem Summorum, Cameræ Imperialis præcipuè, composita esse debeant, quod nuper etiam Imperii Recessu approbatum legimus. Et olim Romanæ Civitatis usum, in ambiguis, reliquis jus fuisse, docuit nos Justinianus §. 7. *Instit. de satisdatione.* Nam nec Saxonici Processus, eandem cum Camerali, rationem esse, facilè omnes consentiunt, & ipsa postremâ Recessus Imperii verba, id ita explicant, ut probent præ ista ratione in foro agendi, illam, quæ à longâ consuetudine, in provincia Germaniæ aliqua, (quod factum plerisque locis) robur acceperit.

XII. Processus ergo Judiciarii scriptores, consulendi sunt nostro, in forum progredienti: qui cùm in duas classes commodè dis-

pesci queant, ut alii quidem ea, quæ Civili & Canonico Jure ea de re disposita sunt, consuetudinibus generalioribus jungant, alii certum judicium respiciant, posteriores illi quoque accuratè perlegendi sunt, si quis ibi studia sua ad usum transferre voluerit, Est verò priorum numerus ingens. Edidit enim hujus argumenti libros, Guilielmus Durandus, Panormitanus, Bætus, Tancredus, Jacobus de Belvisio, Bartolus, Baldus Perusinus, Johannes Petrus de Ferrariis, Lanfrancus de Oriano, Nicolaus Calvolus, Johannes Asinius, Massuerius, Alciatus, Johannes Ferrarius Montanus, Vigelius, Rhobertus Maranta, Oldendorpius, Arnoldus de Reyger, Harprechtus, Besoldus, Fridericus Scenk L. Baro in Tauttenbergh, Scartius, Henningus Gœden, Petrus Pernederus, Wintzlerus, Guilhelmus Hannetonus, Jodocus Damhouderius, Conradus Mauserus, Jacobus Ayrerus, Abrahamus Saur, Emericus Rosbach, Petrus Terminæus, Jacobus Omphalius, Treutlerus, Justus Reiffenbergh, Hiltropius, Ilico Ummius, Hermannus Vultejus, Brunnemannus, Fibigius, Ex his, inter antiquos, prima esse non paucis videtur Guilielmi Durandi gloria. Est is, quem alioquin Speculatorem nonnulli, alii Parentem Pragmaticorum appellant, quemque dignum notis suis & additionibus habuerunt ex iis qui ipsius ætatem exceperunt, JCti præcipui nominis, inter alios Joh: Andræ, & Baldus. Vulteji de illo sententia est, in practicis illum quidem primas obtinere, post eum Marantam, *sed hic*, ait, *illo est compendiosior in multis etiam nervosior, ut usum cognitioni adjuncturus, meo quidem judicio rectius fecerit, si ab hoc auspicatus fuerit.* Johannes Oldendorpius judicii plus quàm vulgaris JCtus, Epistolâ ad Ferdinandum Cæsarem quâ inscribit ipsi classes suas, *sunt*, scribit, *multi practicæ scriptores: inter quos Durandus ille Speculator (ut vocant) solet præcipuus reputari: nec sine magno labore tantum opus consarcinarit, ut interim ex hoc primario viro, reliquos æstimemus omnes. Sed in scriptis ejus primùm methodus desideratur, & justus ordo rerum explicandarum. Deinde simplicitas docendi: quam adeò non retinet, ut sæpe toto capite aliud faciat nihil quàm opiniones recensere: quas ipse tandem falsas pronunciat. Adhæc, si Roffredi formulas ex illius opere demas: nihil videbis reliquum præter opinionum congeriem. Denique, multa tractat,*

quæ

quæ nullum in foro nostro habent usum. Et pleraque multo concinnius in Pontificiis decretis nobis exhibentur, quàm ipse disputet. Inter recentiores, brevitate se commendat Fibigius, accuratæ & exquisitæ scriptionis laude Ummius, & Vultejus. E quibus suaserim, saltem unum sibi familiarem reddat, qui magnum operæ pretium in foro facere velit. Non nego tamen, & Brunnemannum aliis multis in isto scribendi genere palmam præripuisse, quem, quòd sæpe consilia emendandi processus suggerat, multum prodesse posse etiam provectioribus Studiis judico. Oldendorpium, quòd singulis actionibus, exempla libelli, & exceptionum adjecerit, commendatissimum sibi rectè habebit, qui hoc forense vitæ genus elegerit; quemadmodum & Sneidwinum nec negliget Ferrariensem, Practici quoque Papiensis nomine cognitum, qui diu ante utrumque, formulas libellorum, de plerisque Juris articulis, ediderat, eisque commentarios luculentos adjecerat. Extant illa in Praxi ipsius Aureâ, quæ cum notis Francisci Curtii, Bernardini Landriani, Johannis Antonii Masueri, & Theodori Medæ, Genevæ, seculi hujus anno vigesimo sexto, iterum typis descripta est. Exspectantur etiam indies, non exiguo Fori Studiosorum bono, formulæ similes Germanicæ, Quirini Schacheri, JCti Lipsiensis. Habent autem uniuscujusque loci judicia, peculiare aliquid, quod stylum Curiæ appellant, & ab istis quidem scriptoribus, qui non ad certi alicujus loci processum commentantur, memoriæ prodi nequit. Hunc ita dictum Curiæ stylum, ex Bartolo, Cyno, & Saliceto, Azorius constare scribit *Juribus quibusdam*, quæ ipsius verba sunt, *non scriptis, ex actibus Judiciariis ortis, contentis sub consuetudine, ut species sub genere.* Literis tamen mandari posse, cum antea docuimus, tum varii libri non uno in loco editi, evidenter commonstrant. Prodiit linguâ Gallicâ, hujus seculi anno trigesimo quarto *Stylus Consilii Regii Secretioris*, & superioris, anno trigesimo, *Stylus Supremæ Curiæ Parlamenti Parisiensis atque Tholosani*, quemadmodum Antverpiæ, ejusdem anno sexagesimo secundo, *Stylus Curiæ supremæ Mechliniensis*, certissimis argumentis, edi posse, & editum esse stylum Curiæ. Eo quoque, quem Carpzovius edidit Processu, stylus Curiæ Electoralis Saxonicæ propemodum omnis continetur.

XIII.

XIII. Jus præterea Provinciale, Statuta, consuetudines inprimis Patrias, commendatissimas sibi habebit praxeos Studiosus, nec negliget, qui illis facem præferunt, libros Commentarios. Incredibile autem dictu est, quantum ipsi prosit, si præ cæteris quoque familiaria sibi redderit illa Juris argumenta, de LEGIBUS, PRINCIPUM CONSTITUTIONIBUS, STATUTIS CONSUETUDINE, PRIVILEGIIS, PACTIS, & horum *Interpretatione*. Cùm enim prima in Juris disceptione pactorum, reliquorum verò, quæ diximus, etiam præ Justinianeo Jure in Judiciis habeatur ratio, longè plurimum interest, rectè illa intelligat, qui foro se committit, an perperam. Quin autor suasórque fuerim, cùm toties eo recurrendum ipsi sit, in promptu habeat, eorum saltem aliquos, qui hæc argumenta justis Tractatibus illustrarunt. Quales extant, de LEGIBUS, *Johannis de Salas*, *Francisci Suarez*, *Alberti Bolognetì*, *Alexandri Thuramini*, *Sebastiani Medicis*, *Rochi de Curte*, *Petri Ravennatis* (qui plerique etiam de Consuetudine, Privilegiis, agunt) de LEGIS INTERPRETATIONE, *Nigrini*: de EXTENSIONE *Alphonsi Villagut*, *Matthæi Matthesilani*, *Bartholomæi Capollæ*: de CONSTITUTIONIBUS PRINCIPUM *Caroli Tapiæ*, *Alberti Bruni*: de STATUTIS, *Autorum variorum*, volumine majori, Francofurti, anno octavo ejus quo vivimus seculi, collectorum, *Hieronymi Gabrieli de lege Municipali. B. Conr. Zahnii Ichnographia Municipalis*, *Bernhardi Berilli Tractatus de potestate legis Municipalis in Advenas & Indigenas*, *Petri Ponceti de Jure municipali libellus*, *Ophtalmi Viti processus Juris Municipalis*, *Davidis Mevii quæstiones, Commentario in Jus Lubecense præmissæ*, De *Jure quod oritur ex Statutorum & consuetudinum discrepantium conflictu*, *Christiani Rodenburgii Tractatio præliminaris, præfixa libro ipsius de Iure Conjugum*: de CONSUETUDINE, *Antonius Scappus de jure non scripto*, *Petrus Salazar de usu & consuetudine*, *Franciscus Zonnettus de moribus*, *de consuetudine ejusque privilegiis Arnoldus Holstein*: de PRIVILEGIIS in genere, *Johannes Wachmann*, *Acacius Enenkel*, *Martinus Laudensis*: de CERTIS PRIVILEGIORUM speciebus plurimi: de PACTIS Andreas ab Exea, Johannes Borcholt, Matthæus Cuno, Arnoldus Vin-

Vinnius: de INTERPRETATIONE Stephanus de Phæderi-cis. Dn. Johannes Eichelius, breviter, sed nervosè, Hugo Grotius *de Jure Belli & pacis lib. 2. cap. 16.* & Georgius Frantzkius *Comment. ad Pandectas*, quo loco explicat tit. *de legibus, Senatus Consultis, & longa consuetudine.*

XIV. Præjudicia, magnam quoque praxeos partem faciunt, si recte iis utatur aliquis, ac omnia, quod rarissimè contingere solet, congruant, nec juri manifesto repugnent, aut à pluribus numero præjudiciis superentur. Est verò usus eorum, tunc præcipuus, si dubia, statuti vel legis verba, iis declarentur, aut ambigua consuetudinis controversia, definiatur. Ut his plurimum, ita illis, quæ ejus conditionis non perinde multum tribuimus. Fit enim in tantâ negotiorum multitudine, ac varietate, tamque crebra Assessorum mutatione, ut de eodem casu, in iisdem Judiciis, quandoque diversum pronuncietur, quod jam Daniel Mollerus monuit, & de Jure Lubecensi Mevius, *in Prolegomenis Commentarii sui: Inquirenti*, ait, *probabo, eandem Civitatem, eadem JCtorum Collegia, imò eosdem ICtos, in pari causa, imò in eâdem aliquando, contraria aut diversa pronunciasse.* In ipso adeò supremo Cameræ Imperialis Judicio, licèt summa cura id ageretur, effici tamen non potuisse, ut contrariæ nullæ extarent sententiæ, luce meridianâ clarius apparet, *arg.* §. *130. Recessus Ratisbonensis* anni hujus seculi quinquagesimi quarti, Unde est, quod inter Consilia Marburgensia Vultejus *vol. 1. cons. 34. n. 53.* scribere non veretur, *præjudicia Cameralia, quæ à Gailio, Mynsingero, & aliis allegantur, non tam facilè trahenda sunt ad exemplum, præsertim in controversiis perplexis, & multiplicem distinctionem habentibus: neque rarum est, ut ipsi Domini Assessores Cameræ Imperialis à præjudiciis suis recedant, cujus exempla ex observationibus allegari possent, nisi quotidiana doceret Experientia.* Cothmannus quoque *vol. 1. Resp. 13. num. 124. Non ita* (ait) *debemus commoveri præjudicio à Mynsingero recitato, nam quemadmodum præjudicia illa Tribunalis supremi non temerè sunt repudianda, sed attentè consideranda, sic quoque temerè non sunt pro lege vel Oraculo Delphico habenda, sunt enim res inter alios actæ, & de actis super quibus concepta & pronunciata sunt, nihil constat, ut verissimè dici possit præjudicia ea habere se instar alicujus*

cujus referentis, ideoque nihil certi probare, antequam de relato satis constet.

XV. Cæterum, cùm infinita sit negotiorum, litium, causarum quæ in foro in controversiam vocantur, varietas, operam dabit, ne illis quoque scriptoribus destituatur noster, qui exiguæ Bibliothecæ Practicæ loco esse queunt, quales sunt Speidelii Speculum Juridico Politico Philologico Historicarum Oservationum, unà cum iis qui eo pertinent libris, Thesauro Practico Besoldi, Wehneri, & Johannis Rudingeri Observationibus, Sylloge quæstionum Juridico Politicarum ejusdem Autoris, Gabrieli conclusionibus communibus, Martæ Neapolitani Digestis novissimis, Riccii Collectaneis Decisionum, Sebastiani Nævii Systemate, Reygeri Thesauro Practico, editionis illius, quæ nuper curâ Dn. Ahasueri Fritschii locupletior prodiit, Barbosæ Axiomatibus, cum accessione illa, quam ex schedis Dn. Taboris adjecerunt Johann Sebastianus Gambsius, & Johannes Bechtoldus, Azonis Brocatdicis, & Hunnii Encyclopædia. Conducet etiam, si subinde, de Erroribus Pragmaticorum, Antonii Fabri, aut, si tamen illum habere queat, Everhardi Calderæ ejusdem argumenti libros, anno hujus seculi duodecimo Madriti in Hispaniâ editos, consulat.

XVI. Id verò etiam necessarium est, ut de Legibus, in eâ Republicâ in qua vivit abrogatis, vel usu non receptis, sollicitus sit. Quam Juris partem, præ cæteris, Galli feliciter, & primi exoluere: quos justis Tractatibus deinceps secuti sunt Belgæ, quorum utilissimis laboribus, plurimum adjuvari poterit noster, inprimis istis *Philiberti Bugnyon.* in *Tractatu legum abrogatarum, & inusitatarum in omnibus curiis, terris, Iurisdictionibus & Dominiis Regni Franciæ*, editionis illius, quæ ante biennium Bruxellis lucem adspexit, cum *Additionibus Liberti Francisci Christinæi ICti Bruxellensis, quibus non modò recentiores Galliæ, sed &*, ut titulus præ se fert, *Universi Belgii, Hispaniæ, Italiæ, Germaniæ, vicinorumque locorum, mores & leges, tum abrogatæ, tum receptæ, demonstrantur*, & Simonis à Grœnewegen de *LL. abrogatis & inusitatis in Hollandiâ vicinisque Regionibus*, unde sua sæpissimè mutuatur Christinæus ille: Addet tamen, in Germania quidem, *Schneidewinum, Schultzium, Rodinghii ad Pandectas editionem ultimam, Gailium, Carpzovii*

vii Iurisprudentiã forensem. in Belgio, *Hugonis Grotii Introductionem Iurisprudentiæ Hollandicæ*, *Zypæum*, *Simonem à Leuvven*, *Gudelinum*: in Gallia, *Iuliani Tabætii librum de paradoxis Regum*, *& Summi Magistratus privilegiis*, *Antonii Mornaci Observationes ad viginti quatuor Digestorum*, *& aliquot Codicis libros*, *Imbertum*, *Fonsium*, *Autumnum*, *Baronem*.

XVII. Ab his libris ad Curiam deducam, si me sequi velit, praxeos Studiosum, auditorem adhuc per temporis intervallum breve futurum, antequam agat. Ut enim, Stylus Curiæ qui dicitur, libris explicetur interdum, id tamen non factum est in omnibus judiciis, & in iis, ubi extant hujusmodi Commentarii, illi sæpe ante plures annos editi, non eundem usum amplius præstant, in illâ styli hujus varietate, quem habent recentiora ultimi temporis observata. Nolim tamen omnia pro praxi habeat, etiam quæ in Curia, vel oculis, vel auribus usurparit, sed ista, quæ collata cum Statutis Municipalibus, cum Ordinationibus Provincialibus, consuetudine, Legibus, congruunt. Discat usum foria corruptione ejusdem, Advocatos doctos & probos, à Vulturibus togatis, Stylum Curiæ, à tricis & malis artibus discernere. Sunt illa quæ ad omnem fori usum conducere existimamus.

XIIX. Nunc ad istu quoque pervenimaus, quæ in Summis Imperii Judiciis & præcipuis quibusdam aliis (omnibus enim attingendis ne integrum quidem volumen sufficeret) usum Juris sectanti meritò commendata esse debent. Præmittemus autem illa, quæ ad Cameræ praxin spectant. *Quoad processum enim*, ita loquitur Instrumentum Pacis Cæsar. Suecicæ, *Ordinatio Cameralis etiam in Judicio Aulico servabitur per omnia*, quo loco, Ordinationis Cameræ nomine, etiam illa contineri, quæ posterioribus Imperii Recessibus Juri Camerali accessere, de *Citatione ad Reassumendum* dissertatione, ni fallor, luculenter ostendi. Unde istâ praxi rectè cognitâ, non erit admodũ difficile, etiã quæ circa causarum disputationem in judicio Aulico observantur, intelligere. Derivatur verò processus summi judicii hujus, vel ex Ordinatione Camerali, illis qui de Jure Camerali agunt Imperii Recessibus. Recess: Deputationis, Visitationis, Memorialibus, ut vocñt, Visitationum, & Decretis Visitarorum, Commu nibus Cameræ Conclusis,

linguâ vernaculâ nomine der Gemeiner Bescheide / cognitis. Ordinationes Camerales, quibus Cæsaris & Ordinum autoritate pondus accessit, plures sunt; omnium tamen loco facilè esse potest postrema anni 1555. Cæterum illam non exiguo post se intervallo relinquet recentior illa, quam nos brevi exspectare jubet postremus Imperii Recessus, cui accedent, ut ibi legitur, quæ hucusque, vel correcta, vel explicata, vel addita, Camerali Juri leguntur. Jam tum enim mutationes illæ, quæ evenerant, haud exiguæ, effecerant, circa ultima seculi, quod nostrum antecessit, ut Rudolphus IIdus Imperator, Judici & Assessoribus Cameralibus in mandatis daret, omnia illa, cum curâ colligere, & reliquis adjecta, novæ Ordinationis titulo, in unum componere, quæ deinceps recentior & perfectior, postquam accessisset Imperatoris & Ordinum approbatio, antiquioris loco esset. Extat hodieque eximium industriæ Dn: Assessorum documentum, titulo Exempli Ordinationis Cameralis (Concepts der Käyserlichen Kammer-Gerichts Ordnung) anno seculi hujus decimo tertio, Matthiæ Imperatori ac Ordinibus oblatum; sed tum quidem, ut & hactenus, nondum confirmatum. Credibile autem est, nec his quidem Comitiis, quod promittebat Recessus postremus anni quinquagesimi quarti, absolvendum egregium & publico multum profuturum opus, quod à Visitatoribus Cameræ, juncto cum Assessoribus & peritioribus nonnullis Procuratoribus & Advocatis Cameræ studio, illud denuo sub censuram vocandum, ea omnia, quæ isto Recessu definita sunt, apponenda, & totum opus ita præparandum esse, dicatur, additis ipsorum sententiis scripto explicatis, ut Comitiis futuris nihil superfit, nisi ultimam ei manum imponere. Visitatorum verò, indicti denuo illis Comitiis conventus, eventu hactenus caruerunt; nisi quod nuper intelleximus, mense, qui proximus est, Majo, eos iterum Spiræ exspectari. Interim utetur noster Ordinatione Camerali anni 1555. Exemplo illo auctæ Ordinationis, de qua diximus, quod cùm desideraretur antea, typis iterum describendum curavit Jacobus Blumius, ac magnam eorum partem, quæ requirunt Imp: & Status, adjecit. Utile tamen est, consulere editionem quoque primam, annno 1633. Francofurti curatam, quod ista collectio à Cameræ Imp. Illustris-

simo

simo Collegio facta, autoritatis publicæ plurimum habeat, cùm cætera quæ adjecit Blumius, à privatâ ipsius, laudandâ tamen operâ, profecta sint. Recessus anni 1654. præcipua quoque, circa Cameræ processum perficiendum, cura versatur: quare & is indefessâ operâ excutiendus hujus Studii Candidato. Visitationis Recessus, Memorialia, Decreta, inserta habes editioni, quam commendavimus, Blumii, Decreta Communia, gemeine Bescheide/quibus à Collegio Camerali, vel quædam circa processum, vel alias nonnulla definiuntur, aut alia personis Cameralibus non negligenda præscribuntur, & seorsim primò edita, & deinceps cum notis, à Blumio, Chiliadi sententiarum Cameralium subjecta, reperiuntur. Incredibile autem dictu est, quantum facies totius Judiciarii in Camerâ processus, in melius tamen, mutata sit Decreto communi quod 13. Decembr. anni 1659. promulgatum, haud perfunctoriè ibi observatur. Factum illo est, quod fieri posse nemo, nisi factum omnes scirent, sibi persuadere potuisset, saltem, nisi à maximis viris, effici non poterat, ut accuratissimè causarum momenta excuti, & sine temporis jactura, queant. Nunc enim trium solùm dierum horæ Pomeridianæ, quibus Audientiæ conceduntur, omnium Procuratorum causis sufficiunt. Scripta partium, duplicas, nisi concedat, vel imponat Judex, non excedunt, termini lege definiti sunt, in causis antiquis, & mandatorum quidem, mensium trium, in novis plerumque non nisi duorum: ut ita causæ, à libello ad conclusionem, id est, à principio disceptationis, ad finem ejusdem, sex vel octo mensium spatio deduci queant, quod factum ipse in celeberrimo Judicio, cùm ibi partibus nonnullis operam novarem, plus semel observavi. Et sanè absque eo foret, quod cognoscendis causis propemodum innumeris, sedecim, qui nunc dum hæc scribo solummodo in Camerâ sunt Assessores, non sufficiunt, cui quinquaginta exactissimæ eruditionis viros postremæ Imperii leges destinarunt, Judicio summo, ad cujus integritatem, fidem, Jurisperitiam, nihil addi potest, expeditionis Promptissimæ laudem, ne inimici quidem negare possent; de Executione enim in meliorem Statum redigenda, jam nunc Ordines Imperii deliberant. Cæterum Blumius, ad annum duntaxat 1666, usque, communia Decreta edidit. Illa, quæ deinceps accesse-

 runt,

runt, Deo dante, Dissertationi nostræ de Judicio Camerali adjiciemus, è quibus postremum 8. Maji, anni 1668. lucem vidit. Statuitur illo, iis casibus, ubi per Statutum, vel privilegium, non solum Juramentum Appellationis, sed etiam cautio, coram Judice, à quo provocatur, præstanda est, si non admittatur ab illo, qui appellat, Statuto & privilegio, in Camerâ, in primo termino satisfieri, & cautionem, cum juramento, nisi causam pro desertâ haberi velit, exhibendam esse: præterea Procuratoribus, & Advocatis, injungitur, ne prolixis Recessibus, aut facta mentione meritorum causæ, contradictionibus Recessuum, excedendo numerum scriptorum lege definitum, negligendo terminos legales, vel præfixos, frivolè prorogationes prorogationum, aut terminos petendo, deinceps peccent, nisi eo nomine pœnas graves incurrere velint. Video autem, quæri posse, quâ autoritate, processum Decretis suis emendare, aut etiam mutare possint, Judex Cameræ & Assessores, cùm ille ab Imperii Ordinibus præscriptus, legis meritò loco esse debeat? Quibus respondeo, hanc potestatem iis tribuere ipsas Imperii nostri leges. Inspiciat, qui ambigit, articulum ultimum partis secundæ Ordinationis Cameralis, ubi jubentur etiam, processum Ordinationis Cameralis declarare, emendare, & deinceps quoque providere ac ordinare, quæ necessitas, usus, & autoritas Judicii hujus exigit, quod ipsum ex postremo Imperii Recessu quoque haud obscurè colligitur §. Unterscheidung 82. Qui fontes præ rivulis adire amat (quod faciendum ubique censeo) ab his potius discendi praxin in Camera Initium faciet, quàm à scriptoribus aliis. Non ignoro esse qui alia omnia suadeant, illis præcipuè argumentis, quod & textum Institutionum, nisi præmittas Commentarium, frustra legi existiment, ac non exiguo numero voces & phrases v. g. *Processus*, *Recessus*, *Protocollorum*, *Actorum requisitionis*, *inrotulationis*, *Attentatorum &c.* in Ordinatione Camerali reperiantur, quæ illis quos nuper Academia demisit, si desit Commentarius, crucem figant; sed illud quoque, sine Commentario primâ vice Institutiones perlegere eum qui Juri operam dare vult, adeò absurdum non est, ut hujus consilii, Discipulis suis, meliores quique JCti, autores jam olim fuerint: & ipse Cameralis Ordinationis textus, explicandis illis vocibus ambiguis plerumque sufficit: ut taceam, non accedere debere ad pra-

xin

xin illam, nisi qui Juris eruditum Syntagma aliquod evolverit; ille verò terminos adeò vulgares, ac ubique obvios, facilè nescire nequeat. Ubi semel perlegerit, addat, suadeo, Commentarios. In ipsam Ordinationem in lucem prodiit liber, edente Juliano Magenhorst, unde ipsi hodieque nomen est, licèt reipsa sit alterius, & Cameræ quidem Assessoris, si non antiquioris, coævi saltem Gailio ac Mynsingero, apud quem multa totidem verbis, quemadmodum in Commentario isto, leguntur. Ignoro tamen, ex illo Mynsingerus, an ab hoc ille sua desumpserit. Conjecturâ, sed non penitus evidenti, Casparo Obsopæo. J. U. L. & celeberrimo Cameræ Judicii Assessori tribuitur. Versabatur calamo descriptus in multorum manibus, donec, ex collatis duodecim manuscriptis, non paucis de suo adjectis, edidit Francofurti, Magenhorst, anno 1600. Præter illum, utilissimè adduntur observata, quorum antè mentionem fecimus, Blumii. In Imperii Recessum postremum circumferuntur notæ Mstæ Gambsii. Spem etiam fecerunt Commentarii Textoris nundinæ Francofurtenses, qui fortassis jam prodiit, & doctissimum Virum Dn. Johannem Strauchium Antecessorem Jenensem in illum aliquid meditari fama tulit. Scriptores & Observatores, Jus Camerale plurimos habet, è quibus tamen facilè Principem locum Andreæ Gailio concedimus. Neque id nostrum solum, sed jam olim quoque ipsius Imperialis Cameræ Præsidis & Assessorum judicium est, qui Epistola ad eundem Gailium, operi Practicarum ejus Observationum præmissa, de illis Observationibus, libris de Pace publica, & Pignorationibus: *ad exercitationem*, scribunt, *Iuris, & inprimis ad hujus* (intelligunt Cameralis) *judicii usum, nihil doctius, nihil elaboratius, nihil exquisitius hactenus in lucem editum esse*. Functus autem esse Assessoris munere Gailius per annos ferè undecim, quo tempore quoque, ipse Centurias Observationum collegit quatuor, quas deinceps, ad Imperatorem Maximilianum evocatus, ut à Consiliis ipsi esset aulicis, & libellis supplicibus, eo ordine quo nunc typis editæ sunt, disposuit. Est verò in eo opere illud admirabile, quòd istis paucis libris, copiam immensam casuum, qui quotidiè in forum deducuntur, accuratissimo judicio selegerit, & felicissimè resolverit: ut meâ quidem sententiâ hac parte aliorum JCtorum longè prolixiores labores mul-

multum superaverit. Unde est, quod ipse ad Potentissimum Imp. Rudolphum II. de suis Observationibus, *nisi planè*, scribit, *opinione & judicio fallor, fortè etiam in isto opere occultè aliquid in recessu latebit, quod primâ statim fronte non apparet, quodque publicè & privatim Imperio, & ejus subditis, utilitati ac honori esse possit.* Insimulaverat illum plagii Mynsingerus, sed qui intelliget, quantum Gailius Mynsingero ingenio præstiterit, ubi scripta utriusque contulerit, rectius de isto conqueri Gailium, fatebitur, quod postremæ editioni suæ, multa ab ipso, ne verbis quidem mutatis, adjecerit. Id non diffitetur ipse Mynsingerus, Gailium *ordine meliori ac Stylo pingviori usum.* Cæterum, qui ad illum aliquid notarent, vel commentarentur, tres omnino hactenus vidi, *Gothofredum Antonium*, cujus *Adversaria*, in plerasque Gailii observationes, publicavit Marburgi, anno 1629. filius Wilhelmus Antonius, *Bernhardum Greven*, Westphalum, à quo editæ in omnium manu versantur, *Practicæ Conclusiones Iuris, singulis Gailii Observationibus Practicis materiâ & serie respondentes*, & *Repetitiones Gailii Eberhardi Fabricii*, librum, qui ut mole multum priori cedit, ita, ut ego existimo, pondere & judicio, recentioribus quoque observationibus advocatis, illum superat. Succedant Joachimi Mynsingeri à Frundeck Observationum Centuriæ sex, quas nuper illustrandas, ex recentioribus suscepit Weipertus Ludovicus Fabricius; hactenus tamen tres solùm centurias absolvit. Sequuntur Duces istos, Gailium puto & Mynsingerum, licèt non æquis passibus, Bernhardus Wurmserus â Schafftalshaym/ & Hartmannus Hartmanni ab Eppingen, quorum uno volumine typis descriptæ habentur Observationes Practicæ, duobus libris distinctæ. Sed istæ continent quædam etiam, non in amplissimo Cameræ Imperialis judicio, sed Consistorio Electorali Palatino judicata. In postremis Gailii & Mynsingeri editionibus adscriptæ habentur margini remissiones, ad has quoque Observationes: ut propter istam etiam causam commodè iis carere nequeat qui in Camera patrocinium partibus præstat. Cæterum, circa initia paucos fuisse, qui decisiones Camerales edere vellent, hinc facilè colligimus, quòd plurium Cameræ Assessorum scripta, diu post fata eorum, quædam hodieque, incerto, vel alieno nomine, in lucem prodierint. De Magenhor-

stii

ſtii Commentario id jam antè monuimus: videtur autem eſſe eadem conditio Syntagmatis Obſervationum Practicarum Hermanni Eſaiæ Roſencorbs, quod licèt primis ſeculi hujus annis demum typis deſcriptum ſit, antiquiora tamen tempora ſapit. Commendatur liber ille eo præcipuè nomine, quod ad finem acceſſerunt Dubia Cameralia CXXII. cum Reſolutionibus Statuum, quibus nihil exactius, nihil ad Juris in Camera uſum, commodius addere potuiſſet. Deciſionũ quoque Rotæ Spirenſis libros quatuor, quos Caſparus Guilielmus Scipio edidit, opus eſſe anonymi Aſſeſſoris Cameræ, ipſe qui edidit, non diffitetur. Sunt in illo quædam, quæ apud Mynſingerum & Swanemannũ quoque leguntur. *Obſervationes* etiam *Aureæ, digniſſimi cujusdam Cameræ Aſſeſſoris*, ſed cujus nomen ignoratur, cùm Hieronymi Mariliani Deciſionibus, Francofurti editæ, idem teſtari poſſiunt, quæ nonnulla vulgo haud obvia continent. Ejus Obſervatione 98. habes egregium exemplum, quo probari queat, in Camera quoque præjudiciis & decretis contrariis, juſtâ tamen de causâ, & poſt maturam totius Senatus deliberationem, locum fuiſſe. Ne *Deciſiones* quidem *diverſarum cauſarum in Camera Imperiali judicatarum, adjunctis rationibus Actorum*, collectæ à Johanne Meichſnero Cameræ Aſſeſſore, ab ipſo, illo conſilio, ut in publicum ederentur, conſcriptæ, ſed ſex demum poſt fata ipſius annis, in quatuor tomos diſpoſitæ, à Nicolao Theſmero Pomerano in lucem protractæ ſunt. Eſt verò opus illud eximium, quo non niſi difficulter exactior Cameralium rerum notitia carere poteſt. Ex eo tempore, indies prodiere plura formãdis ingeniis ad proceſſum iſtum idonea, etiam *Symphoremata ſupplicationum, pro proceſſibus, ſuper omnibus ac ſingulis Imperii Romani Conſtitutionibus, in ſupremo Cameræ Imperialis Auditorio impetrandis, cum adjunctis notis, ſeu Relationibus ac decretis deſuper redditis earumq; requiſitis, additis nuper variis Conſultationibus, dubiis, ac Deciſionibus ad ſingulas Imperii Conſtitutiones & Cameræ Proceſſum pertinentibus, maxumâ ex parte è Nobiliſſimi & Clariſſimi JCti Dn. Andreæ Gailii, aliorumq; ſupremi Auditorii Aſſeſſorum, lucubrationibus excerptis.* Habent ea hodieque nomen, ab Adriano Gylmanno editore, cujus induſtriæ debemus quinque tomos priores, cùm ſextus acceptò ferendus ſit Paulo Matthiæ

Wehnero. Pertinet huc quoque *Johannes Thilmannus de Benignis*, cujus habemus *Apospasma Prodromon, Illustrium & Solennium Observationum summi Statuum Imperii Consistorii sive Cameræ Imperialis*. Conjunxit cum decisionibus *Observationes supplicandi in Camera*, ac, ut appellat, *Constitutionum Cameralium Paralipomena*, quæ sequuntut *Observationes ipsius Practicæ & singulares Cameræ Imperialis*. Liber anonymus, Moguntiæ editus Anno M DC V. cum Inscriptione, *Variæ, Iuris Controversi quæstionum, & in usu Practico, præcipuè Cameræ, quotidie occurrentium, Resolutiones & Decisiones*, Camerales Decisiones, quod titulus promittere videtur, nullas exhibet. Casparis Klockii Relationũ, Votorum, Decisionum, & rerum in Camera Imperii ab anno M D C judicatarum, liber, Francofurti anno M D C L I I. lucem adspexit, quo doctissimæ, celeberrimorum Cameræ Assessorum plurimorum, in causis gravissimis Relationes, continentur. Etiam Consilia, quæ Klockius edidit, ab ingeniis Assessorum Cameræ notissimæ famæ profecta, non vulgare quid sapiunt. Sed & *Consultationes, sive Responsa, cujusdam in Camerâ Imperiali quondam Advocati dignissimi, annexis ut plurimum sententiis in supremo Imperii Tribunali desuper latis*, ut usum, ita & laudem suam habent. Denaisii *Jus Camerale* in omnium manu versatur, ut multa de eo commemorare præter necessitatem sit. In illo nihil ipsius, nisi Ordo & Latina verba, quibus Germanica, ex Recessibus, vel Cisneri editione Ordinationis Cameralis desumpta (ubi leguntur quoque Germanicè Memorialia Visitationum) reddit. Et vel sic tamen summum fuit illius, quod adhibuit, judicium, quo aptissimè omnia disposuit, & feliciter mentem Recessuum, aliquando dubiam, expressit. Postremæ editiones addita habent, cùm alia, tum Compendium Juris Cameræ Imperialis, & Tabulam Analyticam modum Fundandi Jurisdictionem Imperialis Cameræ accuratè demonstrantem, cum mentione Personarum Cameralium: Ab ista Tabula alia est Weisenbergii illa, in Ordinationem & Judicium Cameræ Imperialis. Scriptores Processus Camera insuper, qui id solùm agere destinaverint, (cœteroquin enim ad processum priorum quoque multa pertinent) multos invenit. Eorum, qui in manus nostra pervenerit, primus est Nöe Meurer. Is processum Cameralem linguâs

guâ Germanicâ cum formulis edidit, quem deinceps iterum, auctiorem prælo submiserunt ejus hæredes anno seculi prioris octuagesimo quarto. In eum Commentaria non indocta edidit Ottho Melander, anno seculi hujus primo. Explicavit etiam Noe Meurer Processus hujus non pauca, libro, cui nomen fecit **Liberey Käyserl. auch Teutscher Nation Landt- und Stadt-Recht.** Versatur quoque in eruditorum manibus *Johannis Forsteri Processus Judicii Cameralis*, (qui liber deinceps nullo mutato verbo nomen Corporis Cameralis Fabritii assumpsit.) Petrus Friderus Mindanus suos præterea, *de Processibus, Mandatis, Monitoriis in Imperiali Camerâ extrahendis, & de supplicationibus, quæ pro iis fiunt, rectè formandis*, adhuc superiori seculo, publico dedit, additis etiam de causæ continentia libris tribus. Quem anno deinceps vigesimo quinto secutus Christophorus Swanmannus, scripto de Processu Camerali innotuit, quod posteà viginti sex post primam editionem annis, *novis Observationibus Cameralibus & Differentiis Juris Civilis & Cameralis* anno MDCXLVI. auctum, iterum exhibuit. Inter cæteros quoque Guilhelmus Rodinghius *Pandectis* suis *Cameralibus*, non ineptâ Methodo, jus forense, hac ætate, complexus, inter Practicos nomen nactus est. Illæ, primùm majori, deinceps minori, denuò istâ formâ, quâ nunc editæ cernuntur, cum notis recentioribus à Dn. Gambsio & Brauwero additis, tandem quartâ vice (fallitur enim, qui titulo inscripsit illam, quæ anno MDCLXIIX. prodiit, tertiam esse, cum tres Rodinghii editiones jam ante octennium numerare liceret) Spiræ, anno qui præteriit, cum nova accessioone, prodiere. Tandem Jacobus Blumius labore haud exiguo, ex Scriptoribus pluribus, Processum suum Cameralem concinnavit, rerum Practicarum non contemnenda copia, & quòd reliquis recentior sit, si notas in Rodinghium, & Dn. Johannis Belitz Processum Cameralem in Tabulas redactum excipias, præcipuè æstimandum. Certè alterutrum horum, vel Rodinghium notis auctum, aut Blumium, vel, quod non dissvaserim, utrumque, sedulò sibi commendatum habere debet, qui Stylum Cameræ hodiernum cognoscere velit. Nos quoque in Commentationibus nostris ad Jus publicum in Ottonem mistis de ea quæ nunc in Camera recepta est agendi ra-

tione differuimus, ubi recentiora non pauca, etiam aliis parùm obſervata annotavimus. Supplicationum Cameralium Exempla habes apud Gylmannum, Swanmannum, & recentiorum ſelectiſſima quædam, apud Blumium, peculiari libro collecta. Sententias Camerales, ab ipſa judicii hujus origine usque, quas nanciſci potuit, omnes, ad ætatem, qua ipſe vixit, aliquot ſpiſſis voluminibus collegit Barthius, ſelectiores, uno volumine, à natali Cameræ ad annum 1570. Raphael Seilerus, uterque Cameræ Aſſer. At recentiora præjudicia non pauca, poſt annum 1654. unde nova quaſi ætas Styli Cameralis incipit, ad annum usque 1665. habet *Chilias ſententiarum Cameralium*, quam typographis excudendam dedit Jacobus Blome. Verſantur autem inter Studioſos Cameralium rerum, & ſunt inter noſtra quoque Mſta, non paucæ literæ ſupplices doctiſſimorum Advocatorum, ac ſententiæ judicii hujus nondum editæ. De certis quibusdam Juris argumentis, leguntur quoque celeberrimorum Dominorum Aſſeſſorum libri: *de decernendis Proceſſibus*, Philippi Tennagelii, Joan. Ludovici Benderi *de Reviſione Actorum & Sententiarum in Auguſtiſſimo Imperialis Cameræ judicio pronunciatarum, Concluſionum Deciſivarum Practicarum liber ſingularis*: de *Servitute perſonali*, Tractatus Johannis Hermanni Stamm / libellus aureus, ac qui multo plura præſtat, quàm promittit: Thomæ Michaelis *Concluſiones Theoretico-Practicæ de SS. Cæſareæ Majeſtatis, Cameræ, Statuum Imperii, & aliorum Magiſtratuum Iurisdictione, ad præſentem Germanorum Reipubl. formam & uſum accommodatæ.* De *Commiſſariis & Commiſſionibus Cameræ Imperialis* Rutgeri Rulandi *Tractatus quadripartitus*, cum *Formulario*, ut vocat; non eſt quidem ab Aſſeſſore ſcriptus, in iſto tamen argumento præcipuus, & ſatis probæ notæ. Hujus Rulandi collectioni debemus quoque *Decadem votorum Cameralium, circa fructuum & intereſſe materiam, in quâ præter illas tanquam acceſſorias, Principalis etiam, Juramenti in litem, Miſſionis in poſſeſſionem, Emptionis, Depoſiti, & Statuti excludentis religioſos à ſucceſſione, aliæq; pures pertractantur.* Spiræ inſuper, non tamen Aſſeſſoris dignitate illuſtris, vixit Simon Guntherus, auctor, vel Collector potius Theſauri Practicantium, cujus magnam partem ex Denayſio

& Ju-

& Justo Goblero, quod nec ipse factum diffitetur, desumpsit. Continentur illo quoque Communia Decreta, non tamen omnia, Tabula Analytica, Pacificatio Passawiensis (ipse ineptè vocat Pataviensem) Judæorum Privilegia, Taxa Cancellariæ, Epitome Ordinis Judiciarii, & alia quædam. Reperiuntur etiam Thomæ Michaelis, Merkelbachii, Wilhelmi Durfeldt, Friderici Brandes, Werneri à Rust, & aliorum Relationes, apud Klockium, libro *singulari Relationum pro Assessoratu habitarum*, nec pauca Assessorum, apud Gylmannum. Consilia quoque eorum, in opere Consiliorum Klockii cernere est. Monstravit præterea nobis Francofurti plurimas hujusmodi Relationes celeberrimorum Cameralium hactenus ineditas, in Parentis sui Bibliotheca, Otto Fridericus Scützius, Amicus olim noster suavissimus, cujus obitu non leve damnum melior Jurisprudentia sensit. Ut in summam ergò, ex iis quæ de Camera scripsimus, verba conferamus, qui ibi forensem usum sectatur, Ordinationi Cameræ anni 1555. illam addet, quæ nomine des Neuen Concepts prodiit, leget attentè Imperii Recessum postremum, Conclusa & Decreta Cameræ, & quorum mentionem fecimus, in hæc omnia, annotationes. Ex antiquis Gailium præ cæteris, è recentioribus Rodinghium, Blumium, consulat. Supplicandi artem, ab his autoribus, & usu, formulas ex Gylmanno, Swanmanno, Blumio, sententias ex eodem, pòst Barthium, & Scilerum, repetat. Admovebit quoque manum operi, ac, quod habeat Processus ille, quæ rectius in judicii loco discuntur, Spiram perget, Practico Collegio nomen dabit, ac duce Præside illius, Procuratore vel Advocato Cameræ erudito, huic mari se committet: ibi, fictis certaminibus ad veri Processus formam vires suas cum commilitonibus periclitabitur: consulet in ambiguis, si admitti potest, Assessores, vel Advocatos, quos habet Camera doctissimos, è quibus utilissimam Studiosæ praxeos Cameralis Juventuti operam fideliter navasse memini processus hujus peritissimum Virum Dn. Gabrielem Froelichium. propter integerrimos mores, & eruditionem eximiam, ipsis Cameræ Assessoribus commendatissimum, ac mihi quoque jampridem conjunctissimum amicum. Audientias ipsas, & Muséa quoque Procuratorum & Advocatorum frequenter visitare, multis insigniter profuisse scimus.

XIX. Judicii Aulici Imperialis non multum in plerisque diversa praxis est à Camerali. Præcipua ejus, inprimis ubi discrepat, repeti possunt ex Ordinatione Judicii Aulici tertiâ, anno 1654. jussu Ferdinandi III. conscripta, quæ licèt hactenus ab omnibus Statibus Imperii probata non sit, processum tamen, in illo Judicio, quod docet experientia, & jubet Capitulatio art. 41. moderatur, donec in Comitiis aliud constituatur. Probabile autem est, fore, ut in Comitiis de nova Ordinatione Judicii hujus brevi cogitetur, quod ex monitis communibus recentioribus ad Capitulationem mense Februario anni sexagesimi quarti exhibitis, cernere est. Libri autem fermè nulli à Consiliariis Judicii hujus, si Gailium excipias, scripti sunt. Is enim, licèt Camerales Observationes, Judicii illius Assessor edidit, cujus autoritatem esse magnam in hoc Dicasterio, Viennæ, cùm per biennium propemodum integrum ibi causas aliquot Imperii Principum, & Ordinum aliorum, vel agerem vel urgerem, memini. Cæterum, quæ tum circa processum observavi, disputatione *de Cæs. Majestatis & Imperii Judicio Aulico*, quam nuper Dn. Ahasverus Fritschius in secundum tomum Disputationum, quas collegit, Juris publici, retulit, fideliter recensui. Ea cùm mutata nolim, non repeto, nisi quod addi potest, consonantias & discrepantias Juris Cæsarei Aulici & Spirensis Cameralis, deinceps *in Ellychnio suo edidisse* Theod. Sprengerum, & extare Vota Aulica, D. Joh. Matth. Wackers in causâ Braunschweig contra Braunschweig/ *in puncto Banni*, & ei adversum aliud Johannis Ulrici Hemmerlin/ ut & Matthæi Wackeri à Wackenfels & Jahannis Rudolphi Hegenmülleri, super Illustrissimâ Ducum Saxoniæ controversiâ de Jure præcedentiæ in dignitates & successiones, inter Relationes Klockii.

XX. Aulam Cæsaream, per magnam Germaniæ partem refert etiam *Rothwilense judiciũ*, cujus Jurisdictio ad Circulos, Austriacum, Suevicũ, Rhenanum, & Franconicum, pertinet, nisi quod ex Austriaco vel nullæ vel certè rarissimæ causæ hodie eo deferuntur. Egimus de præcipuis quibusdam processus illius, qui in plerisque cum usitata Cameræ procedendi ratione convenit, Disputatione nostra *de Judicio Rothvvilensi cap. 4.* Cætera repeti possunt ex Reformatione Rothwilensi, (ea est

est Judicii hujus Ordinatio) In illam Commentarios composuit ac in lucem edidit Paulus Matthias Wehnerus exquisitissimos, non Judici solùm, & Assessoribus, sed ipsius Aulæ Imperialis quoque autoritate probatos.

XXI. Post usum Juris in summis Imperii Judiciis, non negligenda nobis erit Saxonici processus ratio, quòd Juris illius ambitus per Imperium tam latè pateat, ut omnem Germaniam, isto, & Suevico Jure, in Bulla Aurea diviserit Carolus IV. Et novimus, olim etiam in Poloniam, & ad Bohemos usque pervenisse. In Holsatia quoque hac nostra, deficiente Jure Provinciali, & consuetudine, in causis Nobilium illi locus est. Falluntur autem insigniter, qui cum autore Weichbildi, & Privilegii quod libro illi præfixum est, à Constantino Saxonum leges repetunt. Qui enim primam eorum, tempore Diocletiani mentionem facit, Eutropius, tantum abest ut subditos fuisse Romanis dicat, ut Imperatorem hunc potius infestos hostes maritimos eos habuisse, observet. Nec Ammianus deinceps Marcellinus, qui Gallias illos & Britanniam oppugnasse scribit, aut quisquam alius, eos inter nationes habuit quæ subessent Imperatoribus. Non aberrant, qui Carolum Magnum, aut alium aliquem ejus ætatis, Speculi Saxonici, vel partium illius paulo majorum autorem negant; id enim ætate Friderici II. confectum doctissimè ostendit Heigius, quæstionum Juris tam Civilis quàm Saxonici octavâ, & probant Historiæ Germanicæ peritissimi quique: Carolum quidem Saxonibus leges dedisse, ex Eginarthi loco quem adducit Heigius, abunde liquet, & legem Saxonicam diligenter olim descriptam fuisse Widechindus, *lib.1.* testis est. Sed non illas tamen Speculi illius, verùm, quæ non vana Heigii conjectura est, eas, quas Heroldus edidit. Ottonem Rufum Imp. deinde Burchardo de Mangelfeld id negotii dedisse, ut collectum Jus Saxonicum Commentariis illustraret, illumque compilationem & Commentationem Juris Saxonici, anno 974. cœptam, quadriennio post perfecisse, notavit, ignoro, an ex actis publicis, in utroque Saxoniæ & Querfurtensi Chronico Spagenbergius, & probat Heigius; quod factum tamen negat *de Weichbildis Saxonicis* Gryphiander cap. 52. Circa confinia seculi duodecimi, & decimitertii, Ecko à Repkow Jus illud in Speculum redegit, lin-

linguâ primùm Latinâ, deinde vertit in Saxonicam, veluti ostendunt Codices duo, ad quos provocat Gryphiander, in Bibliotheca Oldenburgensi manuscripti, & Freheri alius, quem ibi nominat. Sicut autem regiones Electoris Saxoniæ, ita Jus quoque & Speculum, vernaculum sermonem sensim Misnico mutavit. Unde in Christophori Zobelii editione versio Germanica Misnicum Idioma refert: quod studio fecisse Zobelium, ex præmissâ Juri Feudali præfatione Francisci Romani intelligimus. Est ejus editio optima, Zobelii illa cum additionibus, & Responsis Scabinorum, Lipsiæ anno 1560. curata à Georgio Menio, postquam Zobelius fatis jam concessisset. In antiquo Codice manuscripto Oldenburgensi quartum librum Speculi Jus Feudale constituit, cum ista quam nominavimus editio, non habeat nisi libros tres. Extat tamen seorsim Jus Feudale Saxonicum, & Weichbildicum, quorum illud quidem seculo minimum integro post Speculum natum est, cum notis ejusdem Zobelii, editionem promovente Francisco Romano. Quamvis autem Speculum in libros & articulos divisum sit, quod tamen methodum ibi desiderarent omnes, Melchior Klingh in Ordinem meliorem redegerat Jus Saxonicum, titulo isto, das gantze Sechsisch Land-Recht mit Text und Gloß. Eum librum, defuncto autore, ediderunt filii Lipsiæ anno M D LXXII. Cæterum, cùm Jus Saxonicum magis ex usu, quàm verbis Speculi hujus æstimetur, quod ex privilegio de non appellando Saxoniæ Ducum apud Limnæum, & Hartmanni Pistoris, Coleri, Carpzovii, Schultzii, testimoniis constat, dubiaq; præterea ex textu subinde emergerent, factum est, ut Ordines Provinciarum Electoralium non rarò peterent, Jus illud novis Decisionibus ad certitudinem redigeretur aliquam. Unde natæ Constitutiones plures (quas è Corpore Juris Saxonico cuivis repetere integrum est) inprimis celeberrimæ istæ Augusti Electoris, Anno 1572. promulgatæ, quibus illæ controversiæ Juris, circa quas diversum statuebant Collegia JCtorum Saxonica, maximam partem definita sunt. Historiam eorum quæ circa promulgationem acciderunt, ex Daniele Mollero repetet, qui scire eam voluerit; nobis quidem suffecerit annotasse, cùm primùm ederentur, nonnullis Decisionibus Constitutionis titulum præmissum fuisse, cùm aliæ illo carerent. Id ideo factum Jaco-

bus

bus Thomingius, qui ipse deliberationibus interfuit, libro cuidam Responsorum Scabinatus Lipsiensis adscripsit, quòd ab initio illi, quorum operâ Elector usus fuerat, existimarent, non omnes novas constitutiones edendas esse, sed paucas saltem easq; præcipuas, quas ea de causa separarint à reliquis adscriptione vocis hujus. Voluit Elector illas plerasque pertinere ad casus non futuros solùm, sed præteritos quoque, quomodo ipse consultus ea de re 26. Julii anno 1572. rescripsit, ea ratione ductus, quòd non novum Jus Constitutionibus illis inductum sit, sed vetus ambiguum declaratum. Excipit tamen iisdem literis casus illos, quos secundùm Constitutiones decidi ita demum se voluisse, si post illas publicatas contigissent, expressa illarum verba ostendunt: qualis est cum aliis nonnullis Constitutio 22. *part.* 2. quæ pacta quo ad obstagia debitores se obligant, irrita esse jubet. Vim illis etiam extra Electoratum tribuit Finckelthausius observatione primâ, seque meminisse ait nonnullos Silesios, Pomeranos, Anhaldinos, & alios, sæpissime petiisse, ut secundùm Constitutiones Electorales in causis transmissis pronuntiaretur. Et Georgius Scultzius, *secundùm eas*, scribit, *quæ sunt Juris Saxonici declaratoriæ, etiam exteris Jure Saxonico utentibus responderi & pronuntiari*, *Daniel Moller in Comment. ad easdem passim attestatur*: addit deinceps, *excepto tamen puncto adulterii, furti, & id genus aliis, in quibus extra Electoratum, secundùm Juris communis dispositionem pronuntiatur.* Ego, ut consensu exterorum quorundam recipi posse illas, quod fortasse alicubi factum quoque, non ambigo; ita non video, quomodo legis loco esse illis possint, in quos imperium Electori Saxonico nullum est. Agnosco interim illas à prudentissimo & Saxonici Juris peritissimo Principe, Juris Consultorum maximorum operâ adjuto, promulgatas, plus autoritatis in ambiguo Jure Saxonico interpretando habere meritò, quàm cujusvis Doctoris & Interpretis alterius opinionem. In Holsatia nostra, non circa furta solùm, & adulteria, sed & alia quædam Juris capita usu receptæ non sunt, licèt Jure Saxonico antiquo Equestris illius Ducatus ordo vivat. Cujus, fallor an ista causa est, ut ostenderetur, leges non accipere subditos, nisi ab ipsorum Principibus: tum quòd quidam Juris Saxonici

 arti-

articuli, aliter quàm ibi statuitur, Consuetudine, vel Legibus Provinciæ, definiti essent, quòdque obstagia, verum illud Holsatiæ Palladium, istæ Constitutiones tollerent, Patuit autem jam istâ ætate non omnes Juris Saxonici controversias, illis Constitutionibus sublatas esse: quare animum induxisse novis Decisionibus adjectis, reliquis quoque mederi, eundem Augustum Electorem, ex Mollero discimus, nisi interpellasset illud studium Tanti HEROIS obitus. Interpretem & Commentatorem primum habuit Danielem Mollerum. Is se vitulâ adjutum eorum, qui Constitutiones has concinnarunt, ipse fatetur. Fuerunt autem illi ex Consiliariis quidem Johannes à Bernstein, Ericus Volckmarus à Berlepsch, Hieronymus Kiswetterus, Johannes à Zeschau, Abrahamus Bockius, Laurentius Lindemannus, & David Pfeifferus: Ex Lipsiensi Academiâ Jacobus Thomingius, Leonhardus Badehornius, Johannes Reifschneiderus, ex Wittebergensi Michael Teuberus, Joachimus à Beust, Matthæus Wesenbecius. Vertit Latinè in exterorum gratiam; commentarium autem, nullâ autoritate publicâ subnixum prodire ipse monet, Matthias Berlichius postea, Conclusionibus suis Practicabilibus secutus est Constitutionum harum ordinem. Opere illo, quod suaserat Vultejus, tentavit superare Danielem Mollerum, & sanè, quæstionum & autorum multitudine, fecit. Bis illud in Germania, semel in Belgio typis excusum, ita tamen, ut præcipua sit Lipsiensis postrema, majori formâ anno MDCXXIX. curata editio, quòd in priori Lipsiensi, multa desint, quæ huic accesserunt, & Belgica vitiis typographicis laboret innumeris. Post Berlichium, Benedictus Carpzovius publicavit opus *Definitionum Forensium*, cui & Berlichius, & Antonius Faber multum profuerunt. *Synopsin Definitionum*, cum consensu autoris adornavit Johann Heinricus Schroterus, Bibliothecarius Ducis Saxonicæ Altenburgensis. Successerunt Ordinationes plures, Edictum Torgaviense, Ordinatio Politica, Processus Ratio, Ordinationes Appellationis, Judicii Ecclesiastici, Matrimonialis, de Academiis Lipsiensi & Wittebergensi, de Fodinis Metallicis, Molendinis. Verùm ne sic quidem deerant, de quibus aliter Lipsienses, aliter Wittebergenses, aliter Jenenses, pronuntiarent: quod de Jenensibus, libri Carpzovii

cum

cum Richteri scriptis collatis & *Iuris Consultorum Saxonicorum in sectas abeuntium dissidentes opiniones, pleraque, à Iohanne Strauchio collectæ,* quæ leguntur, *Dissertationibus ipsius Iustinianeis* additæ, de Lipsiensibus & Wittembergensibus præfatio Dn. Gothofredi Suevi, Synopsi Practicæ Criminalis Carpzovii præmissa, imò in eadem urbe Lipsiensi, Facultatem Juridicam & Scabinatum quandoque dissidere, ipsius Carpz. scripta extra ambiguitatem ponunt: quæ nova ea de re querendi occasio fuit Statibus Saxonicis. Exposuerunt illi gravamina sua Comitiis Provincialibus anni MDCLIII. & LV. Johanni Georgio I. deinde quoque Electori filio anno MDCLVII. eaque causa fuit natarum deinceps Decisionum Electoralium XCI. quibus anno MDCLXI. pleraque, dissidentibus JCtorum sententiis in controversiam vocabantur, composita sunt. Promittit autem Elector, & reliqua, quæ superesse agnoscit, dubia, deinceps definire. Prodierunt Decisiones illæ, tum separatim, tum reliquis Constitutionibus Saxonici Juris, volumine quod inscribitur *corpus novum Saxonicum*, additæ. Sunt verò in Decisionibus, his Jus plerumque approbatæ illæ, quas tuetur Carpzovius, sententiæ. Carent hodieque Commentario, quem tamen à Dn. Johanne Philippi, qui ad Institutiones Juris nobis dedit, *usum Practicum* & *de subhastationibus* Tractatum, aliiqui exspectant. Ante paucos menses *Repertorium Iuris Saxonici*, quod ordine Alphabetico omnia illius exhibet, prodiit Dresdæ, Samuele Luffftio autore. Differentias Juris Civilis à Saxonico, primus, saltem quæ aliquo loco apud doctos essent, collegisse videtur Ludovicus Fachsius Ordinarius Academiæ Lipsiensis, cujus extant responsa quædam, cum Modestini Pistoris Consiliis edita: accesserunt illis revisiones JCtorum Lipsiensium & Wittebergensium, quas postea quoque in aula Electorali approbatas, & secundum eas in terris Saxoniæ pronuntiatum fuisse, Franciscus Romanus asserit. Habet differentias non nisi 70. quas multò pluribus auxit Benedictus Reinhardus libro ejusdem argumenti, quo 273. differentiarum numerum confecit. Utrumque, cùm præcessissent editiones aliæ, prælo commisit Leopoldus Hackelmann, qui plures adjecit. Post quem Zobelii differentias, cum duorum, de quibus locuti sumus, autorum scriptis,

Romanus, ac simul edidit ita ut singulis differentiis, trium Doctorum verba subjiceret, præmissis semper illis Zobelii. Dedit id defuncti memoriæ, & hæredibus, à quibus pretio comparavit Zobelii Bibliothecam, additâ conditione, ut quæ imperfecta reliquisset scripta, expoliret, & publicæ luci exponeret. Sunt & alii, qui differentias Juris communis & Saxonici collegerunt, è quibus inter antiquos recenseri potest Sebastianus Stelbagius JCtus, qui Budissinæ excudi suis impensis curavit, *Epitomes, sive summa Universæ Doctrinæ Iustitiæ Legalis, partem primam, præcipuis ac usitatis quolibet loco junctis differentiis, & Antinomiis Iuris Civilis & Saxonici. Præcipuæ Iuris communis & Electoralis Saxonici differentiæ* Tubingæ Disputationis Inauguralis argumentum fuerunt Gottfrido Scæffero ante hos annos novem. Consiliis Doctorum, Decisionibus, & Observationibus, Jurisprudentia Saxonica, ni fallor, non temerè aliis cedit. Habet Scurfii, JCti Luthero coævi, & ejusdem in Academia Wittebergensi Collegæ, Consilia, à genero illius in latinam linguam conversa, remotis facti, quòd illas prolixiores crederet, narrationibus. Habet Wesembecii illa, (viri summi) quæ plurima volumina explent. Modestini Pistoris, & Ludovici Fachsii, Lipsiæ, ubi Jus primo loco docuerunt, prodiere: qui locus etiam Henningi Gœden Responsa dedit. Pertinent huc Consultationes Saxonicæ bis typis sed postremò curâ Friderici Mindani Syndici Francofurtensis, meliori habitu quàm ante, editæ. Thomingii quoque Consiliis, olim, velut & deinceps Carpzovii Responsis eadem Lipsia Saxonicum Jus illustravit, quemadmodum Jena Consiliis Nicolai Reusneri, & Richteri, quibus altera nuper pars accessit. Carpzovii illa, à sententiis Curiæ Appellationum, Judicii in Saxonia supremi, plurimum roboris accipiunt. In Richteri illis multa Responsa sunt adoptiva. Quæstiones edidit Andreas Rauchbar, adjutus schedis, ut ipse ait, Teuberi, Professoris olim Wittebergensis laudatissimi. Coleri Decisiones Germaniæ, cum additionibus Jacobi Scultes Elbingensis. Thomingii, cujus consiliorum ante memini, Decisiones, Molleri Semestria, Virgilii Pingitzeri, quæstionum Illustrium Saxonicarum decades, Quæstiones Practicæ Jacobi Scultes, & Scæfferi illæ, non parum lucis Saxonico Juri attulerunt.

runt. Sunt in Bibliothecis quoque hujus Juris peritorum, Ortolphi Fomanni, & Petri Theodorici, ac Dominici Arumæi, JCtorum Jenensium, Decisiones. Nec prætereundus hic Berlichius, qui non solo Conclusionum opere, sed tribus etiam Decisionum voluminibus, quorum postremum nuperrimè prodiit, nomen suum orbi commendavit. Sigismundi Finckelthusi observationum jam ante mentionem fecimus. Inter reliquos autem Quæstionum ac Deciosionum Scriptores Saxonicos facilè eminent, accuratæ tractationis laude, Petrus Heigius, Hieronymus Pantzschmannus, Hartmannus Pistoris, ac Georgius Frantzkius, cujus Variarum Resolutionum libros tres, Gothæ editos, habemus, De postremo eruditi conveniunt, & Dn. Tabor initio Tractatus de Indiciis & Tortura *gravissimum ICtum, ac virum appellat, qui in Theoria & praxi magnam laudem consecutus sit*: de prioribus verò idem nobiscum sentit Frantzkius , in *Præfatione ad Resolutiones*, Hartmanno Pistoris etiam , Colerus *acutissimi JCti titulum* tribuit, & Carpzovii, de eo judicium est, *ICtum illum esse magnum, cujus scripta nunquam satis laudari possint, quem seu artis suæ parentem, & jurisprudentiæ in his provinciis genitorem, meritò agnoscunt reliqui.* Nescio, an adducere debeam , etiam Deciosionum partes tres edidisse Carpzovium, cùm illud quidem, nemo, ut existimo, ignoret. Addendum tamen ideo, ne celeberrimum nostræ ætatem JCtum Saxonicum, acqui reliquorum fere omnia in libros suos contulit, adeoq; multorum loco esse potest, neglexisse videar. Exstant ejus varia. De Jurisprudentia Forensi jam diximus, eâ, omnia quæ ad praxin pertinent , se complexum existimasse, ejus autorem. Eventus tantem ostendit errorem, quod ingenuè alibi fatetur. Præjudicia, ex libris manuscriptis Scabinorum, quorum, ut ipse in præfatione ad lectorem scribit, *sunt fermè quadringenta volumina admodum magna*, desumpsit. Practicam Criminalem laudant omnes, ad fori Saxonici usum compositam , & variis præjudiciis Scabinorum illustratam esse , res ipsa docet, quorum labore se adjutum, ipse quoque agnoscit. Sunt, qui existiment , ex Theodorici *Collegio Criminali*, non pauca quoque descripsisse. *Synopsin Practicæ* hujus confecit Gothofridus Suevus, doctus JCtus, quemque olim Præceptorem habuimus. De Responsis antea diximus. Usus est in concin-

nandis illis, observatis Magni Lebezlteri, & Protocollis rationum decidendi, quæ in Senatu Appellationum servantur. Ejusdem autoris etiam est, *Iurisprudentia Ecclesiastica seu Consistorialis.* Tentaverat tale quid ante eum, Cornelius Crollius. De illo ita Carpzovius, *ne quid dissimulem*, scribit, *quæ quondam ICtus eximius, Dn. Cornelius Crollius piæ memoriæ, functus officio Secretarii in Protosynedrio Dresdensi, tum temporis sibi soli consignaverat, amicâ hæredum manu mihi tradita fuere, cùmque ea ad rationes & fundamenta Iuris revocaverim, & quantum fieri potuit, pensiculatius, concinnaverim, aliorum in usum jam elaborata luce publicâ frui & omnibus fructuosa fieri placuit.* Scripsit & *Commentarium ad legem Regiam Germanorum* adhuc adolescens, quem anno vigesimo deinceps emendatiorem & auctiorem edidit, *de privilegio Electorum & Ducum Saxoniæ de non appellando, Pacto confraternitatis Saxonico Hassiacæ, Voto septemvirali pro Carolo V. Vindiciis Theologorum Lutheranorum contra Dilligenses, Inhibitionibus Curiarum Provincialium Saxonicis, Donatione Bonorum Utensilium, seu Geradæ, Contractu mutui, jure Feudali, Arbore Consanguinitatis & affinitatis*, ejusque *usu Practico, Asylo Debitorum casu fatali ad incitas redactorum*, & *Iuribus fœminarum singularibus*, illius *Dissertationes*, anno M DCLI. in unum volumen collectæ fuerunt. *de oneribus Vasalli Feudalibus Semicenturia Positionum Juridicarum*, triennio post, scriptis magni JCti accessit. Processum tandem adjecit, Judici inprimis, formularum, quibus sententiæ pro diversitate causarum exprimuntur, varietate, quamquam aliis non paucis advocato quoque insigniter profuturum. Diligentiâ, & præjudiciorum numero omnes scriptores Saxonicos superavit: usu præterea æstimandus, & quòd à reliquis scripta ferè omnia, hic quoque legantur. Dissentit ab ipso haud raro Christophorus Philippus Richterus, inprimis in *Variis Juris Decisionibus*, quas secundâ curâ locupletiores, deinceps & majori forma excudendas dedit, Etiam Johannis Eichelii Inauguralis *de Transitione possessionis in hæredes* contra Carpzovium scripta est. Integris Tractatibus duobus, illum oppugnavit Justus Oldenkop, *primo, de Appellationibus in causis Criminalibus*, *altero, quo continentur Decades quinque quæstionum ad processum Criminalem necessariarum.* Nos quoque quædam illius ad Jus Feudale

le pertinentia disputationibus Feudalibus Tubingæ habitis, notavimus, & nuper in Academia hac, Disputatione qua *Miscellaneas nonnullas Juris positiones*, examinandas proposuimus, aliquoties ab ipso discessimus, non quòd aliquid eruditioni magni hujus JCti, quem veneramur & colimus, ac è cujus scriptis nos profecisse agnoscimus, detractum velimus, sed solius veritatis, qua nihil pulchrius, amore. Venio nunc ad istos, qui vel justo opere Jus Saxonicum in universum tractarunt, vel illud libris, quos de Jure Civili scripsere, inseruerunt. Ad Institutiones, in Commentario suo, Juris hujus magnam partem tradit Schneidwinus, cujus lucubrationes, cùm antequam ederentur decessisset, Matthæus Wesembecius perfecit, notasque addidit, quod deinde quoque Petrus Cornelius Berderodius, & Dionysius Gothofredus fecere. Opus hoc forensem Praxin sectantibus, ut longè utilissimum rectè commendatur, cùm *Libellorum & actuum Judicialium formulis*, ut ipsa habet inscriptio ejus, abundet. Petri Heigii quoque, *ad institutiones Commentarius*, Saxonicum Jus attingit. breviter illud, non negligenter tamen, exequitur, *in Synopsi Institutionum Imperialium Georgius* Schultze. Nuper autem Decisiones egregias ad Institutionum ordinem dedit, nomine Usus Practici, Johannes Philippi. Ad Pandectas, Wesembecius, & in eximio *Syntagmate* suo Georgius Adamus Struvius, Jus Saxonicum quoque exponunt: ita tamen, ut qui recentiora noscere velit, addere Wesembecio necessum habeat, doctissimi & integerrimi Viri Henrici Hahnii notas. *Nucleum Juris Saxonici* Husanus scripsit, libellum, qui exiguitate suâ satis docet, omnia illo non contineri quæ huc pertinent. Feudale Saxonum Jus in libros redegerunt, Jeremias Reusnerus & Georgius Schultz. Singulas quasdam Juris Saxonici materias, etiam suos invenere interpretes. ita *de Geradæ Saxonicæ successione* Andreas Goldtbeccius, *de Dotalitio, sponsalitiâ largitate, Cibariis, Utensilibus, Armatura hominum Militarium*, Georgius von Rotschitz Tractatu von der Mittgifft &c. egit. Pertinent huc Georgii Scultzii Tractatus *de Oblatione, Obsignatione & Depositione pecuniæ. De arbore Consanguinitatis & Affinitatis ac Gradibus: de Iure Novercarum* Burchardus Berlichius, *de Locationibus & conductionibus* Hieronymus Pantzschmannus:

nus:

nus: *de privilegiis Creditorum, successionibus ab Intestato, & Pactis*, Richterus: *de subhastationibus* Joh: Philippi: *de Iure Patronatus* Sigismundus Finckelthaus: *Emigrationis & Detractionis*, Johannes Eichman: *de Landsassiis, itemque Schriftsassiis & Ambtsassiis*, ut & *de Consistoriis*, Wilhelmus Leyserus Professor Academiæ Wittebergensis celeberrimus. Amicus noster, *de Instantia, Austregis, Landsassiis* & aliis quibusdã, Caspar Zieglerus *ad conclusiones communes ad Auream Praxin Nicolai Calvolæ*, aliiq; plures. Superest Processus Saxonicus, quem in cœlũ tollunt, ac aliis, etiam Camerali, multis modis præferunt, Finckelthusius *Programmate, quod præmisit orationi de Collegiorum Iuridicorum Origine*, & Benedictus Carpzovius *præfatione ad Processum.* Quibus ut refragari nolim, si Cameralem processum, qualis ille olim ante Recessum anni MDCLIV. fuit, intelligant; ita post istud tempus, inprimis annum MDCLIX. plurima in melius mutata esse, ut nunc, cum Saxonico, jure meritoque certare possit, non ambigo. E primis Processus hujus scriptoribus, laudatur Chilianus Könich, Cancellarius quondam Georgii Ducis Saxoniæ, qui id dedit precibus Senatus Zwickaviensis, ut manum operi huic admoveret. Ejus exemplar anno MDXLI. secundâ vice Lipsiæ typis descriptum, est inter libros meos, unde saltem aliquot annis antè scriptum esse colligere est. Constat tribus partibus, quibus quartam adjecit, editione, quam circa postrema præteriti seculi luci exposuit Joachimus Georgius von Pritzen/LL. Doctor, & Assessor Scabinatus Lipsiensis, quâ & reliquas partes, sæpe integris titulis, auxit. Chilianum hunc *Regulum & Ducem Practicæ Savonicæ, cujus dictis circa formam processus, saltem in judiciis causarum Ordinariis, ut plurimum tanquam Regulæ Lesbiæ inhærere solemus*, appellat Colerus *de Processu Executivo.* Laudat eum quoque, & Georgium Rotschitz, ut præcipuos duos Processus Saxonici scriptores, Benedictus Carpzovius, eâ, cujus mentionem fecimus, Præfatione. Konighium sequitur Georgius von Rotschitz/ & ipse Cancellarius Saxonicus, ac nobilis processus illius scriptor. Extat in duas partes divisius, quarum primâ Civilia, alterâ Criminalia tractat: additionibus quibusdam & formulis locupletavit illum Jacobus Schultes, qui idem adjunxit Michaelis Teuberi libellum, cui titulus,

for-

formular **Buch/auff den gerichtlichen Proceß/nach Sächsischen und Käyserlichen Rechten.** Eum confecerat Teuberus, in gratiam filiorum, nec reperiebatur nisi manuscriptus ante illam Jacobi Schultes editionem, anno MD XCVIII. curatam. Ex Georgio Rotschitz quædam adjecta sunt Chiliani Konigh Processui, à posterioribus ejus editoribus, quod in errorem induxit viros doctos, inter illos Zangerum quoque, ut quæ illius sunt, interdum hujus esse putaverint. Ejusdem Schultes curâ auctiores prodiere Petri Terminei Processus, & Practica Chiliani Goldsteinii. Arnoldus de Reyger *in Processu Iudiciario* suo Saxonici etiam Juris rationem habuit, & Volckmannus *Informatione Notatiorum* pleraque processus hujus Germanico sermone exhibuit. Habemus quoque, *Synopsin Judiciariam, ex Jure novo, quo hodie in Imperio Romano Germanico utimur, nec non receptis in foro opinionibus, desumptam*, Georgii Schultzen, J. U. D. & Facult. Jurid. Witt. Assessoris: cujus ejusdem autoris, sed imperfectus, habetur *Processus Iudiciarius, quo hodie in præcipuis Germaniæ Iudiciis, maxime verò Curiis Saxonicis utimur*; ejus enim non nisi pars prima lucem vidit. Carpzovius post cæteros deinde, *Processum Juris in Foro Saxonico, Imprimis autem supremo Appellationum Judicio Electorali, Curiis Provincialibus, aliisque Judiciis inferioribus, & Dicasteriis Saxonicis, usu & observantia comprobatum*, &c. edidit. De Instituto suo *ipse in Præloquio: animus*, ait, *nobis est, non tam regulis Processus ex Iure communi, & Dd. traditis Stylum & observata subnectere, quam ipsam experientiam usu & observantiâ variis in Dicasteriis Electoralibus, per triginta annos & quod superat, acquisitam, textibus ac rationibus Juris firmare ac dilucidare. ita ut labor hic sit litigantibus instar Regulæ Lesbiæ, earum rerum de quibus in formando & tractando processu Iuris Autores Practici diversimodè scripserunt, & variè disceptarunt.* Formulas actionum, Citationum, exceptionum, studio prætermisit, quòd ea operâ satis defunctos esse existimaverit, Teuberum, Termineum, Rotschutz, & Volckmannum. Gothofred. Fibigii *Processus, tum summarii & executivi, ut & Arresti, tum Ordinarii & injuriarum, delineatio brevissima, Stylo nostrorum temporum, fori cumprimis Saxonici, accomodata*, ea est, quam, quòd brevis, perspicua, methodicè ac doctè scripta sit, tyroni

praxeos inprimis, ut indè initium legendi faciat, commendare soleo, quod sæpe animadverti, non sinè fructu. quem ubi legerit, adjiciet Processum Judiciarium primæ & secundæ Instantiæ, nec non executionis, delineatum primum à Christophoro Friderico, deinceps concinnatum & auctum à Tobia Heidenreichio, sed qui plurimum debet industriæ Joh. Georgii Nicolai. Ejus editio postrema, præter Carpzovii ac Richteri, aliorum quoque recentiorum de processu observata, non negligenter exhibet, ut non possit non utilissimè legi. Advocatis quidem plus quoque quàm Carpzovii illam prodesse posse, non dubito. Relinquemus processum hunc, cui nimis fortasse diu immoramur, ubi de præjudiciis Dicasteriorum pauca addiderimus. Repetenda autem hic illa quoque sunt, quæ antea de illis scripsimus, cùm de Camera ageremus. Quæ enim in genere de processu & de Camerali agendi ratione diximus, ea hic quoque pleraque usui esse possunt. Disserit de præjudiciis in universum eruditissimè, quod monere antea obliti sumus, Johannes à Sande, *præfatione ad decisiones aureas*, omnino ibi legendus illi (est enim prolixior locus quàm ut hic adduci possit) qui, quid præjudiciis tribuendum, aut negandum sit, scire velit. In Saxonico foro, qui ista evolvere desiderat, plurima Lipsiæ, è manuscriptis libris Scabinorum quadringentis ferè, quorum supra meminimus, repetet. Edita plurima & selectiora habet Carpzovius, & Richterus. Apud alios quoque, sed pauciora reperire est. Georgius Beatus JCtus anno M DC VIII. Geræ ad Elystrum excudendam dedit Sententiarum Definitivarum Saxoniæ, *de Matrimonialibus, à celeberrimis Consistoriis Lipsiensi, Wittebergensi, & Ienensi pronunciatarum & rationibus tam dubitandi quàm decidendi corroboratarum* centuriam. Ejusdem argumenti libros Beati hujus, *de Contractibus, Testamentis, & successionibus, de Criminalibus, & Iudicialibus*, præterea quoque vidimus.

XXII. Addemus nunc de praxi Lubecensi quoque pauca, quòd Juris illius in Livonia, Borussia, Pomerania, Ducatu Megapolitano, & Civitatibus Hollaticis quatuor, istâ in quâ vivimus modò, & tribus præcipuis aliis locus sit. Imò, si præfationi Juris Lubecensis credimus, provocasse aliquando à sententiis ex Jure Lubecensi latis, Lubecam

cam, qui eo Jure uterentur, feruntur. Initia Juris illius, referenda esse dicuntur ad tempus, quod editionem primā an. 1586. trecentis quinquaginta annis antecedit: additur, confirmata esse Statuta ab Imperatore Friderico I. quod testetur Diplomate ex quo pendet Bulla, ut vocatur, aurea. Liber Juris illius Msstus, qui est inter libros nostros, ut videtur à Senatu missus Civitati alicui Holsaticæ, quæ illo Jure utebatur, collectionem Juris hujus factam esse tradit anno M CC LVIII. cùm, ut id facerent, rogati essent Lubecenses à Magistro & Equitibus Ordinis Teutonici per Livoniam: quod non observatū Reimero Kockio in Chronico Mssto Lubecensi ad annum illum miror. Dabimus ipsa verba Saxonica, quæ libro isti præmittuntur. In dem Jare unsers HErn M CC LIIII. do lethen de Hern und Radtmanne van Lübeck thosamende schriven / düsse nhageschrevene Jura und Rechte / ümb sunderliker Bede willen ehrer Fründe / Alse des erliken Meisters und Broders / des Düdischen Ordens van Lifflandt / welche Jura und Rechte bestediget / und denen van Lübeck gegeven sind van dem Durchluchtigesten Meister und Buwer der Stadt Lübeck / Hertzog Hinrich / Herzog tho Sassen und Ungern / und van Norwegen Hertog van Schwaven und Beyern / und darnha van dem Erentliken Hern / Römischen Keyser Friederich up dat nie bestediget / und mit sinem Privilegio gestercket / und vort darnha van Koningen / Fürsten und Hern befulbordet und thogelaten / und up dat lateste van dem klaren Hern und Forsten / Romischen Keyser Friderico noch up datt nie privilegirt tho ewigē Tyden thobrukende. Hirum dusse Jura, de an dussem Boke schreven sind / umb Leve willen der vorgeschreven Hern Meisters und Broders des Düdischen Ordens van Liefland und der Stadt Momlenborg / Alse se ehne gegeven sind und unsern Inwohnern / so geve wy se juwe nu vorth anthobrukende und tho holden tho ewigen Tyden / und alle de düsse Jura und Rechte willen holden / denē sy Frede und Frouwde an unserm HErn JHESU Christo tho ewigen Tyden / Amen. Cæterum lingua Saxonicâ, non Misnicâ, conscriptum fuisse Jus hoc, & liber ille docet & titulus primæ editioni præmissus, ubi id disertè traditur. In Mssto nostro primi articuli rubrica ista est: Wo men

den Radt setten schal: subjicitur, Idt iß widtlick / dat nein Mann magh Radtmann werden / In dusser Keyserliken Stadt Lübeck / der ein Ampt von den Hern heft. In eodem libro nostro, in partes duas distinguitur, quarum una venit nomine des Oberrechtens / & articulis constat 386. altera des Nieder Rechtens / & paucioribus absolvitur. Cùm varia hominum de Jure isto superiori seculo essent judicia, Exemplaria etiam, quæ circumferebantur, mendis non carerent, & cùm reliquæ Civitates, quæ illo utuntur, tum præcipuè, quod Mevius tradit, Rostochium, Stralsunda & Wismaria editionem ejus vehementer urgerent, Revisores & Correctores horum Statutorum selecti fuere, Johannes Ludinghausen Consul, Calixtus Schein / olim urbis hujus, deinde Lubecensium Syndicus, & Gottscalck von Stiten / Senator: quæ nomina non uni Statutorum horum libro adscripta vidi. Illi, istis quæ usu observari desierant, remotis, reliquis in meliorem ordinem redactis, Jus Lubecense quo hodie utimur, Sermone Latino & Germanico, anno MDLXXXVI. Lubecæ, per Johannem Balhornium, authoritate Senatus, edi curarunt. Eodem anno, antequam typis Lubecæ descriptum esset, prodiit Hamburgi Joachimi Kollii Crempensis liber, cum titulo Ein Rechtbuch / darin die Artickel so man Lübisch Recht nennet / und in den Manuscriptis Exemplaribus gefunden / nicht allein in ein bequeme und richtige Ordnung gebracht / besondern auch das Sächsische / Käyserliche und Göttliche Recht zugleich mit eingeführet / und angezogen: quem librum promovisse editionem Lubecensem, quidam, nescio an rectè existimant. *Differentias Iuris Civilis & Lubecani*, Johannes Sibrandus, Codicis in Academia Rostochiensi Professor, edere cœperat, ac absolvit centuriam primam, de quâ ipso Præside anno MDCXV. 23. Septembris disputavit Theodorus Varmeierus: ambigo tamen, an reliqua quoque prodierint. Habemus & nos Codicem alium Statutorum horum, cui Sententiæ Senatus Lubecensis non paucæ, ubi controverti præcipuè articuli solent, adscriptæ sunt. Apud Cothmannum, in Consiliis, Juris hujus multa explicata quoque reperies, quemadmodum & quædam in aliis Germanorum JCtorum Consiliis. Heringius etiam ejus aliqua attigit. David Mevius

us tandem in quinque libros priores Commentarium sanè elegantem & doctissimum dedit, adjutus tum responsis & decisis Facultatis Gryphiswaldensis, cujus per triennium Assessor fuerat, tum quoque Observationibus avi ac Parentis sui Thobiæ ac Friderici Meviorum, Professorum Academiæ Gryphiswaldensis, & actis quoque Judicialibus Stralsundensis Civitatis, imprimis Lamberti Steinwigii Syndici ibidem Primarii, schedis, qui ipse quoque àliquid in Jus Lubecense cogitaverat, sed morte præventus absolvere non potuerat. Extant editiones Mevii binæ, quarum posterior magna accessione etiam Consiliorum ad Jus Lubecense, auctior prodiit. In sextum de re nautica librum, & libri quinti titulum de Arrestis, ideo nihil in Commentario isto scripsit Mevius, ut ex secunda editione intelligimus, quòd de Arrestis materiam integro Tractatu obsolvisset, ea autem pleraque, quæ libro sexto continentur, in Conventu Anseatico anni MDCXIV. recentiori Juri locum cesserint, quod ipse titulo **des Hansee Stettischen Seerechts**/ exhibet. Extat præterea **die Ober-gerichts Ordnung** cum Appellatione **vom Nieder-Gast und** Appellation-**Gericht**/ & Ordinatione, inscripta **Niedergerichts und Cantzley-Ordnung**. Cùm inter illas quæ Lubecensi Jure utuntur Civitates, non paucæ sint Hanseaticæ, Hansici Fœderis leges & Statuta cognoscere quoque, ad perfectam Juris recepti notitiam, illis quidem locis, valde interest, quorum Manuscriptum in duas partes distributum nobis ostendit Vir Amplissimus Dn. Johannes à Lengerken, urbis hujus Consul optimè meritus, titulo **der Erb: Hansee-Städte Gesetze und Ordnungh/ oder Außzugk der Receß**. Quod rarissimè inveniantur, articulo decimo quinto etiam cautum sit, quomodo illud jam anno 1476. & 1494. placuerat, ut secretissimè habeantur, addo saltem, partem eorum primam agere de Statutis generalibus, & comprehendere articulos 89. secundam autem, specialia quatuor Curiarum Mercatorum, **der Vier Cunthoren**/continere. Primo loco de Russicis sive Novogardicis ibi agitur prolixè articulis 177, secundo habentur Burgensia, Belgica & Brabantina 12. Anglica 10, Bergensia Norwegica, 66. articulis complectuntur. Illustrant Jus Lubecense non parùm quoque Decisiones Mevii, quarum nunc pars sexta prodiit.

XXIII. Qui processum Saxonicum & Lubecensem attigimus, an de patrio silebimus? Video tamen id à nobis etiam exspectare aliquos: quare pauca quædam eo pertinentia addam. Moderatur Processum illum Ordinatio præcipué Provincialis (die Landgerichts Ordnung) Ea enim non Judicio Provinciali solùm sed & inferioribus legis loco est, quod ex Edicto ultimæ editioni præfixo abunde liquet. Confecta est primum circiter anno 73. quo prodiit, seculi superioris. In Edicto Friderici II. Daniæ Regis, Johannis Senioris, & Adolphi Ducum Slesvicensium & Holsatiæ, compositionis illius curam commissam fuisse legitur Henrico Rantzovio, Doctori Erasmo Kirstenio, Regiis, Sigwarto Rantzovio, & Hieronymo Olgart, Ducis Johannis Senioris, ac Benedicto ab Alefeldt, & Doctori Adamo Tratzigern / Ducis Adolphi nomine, eosque illam confecisse ex jure communi & Saxonico scripto: quæ deinceps exhibita Ordinibus Provincialibus, cùm iisdem non displicuisset, promulgata fuerit. Est illa Friderici postremum edita Gluckstadii anno 1635. Deinceps placuit ejus revisio, atque Deputatis Consiliariis, & selectis quibusdam ex Ordinum numero, id negotii datum est, ut quòd mutandũ addendũ vel demendũ esse putarent, annotarent. Qua de re, cùm in Comitiis Provincialibus postea actum esset, prodiit demum an. MDCXXXVII. recentior ejus editio, remotis illis quæ fori usus non amplius admittebat, additis decisionibus aliis, dubiorum quæ Status proponebant, & conjunctis cum illâ Edictis pluribus. Quod deessent Exemplaria, denuo ante annos quatuor typis descripta est, addita Constitutione de Jure Repræsentationis in Ducatu Slesvicensi anni 1649. & Constitutione Regia, de Usuris Usurarum pupillarium, Provinciæ Matriculâ postremâ anni 1652. & Jndice. Inter illos, quibus Juris Provincialis committebatur revisio anno M DC XXXVI. fuit quoque, piæ memoriæ Parens noster, qui manu sua quædam eorum, quæ tum corrigenda putabantur, antiquæ Ordinationi, adjectis quandoque rationibus, adscripsit. Quomodo rusticorum causæ in Slesvicensi & Holsatiæ Ducatu disceptentur, cùm paucis exponi nequeat, repetendum est ex prioribus Ordinationis hujus titulis, ubi etiam modus observandus in inferioribus Civitatum Judiciis traditur. Non prætereundum hic censeo, esse

esse in Holsatia certis verbis conceptum modum quendam, provocandi & procedendi in Judicio inter rusticos, in quo plurima antiquissimi Germanici processus vestigia observavimus, quæ frustra alibi requiras. Is modus per manus traditus, ante paucos annos typis à temporis injuriâ vindicatus est, titulo, dat Holsten Land-Recht. Causæ Civitatum non eodem modo in Holsatia dirimuntur. Est ibi Judicium (das 4. Städt-Gericht) quod, Civitatum quatuor præcipuarum nomine convenientes, & à singulis Civitatibus missi, Consularis vel Senatorii Ordinis plerumque duo, constituunt. Eo provocatur in Civium causis à sententiis non solùm, ab unius harum Civitatum sed etiam à Magistratu Civitatum Holsaticarum Krempe/Wilster/Segebergh/Heiligenhafen/Neustadt/Oldenburgh/& Lutkenborgh/ & quæ Slesvicensis Ducatus sunt, Tundern & Burgh auff Femern/ latis, in quibus locis omnibus, Jure Lubecensi utuntur. Ab hac secundâ Instantia permissa iterum provocatio ad Judicium Provinciale, eo discrimine, quòd Tunderani & Burgenses porrò appellare nequeant, cùm Holsaticæ causæ, nisi privilegio excipiantur, per legitimam provocationem deferri possint ad Judicium Aulicum, vel Camerale: reliquæ Civitates, appellant ad Judicium Aulicum, illius ad quem pertinent, Principis. Friderici tamen Daniæ Regis Privilegio, quod quatuor his Civitatibus concessum, Ordinationi provinciali adjunctum legitur, vetita est appellatio à Judicio quatuor Civitatum, nisi summa pecuniæ excedat C. C. marcas Lubecenses, in debitis liquidis, & si illa confiteatur, vel sigillo aut manus subscriptione convincatur reus, in causis injuriarum, Ædificiorum sitorum in aliqua quatuor Civitatum: & in reliquis, ubi permissa appellatio, si succumbat, qui provocavit, solvit Judicio huic quinquaginta marcas, adversario expensas, Juratque, se putare justam sibi esse provocandi causam. Cùm revideretur Ordinatio illa, id declaratum legitur, ut nec appellare modò liceat à sententiis latis in causa controversorum subselliorum in templis, & aliis nonnullis. Prælati, & Nobiles, in prima Instantia, coram Judicio Provinciali conveniuntur. Ab illo, Slesvicensibus provocare non licet, Holsatis permittitur, si causa excedat mille aureos Rhenanos, nisi debitum sit liquidum, aut causa Injuriarum, etiamsi Civiliter agatur, modò æstimatio legitima mil-

mille aureos Rhenanos, non ſuperet. Si ex Ordinatione eam rem æſtimes, ſingulis annis, octiduo proximo poſt Paſcha, habebitur: ſi ex uſu hujus temporis, illius nulla exacta eſt obſervatio. Præſident illi alternis vicibus Potentiſſimus Daniæ Rex, & Sereniſſimus Holſatiæ Princeps, Dominus meus clementiſſimus. Aſſeſſores habent Conſiliarios Aulicos utriusque Principis, pari numero. Primus locus, per vices, cauſis, nunc Sleſvicenſibus, nunc Holſaticis tribuitur. Circa feſtum Michaelis præcedit Judicium præparatorium aliud: vocatur **das Quartalgericht.** Id præter Provincialem Cancellarium, quatuor Nobiles, duo ex eruditis Conſiliarii, conſtituunt: ibi acta cauſarum Holſaticarum perluſtrantur, Supplicationibus exhibitis Decreta adſcribuntur, Interlocutoriæ ſimplices feruntur, Commiſſiones, & mutui compaſſus literæ decernuntur, teſtium depoſitiones publicantur, & alia fiunt, redimendi temporis & proceſſus tanto citius abſolvendi gratiâ. Præter hæc aliud eſt Extraordinarium Judicium, coram quo Nobiles propter homicidia conveniuntur. Qui ergo cædis poſtulatur, à defuncti propinquis, aut coram Judicio Provinciali, aut coram illo, quod vocatur **das Rittergerichte**/ quod ex Judicibus conſtet Nobilibus, convenitur, ita tamen, ut electio ubi conveniri velit, in rei arbitrio ſit. Citatur cum communicatione banni, ut oſtendat moderamen ſe obſervaſſe legitimæ tutelæ. Si elegerit Provinciale Judicium Reus, ibique diſceptatâ cauſa, exceptionibus parùm ſolidis actorum intentionem elidat, ut pœnæ locum eſſe appareat, remittitur pœnæ determinatio ad Judicium Criminale Equeſtre. Si nolint accuſare reum propinqui, ex officio, pœnâ banni additâ niſi adſit, citatur Reus. Contra contumacem banni pœna decernitur, cujus niſi remiſſionem, intra annum, legitimè impetret, contra ipſum ſecundùm Imperiales Conſtitutiones, & Saxonici ac Feudalis (ſi Feuda poſſideat) Juris ſcita proceditur. Non deſtituitur quoque Holſatia Judicio Conſiſtoriali. Id plerumque tum exercetur, cùm judicium Provinciale habetur. Conſtituunt illud, præter binos Provinciales Conſiliarios Nobiles Cancellarius Provincialis, duo Regii, totidem à Duce lecti Conſiliarii, quibus accedunt Superintendentes Generales duo, ac iſto numero Præpoſiti. coram hoc Conſiſtorio, in cauſis matrimonialibus, & Eccleſiaſticis,

qui

qui in prima Instantia aliàs in Provinciali Judicio conveniuntur, forum sortiuntur. Jus Provinciale nullum scriptum (præter Ordinationem Provincialem, & quæ illi adduntur Edicta, ac alia quædam nondum edita,) habere Holsatiam, ipsa Ordinationis verba dicunt: Distinaverant tamen ex Jure Saxonico aliquid excerpere, quod illius loco esset, Rex Christianus IV. & Fridericus, Incluti Principis nostri Parens. Interea in causis Slesvicensibus, deficiente Jure quod continetur libro dicto Lowbuch / in Holsatia consuetudine manifesta cum ratione & æquitate congruente, nec repugnante cum Imperii Recessibus, & Constitutionibus, res dicidenda dicitur ex Jure Saxonico, eoque deficiente, Jure communi. Processus Holsatici exacti ab initio ad finem, inter Advocatos celebres, cum Responsis JCtorum, exemplum typis descriptum reperire est in causa Dn. Wolfgangi & Casparis Buck Waldiorum, Actorum, contra Dn. Sigfridi Poguischi filiorum tutores. Ordinatio Ecclesiastica Ducatus Slesvicensis & Holsatiæ, à Christiano I, consensu Ordinum, in Comitiis Rendesburgensibus anni 1542. (à doctis Theologis, & Pastoribus, consilio inprimis & ope Johannis Bugenhagii Pomerani, linguâ Saxonicâ, titulo isto Christlicke Kercken Ordnunge de in den Fürsten Domen Sleswig Holstein/ rc. schall geholden werden/ ante conscripta) promulgata est, & Magdeburgi apud Johannem Walter typis edita, Slesvigæ anno 1601. postea recusa. Commentarium in jura hæc ne manuscriptum quidem ullum hactenus vidimus. Constitutioni Haderslebiensi de Obstagio haud parùm lucis attulit Johannes Otto Tabor Diatribâ de Obstagio, olim Argentorati conscriptâ. Juris, in Slesvicensi Ducatu plerumque, (Civitates enim quædam peculiaria Statuta habent,) recepti, nostris, dat Judtsche Lowbock (præter edita exemplaria vidimus Msstum quoddam, cum Inscriptione, Ein neu auffgesetztes/ und transferirtes Deutsches Lohe oder Rechtbuch / wie im Nordt Judtland / und dem Fürstenthumb Süder-Judtlandt/ welches auch Schleßwig genandt wird/ üblich/ in vielen Orten/ da die alte gedruckte Sächsische translationes, und Exemplaria, grosse mendas haben/ emendirt, und restituirt, durch Erich Krabben von Bustorp. In Præfatione

ad Regem Christianum III. scribit, ipsius jussu susceptum laborem hunc, emendandis erratis versionis Saxonicæ libri illius. Eidem ab isto Rege commissam curam componendi uno volumine jus Danicum, apparet, quod ipse ab hoc nostro distinguit, & vocat Magnum Legum Danicarum volumen, Das andere grosse Dänische Lohbuch darin Ew. Königl. Maytt. alle Dänische Lohebücher/Recess, Statuten/und Gesetze/wil verfasset/und einverleibet haben: quæ ipsa verba sunt, excerpta ex Epistola ad Christianum III. Regem, die 12. Julii Anni Christi 1557. scripta. Mstum anonymi Commentarium, sed qui fertur esse Blutingii, in quosdam Juris hujus articulos, quoque vidimus. Ferunt, autorem illum typis destinasse, sed prohibitum Christiani IV. Daniæ Regis autoritate, qui id fieri noluerit. Reperitur & methodus Juris Danici, Johannis Meieri, Secretarii Flensburgensis, quam edere destinaverat Cornelius Stenhusen Dithmarsus, autoris gener, & ejusdem Civitatis postea Secretarius. Id certum est, qui Juris Canonici ac Saxonici peritiæ Historiam Danicam illorum temporum junxerit, posse operæ pretium in isto Jure explicando facere. Nonnulla Juris hujus illustrant *Positiones selectiores ex Jure Danico, quas ut à Iure Divili Iustinianeo, in nonnullis discrepantes, ad normam Iuris Divini, Naturæ, & gentium expendit*, & in Academia Argentoratensi, anno M DC XLIX. defendit *Cornificius* Rosenkrantz. Ordinatio Politica anni M DC XXXVI. tandem ad Slesvicenses quoque non minus ac Holsatos pertinet.

XXIV. Animus erat addere hic quædam, tum de Germanicis Statutis, & in ea autoribus, tum de Regnorum aliorum usu Juris, Gallici inprimis, ac adjungere demum autores Decisionum, qui nobis innotuere omnes, cum illis, qui de rarioribus quibusdam materiis Practicis scripsere Doctoribus, quod & ista scire ad forensem Juris exercitationem plurimum conducat. Sed quando temporis ratio, instantibus Francofurtensium nundinis, id modò non permittit, duntaxat monemus, inter Germanica Provincialia Jura, cum quovis alio, certare posse, Jus Bavaricum, summâ curâ & judicio à maxumis JCtis, conscriptum: & in Gallia nuper, ultimis Constitu-

stitutionibus Christianissimi Regis, mense Aprili anni M DC LXVII felicissimè multa definita, impediendis vel extinguendis litibus, supra quam quisquam credat, idonea. Decisionum Scriptores quosdam, Marta, Riccius, Mevius, præfatione ad Decisiones, indicant, quibus addam aliquando, ubi otii plusculum fuerit, quos præter illos editos observavi. Inter præcipuos & accuratissimos exterorum habeo, Didacum Covarruviam, Surdum, cum additionibus Hodiernæ, Alvarum Valascum, Cæsarem Barzium, & Johannis Francisci Andreoli, Controversiarum Forensium, qui nuper prodiere, libros sex.

DE S. CÆSAREÆ MAJ. ET IMPERII JUDICIO AULICO

Vom Kayserlichen Reichs Hoff-Raht

Exercitatio.

I.

JUdiciorum in omni Republica ſumma eſt & inevitabilis neceſſitas. Rectè Pomponius *l. 2. §. 13. ff. de O. I. quantum eſt enim*, ait, *Jus in Civitate eſſe, niſi ſint, qui Jura regere poſſint*: adde *Novell. 161. in princ.* Ebræorum JCtis etiam inter ſeptem illa præcepta, quibus non Iſraelitas ſolùm, ſed orbem univerſum obſtrictum exiſtimant, quæque ipſis Jus mundi, & præcepta Filiorum Noachi appellantur, ſextum eſt *de Judiciis*, Menaſſeh Ben Iſraël in *Conciliatore cap. 7.* Seldenus *de Synedriis veterum Ebræorum lib. 1. cap. 2.* & *de jure Naturæ & Gentium lib. 1. cap. 10. & paſſim.*

II. Non defuerunt quoque Germanis noſtris ſua jam indè ab antiquiſſimis temporibus judicia; quamvis eorũ non eadem ſemper, ſed multum diverſa ab invicem pro Imperii & temporum ratione fuerit facies. Quam rem cùm prolixè & doctè explicent jam Clariſſimi viri, Chriſtophorus Lehmannus in Chronico Spirenſi *lib. 2.* & Hermannus Conringius Diſſertatione de Germanici Imperii Judiciis, nihil cauſæ eſt, cur ipſis jam pridem obſervata deſcribamus: & vix eſt ut ex antiquitate addi aliquid poſſit, quod paulo majoris momenti videatur, ad eorum diligentiam. Hodie præcipua Germaniæ Judicia, unde controverſiarum illuſtrium fata pendent, ſunt tria, Judicium

Au-

Aulicum, der Reichs Hoffraht / Judicium Camerale, das Kayſerl. Kammer Gericht / & Judicium Rothwillenſe das Kayſerliche Hoff-Gericht zu Rohtweil.

III. Nobis in præſens de Judicio ſolùm Aulico agere animus eſt. Eſt illud aliis Senatus Imperii aulicus, vid. Meyer *in diſſert: Hiſtorico Politica, de veterum & hodiernorum Magiſtratuum Jurisdictione ſect. 3. membro 1. poſit. 5.* Aliis conſilium aulicum Cæſaris vel Imperatoris, ut Limnæo *libro 9. Jurispubl. cap. 4. num. 1.* Frequenter *Judicium aulicum*: ita ipſum Inſtrumentum Pacis appellat. *art 5. §. 20. verſ. quo ad Proceſſum*, aliquando *Aula Cæſarea* nomine venit: *Capitulati. Leopoldi Imp. art. 18*, ibi entweder ad Aulam Cæſaream oder ans Käyſerl. und des Reichs Cammer gericht zu Speyer / Germanis eſt Reichs-Hoffraht vid. Reichshoffrahts Ord. in princ. Käyſerl. Reichs-hoffraht tit 1. ibid. in princ. Vocatur etiam Ihr. May. höchſtes Gericht / tit. 5. ejuſ. Ordinat. §. 25. Es ſollen auch unſere Reichs-Hoff-rähte.

IV. Ne cui tamen ambiguitas nominis imponat, id primum monemus, in Comitiis Imperialibus, quando Imperator iisdem intereſt, & de negotiis Imperii deliberationem ſuſcipit, uti illum itidem Senatu quodam Imperiali aulico; ſed is judicium propriè non eſt, quod Conſiliis plerumque de Legibus generalibus ferendis abſolvatur, controverſiæ autem ibi nullæ agitentur, & quæ eo deducuntur, de plano expediantur, ut rectè monet Speidelius *in ſpeculo variarum Juridicarum, Politicarum & Hiſtoricarum Obſervationum & Notabilium voce* Reichshoffraht. Cæterum hic Senatus multùm differt à *Judicio* de quo agere conſtituimus, *Aulico*: licet etiam hoc, in comitiorum loco, autoritatem ſuam ſæpè exerat, Speidelius *dict. loco.* Sed nec Senatum octo Conſiliariorum, quorum in Receſſu Colonienſi anni 1512. mentio eſt, cum hoc Judicio rectè aliquis contulerit, quod facere videtur Hyppolithus à Lapide *de Rat. ſtatus part. 2. cap. 6. ſect. 1. p. 372.* Ut enim Conſilio ſolùm Imperio prodeſſent, non etiam Jurisdictionis exercitio, lecti erant, ſolumque in eo occupati, ut impedirent, nec Statuum aliqui ab Imperio avellerentur aut deſciſcerent; ut ſolveretur collecta Imperii dicta der Gemeine Pfenning: ut amica tranſactione naſcen-

tes controversiæ inter Status componerentur: ut consilio suo & ope in controversiis, quæ Regi Galliæ & Pontifici cum Imperio intercedunt, adessent. Ultra hos fines progredi ipsis juramento vetitum nefas erat, R. A. zu Cöln *de anno 1512.* §. Nemlich & seqq. Inprimis §. Ich N. schwere. Sed nec duravit nisi ad Maximiliani fata usque, aut circiter hic Senatus. Describimus autem *Judicium hoc Aulicum, Collegium Judicis & Assessorum, in aulâ Cæsareâ de Causis Imperii jus dicentium.*

V. Qui ante Ferdinandum I. aut Carolum V. Judicium Aulicum fuisse negant, inter quos referendus etiam est Hyppolithus à Lapide *de ratione status part. 2. cap. 5. sect. 5. p. 387. & cap. 7. sect. 5. p. 428.* ii vel malitiosè veros natales ejus dissimulant, vel ab Antiquitatis & Historiæ imperitia vix absolvi possunt; quamvis id negari nequeat non eandem semper fuisse Judicii hujus faciem. Videtur ejus origo prima non absurdè deduci posse ab ipsis propè initiis Imperii Romani, quâ illud Reipublicæ opponitur. Non patiuntur enim nos ignorare antiqua monumenta, Imperatores eo nomine in palatio Prætorium habuisse, in quo ipsi, sellæ curuli insidentes, circumstantium Consiliariorum sententias rogarent, ac de causis cognoscerent, & consulentibus de Jure responderent. Hoc illud est consilium Principis, cujus mentio *in princ. l. 30. ff. de excusatione tutorum* alibi Consistorium vocatur *l. fin. C. de Officio diversorum Judicum* & consistorium sacrum *l. 8. C. de LL.* Nec aliter tempore Germanorum rem se habuisse Historia Germanica omnis loquitur. Apud Goldastum legitur ordinatio Friderici II. Imperatoris anni 1236. qua constituit, daß der Hoffrichter alle Tag soll zu Gericht sitzen. Anno millesimo trecentesimo quadragesimo secundo præsidebat ei Heidelbergæ Imperator Ludovicus Bavarus, Assessoribus Ruperto Seniore & Juniore Palatinis, aliisque Comitibus, Baronibus, Equitibus & Nobilibus, quod patet ex diplomate Hermannii Marchionis Badensis, quod inter documenta rediviva Monasteriorum in Ducatu Würtembergico sitorum edidit autor anonymus (qui tamen non alius est quàm Christophorus Besoldus) Atque addit ibi Notator, causas breviter consuevisse tum exponi Imperatori, & quicunque circa illum erant Magnatibus, (qui magno semper numero aulam Cæsaream sequebantur) iisque sententiam suam

am dicentibus, tandem, secundum vota, quæ ipse saniora putabat, causam definire solitum: Quinimo ad Maximiliani I. tempora usque, nondum nato Camerali Judicio, ita in usu fuit, ut ad hoc solum ferè causæ Imperii devolverentur. Nec, quod Hyppolithus à Lapide cum pluribus aliis ineptè existimant, deinceps Maximiliani I. tempore desiit; quos nimis manifesti erroris arguit R. A zu Cölln de anno 1512. §. Zum dritten ibi Nach dem täglich der Parteyen Händel und Sachen aus dem Reich an unsern Kays. Hoff wachsen. Hinc meritò Ferd. III. in præf. der Reichs Hoffrahts Ordnung de hoc Judicio ait, daß solches zu beforderung und volnziehung der werthen Gerechtigkeit und Regiments im Römischen Reich von unvordencklichen Jahren auffgerichtet. Auxit tamen illud nova Ordinatione vel Instructione, inque faciem hodierno ejus statui affinem redegit Ferd. I. quod monet d. l. Reichshoffrahts Ordnung. Insonderheit aber/pergit ibi Imp. Ferd. III. Unser geehrter und lieber Uhranherr Kayser Ferdin. der Erste/Christseeligster Gedächtniß/ aus ebenmässigen Gedancken/Seine Mayt. und Liebde obgemeldten Kayserl. Reichs Hoffraht auch ins künfftig mit einer vermehrten Instruction versehen.

VI. Judicium hoc, licèt vocetur Reichshoffraht/ non tamen ratione causæ efficientis, aut quòd ab Imperio etiam dependeat, ita appellari, sed saltem quòd causæ quæ ibi tractantur Imperium & Principes sæpe concernant, communis ferè hactenus Doctorum est sententia. Et videtur juvare illorum opinionem, quod in nuper edita Ord. Aulica tit. 1. Imp. asserit de hoc Collegio: dessen Obristes Haupt und Richter allein wir und ein jeder Römischer Kayser selbst ist/ & quod ex Juramenti formula §. weiln dann allein uns &c. appareat, Præsidem & Consiliarios soli Imperatori, à quo solo eliguntur, esse vinculo hoc sacro adstrictos. Scimus quidem, Wehnerum in observat: *voce* Hoff/ Thomam Michaelis in *concl. de Iurisdict. th. 28. &* Philippum Knipschildt *de Iuribus & Privilegiis Civitatum Imperialium, lib. 2. cap.* 33. *num.* 19. existimare, consilium hoc, ejusque Assessores Moguntino Electori tanquam Archicancellario Imperii Juramento adstringi. Sed id quidem erroneum esse & ordinatio docet, & experientia. Hactenus quoque soli Imperatores ordinationes huic Judicio præ-

præſcripſerunt. Cæterum an hodiè idem omnino aſſerendum ſit, non immeritò aliquis ambigat, poſtquam Inſtrumento Pacis Cæſareo-Suecico de Aſſeſſoribus Auguſtanæ Confeſſionis adſciſcendis cautum, ac definitum, quòd Proceſſus ratio, qualem Cameræ ſequendam injunxere Ordines Imperii, & ibi per omnia obſervanda ſit, poſtquam remedium, ut vocatur ſuſpenſivum, litigantibus conceſſum, ac viſitatio à Moguntino ad eum modum, qui in Comitiis placuerit, præſcripta, *vide Inſtrumentum Pacis Cæſareo Suecicum art. 5. verſ.* 20. cui etiam Cancellaria hujus Judicii juramentum præſtare tenetur: cumque inſuper Ordinatio Judicii hujus anni 1654. ab omnibus Statibus ideo recepta nondum fuerit, **weiln ſie den Ständen nicht ordentlich** Communicirt, **noch dieſelbe darüber in ihren** monitis **vernommen worden / derowegen ſolche ordentlich** dictirt **und bey nächſtbevorſtehendem Reichstage davon weiter gehandelt werdē ſoll**/ *Limnæus tom. 2. addit. ad lib. 9. cap. 4. in fine*, & in monitis communibus ad Capitulationem exhibitis Electori Moguntino, 17. April. anni 1658. id quoque habeatur, ad art. 42. **daß die Reichs-Hoffrahts Ordnung / auff gehaltenen Raht mit Churfürſten/ Fürſten und Ständen / und nach deroſelben Gutbefriedung und einwilligung zuverfaſſen:** quod repetunt monita his comitiis adhuc durantibus anno 1664. exhibita, quæ ad articulum 41. loco verborum, **die Neu auffgeſetzte und von unſern Vorfahren Glorwürdigſten angedenckens** approbirte **Reichshoffrahts Ordnung.** iſta **zwiſchen uns und Churfürſten und Stände vergliechene**/ inſeri volunt: & adjiciunt deinceps, **hiebey aber wird** præſupponirt, **daß die Reichshoffrahts Ordnung ohne fernern vorſchub bey jetzigem Reichstage zum Stande gebracht werden ſoll**/ adde Knipſcihldt *de Iuribus & Privilegiis Civit. Imp. l. 2. cap. 33. n. 19.* Wehnerum *voce* **Hoff.** Michael. *de Iurisd. th. 28.* Ubi judicium hoc Imperii Judicium, quamvis ex ratione ex parte erronea, rectè tamen appellant.

VII. Judicii hujus ſupremum Caput & Judex eſt ipſe Imperator **R. H. O.** *tit. 1. in princip.* ibi: **deſſen Oberſtes Haupt und Richter wir allein/ und ein jeder Römiſcher Käyſer ſelbſt iſt.** Præſes, è Principum,

cipum, Comitum, aut Baronum Imperii ordine, aliquis, *d. l.* Ejus eſt in judicio hoc proxima poſt Imperatorem dignitas, ejusque muneris eſt rogare Aſſeſſorum de propoſitis rebus ſententias, formare decreta ex illorum votis, dirigere negotia Senatus, cavere ne quid decedat autoritati & Juribus Judicii Aulici, & Aſſeſſorum. Si tamen Præſes Imperii Princeps non ſit, ac Imperator in Comitiis Principem Imperii adhibere velit conſilio Aulico, ei ſuperiorem locum, votorum collectionem, & ex majori votorum numero decernendi poteſtatem, relinquit, *dict. tit. 1.* §. In ſolchen & §. Jedoch. Ipſius etiam eſt recipere Memorialia & Supplicationes pro decernendis Proceſſibus *tit. 3.* R. H. O. *in Princ.* quod an etiam poſſit Vice Cancellarius, ſcimus anno 1654. diſputatum inter Comitem Curtium tum Vice-Cancellarium, & Comitem Oetingenſem Præſidem, illo hoc etiam ſibi vindicante, negante altero. In ordinatione prima Judicii Aulici, quæ eſt Ferdinandi I. lata anno 1559. recipere hujuſmodi etiam ſcripta non poteſt ſolùm, ſed jubetur etiam Vice Cancellarius, ibi: alle und jede verſchloſſene und offene ſchreiben/ Supplicationes, Brieff und dergleichen/ ſo an uns geſtellet/ und uns nicht zu unſern Händen überantwortet werden/ die ſoll und mag unſer Vice Cantzler annehmen/ quod totidem verbis repetit Ordinatio Judicii Aulici Matthiæ Imp. cap. 4. in princ. Sed tum quidem monuerunt Status ad hæc verba: Supplicationes in Reichshoffraht gehörig/ ſollen ohne Mittel daſelbſt hin ohn verzug eingegeben werden/ quod monitum ſequitur Ordinatio noviſſima Judicii hujus Ferdinandi III. cap. 3. ubi diſponit: die offene/ und von obgemeldten Agenten und Procuratoren unterſchriebene Memorialia und Supplicationes, darinn um erkennung der proceſſe gebeten/ wie auch alle übrige zu den Gerichtlich ſchwebenden Proceſſen gehörige producten, probationes, und documenta, in den Reichshoffraht durch den Thürhüter einzuliefern/ alles andere aber/ es ſein verſchloſſene ſchreibē/ oder was keine gerichtliche Proceſſ anlanget/ ſoll unſern Reichshoff Vice Cantzler eingereichet werden. Si Præſes abſit, vel Vice-Præſes, ipſius loco, Præſidis munera expedit, vel Senior ex ordine Aſſeſſorum, ita ut initium fiat ab eo, qui in Equeſtri ordine primū locum obtinet, d. tit. 1. R. H. O. §. da aber ſolcher.

VIII. Aſſeſſorum in Ordinatione Ferdinandi I. & Matthiæ Imperatoris nullus adhuc certus numerus exprimitur. Credibile autem eſt illum inſigniter interdum auctum, quòd ea de re anno 1637. graviter conqueſti ſint Electores. Quæ cauſa fuit, ut tum quidem promiſerit, quatuordecim Conſiliariis, præter Præſidem & Vice Præſidem conſtare illum deinceps debere. Verba declarationis Imperatoriæ ſunt: Es hat erſtlich ein Hochlöblich Churfürſtlich Collegium erinnert/ weiln wegen Menge der Perſonen die umfrage viel Zeit erfordert/ und der Unterhalt deſto ſchwerlicher fällt/ die anzahl der Reichshoff Rähte auff einen gewiſſen Numerum zu reſtringiren/ daß neben dem Præſidenten und Vice Præſidenten/ derſelbe durch zwölff Perſonen/ deren ſechs zum wenigſten Adelichen Standes/ die übrige ſechs Vornehme Rechtsgelehrten/ alle Teuſcher Nation, und derſelben Sprache wol kündig beſtellet werden: da erklähren ſich nun allerhöchſtgedacht Käyſ. Mayt. dahin/ daß ſie neben dem Præſidenten noch vierzehn andere Perſohnen in künfftig zu Reichs Hoffrähten annehmen und beſtellen wollen. Cærerum Ordinat. Ferd. III. anni 1654. numerus ille ad 17. Aſſeſſores, non computato Præſide, extenditur tit. 1. §. Und dieweil. Wir haben Uns gnädigſt reſolvirt, daß hinfüro itztermeltes Unſer Reichs-Hoffrahtsmittel über achtzehen Perſonen/ mit eingeſchloſſen des Reichs Hoff Rahts Præſidenten/ ſich nicht erſtrecken ſoll. Anno tamen 1663. die 24. Aprilis, quamvis jam octodecim eſſent Conſiliarii Aulici, tres adhuc Equeſtris Ordinis, ac JCtum unum illis additum, & ſolenniter in locum Judicii à ſupremo Aulæ Magiſtro inductos dubio vacat. Erant illi olim omnes Pontificiæ Religionis. Quod ipſum non potuit non Proteſtantibus conquerendi cauſam præbere, quod iniquis ſententiis ſe gravari crederent odio Religionis. Conring *de Germanici Imperii Judiciis th. 100.* Cæſar tamen pace Pragenſi deinceps promiſit, ſe ea de re, annon adſumendi etiam eſſent Proteſtantium Religioni addicti? deliberaturum cum Statibus. Et videbatur aſſumendos etiam illos, quòd Judicium hoc à Camera, niſi in expreſſe exceptis, quantum poſſibile, minimum diſcrepare deberet, cujus Ordinat. *part. 1. tit. 1.* §. und inſonderheit/ traditur, quòd, tam

tam Augustanæ Confessioni quàm ita dictæ Catholicæ addicti, ibi recipiantur; tum quòd id congrueret Transactioni Passaviensi, & conducere evitandæ omni suspicioni videretur. E quibus rationibus etiam ante Instrumentum Pacis inter Consiliarios Judicii Imperialis Aulici eligendos Augustanæ Confessioni addictos, tuetur Dn. Cancellarius Schütz *vol. 2. Coll. de Statu Rei Romanæ disp. 2. th. 5. lit. b.* & novimus Dn. Bidembachium Professorem antea Tubingensem, deinceps Regis Daniæ in Aula Cæsarea Ministrum, in eum ordinem allectum, licèt Evangelicæ Religioni addictus esset, antequam Instrumentum Pacis componeretur. Mox Instrumento Pacis Cæsareo Suecico constitutum, aliquot Augustanæ Confessionis doctos & rerum Imperii peritos viros, ex iis Imperii Circulis ubi vel sola Augustana Confessio, vel simul etiam Catholica viget Religio adsciscendos, eo quidem numero, ut eveniente casu paritas judicantium ex utraque Religione Assessorum observari possit. Atque ut his pactis staret Imperator in *Ordinat. Judicii Aulici de anno 1654.* §. wir wollen/ promittit sex Assessores Augustanæ Confessionis se reliquis diversæ Religionis adjuncturum. Nec ignoramus Dn. Bonnium Cancellarium antehac Oldenburgicum, Dn. Schützium juniorem, Professorem antea Giessensem, Dn. Dietericum Consiliarium Darmbstadinum, Dn. Wolfium à Totenwahrt/ & Dn. Smidtbergum, omnes Augustanæ Confessioni addictos eò evocatos. Sunt quidem illi non eodem cum Catholicis in Judicio hoc numero. Si tamen inter Status Imperii diversæ Religionis lis sit, aut si Catholicis cum Catholicis, tertio interveniente existente Augustanæ Confessionis, controversia, aut vice versa intercedat, selecti æquali numero utriusque Religionis Cansiliarii causas examinant, & definiunt, *tit 1.* R. H. O. §. wir wollen auch. In cæteris Imperii negotiis, si Evangelici omnes in unam sententiam conveniant, diversæ Religionis Assessores oppositum tueantur, etsi Catholicorum plures, pauciores nostrorum sint, fictione tamen quadam pares habentur, eaque controversia ad Imperatorem defertur, ac ulteririo decisioni deinceps subjicitur. Quod si Catholicorum aliquis Evangelicis, aut horum non nemo illis accedat, ejus partis majora habentur, cujus vota accessione illa augentur. Ista fictio tamē non

 satis-

ſatisfacit Autori der Grundfeſt pag. 270. Es wäre / ait, nöhtig gewesen es dahin zu richten/daß vermöge angeregten Friedenschlusses/die Gleichheit von beeden Religionen/und zwar nicht mentaliter, oder per fictionem quandam, nach der Römisch Catholischen Meynung / sondern realiter & quoad numerum Perſonarum eingeführet. Sed ille quidem hac in parte labitur, quòd putet Inſtrumento Pacis conſtitui, tot eſſe debere Aſſeſſores Auguſtanæ Confeſſionis quot Catholicos, ut conferenti locum facilè apparet.

IX. Diſtinguuntur Conſiliarii Aulici in illos, qui ſunt Equeſtris Ordinis, & Literatos. Unde diverſo loco etiam conſident; illi ad dextrum latus auff der Ritterbanck / hi ad ſiniſtrum auff der Gelehrten Banck / R. H. O. *tit.* 1. §. die *ſeſſion* der Reichshoffräthe belangend. Atque vota illorum interdum (in cauſis nempe ſtatus & ſimilibus in Staat Landes und dergleichen Sachen) eo ordine rogantur, ut ſententiam ſuam primus dicat aliquis ex Equeſtris ordinis Conſiliariis, in cauſis ad juſtitiam ſpectantibus autem, primæ ſint partes ejus, qui primum in ordine eruditorum tenet locum. Id quoque requiritur, ut Germani ſint omnes, *Capitul. Leopoldi art.* 41. in Germania educati, linguæ Germanicæ periti, R. H. O. *tit.* 1. *in princ.* bonæ famæ ac bona in Imperio poſſidentes, pro ratione ſtatus eorum, *tit.* 1. R. H. O. in *Princ. Cap. Leopoldi artic.* 41. eâ rerum Germanicarum & Juris peritiâ, ut referre ex actis idonei ſint. Licèt enim Ordinatio Matthiæ Imperatoris, cap. 3. §. Und ſoll die Außtheilung/ Equeſtris ordinis Conſiliarios ad relationes æqualiter cum reliquis non adſtringat; ſecus tamen hodie eſt. Ordin. Ferd. III. tit. 1. §. Alle dieſe 18. Perſonen ſollen im Reichshoff Rath ohne Unterſcheid des Standes gebührlich referiren: quin, niſi antea induſtriam ſuam probarint geſtis apud Electores vel alios Imperii Ordines præcipui nominis muneribus, examen ſubeunt, ac Proceſſus alicujus, in quo definitiva ſententia ferenda ſit, acta ipſis exhibentur, è quibus ſuo Marte, quod ſanctè promittunt, referant, dict. §. Alle dieſe 18. Perſonen/ in fine. Maxima eſt Conſiliariorum horum dignitas, & locus illis aſſignatus inter omnes Imperatoris Conſiliarios, ſolis exceptis iis, qui propioris admiſſionis ſunt, primarius *tit.* 1. R. H. O. §.

D. §. So ist auch/ eosque Patriciatus dignitate gaudere, ex Vultejo & Sneiduino notat Schütz, *juris publ. vol. 2. disp. 2. th. 5. lit. h.* qui & quandoque in illos crimen læsæ Majestatis committi existimat, *d. l.* Eliguntur autem ab ipso Imperatore, nec præsentantur ab Ordinibus, ut Assessores Cameræ, vid. *Capit. Leopoldi art. 40.* De Salario ipsis constituendo non semel actum est. In Comitiis Ratisbonensibus anni 1641. in deliberationem venit quidem, num etiam Status quid ad horum stipendia conferre debeant? ac num sportularum nomine illis aliquid præstandum? *vid. Schütz vol. 2. de stat. Rei Romanæ disp. 2. th. 5. lit. f.* quod postremum non solùm probat Autor des Bedencken wie etwan dem Justitzwesen zu helffen seyn möchte / §. zum 10. apud Wehnerum *in Observat. voce* Justitzwesen; sed etiam placuit Electorali Collegio an. 1637. ut ex declaratione Imperatoria ejus añi. §. zum andern/ apparet, ubi Imperator, es hat / scribit, ein hochlöbl. Collegium verneinet / daß zu abrichtung der Salarien vor die Reichshoffrähte *ad interim*, biß man sich eines beständigẽ Unterhalts vergleichen möchte/ von allen und jeden bey dem Reichshoffraht einkommenden Sachen/ gewisse Sportulæ, jedoch nicht der Gerichts Rähte belieben/ sondern beedes Præsidenten und Vice Præsidenten ermeßigung nach/ genommen werden möchten: addit tamen, id non placuisse Imperatori, weiln aber diesen vorschlag höchstgedacht Ihr Käyserl. Maytt. aus allerhand hochbewegenden Ursachen sehr bedencklich befinden/ so werden dieselbe selbst auff beständige Mittel bedacht seyn/ wie sie den Reichshoffrähten die gebührende Besoldung reichen mögen. Hodie salaria illa partim ab Imperatore, partim ab Imperio solvi liquidum videtur, ex art. 41. Capitulationis Leopoldi, ubi Imperator adstringitur, ut curet salaria illis recte & inter primos solvi, so wol auß der Hoff Kammer / als denen bey dem Reich eingehenden Mitteln. Quæ sint Consiliariorum Judicii Aulici partes, juramento illorum, & prolixius verbis Ordinationis continetur, & præcipua nonnulla mox, cùm agendũ erit de processu in Judicio hoc usitato, attingemus. Præter hos est etiam Fiscalis, qui tamen litem nemini movere potest, nisi adhibitis duobus Deputatis à Præside, qui ipsi, Cæsare nõ ignaro, Consiliis adsint, ac votis ideo in causis hujusmodi

penitus abſtinent. Secretarii quoque duo ſunt, unus qui Lingua Latinâ, alter qui Germanicâ expedit negotia. Sed & Proto-Notarium, Regiſtratorem, Pedellum, (den Thorhüter) habet hoc Judicium, quorum munia rectius aliquis ex ipsa ordinatione 1654. cujus ſæpius jam mentionem fecimus, quàm aliunde didicerit. Secretarios hos, Proto Notarium, aliasque perſonas, quæ Cancellariæ huic operam ſuam locant, ut & ipſum Vice Cancellarium, Elector Moguntinus conſtituit, ejusque ſolius circa hæc libera eſt diſpoſitio *art. 41. capit. Ferd. IV.* & luculentius *art. 40. capit. Leopoldi.* quod ipſum tamen, in *brevi & compendioſa enumeratione eorum, quæ tum in aliis Capitulationibus, tum in ea præſertim, quam moderno Imp. Leopoldo S. R. I. Electores, contradicentibus licèt plerisque, & quidem potentioribus Imperii Principibus præſcripſere,* quæ cum *Gravaminibus Principum ac Statuum Imperii,* manuſcriptis *anno 1662. in Comitiis hodiernis proponendis,* circumferebantur, gravamine 16. improbatur.

X. In hoc Judicio, in primâ, ut vocant, Inſtantia conveniuntur omnes Imperio immediatè ſubjecti, ut ſunt Electores, Principes, tam Eccleſiaſtici quàm Seculares, Prælati, Comites, Barones, Nobiles & Civitates Imperiales. In ſecundo Judicio vel Inſtantia autem etiam mediatè Imperio ſubjecti, niſi Jure ſingulari, vel præſcriptione legitimâ exemptionem oſtendere poſſint, Paurmeiſter de *Jurisd. lib. 2. c. 4. n.* 123. Knipſchildt de Juribus & Privilegiis Civit. Imperialium *lib. 2. c.* 33. *n.* 21. Illa autem quæſtio olim admodum agitata, an Privilegia primæ Inſtantiæ, Electoribus, Principibus & reliquis Ordinibus indulta Cæſareæ quoque Juridictioni præjudicent, de qua prolixè diſputat ac tandem Negativam ſequitur Paurmeiſterus d. l. controverſa eſſe noſtra ætate deſiit. Diſertè enim promiſit Ferd. III. *art. 17. Capit.* quòd velit Statibus Imperii, beneficium, primæ, ut vocant, Inſtantiæ, inconcuſſum relinquere. Inſtrumento Pacis Cæſareo Suecico poſtea *art. 5. §. 20. verſ. 4.* definitur: in *Aulico non minus quàm in Camera Imperialis Judicio, Privilegium primæ Inſtantiæ, Auſtregarum jura, & privilegia de non appellando Statibus Imperii illibata ſunto, nec per mandata, aut commiſſiones, aut avocationes, aut quovis alio modo turbantor.* Idem legitur *Capit. Ferd. IV. art. 15.* Einen jeden bey der erſten Inſtantz und dem ordentlichen unmittelbahren Richter &c. bleiben zu laſ-

ſen

sen. & *Leopoldi Imp. art. 18.* ubi nulla pronunciantur Rescripta, inhibitiones, Mandata, quæ his promissis adversa sunt. Ac quamvis ea de re exsertis verbis nihil legatur, in Cæsaris Ferd. I. Ordinatione Judicii hujus, ac ne Matthiæ quidem Imperatoris: unde ad postremam hanc monuerunt Status, inserenda verba, quæ docerent observandos Consiliariis his, des Reichs ordentliche und Willkührliche auch andere hergebrachte außträge: & graviter conquesti sint iidem im Bedencken auff die Kayserl. proposition Puncten / die Justitz belangend / anno 1641. auff dem Reichstag zu Regenspurg übergeben: die privilegia primarum Instantiarum, oder außträge beym Reichshoffraht in erkenn- oder abschlagung die Procesꝭ gantz und gar auß der obacht gelassen worden; hodie tamen in Ordinat. anni 1654. monentur Consiliarii, ut sollicitè illa observent in decernendis Processibus *tit. 2.* §. wir befehlen.

XI. Meretur quoque id observari, Reges Sueciæ, ratione eorum quæ possident in Germania, tanquam Duces Bremenses, Verdenses aut Pomeraniæ, vel etiam ut Principes Rugiæ, ac Dominos Wismariæ, ex causa dictas ditiones concernente, quemadmodum & Duces Brunovicenses & Lunæburgenses, non quidem à Judicio hoc esse exemptos, post concessum tamen beneficium Electionis fori, ipsis integrum esse forum eligere ubi commodum ipsis visum fuerit, vel in Aula Cæsaris, vel Imperiali Camera, ubi actionem intentatam excipere velint. Tenentur tamen intra tres menses à die denuntiatæ litis declarare coram quo Judicio se sistere velint, *vid. Instrumentum Pacis Cæsareo Suecicum art. X. vers. E contra verò.* Roding. augment. *lib. 1. tit. 20. p.* 292. ubi privilegium hoc 27. Febr. in Camera acceptatum scribit. De Ducum Brunovicensium & Lunæburgensium privilegio, vide eundem Rodinghium *p. 285.* Ubi docet illos 24. Nov. anni 1648. tale privilegium obtinuisse. Negotia autem sua Principes, qui vel conveniunt alios, vel conveniuntur, expediunt ibi per Ministros Ordinarios, Residentes (quomodo vocantur illi qui Regum & Electorum causas curant) & Agentes qui Principum & reliquorum Statuum. Horum numerus 24. vel 30. excedere non debet, Iique non ante recipiuntur quàm per examen duorum Deputatorum Consiliariorum de

eorum

eorum Nativitate legitima, patriâ, bonis moribus, ac studiis constet. Præter hos alii Procuratorio munere fungi prohibentur, nisi fortassis Electorum aut Principum aliquis, Advocatum extraneum negotiorum suorum judicialium curæ præficere velit: id enim prohibitum non est; modò tamen legibus Procuratoribus & Advocatis præscriptis, præter eam quæ est de examine se quoque adstrictum meminerit. Extant illæ *tit*, VII. Hoffgerichtsordnung / cui subjectum etiam legitur Juramentum Advocatorum & Procuratorum. Conveniuntur hic etiam Legati, & alii qui negotiorum suorum causa in aula commorantur, cujuscunque sint ordinis & conditionis, ex Paurmeistero & Stephano de Jurisdictione, Knipschildt de Juribus & Privilegiis Civitatum Imperialium *lib. 2, cap. 33. n. 22.* quemadmodum etiam Consiliarii judicii hujus.

XII. De causis quæ huc spectant ingens olim controversia. Primum an omne illæ, de quibus Camera Imperialis Jus dicit, in hoc etiam Judicium deduci possint, ita ut ab initio in potestate sit agere volentium vel appellantium, actionem hic vel ibi intentare? adeoque præventioni locus sit, quod vulgò breviter, ita efferunt. *An Aulicum Iudicium cum Camerâ concurrentem Iurisdictionem habeat*? Negabant id olim, si Limnæo *lib. 9. Iuris publici cap. 4. n. 25.* & quem ibi adducit, Waremundo ab Ehrenberg credimus, pleræque aulæ, Schrader *de Feudis part. 10. sect. 1. n. 126.* Thomas Michael *d. l.* Autor der beständigen Information Juris & facti wider die Donawertische Relation *part. 1. pag. 111. & seqq. multis.* Auctor anonymus des gründlichen Unterrichts von der im H. Römischen Reich entstandenen Frage / ob der Käyserl. Hoffraht mit dem Käyserl. Kammergericht concurrentem Jurisdictionem habe / editus Ambergæ anno 1613. Ummium huc immeritò refert Limnæus, & qui illum sequitur Johannes Wurmserus *Exercit. Iurispubl. 7. th. 25.* Is enim disertè scribit de *Processs. disp. 4. th. 14. n. 79. neque volo, neque possum decidere utra opinio veritati sit propinquior*: at pertinet huc Besold. *de Iurisd. Imperii Rom. Germ. c. 12.* Hippolithus à Lapide de *Ratione Status, part. 1. cap. 10. sect. 7.* Affirmant contra magno numero Doctores, è quibus, *Gailium, Mynsinger, Græveum, Reusnerum, Paurmeisterum, Stephani, Heigium,*

An-

Antonium Gothofredum, Syringium, Hilligerum, Casparum Leipoldi nominat Limnæus, *quem vide lib. 9. cap. 4. n. 9.* argumentis utrique pugnant plurimis, quæ ex illis qui velit, repetat. Nos tanto apparatu opus esse non existimamus, quòd nostrâ ætate minor ea de re quàm olim, propter expressos textus dubitandi causa sit. Ita enim legitur *tit. 2.* R. H. O. §. So wollen wir auch / daß Unser Reichs Hoff Raht sonsten / und in denen Fällen darinen Wir und Unsere Vorfahren am Reich Unserm Kammer-Gericht concurrentem Jurisdictionem zu mehrer Beforderung der Partheyen / und unserer Ubertragung mitgetheilet / demselben seinen starcken Lauff lassen / und per avocationem causarum nicht verhindern / wann nemlich solche Sachen albereith daselbst durch außgewürckte und insinuirte citation anhängig gemacht worden / quæ Ordinatio ab Electoribus probatur *art. 40. Capitul. Leopoldi.* Ipsi Dn. Camerales in Causa Waldeck contra Paderborn & Consortes die Graffschafft Piermont betreffend / *Mandat. de non impediendo prosequi nec trahendo litem ad aliud Judicium, quàm ubi cœpta, cum citatione ad videndum se incidisse in pœnam l. ult. §. ult. C. de in Jus vocando 23 Decembris anni 1650.* hactenus inedito, Aulicum Judicium, concurrentem habere in causis, quæ ad Cameram pertinens Jurisdictionem §. und ob zwar 5. *ex adverso*, adde Instrum. Pacis *art. III. & art. V. §. 20. & X. vers. econtra.* R. A. de *anno 1654. §. 162.* Was dann ꝛc. idque hodie usu ita servari, non Arnisæus solum *lib. 2. de Republ. cap. 6. n. 111. notat*; sed etiam alioquin dissentiens Hyppolithus à Lapide observat. *part 2. cap. 7. sect. 5. p. 428. Ea concurrentia,* scribit ibi, *tantopere invaluit, ut si hodiernam observantiam respiciamus, Imperatoribus concurrentem cum Camerâ Jurisdictionem competere dubio planè careat*; adde Conringh. *in dissert. de Imperii Germanici Judiciis,* quæ & extat inter discursus novos Historico-Politicos Ebroduni anno 1654. typis expressos, *th.* 100. juxta edit. Helmstadiensem, ubi Judicii hujus autoritatem & olim à plurimis Ordinibus Imperii admissam fuisse, licèt à correspondentibus ejus autoritas oppugnaretur, & nunc à nemine forsan in dubium amplius vocari, quod non solum in transactione Pragensi confirmatum, sed nec Monasterii nec Osnabrugæ ea de re disputatum sit, scribit. Et hodie illud lege publica esse confirmatum

notat nuper idem Dn. Conringius *in differt. de Nomothetica th. 42.*

XIII. Probè tamen conſtituendus eſt, in ea qua diximus quæſtione, controverſiæ ſtatus. Quæſtio enim, *an Aulicum Judicium concurrat ratione cauſarum cum Camera?* affirmanda; niſi forte Perſonas Camerales eosque concernentia negotia aliquis excipiat, ii enim immediatè ſub Camerali Juriſdictione ita eſſe videntur, ut concurrentiæ locus non ſit. *Ordinat. Cam. part. 1. tit. 63. princ.* R. A. *de anno 1654.* §. hingegen 141. ubi de illis dicitur, **daß ſie anderer Gerichts zwänge frey ſeyn / und damit durch niemands in keine wege beſchwert werden ſollen:** & quòd ſpecialiter unus caſus, quo cauſa ad Imperatorem vel aulam ſpectat, excipiatur Ord. Cam. *part. 3. tit. penult.* §. *14.* vid. Blumium *in Proceſſ. Camerali tit. 26. n. 12. & ſeqq.* At vice verſa, ſi quis quærat: *An Camera in omnibus cum Judicio Aulico Cæſareo concurrat?* neganda fuerit. Quemadmodum iſta, *an in aliquibus concurrat?* iterum affirmanda eſt. Quod ut rectius intelligatur, rem paulò accuratius explicari intereſt. In cauſis, quæ in prima Inſtantia ad Cameram ſpectant, quales ſunt *Cauſæ Pacis Religioſæ & Prophanæ, cauſæ Fiſcalis, Litigioſæ Poſſeſſionis, Pignorationis, Arreſti, Mandati, Relaxationis ad effectum agendi, Conſtitutionis Legis diffamari, Protractionis ſeu Denegationis Juſtitiæ, Compromiſſi, Violationis Privilegii Cæſarei, quæ ex continentia cauſæ, aut ratione Rei immediatè ſub Imperio ſitæ eò pertinent, ac in cauſis appellationum quæ 400. thaleros Imperiales excedunt,* niſi majorem ſummam privilegia definiant, integrum eſt in Imperio Germanico ab initio, nondum cœpta in alterutro horum Judiciorum lite, tam adire Judicium Aulicum quàm Cameram, adeoq; in his concurrit judicium Aulicum Imperii cum Camera Imperiali, & Camera viciſſim cum Judico Aulico. At *cauſæ Feudales Regalia Feuda concernentes, cauſæ Italicæ, Confirmationes Privilegiorum, veniæ ætatis conceſſio, Reſtitutio Famæ, tum quoque cauſæ Criminales Statuum Imperii,* ita ad Judicium pertinent, ut Cameræ nulla in illis ſit Juriſdictio, adeoque nullus in his datur concurſus.

XIV. In illis cauſis, in quibus concurrunt invicem Judicia hæc, præ-

præventio locum habet, ita ut coram eo causa disceptanda sit, coram quo primùm lis cæpta. Incipit autem lis per citationem reo legitimè insinuatam R. H. O. *tit.* 2. §. So wollen wir auch ibi Wann nemlich solche Sachen albereit daselbst durch außgewürckte und insinuirte Citation anhängig gemacht/ adde Mynsing 4. *observ.* 26. Gail. *lib.* 1. *Observat.* 74. *n.* 17. cui citationi libellus actoris vel inseri vel adjungi debet, ut causam litis motæ intelligat, R. A. 1654. §. 34. diesem nechst. De actore verius est illius respectu litis pendentiam induci, ubi citationem decretam cognoverit, Menoch *de arbitrariis Judicum quæstionibus casu* 202. *num.* 8. Natta *ad Clem. ult. d. V. S. n.* 29. *& seqq.* atque observat nuperrimè Blumius *in Process. Camerali tit.* 25. §. 54. eo casu Cameram statim post decretam citationem documenta litis pendentiæ reo communicare consuevisse. Quid verò dicendum si literæ pro informatione Judicis, Berichtschreiben / impetratæ & insinuatæ fuerint? & illas inducere litis pendentiam non absurdè aliquis existimaverit, quod iis decretis, Judex jam de causa cognoscere cœperit, & hæ literæ implicitè citationem contineant, cùm ibi citetur aliquis ad demonstrandum causæ statum. Quod si lis in Camera cœpta sit, in causis eo pertinentibus, eas avocare, vel inhibitiones decernere, aut alio modo etiam Justitiam impedire non potest Imperator vel Judicium Aulicum. R. A. *de anno* 1654. §. Ebenmessig sollen / Capitul. Imp. Leopoldi *art.* 42. Si contra factum fuerit, Camera id nullo habet loco dict. *artic.* 24. ibi. Was dagegen vorgenommen als null und unkräfftig vom Kammergericht gehalten. Consuevit tamen antequam aliud quid statuat Camera, plerumque documenta litis pendentiæ, si à partibus petantur, concedere, quæ loco declinatoriarũ fori in Judicio Aulico producuntur: Quod si illa susque deq; habeantur, *Mandatum de non impediendo prosequi, nec trahendo litem ad aliud Judicium, quàm ubi capta*, impetrari solet, cui additur interdum citatio, *ad videndum se incidisse in pœnam l. ult.* §. *ult. C. de in Jus vocando*; quo constitutum legitur; *qui semel in jus vocavit, si post admonitionem reo oblatam, eum ad alium Judicem ob easdem causas vocaverit, & eum indemnem præstet, & causâ cadat, etsi justam habuit actionem*: quod non ita pridem anno 1650. 23. Decembris in causa Waldeck contra

Paderborn & conſortes, die Graffſchafft Piermont betreffend/ factum meminimus. Mandati illius, integrum enim prolixius eſt, quàm ut adjici poſſit, poſtrema tamen, quòd inedita hactenus ſint, & rem non parùm, explicent, adjicimus: ſunt autem iſta: Hierum ſo gebieten wir deiner Andacht und Euch ſampt und ſonders von Röm. Kayſerl. Macht/ und bey pœn 10. Marck Lötigs Golds/ halb in unſer Kayſerl. Kammer/ und zum andern halben Theil Impetrantiſchen Grafen ohnnachläſſig zu bezahlen/ hiemit ernſtlich/ und wollen/ daß deine And. und ihr/ alſobalden nach erkündigung dieſes/ ohne einigen verzug ein- oder widerredt/ den wegen deren in der Graffſchafft Piermont und andern prætendirten Lehenſtücken vor vielen Jahren bey dieſem unſerm höchſten Gericht Rechtshängig gemachten Proceſs, ſo wohl in Petitorio als in Poſſeſſorio, cum annexis cauſis & punctis, hierſelbſten der Gebühr nach auß und fortführen/ der an unſerm Kayſerl. Reichs Hoffraht zu Præjuditz, hieſigen Cammergerichtlichen Litis pendentz, per manifeſtam ſub & obreptionem auß gewürckter Citationen und Proceſſus ſich ferners nicht anmaſſen/ oder denſelben proſequiren/ ſondern offtermeldts dieſes unſern höchſten Gerichts Judicatur, in allen dieſen Sachen und puncten endlich erwarten/ auch obgedachter Litispendentz zu Præjuditz ferners nichts ſive per directũ ſive indirectum vornehmen/ oder attentiren/ deme alſo gehorſamlichen nachkommen/ als lieb Jhro und Euch ſeyn mag obangedrohete Pœn zu vermeiden/ daran geſchicht unſere ernſtliche Meinung.

Wir heiſchen und laden dabeneben deine And. und Euch von berührter unſerer Kayſerl. Macht/ auch Gericht und Rechtswegen/ hiemit auff den 30. tag/ den nechſten nach beſchehener inſinuation dieſes/ deren Wir Jhro und Euch. Zehen vor den erſten/ Zehen vor den andern/ Zehen vor den dritten letzten und endlichen Rechtstag ſetzen und benennen/ peremptoriè, oder ob derſelbe kein Gerichtstag ſein würde/ dem nechſten Gerichtstag darnach/ ſelbſten oder durch einen Vollmächtigen Anw. an demſelben unſern Kayſerl. Kammergericht zuerſcheinen/ erſtlich zwar/ glaubliche anzeig und beweiß zu thun/ daß obigem unſerm Kayſerl. Gebott

alles

alles seines Inhalts gehorsamlich nachgelebet sey/ oder wo nicht/ und deme gegen Zuversicht zuwieder gehandelt werden solte/ alsdann wie nicht weniger zusehen und hören / deine And. und Euch um dero ungehorsams und obgesagter Thatigkeiten wie auch überfahrungs willen / in die Pœn. *l. ult.* §. *ult.* C. de in jus voc. gefallen seyn/ mit Urtheil und Rechtsprechen erkennen und erklären/ oder aber bestände/ erhebliche und in Rechten gegründete einwenden/ ob sie und ihr einige hättet / warum solche erklärung nicht geschehen solte/ dagegen wie sichs gebühret / vorzubringen / darüber unsers Kaysерl. Cammergerichts endlichen Entscheidt und Erkäntniß zugewarten. Wann deine And. und Ihr kommen / und erscheinen als dann also oder nicht / so wird doch nicht destoweniger auff des gehorsamen theils / oder seines Anw. anruffen und erfordern / hierinnen im Rechten mit gemeldter erkäntniß / erklären/ und andern gehandelt und procedirt, wie sich deß seiner Ordnung nach gebühret / darnach Sie sich und Ihr Euch zu richten. Hactenus verba Mandati illius. Poteſt ramen in Aulico Judicio Imperiali Reſcriptum Principis ad Cameram impetrari, pro excitanda juſtitia, ut maturè imploranti & celeriter adminiſtretur, quod experientia & uſus Judicii hujus docent.

XV. Cauſæ quæ in judicio hoc ventilari poſſunt ita enumerantur, R. H. O. *tit.* 2. *in Princ.* In unsern Reichs Hoffraht sollen alle und jede Sachen/ das H. Römische Reich/ derselben Hochheit und Recht/ Herrlichkeit/ Gerechtigkeit/ Pfandschafft/ Lösung/ Regalien, hohe und niedere Lehen/ Privilegien, Iudult, confirmation, und anders / wie solches nahmen haben mag / und in Summa / was nach der unfehlbahren Juſtitien dirigirt und decidirt werden soll/ insonderheit alle und jede Parthey sachen / die Rechts / gewohnheit/ connexiret und conſequentz halber/ für Unser Kayserlich Gericht gehören / oder von den ersten inſtantien, durch mittel der Appellationen, Supplicationen, Dictionis nullitatis, Implorationis officii, oder in andere alle weg sich dahin wenden/ fundirt und gehörig seyn/ die sollen allda angenommen/ gerechtfertiget/ darüber erkennet / und die Nohtdurfft außgefertiget werden. Quod ipſum ad

eundem modum paucis verbis mutatis ita ferè legitur in *Ordinat. Matthiæ.* Atque ibi quidem Deputati Statuum notant ad istum §. Diß ist der Hauptpaß gegenwertiger gantzer Ordnung / so nach künfftig getroffenen Vergleich / welchen der Allmächtige GOtt verleihe / zu richten seyn wird. De causis ad *Pacem Religiosam* spectantibus disceptant Doctores, an huc etiam pertineant? Negat pertinere post Autores der beständigen Information Facti & Juris, Quirinus Cubach *de Constitutione Religiosa c. 11. n. 19.* Johannes Muterus *apud Arumæum tom. 2. Discurs. de Iure Publico quæst. 14.* argumentis præcipuè his: Quòd Imperator cum Camera non concurrat. 2. quòd in Judicio causarum Religionis Assessores tam Augustanæ quàm Pontificiæ Religionis causam cognoscere debeant, Augustanæ autem Confessionis Assessores Judicio Aulico desint; hincque remissam anno 1564. 25. Martii à Judicio Aulico causam ex constitutione Religiosâ inter Closter Christ Garten & Comitem Ludwig von Oettingen. Et videntur in Negativam adhuc inclinasse anno 1613. Legati Ordinum Protestantium in Relatione ipsorum Ratisponensi, è qua nonnulla adducit Henricus Andreas Cranius *de Pace Religiosa p. 3. probl. 1.* qui & ipse & huic sententiæ calculum suum addere videtur. At affimantem probant non Dilligenses solùm de compositione Pacis *cap. 10. quæst. 64. §. 5. & seqq.* Sed & Springer de Pace Religiosa *cap. 14. pag. 142.* & apud Arumæum *vol. 2. disc. X. th. 24. lit. b.* ubi monet consentire Arumæum, Autor der Donawertischen Relation *part. 2.* Gothofredus Suevus *thesium secularium ad Pacem Religionis, propositione 12. th. 6.* cui sententiæ favere videtur R. A. *de anno 1566.* Wir wollen auch. Idque hodie, postquam de concurrentia Jurisdictionis res dubio omni vacat, ac Consiliarii Judicii hujus etiam ex Augustanæ Confessioni addictis leguntur, tanto expeditius est, art. 5. *Instrumenti Pacis §. 20. vers. Ac proinde.* Ubi tamen additur eo casu Assessores utriusque Religionis pari numero causis adesse debere, quod repetitum legitur *tit* 1. R. H. O. §. Wir wollen auch. Et potuit anno 1564. causam cujus antè mentio facta est, remittere Imperator ad Cameram, non quòd necessitate aliqua eo adigeretur, aut Jurisdictionis abdicandæ causa; sed vel ad petitionem Protestantium, vel ne suspicionem apud eos incurreret, vel

quòd

quòd continentia alterius in Camera pendentis causæ aut aliud quid subesset.

XVI. De Criminalibus causis *eas neque in prima neque secunda Instantia huc pertinere* non nemo quidem nuper scribit, idque ex C. G. O. *part. 2. tit. 28.* §. Item nachdem ꝛc. R. A. de anno 1530. §. Item als jetzt etliche Zeit. probare contendit, quibus tamen locis de Judicio Aulico nihil reperias. Ad causas statuum & reliquorum immediatorum Criminales huc spectare existimat Knipschildt *de Iure & Priv. Civit. Imperialium lib. 2. cap. 33. n. 23.* Tabor in *Dissert. de Execut. Rei Judicatæ th. 48.* Atque scimus ibi agitari causam inter Civitatem quandam Imperii non ignoti nominis ac Comites Oetingenses Catholicæ Religionis Actores, agentes ex *l. 28. §. 15. ff. de pœnis*, in qua anno adhuc præterito decreta fuit ad reassumendum Citatio: quæ sanè causa sine exceptione Criminalis est. Confer quæ doctè in eam rem notavit Dn. Mylerus de *Principibus & Statibus Imperii Rom. Germanici cap. 20. n. 22. & seqq.* Causæ Feudales ad Regalia Feuda spectantes, quomodo huc pertineant *Vid. Ord. Cam. part. 2. art. 7.* Sed & causæ Italicæ huc referuntur *Ioh. Otto Tabor d. l.* Causæ Appellationum verò tum demum si summa excedat 400. thaleros R. A. *anni* 1654. §. Vierdtens 105. conjuncto cum *tit. 2.* R. H. O. §. So wollen wir auch. Si enim summa minor sit, appellatio ad summa Judicia locum non habet, sed revisio aut transmissio Actorum ad JCtos peti potest; *dict. Recess.* §. Doch mit diesem Zusatz 106. Quod si à Magistratu illa non concedatur, In Judicio Aulico *Mandatum de concedenda revisione & transmissione Actorum, nec impediendo uti Iure Constitutionum Imperii*, impetrari potest. Cæterum si in Judicio aliquo inferiori summa à qua appellari potest aucta sit, non sufficit ad appellationem causam amplius quàm 400. thaleros continere, R. A. 1654. §. Drittens 104. juncta R. H. O. *tit. 2.* §. Wir befehlen auch & §. So wollen Wir. Sed & appellatio ita ad Judicium hoc interponenda est, ne prætereatur Judex intermedius, nisi forsitan ille partium uni consanguinitate aut affinitate propinqua junctus, vel aliter legitima ex causa suspectus, aut inhabilis sit, vel Justitiam palam denegarit: quo postremo casu tamen, per modum simplicis querelæ, ut vocant,

poti-

potius cauſa ad Aulam Cæſaream defertur. Excipiuntur & illi caſus, ſi Judex in cauſa judicare nolit, aut conſuetudo ſit, appellare præterito proximo Judice: & demum, ſi non excipiat provocatus de appellatione non legitimè & obſervato ordine facta *Vid. Ordin. Cam. part.* 2. *tit.* 29. Mynſing. *cent.* 1. *Obſerv.* 67. Rodingh *Pandect. Cam. lib.* 1. *tit.* 30. *num.* 6. *& ſeqq.*

XVII. Non pertinent autem ad Judicium Aulicum cauſæ *Spirituales & Eccleſiaſticæ* ex Paurmeiſt. *Knipſchilt. dict. cap.* 33. *n.* 24. Si nempe *agatur de Religione & Doctrina Fidei*, *de Decimis*, *de Iure Patronatus*, *de Jure Advocatiæ*: hæ enim cauſæ coram Judice ſeculari, qualis Judicium Aulicum, diſceptari non debent, ſed requirunt Eccleſiaſticum. Si tamen de poſſeſſione vel quaſi earum rerum agatur, cùm Judicium Poſſeſſorium neque quantitatem neque qualitatem rei Spiritualis concernat, vid. Blum. *Proceſſ. Cam. tit.* 43. §. 20. aut ſi de facto quæratur, cùm quæſtio facti merè profana ſit, in his caſibus, tam ratione primæ quàm ſecundæ Inſtantiæ fundata erit Jurisdictio. *Matrimoniales* cauſæ itidem huc non pertinent, Kitzel *Synopſi Matrimon. cap.* 10. *th.* 9. *lit. b.* Reinking. *de Reg. S. & Eccl. lib.* 3. *Claſſ.* 1. *cap.* 10. *n.* 22. vide Mylerum *de Principibus & Statibus Imperii cap.* 20. *n.* 18. *& ſeqq.* quòd ſint Spirituales; quamvis Scubhart *de Auſtreg. cap.* 5. *n.* 64. *usque ad* 107. diſputet ratione Auguſtanæ Confeſſioni addictorum Statuum, legitimum Judicem eſſe Imperatorem. Si tamen nullitas principaliter deducenda ſit, id fieri poteſt in Judicio Aulico, *arg.* eorum quæ notat Rhoding. *Pandect. Cameralium lib.* 1. *tit.* 33. *n.* 4. & Blumius *Proceſſ. Camerali tit.* 43. *n.* 23. tam in cauſa matrimoniali, quàm Spirituali alia. Sed &, ſi de competentia Jurisdictionis diſputetur, cauſa hic deduci poteſt. Cauſas *Feudales illas*, in quibus Parium Curiæ Judicium eſt, de quibus 2. *F.* 20. *&* 2. *F.* 39. ex præſcripto Sanctionum Feudalium, itidem excipimus, cum *Paurmeiſter* & *Knipſchild d. l. num.* 24.

XVIII. Locus Judicii Aulici nec olim certus erat, ſed cum Aula illud circumferebatur, vide *Speculum Suevicum part.* 1. *cap.* 13. & *Saxonicum lib.* 3. *art.* 60. Conringh *de Iudiciis Imperii Germanici th.* 95. & Speidelium *in Speculo voce* Reichs Hoffraht *p.* 1045. Hodie plerum-

que Aulam Imperatoris sequi, & eo loco haberi ubi illa est, ostendit R. H. O. *tit. 1. §.* Alle diese/ *in verbis*, und Unsern Kayserl. Hoffe/ je und allezeit/ welcher Orten derselbe gehalten wird/ nachfolgen: unde in Citationibus, quibus eò vocantur partes, ista semper leguntur: An Unserm Kayserl. Hoff/ was enden derselbe alsdann seyn wird. Cùm tamen Anno 1655. Posonium concessisset Imperator Ferd. III. ut de Electione & Coronatione filii Leopoldi, modò Imperatoris, ageretur, Viennæ id perstitisse meminimus, quod & antehac non rarò factum observarunt alii.

XIX. Ordinationes Judicii hujus tres hactenus solummodo vidimus, quamvis, si verum sit, quod Speidelius voce Reichs-Hoff-Raht scribit, Ordinationem Ferdinandi I. auctam esse à Maximiliano II. anno 1596. etiam quartam reperiri necessum sit. Earum quæ nobis innotuerunt *Prima* est *Ferdinandi I.* promulgata 3. Aprilis Anno 1559. Augustæ Vindelicorum. Extat apud Lehmannum *in Actis Publicis de Pace Religionis l. 1. c. 37. p. 146. & seqq.* & Sigismundum Freyberger *Germaniæ Perturbatæ & Restauratæ part. 2. Disc. 13. p. 130.* hancque Maximiliani & Rudolphi II. tempore in usu fuisse extra controversiam est Limn. *tom. 1. addit. ad lib. 9. c. 4. n. 34.* Sed & deinceps ejus & quidem solius usus posteriorum Imperatorum tempore ad annum usque 1654. durasse videtur: Ita enim Declaratio Imperatoria de Consilio Aulico anno 1637. 15. Aprilis Electoribus exhibita: Schließlichen hat ein Chur-Fürstl. Collegium gebeten/ bey dem Reichs-Hoff-Raht/ biß eine ordentliche Visitation desselben vorüber gehe/ die Verordnung zu thun/ daß die von beeden hochlöblichen Kaysern Ferdinando I. und Matthia Christmildesten andenckens/ auffgerichtete Ordnung observirt werden möchte/ welches/ so viel die Observation jetztberürter Ferdinandischer Ordnung (weil die andern biß dato nicht bestättiget noch in usum gebracht) anlangen thut Ihro Kayserl. Majestät gefällig; befehlen auch hiemit allergnädigst/ daß dero Reichs-Hoffraht berühter Ordnung biß auff anderwerts erfolgende vermehrung oder verbesserung gehorsamst nachkommen solle. Atque hujus solius etiam meminit Imp. Ferdinandus in ult. Ord. anni 1654. in princ. ibi, Kayser Ferdinandt der Erste Christ-

ſeeligſter Gedächtniß/obgemeldten Kayſerl. Reichs-Hoff-Raht mit einer vermehrten inſtruction verſehen / welches auff uns erwachſen. *Secunda eſt Matthiæ Imperatoris*, communita ſtatibus menſe Auguſto anni 1614. Hæc ipſa anno deinceps 1615. menſe Februario in Conventu Norimbergenſi (auff den Correſpondentz Tag zu Nürnberg) reviſa, correcta, eique ad marginem addita nonnulla fuere. Ligitur apud Limnæum *lib. 9. Iurispublici, cap. 4. n. 34.* Uſu tamen, ut ante monuimus, recepta non eſt; quamvis plura contineat quàm Ferdinandi illa, eamuqe locis longè plurimis ſequatur Ferd. III. *Tertia* eſt quæ durantibus Comitiis Ratisponenſibus anno 1654. juſſu Imperatoris Ferdin. III. conſcripta eſt. Cujus communicationem cùm Ordines Imperii peterent, declaravit ipſis Imperator, eam non ſolum ſecundum Ordinationem Cameræ, Conſtititutiones Imperii, & Inſtrumentum Pacis eſſe compoſitam, ſed & omnia illa quæ in Comitiis anni 1654. ratione Juſtitiæ promptius adminiſtrandæ conſtituta ſunt, in eam relata, vid. Autor der Grundfeſte des Röm. Reichs *part. 3. cap. 5.* §. Es hat zwar. Illa autem ab omnibus ſtatibus approbata non fuit, weiln ſie den Ständen nicht ordentlich communicirt, noch dieſelbe in ihren monitis darüber vernommen worden / derowegen ſolche ordentlich dictiret, und bey nechſtbevorſtehendem Reichstag davon weiter gehandelt werden ſoll / ut acta Comitiorum indicant. Interim Electores in Capitulatione Leopoldum Imp. *art.* 41. ad hanc ipſam adſtringunt, usque donec aliud conſtituatur. Verba ſuunt. Wir wollen auch die neuauffgeſetzte / und von unſern Vorfahren Glorwürdigſtē angedenckens approbirte Reichshoffrahts Ordnung (es ſey dann daß bey künfftigen Reichstage ein anders verordnet werde) feſt halten laſſen. Et ſanè cùm ideo curare debeat Imperator ut obſervetur, cùmque illam Electores Imperii probent, atque Juramentum de illa non negligenda præſtent Judicii Aulici Conſiliarii, vid. *Juram. illorum. ibi* Reichshoffrahts Ordnung in acht zunehmen: Reſid entes quoque & Agentes eam exactiſſimè obſervare teneantur *tit.* 7. §. und hierauff ſo befehlen wir allen und jeden. Idque non ſolùm illi, qui Viennæ habitant, ſed etiam qui eo extra ordinem à Statu Imperii aliquo mittuntur, *tit.* 7. §. da

auch

auch ein Chur-Fürst: adeòque hac Ordinatione tam illi qui conscribunt libellos, quàm qui exhibent, ut & Judices, se obstrictos sciant, unde & strictè se illam observare perhibent Consiliarii Aulici, vix est ut aliquis rectè negare possit, eam hodie usu obtinere. Interim probabile est fore ut de nova Ordinatione Judicii hujus brevi cogitetur. Hoc sanè innuunt acta Comitiorum anni 1654. Et monita communia ad Capitulationem futuram exhibita anno 1658. *ad art.* 42. *ejus. d. Capit. volunt* Daß die Reichshoffrahts Ordnung auff gehaltenen Raht mit Churfürsten Fürsten und Ständen/ und nach derselben Gutbefindung und Einwilligung zu verfassen / ac in recentioribus, mensis Februarii anno 1664. Nach welchen die jetzige Käyserl. zu einer gewissen und beständigen Wahl Capitulation nach Inhalt des Friedenschlusses einzurichten *ad art.* 41. præsuppo nitur, daß die Reichshoffrahts Ordnung ohne fernern Auffschub bey jetzigem Reichstag zum Stand gebracht werden solle. Voluntque illam appellari eine zwischen uns (Imperatore) und Churfürsten / Fürsten und Ständen verglichene Capitulation. Quæ omnia novam brevi & quartam Judicii Aulici ordinatioem promittunt.

XX. Qui in Judicio hoc causas suas agunt, ii desideria exhibitis supplicationibus exponunt. Illæ in Camera quidem ad Judicem ejus, qui Princeps Imperii, at in nostra Curia ad ipsum Imperatorem, qui & solus in Senatu isto Judex, concipiuntur. Supplicantium autem scopus interdum, ut pars adversa citetur, aliquando ut Mandatum, nonnunquam quoque ut Rescriptum impetrent, si factum impetrando Mandato non sufficiat: qualia Rescripta interdum etiam, si non expresse petantur, decerni solent. Supplicationes illas judiciales, solus Præses, vel immediatè vel mediatè per Pedellum accipere debet, cui soli etiam competit adscribere illis tempus quo redditæ sint, easque distribuere *tit.* 3. R. H. O. §. sonsten soll keiner ꝛc. Ex his refertur deinceps in Consilio. Atque in decernendis Citationibus, & Mandatis & Rescriptis, præcipua habetur ratio Privilegii Primæ Instantiæ & aliorum *tit.* 2. R. H. O. §. Wir befehlen. In Mandatis etiam attenduntur illa, quæ circa illarum concessionem *Ordinat. Cameræ part.* 2. *tit.* 23. *& seq.* caventur: *dict. tit.* 2. R. H. O. §. Dieweil auch in Un-

ſer Cammer Gerichts Ordnung. Ipſi autem Aſſeſſores loco ipſis aſſignato in Aula Cæſarea, *tit.* 1. §. Zu deſto mehrern Ehren / quoties conventus indicitur à Præſide, horis matutinis, ſæpe & poſt meridiem, hora deſtinata conveniunt, mox conſident, & ne tempus pereat, colloquiis eò non pertinentibus ſedulò cavent, ac per horas minimum tres ibi commorantur, idque diebus quatuor, aliquando etiam quinque, ſingulis ſeptimanis *tit.* 1. R. H. O. §. In der Rahtſtuben & §. Jedoch mag der Præſident. Quando ſententiam ſuam dicunt, id ordine fieri debet, ac ad Præſidis interrogationem, nec cuiquam interpellare alterum licet *tit.* 4. R. H. O. §. Unſer Præſident ſoll auch daran ſeyn daß ein jeder auß unſern Råhten ſeine Stimme anders nicht dann in ſeiner Ordnung und auff vorgehende Frage ſein des Præſidenten gebe / einem andern in votiren nicht fürgreiffe / noch in die Rede falle; Si tamen aliquis votum ſuum non rectè intelligi animadvertat, aut ſi mutare vel corrigere aut etiam aliquid voto ſuo quod momenti magni ſit addere velit, hoc ipſi facere deinceps poſtquam omnes vota ſua dixerint, non ante, integrum eſt: *dict. tit.* 4. §. Jedoch da einer vermercken würde / daß ſeine zuvorgegebene Stimme von den andern nicht recht verſtanden worden / und ſich derſelben erklåren oder wo er aus denen Urſachen ſo durch die Nachſtimmende Råhte angezeigt / ſeine vorige Meynung åndern / verbeſſern oder ſonſt was erhebliches ſeinem voto beyſetzen wolte / das ſoll ihm mit kurtzen Worten nach gehaltener umfrage zu thun unbenommen ſeyn / und von unſern Præſidenten auff beſchehene anzeig erlaubet werden. Reliquis vota antecedentium, in quibus nihil deſiderant, prolixè repetere, aut quæ ſemel dicta ſunt, denuò dicere, rectiſſimè, magno expeditionum publicarum commodo, prohibitum eſt §. welcher aber ſonſten nichts Neues.

XXI. Nemo Conſiliariorum cauſæ alicujus relationem ſuſcipere niſi demandatam à Præſide poteſt *tit.* 4. R. H. O. in princ. quod ſi definitiva ſententia ferenda ſit, nullo diſcrimine, magni momenti cauſa ſit, an ſecus Referenri adjungitur alius, qui & ipſe quid ſentiat, ex actis colligat (correferentem vocat R. H. O. *anni* 1654. *tit.* IV. §. nicht allein) Secundùm Matthiæ Imperatoris illam *tit.* 3. von

auß-

außtheilung und relation der Acten unus ſaltem refert, in cauſis quæ minoris ſunt momenti: in reliquis verò majoribus cauſis Referentes duo ſunt, vel plures, wann die Sachen wichtig / ut verba habent, ſo mag unſer Præſident dem Referenten noch einen / oder nach Nohtdurfft noch mehr Correferentes zu ordnen. Sed notant ibi Status Imperii, der Referent ſoll alweg in allen Sachen einen Correferentem haben / unde & hodie id ſemper, quando definitivæ ferendæ ſunt, obſervatur. Modus referendi iſte eſt, ut factum controverſum breviter ac diſtinctè exponat, cui id negotii datum eſt, ita ut quid in lite ſit & ſpecies actionis rectius diſcerni poſſit, & deinceps exceptiones adverſarii, tum an per illas eliſa ſit actio, demum quid reſpondendum, vid. *tit.* 5. §. 1. R. H. O. ibi daß alsdann das ſtreitige factum, und ſpecies actionis deſto beſſer können von den Rähten verſtanden werden / ſoll libellus des Klägers / auch wie er ſolchen mit documentis oder Zeugen bewieſen / darauff wie der beklagte gegen dem libell Hauptſachlich excipirt, geantwortet / ſolchen abgeleinet / ſeine gegen intention zubeweiſen / und dahero des klägers action zu elidirn ſich unterſtanden referirt &c. In Referendis cauſis (quæ tanto numero ad judicium aulicum deferuntur, ut jam anno 1637. quinquaginta & plures cauſas eo deferri una ſeptimana in initio Declarationis Electoribus eo anno factæ meminerit Imperator) is ordo ſervatur, ut præcedant illæ quas præcedere juſſerit Imperator peculiari Reſcripto *tit.* 4. §. und ſoll unſer Præſident &c. ibi welche wie vermög unſers Käyſerl. ſchrifftlichen und von unſern Reichs-Vice-Cantzlern und Secretario verfertigten auch verſigeltẽ decreti mit hindanſetzung aller anderer ordentlichen Geſchäfften alſobalden zuberahtſchlagen und mit ſchrifftlichen gutachten uns vorzutragen / unſerm Reichs-Hoffraht / Præſidenten, und Rähten anbefehlen. Secunda Claſſis illarum cauſarum eſt quæ moram non patiuntur, aut peculiariter piæ vocantur *tit.* 4. §. zum andern welche keinen verzug leiden und welche Gotteshäuſer / item Gefangene / ſo vornemlich deren pfändung / oder übelverfahrung in den Proceſſen, und ſonſten belangen. Tertia, pauperum, viduarum, & pupillorum cauſas continet *d. l.* § und weil zum dritten. Ad quartam pertinent Memorialia des

Reichshoff Fiscalis § Nach diesem aber sollen zum Vierten. Quinto loco privilegiatæ causæ non privilegiatas, & sexto, antiquiores posteriores præcedunt §. Hierauff sollen alsdann zum fünfften / welche sonsten etwa eine vor der andern zurecht sonderbar privilegirt den gemeinen unprivilegirten vorgezogen und dañ endlich / welche Sach vor der andern älter oder ehender beschlossẽ ist worden / fürgenommen und befürdert werden sollen. Atque hunc ordinem semper nisi aliud expresse jubeatur servandum disponitur *d.* §. hierauff / in fine.

XXII. Processus diversa antehac ibi fuit forma, ab illa quæ hodieque est. *Processum quod attinet, notum est*, scribit Knipschildt de Jure & privilegiis Civitatum Imperialium *lib. 2. cap. 33. n. 35. Imperatorem, ordinem Judiciarium de jure Civili introductum observare non teneri, Jason in l. certum. col. pen. C. unde legit. Bald. in Cap.* 1. *Si de investit. lis. Tessaur. decis.* 15. *n. 3. Et in Imperatoris consistorio Juris apicibus neglectis ex æquo & bono, inspecta veritate, procedi solere, c. ad petitionem 22. X. de appel. Gail.* 1. *observat. 42. num.* 1. *seq. Zasius in l. princeps num. 3. de legibus. Gylmann symphor tom. 3. verb. Camera. vers. in summo. Hinc adhuc hodie in Aulâ Cæsarea ordinem judiciarium, etiam in arduis causis non servari & sæpè lapsis & purificatis terminorum præjudiciis, novos terminos, etiam altera parte reclamante, concedi, quotidiana experientia testatur,* Reinking *de regim. sec. l.* 1. *class. 3. cap.* 12. *n. 37. ubi ejus hanc reddit rationem, quòd Imperator in arduis illis & gravissimis causis inter Illustres Personas & Imperii proceres vertentibus procedat tanquam Pater inter filios, non attento juris rigore, sed potius Imperii tranquillitate, pace & concordia, ut motus & turbæ evitentur. Multa enim propter solam pacis conservationem, tranquillitatem & concordiam, contra juris rationem sunt recepta, hoc modo 64. §. fin. ff. de condit. & demonstr.* Reinking *d. l. num. 39.* Atque isto nomine inprimis laudatur Senatus ille à Dn. Lindenspuer / in differt. de Imp. & Familiar: orig. mutat. *fol.* 105. *n. 47. & seqq. Moderni autem*, ait ibi, *Senatus Imperii Aulici* des Käyserl. Reichshoffrahts *necessitas vel ex hoc solo elucescere potest, quòd in illo causæ gravissimæ etiam celerrimè, cum sufficienti tamen cognitione, expediantur, illique qui bona causa nituntur, fructum Jurisdictionis, Imperatoriæque Majestatis æquissimam vocem, sine longo sufflamine plerumque*

que sentiant, hoc præsertim tempore, quo per bellicos tumultus præteritos, rupta quodammodo Cameræ Imperialis Compage, Astræam hancce juxta Cæsareæ Majestatis sacratissimos pedes plerique proni adoramus. Cùm è contrario Augustissimum illud aliud justitiæ Auditorium, (Cameram intelligit) *prodigiosa litium multitudine, ceu præsidio quodam validissimo, perpetuo & ita obsideri videamus, ut tantâ cum difficultate, tanto cum litigatorum incommodo lites hoc seculo expediantur, quanto ullo unquam tempore factum constat. At licèt status nonnulli conquesti aliquando fuerint de præpostero & summario in omnibus ferè causis adornato processu, & celerrimis mandatis executivis* der Reichshoffrâht; *Imperatoria tamen Majestas respondit,* daß ihres Wissens/der Reichshoffraht erkennet / was den Rechten und Reichs *constitutionen* gemäß / und mit den *Commissionen* fürgenommen/was Ihrer Maytt. gebühret. *Sed hæc quærela ab iis profecta fuit, qui celerem expeditionem, ob ineptitudinem causarum coram Imperiali Judicio productarum, sufferre non potuerunt.* Ast longè aliter Hyppolithus â Lapide de Ratione Status *part. 2. c. 7. sect. 5. p.* 431. *Nec parem,* ait, *cum Camerâ Jurisdictionem sibi arrogasse, Imperatoribus satis fuit: sed & longè ampliorem, ac magis privilegiatam sibi vindicarunt. Camera enim, non nisi formâ, in ordinatione ejus præscripta, procedit, aut judicat: Eaque deficiente, solennitatibus, à jure communi requisitis, necessario adstringitur:* Es soll in allen und jeden fällen/ die insonderheit / und außdrücklich in der Ordnung des gerichtlichen *Process* halben/übersehen/das gemeine Recht statt haben/und vermög desselben gehandelt und *procedirt* werden. *Consistorium verò summi Principis sine ambagibus sive formulis Ordinariis, solâ veritate inspectâ, sine strepitu & figura Iudicii, levato velo, sententiam fert: Nec ordinem judiciarium, de jure positivo introductum, servare tenetur: Nulla enim Lex potest Principis Curiam coarctare; cùm illa sit Lex animata in terris; inquit Justinianus: Quod ad hodiernam Imperatoris Aulam Legistæ haud segniter applicant. Imperator quidem Matthias, processum judiciarium Consiliariis suis observandum injunxit: Sed tot additis limitationibus, & restrictionibus, ut, in effectu, res ad nihilum recidat,* sollen so viel müglich (*hæc prima limitatio*) und die *praemientz* dieses Unsers höchsten Gerichts / unsers Reichs Hoffrahts / von Rechtswegen

erlei-

erleiden mag/(*hæc secunda*) desselben Unsers Kammer-Gerichts/ bevorab in grossen Sachen/(*hæc tertia*) gewöhnlichen *process. termin*, oder *solenniteten* gebrauchen und dieselben *observiren, &c.* und in allwege/so viel die *substantz* eines Gerichtlichen *Proceß* anlangt/ sonderlich/ da ein unwiderbringlich *præjuditz* zu befahren/ (*hæc quarta*) von der Ordnung/ wie sie im Käyserl. Kammer-Gericht eingeführet/ ohn wohlgegründete Ursachen (*hæc quinta*) nicht abweichen: Hingegen wollen wir sie (*hæc sexta & summa limitatio*) an andere *accidentali*sche Gerichts *solennia*, dadurch dem Hauptwerck/ und gnugsamer Erkundigung der Warheit/ nichts zu/ oder abgeht/ keines weges verbunden/ sondern vielmehr auff den gemeinen Nutz und foderung der heilsamen *Justitz.* gewiesen und verpflichtet haben. *Rectè autem Deputati, calamum censorium hic strinxerunt, & subdolas istas limitationes, per quas injustitiæ lata panditur fenestra, induxerunt.* Hactenus Hyppolithus. Atque in scripto, quod extat sub nomine Eines Bedencken auff die Käys. Proposition Puncten die Justitz belangend/ von Churfürsten und Ständen anno 1641. auff den Reichstag zu Regenspurg übergeben/ so viel die Reformation und Emendation des Reichs Rahts betrifft/ Status Imperii monent: Bey dem dritten Haupt Puncten/deß Proceß selbsten/hat man so viel nachricht/daß derentwegen/bey dem Reichs-Hoff Raht viel mängel vorgehen: Und zwar daß in den wichtigsten und schweresten Sachen/ welche Churfürsten und Stände deren Land und Leute/ und derselben Recht und Gerechtigkeiten betreffen/ bey dem Reichs-Hoffraht kein Proceß gehalten/ sondern alles summariter vorgenommen und expediret werde/ wie die Acta selbsten/so bey dem Reichs Hoffrathe vorgehen gnugsam zu erkennen geben; Dahero dann Jhr Käyserl. Maytt. allergehorsamst gebeten werden/die geruhen/nicht allein/ dero allergnädigsten erbieten gemäß/ von dero Reichshoffraht eine gewisse/ ordentliche und zwar/ so viel es sich immer thun läst/ der Käyserl. Kammergerichts Ordnung gleichmässige Form eines Rechtlichen Processes verfassen/ und künfftiger Hoff Rahts Ordnung einverleiben/ sondern auch mittels/ biß solche Ordnung zu völligem

gem effect kompt/dem Reichs Hoffraht befehlen zu lassen/daß sie/ wenigstens/ processum juris communis, in allen vorfallenden Sachen hinführo in fleissiger Obacht halten und nehmen. Qua de re cùm deinceps in Comitiis ageretur, constitutũ tandem fuit Instr. Pacis Cæs. Suec. *art.5.§.20.vers.3. Quoad Processum Iudiciarium Ordinatio Cameræ Imperialis etiam in Judicio Aulico servabitur per omnia.* Quæ causa fuit quare tandem anno 1654. *tit.*2.§. So wollen wir auch ꝛc. R.H.O. insererentur ista: darauff dann Unsere Reichs Hoff-Rähthe/ein sonderliches Auffmercken haben/ auch so viel möglich desselben Unsern Kays. Cammer Gerichts Ordnungen/und in allen Sachen gewöhnlichen procefs, termin, und solennitäten gebrauchen/ insonderheit aber in allen processen keine substantialia außlassen/jedoch auch allen Uberfluß und verzüglichkeiten abschneiden/ die gegebene Termin ohne erhebliche Ursachen nicht erstrecken/ und in alle weg so viel die substantz eines Gerichtlichen Proceß anlanget / sonderlich da ein unwiderbringliches præjuditz zu befahren/ von der Ordnung wie sie im Kays. Cammergericht eingeführet und verbessert werden möchte / in substantialibus requisitis Processus nicht abweichen sollen/ hingegen wollen wir sie an andere unnöhtige Gerichts solennia dadurch dem Hauptwerck und genugsamer Erkundigung der Warheit nichts zu oder abgehet/keines weges verbunden / sondern vielmehr auff den gemeinen Nutzen und forderung der heilsamen Justitz gewiesen und verpflichtet haben. Unde apparet hodie cessare istam Hyppolithi querelam. Id tamen, quod Reinkinghium de terminorum concessione monentem audivimus, etiam anno 1655. fortassis, quòd circa initia difficile esset aliter assuetis omnia mutare, usurpatum novimus.

XXIII. Quod legitur *dict.§. Ordin. Aulicæ* in fine, nolle Imperatorem obstrictos Consiliarios judicii hujus ad inutilia illa solennia Judicialia, quæ ad veritatis indaginem parùm momenti conferunt, id eò pertinere videtur, quòd nulli Actus Audientiarum, in Judicio hoc in usu fuerint, nec deinceps esse debeant; quibus antehac in Camera ante mutationem saluberrimam factam im gemeinen Bescheid die 13.

Decembris anno 1659. quâ rei huic medela facta fuit, plurimum impedimenti afferebatur cauſis. Omnia enim ſcripto expediuntur, nihil ore exponitur, nec locum Conſilii intrant Reſidentes & Agentes, niſi quando juramento Judicio huic fidem ſuam adſtringunt. R. H. O. *tit. 6.* §. Daß jenige. Neque hac ſolùm ratione differt Proceſſus Cameralis & judici Aulici, ſed iſto etiam, quòd in hoc Collegio decernantur aliquando, Commiſſiones ad cognoſcendam cauſam zur Verhörung der Sachen. Sunt autem illæ, quibus facultas datur Commiſſariis in cognitione cauſæ procedere, usque ad ſententiam, imò interdum etiam illam adjungere permittitur: quales Cameram nunquam decernere extra controverſiæ aleam eſt. Meretur de his Commiſſionibus, ut res tantò exactius intelligatur, legi ipſe §. Und weil auch *tit.* 2. R. H. O. Weil auch ferner bey Uns vor Alters wol hergebracht / daß wir zu mehrer Beforderung der Juſtitz, und Rettung der Betrangten / in Sachen / ſo ohne das in prima inſtantia bey Uns angebracht und erörtert werden können / oder / da Wir / als unmittelbahrer Ober- und Lehen-Herr / angeruffen werden / oder ſonſten andere Umſtände halber vor Uns als Römiſchen Käyſer gehörig / Commiſſiones zu Verhörung der Sachen allein außgehen laſſen / ſo vörderiſt zu unſern Käyſerl. Außſpruch an Unſerm Käyſ. Hoff remittirt, und überſendet werden: Als thun Wir Unſern Reichs Hoffraht in oben ſpecificirten Fällen / dergleichen Commiſſiones hinführo zu erkennen / gleichfals vorbehalten / doch daß denen Partheyen hierinnen / wider der Sachen eigenſchafft keine ſummarii noch übereilte Proceſs oder zu kurtze dilationes auffgetrungen / ſondern ihnen ihre Nohtdurfft / alſo wie ſie es vor Unſern Reichs Hoffraht ſelbſten thun könten / zu handeln vergönnet werde.

XXIV. Poſtquam in Judicio hoc Proceſſus decreti ſunt, reliquum eſt ut Secretarii illos legitima forma expediant. Id verò alia quàm Latina aut Germanica lingua fieri non conſuevit *tit. 6.* R. H. O. *in Princ.* Illæ enim ſolæ in Judicio hoc in uſu ſunt, ita ut quæ aliâ linguâ ſcripta ſunt non recipiantur, niſi fortaſſis Acta Appellationum, Docu-

cumenta, Depositiones testium: quæ illa quidem lingua qua scripta sunt exhiberi possunt, addita tamen versione Latina vel Germanica R. H. O. *tit.3.* §. Ferner soll in dergleichen Sachen. Ubi expedita fuerint à Secretariis, Referens, aut ex eruditis Assessoribus aliquis ad eam rem lectus à Præside, relegit, ac quæ videtur, corrigit: quod si sit etiam gravioris momenti negotium, sententiæ, Mandata & Resolutiones sive à Referente sive à Secretario conceptæ sint, in conventu Senatus perleguntur. Adscribitur deinceps dies, quo lectæ & approbatæ sunt, ut & Referentis nomen, nec quicquam postea mutare licet; tum in Cancellariam describendæ mittuntur R. H. O. *tit.6.§.1. & 3.* Post descriptionem à Registratore rectène descripta sint omnia an secus, perlustrantur; Inde à Secretario ad Imperii Vice-Cancellarium, (quorum uterque subscribit) demum ad Imperatorem, ut & ipse adscriptione nominis sui robur addat, perferuntur: Sigillum tandem apponitur, ac quidem si Citationes, Mandata, Commissiones, Privilegia sint, Sigillū minus sufficit. At Majoris usus est, quando conferuntur Principum, Baronum, Nobilium, Comitum Palatinorum tituli. Sigilli hujus Majoris Custos perpetuus est supremus Imperatoris Camerarius, der Ober Cammer Herr. Id peculiare est, quod Bullâ Aureâ sola hæc Cancellaria utitur, *vid. decl. Imp. anni* 1637. §. Vors Eilffte *ibi* bevorab aber die Güldene Bull als des H. Römischen Reichs uhraltes insigne bey keiner andern als gemeldter Reichs-Cantzley brauchen zu lassen/ welches höchstged. Käyserl. Majest. vor billich befunden / und wird solches an gehörigen Orten jederzeit in acht genommen werden. Et in Comitiis Ratisponensibus anni 1641. idem admonetur *n. 8.* Tandem soluta taxa, literæ hæ Imperiales, iis qui eas desiderarant, traduntur. Citationes hæ & Mandata deinceps per Notarium, qui eâ de re Instrumentum conficit, & testes, insinuantur. Nec enim necesse est ut id fiat per Nuntios & tabelliones juratos, ut in Camera, quales in Judicio Aulico nulli sunt; neque requiritur ut Notarius sit in album vel Matriculam Cameræ relatus, sed sufficit esse Notarium. Sententiæ in Senatu hoc conceptæ, per Secretarium Procuratoribus aut Residentibus vel Agentibus innotescunt. Solet enim iste sin-

gulis diebus inscriptiones causarum, in quibus latæ sententiæ vel interposita decreta, januæ musæi sui affigere: Unde Residentes & Agentes, sui memores officii, describi, ac ex Cancellaria in forma probante edi, & adversario legitimè insinuari curant. Consueverant antehac causæ graviores, si politicæ considerantes accederent, postquam ad sententiam usque in Judicio Aulico agitatæ fuissent, cum voto, **mit einem Gutachten**/referri ad Cæsarem: Atque eo casu Cæsar causam in consilio Secreto, **im geheimen Raht** / proponebat, in quo non Justitiæ solùm, & Juris sed & Status ratio habetur, an nempe tali vel alio rerum statu commodum sit ita pronuntiare, ac an sine magno Imperii motu sententia talis executioni mandari possit. Quod si executio difficilis videretur, vel incommoda alia metuerentur, pronuntiatio sententiæ conceptæ aliquantisper differebatur, donec commodior exequendi occasio eveniret, uti in causa **Braunschweig** contra **Braunschweig / das Fürstenthum Grubenhagen betreffend**/ ac in causa **Baden**/contra **Baden.** Cæteroquin non facilè disceditur à voto Senatus aulici: Reinkingh. *de Regm. Sec. & Eccl. lib.* 1. *Class 4. cap. 19. n. 50. edit. post.* Limnæus *tom.* 1. *addit. ad lib. 9. cap. 4. in Princ. & in Annot. ad art. 40. Capit. Matthiæ.* Speidel. in Speculo voce **Reichs Hoff Raht.** Sed Electores anno 1637. monuerant, ne id deinceps fieret, quibus tum quidem respondit Imperator, **zum vierdten hat ein hochlöbliches Churfürstliches** Collegium **gebeten/daß/ was ein Reichs Hoff Raht** cum debita causæ cognitione **geschlossen im geheimen Raht ohne vorgehende** communicatio**n mit dem Reichs-Hoff-Raht nicht solle geendert werden / da ist hochgedacht Käyserl. Majestät ohne das diß willens / was** in puncto Justitiæ cum causæ cognitione **geschlossen ist worden/nichts zu endern/ was aber** Ratio Status **und andere Umständ mit sich bringen und erfordern/darin wollen Ihr Käys. Maj. Ihr die freye Hand offen lassen.** Est verò ea de re primū aliquid constitutum in Capit. Ferd. III. *art. 44.* ubi ista leguntur. **Was auch einmal in gemeldten Unserm Reichshoffraht** in contradictorio Judicio cū debita causæ cognitione **ordentlicher weise gehandelt und geschlossen ist/ dabey soll es allerdings**

dings verbleiben und von niemand anders von neuen in cognition gezogen / noch dessen execution gehindert werden. Et in postrema Capit: Leopoldi expressè definitur, ne negotiis Imperii se immisceat Consilium Secret. art. 42. Wir wollen/ ut verba habent, nicht gestatten / verhängen oder zugeben / daß Unsers geheimen Rahts Collegium sämptlich oder sonderlich der Reichssachen / welche vor den Reichs Hoff Raht gehörig / sich anmassen / darin sich inmischen oder auff einigerley weise dem Reichs Hoffraht eingreiffen / vielweniger mit Befelchen oder Decreten, wodurch die im Reichs-Hoff-Raht geschlossene Sachen uffgehaben oder irririrt werden / beschwere oder irre: Sed huic videtur Instrumento Pacis surrogatum esse consilium Principum, *art 5. §. 20.* verf. *Qua processum liberum sit suæ Majestati:* verba sunt d. l. *in causis majoribus, & unde tumultus in Imperio timeri possunt, insuper etiam quorundam utriusque Religionis Electorum & Principum sententias & vota requirere.*

XXV. Hyppolithi à Lapide ista quoque contra hoc Consilium querela est, *de Ratione Status part. 2. cap. 7. sect. 5. p. 439.* Si quis, scribit ibi, *lata per Camerales sententia gravatum se esse existimet, superest ei remedium Revisionis & Syndicatus, Ordinat. Cam. part. 3. tit. penult. Quorum neutrum Aula Cæsaris admittit, Author Inform: Donavverticæ part. 1. p.* 135 Ast hodie substituto in horum locum Supplicationis remedio, nulla amplius eâ de re conquerendi justa causa est, Instrumento enim Pacis *Cæsareo Suecico* §. *20. verf. Quoad Processum,* constituitur: *ne partes ibidem litigantes omni remedio suspensivo destituantur loco Revisionis in Camera usitatæ, licitum esto parti gravatæ, à sententia in Judicio Aulico lata ad Cæsaream Majestatem supplicare, ut acta Iudicialia denuo adhibitis aliis gravitati Negotii paribus neutriq; partium addictis, ex utraque Religione, æquali numero Consiliariis, & qui concipiendæ priori sententiæ interfuerunt, aut certè Referentium aut Correferentium partes non sustinuerint, revideantur.* Id remedium nec olim quidem prorsus inusitatum, sed in arbitrio erat Imperatoris illud partibus largiri vel denegare, ut consuluit in causa Fulda / contra Würtzburg / Thomas Merckelbach *inter Cons. Klockii, cons. 82. n.* 27. At per Instrumentum Pa-

Pacis id partibus abſolutè conceditur. Unde illis caſibus, quo quis ſe gravatum ſententiâ Judicii Aulici, ac competere ideò vel nullitatis querelam, vel remedium reſtitutionis in integrum vel Syndicatus, exiſtimat, illi hujus vice Supplicatione uti licet, in R. H. O. *tit. 5.* §. Dafern ſich nun / adde *art.* 42. *Capit. Leopoldi*: ubi hoc remedium Reviſionis nomine venit, unde fortaſſis Autor Comitiologiæ *part. 5. fol. 366.* Reviſionem in Aulâ Imperatoris locum habere exiſtimat; quod ſi de propriè dicta reviſione intellexerit, rectè refutatur ab eo qui nuper anno 1660. notas dedit ad Rodinghium *tit.* 61. *p.* 925. Nec enim ut Moguntino notificetur, nec fatale denunciandi Reviſionem, nec ut Reviſores ſint Status Imperii, nec Sportulæ requiruntur, *d. l.* Rodingh: & diverſa ſunt remedia hæc etiam Ordinationi Camerali *part. 3. tit.* 51. Illud inprimis de Supplicatione queri modò poteſt, an poſtquam Receſſu Imperii Ratiſponenſi anni 1654. definitum, reviſione licèt petitâ, nihilominus executioni locum eſſe §. Nach berahtſchlagung des puncti Appellationis, id etiã dicendum videatur de Supplicatione. Dn. Schützius Junior in Lectionibus Juriſpublici id negandum exiſtimabat, quòd Reviſionis loco in Judicio Aulico eſſet Supplicationis remedium. Dn. Tabor in *Diſſert. de Execut. Rei Judicatæ th. 63.* illud aliorum definitioni relinquit. Dn. Johann. Georgius Nicolai in Proceſſus Judiciarii parte tertia *cap. ult.* §. 24, Supplicationi hodie omnino effectum effectum ſuſpenſivum tribuit, propter textus adductos Inſtrumenti Pacis & Ordinationis Aulicæ. Annotator Anonymus ad *Rodinghium lib. 3. tit. 61. p.* 926. Suſpenſivum effectum quidem tribuit eo caſu, *quò victrix pars dignam fidejuſſionem non præbuerit tantum reſtituendi cum legitimis augmentis, quantum fuerit in condemnatione, ſi legitima retractatione ſententia reſolvatur*; ſecus ſi cautio iſta præſtetur, ſecundum *auth. quæ ſupplicatio. C. de precibus Imperatori offerendis*, cui adde *Novell.* 119. *cap. 5.* Nobis præ reliquis placet Dn. Nicolai ſententia, quòd 1. textibus Inſtrumenti Pacis & Ordinat. Aulicæ nullibi expreſsè derogatum ſit, ac adeò eis adhuc ſtandum ſit *l. 32. C. de appellat. l. 27. C. de teſtamentis*, & 2. textus ille Inſtrumenti Pacis approbetur potius Capit. Leopold. *art.* 42. Ubi de cauſis in Judicio Aulico deciſis dicitur, quòd earum

rum executio impediri non debeat, nisi per hoc remedium, juxta dispositionem Instrumenti Pacis. Atque meminimus nuper in causa Principis de Liechtenstein / contra Principem Frisiæ Orientalis, post supplicationem interpositam, dum causa cognosceretur, interim executionem dilatam fuisse, donec sententia condemnatoria confirmaretur.

XXVI. Quod si victus supplicationem non interponat, aut ea interposita iterum causa cadat, per literas Executoriales, Judicium Aulicum, nomine Cæsaris, ut sententia lata, sub comminatione pœnæ, partim victori partim Fisco solvendæ pareat, victo injungit, idque præscripto tempore, & sine exceptione. Jungitur his citatio ad docendum de paritione, vel videndum se declarari in pœnam Executorialium, atque ipsa etiam sententia: vid. Recess: de anno 1654. §. Damit auch die außgesprochene / 53. ac assignatur, pro ratione loci, ubi vivit qui condemnatus est, terminus. Si huic non obtemperaverit, plerumque tres, interdum, sed rarò, quatuor paritorias præmitti moris est: Illas arctiores Executoriales sæpè sequuntur, sub pœna dupli vel realis Executionis: interdum etiam mox contra eum, qui paritorias contumacia sua eluserit, commissio ad exequendum, ad Circuli Directorem, vel Judicem domicilii, non ad causæ quæ in controversiam præcipuè venit expeditionem solùm, sed etiam ad pœnæ commissæ executionem decernitur; In causis Appellationum eadem est ratio, nisi, quod postquam paritoriis aliquot non paruerit victus, Mandatum Executoriale ad Judicem à quo concipitur, eique Executio realis facienda injungitur, ac præfigitur certum temporis spatium, & additur pœnæ, si negligat, comminatio. Si Judex inferior Mandato huic morem non gerat, arctius obtineri consuevit. In causis Italicis hæc ferè usitata est in Aula Cæsarea Executionis ratio: lata sententia alicui ex Imperii Vasallis, qui victo proximus, mittitur, annexo mandato ut victo insinuari faciat, terminumque congruum ad parendum præfigat, intra quem, à tempore insinuationis computandum, si non paruerit condemnatus, sententiam, si opus, manu militari exequitur. Dn. Tabor *Disput. de Execut. Rei Judicatæ thes. 48.*

XXVII.

XXVII. Si Imperator fatis concedat, Cameræ quidem Imperialis Judicium quod Spiræ est, nihilominus Processus decernit, ac audientias, ut vocant, celebrat. Processus tamen illi non obsignantur nec expediuntur, sed ad Cancellariam Moguntinam remittuntur, ubi tamdiu asservantur donec Sigillum Dnn. Vicariorum, quorum nomine deinceps expediuntur, transmittatur: vid. Rodingh. *Pandect. Cameral. tit.* 3. §. 3. At in Judicio Aulico, defuncto Cæsare, mox acta omnia obsignantur, interea Vicariorum quilibet in locis subjectis, Judicium peculiare erigit, eorumque Judiciorum acta electo Imperatore novo, ei transmittuntur. Nostra ætate, propter belli Turcici metum, discedentibus aliò Consiliariis, illud per menses aliquot etiam cessasse novimus, at isto evanescente recipisse pristinum vigorem. Definimus tandem in quæstione, cui *inter Judicia duo hæc, Aulicum & Cameram* præcipuus debeatur locus? Parem esse utriusque dignitatem existimat Mindanus in *præf. lib.* 1. *de Processib.* cui accedere videtur Cancellarius Schütz *de Statu Rei Romanæ vol.* 2. *disp.* 2. *th.* 5. *lit. h.* Ast Meichsner *tom.* 4. *decis.* 4. *n.* 15. Camerale Judicium non paulo augustius Aulico esse perhibet. Pro qua sententia fortassis aliquis adduxerit *Ord. Cam. part.* 1. *tit.* 3. Ubi vocatur **das Oberst und letzte Gericht im Reich. R. A.** anni 1654. §. **Als auch bey den allgemeinen Friedens Tractaten** / ubi appellatur **Unser höchstes Gericht** / quibus tamen respondet Stamlerus *de Reservatis* §. 30. *n.* 12. summitatem illam non comparatione ad Imperatorem sed respectu aliorum Judiciorum inferiorum, quorum querelæ ad Cameram per appellationem deferuntur, explicandam *arg. Ord. Cam. part.* 2. *tit.* 29. At autor Comitiologiæ Ratisbon. *part.* 4. *Dissert.* 9. *n.* 96. *p.* 283. non dubitat primum locum tribuere Judicio Aulico, cui sententiæ favere quoque videtur Wehnerus *in Observ. Pract.* voce **Rohtweilisch Hoff-Gericht** / ubi in hæc verba scribit: *Hodie post Aulam Cæsaris proximus locus Cameræ & tertius Dicasterio Rohtvvil. debetur.* Eique adstipulatur quoque Dn. Tabor in *Dissert. de Executione Rei Judicatæ th.* 48. quod Jurisdictio ipsius latior sit Jurisdictione Cameræ. Quid nobis in re controversâ videatur, in conflictu explicandi locus erit, non desunt enim rationes quare scripto sententiam nostram modò explicare nolimus.

DE

DE

JURE INTERVENTIONIS DISPUTATIO.

DE jure Tertii Intervenientis frequenter in judiciis controverti nemo ignorat, neque experientia optima ac fideliſſima rerum teſtis nos dubitare ſinit; ut non immeritò quis inquirat, cur argumentum, nobilitate pariter ac uſu inſigne, in univerſo jure Civili ſedem peculiarem non reperiat. Opinioni ſanè Doctiſſimi *Vulteji* (*a*) nemo acceſſerit, tanquam infrequens & infructuoſum à Compilatoribus eſſe prætermiſſum, cùm ipſa res in materia per univerſum jus patente ſatis perſpicuè doceat, vix ullam diſceptationem coram judice inſtitui, vix negotium aliquod Civile geri, cui non poſſit innecti quæſtio de jure ac indemnitate tertii. Quare cenſerem, cùm *Julianus* in Edicto perpetuo Hadriani hunc locum partitè ac ſeparatim non tractaſſet, indè factum, ut juris Compoſitores Edictum illud magnam partem ſequentes (*b*) eundem titulo ſpeciali non exhiberent, non tamen ideò defraudandi gloriâ explicati, in quantum jaciendis fundamentis

(*a*) *Tract. de Judiciis tit. de Interventione.* (*b*) *l. 2. ff. de Statu hom.*

ſufficit, difficillimi argumenti, cùm non unus juris locus uberem ad ulteriora procedendi fontem aperiat. Nec verò ipſa rerum humanarum natura patitur, ut in Civili ordine, (quod in cæteris quoque artibus accidit) omnia perfectè ſcripta ſint, ut poſt *Ariſtotelem* (c) teſtatur *Juſtinianus* (d) ſed debent illa, quæ ad eandem utilitatem tendunt, atque ex iisdem principiis promanant, interpretatione vel certè jurisdictione ſuppleri (e) Excitavit proinde ea res jam dudum non unius JCti induſtriam, qui locum hunc uberrimis Commentariis foro præſertim accommodatis illuſtrarunt. Neque tamen abs re facturos arbitrati ſumus, ſi eundem inſtituendæ pro more diſputationi inaugurali deligeremus paulò preſſius examinandum. Quam operam fortasſis fruſtra non inſumemus, propterea quòd perpauci rem ipſam ad ſua principia revocaſſe deprehenduntur. Indè in multis capitibus opinionum diverſitas, ne dicam, contrarietas exorta eſt, & multæ quæſtiones involutæ potius quàm explicatæ. *Principium verò (f) videtur plus quam dimidium totius eſſe, & multa per illud manifeſta fieri eorum quæ in quæſtionem veniunt.* Iſtis ergo tanquam ſolidis fundamentis totam diſputationem ſuperſtruere conabimur, quod tractandi genus verò Juris ſtudioſo incumbit. Faxit DEUS ut omnia quæ dicentur, ad rectiſſimam juſtitiæ normam dirigantur.

In-

(c) *II. Pol. IV.* (d) *l. 2. §. ſed quia 18. C. de Vet. jur. Enucl.* (e) *l. 13. ff. de Legib.* (f) *Ariſt. I. Eth. VII.*

I.

INterventio, nativâ vocis ſignificatione nihil denotat aliud, quàm tertii alicujus inopinatò facta acceſſio ad negotium inter alios peragendum, cui ſimul impedimentum affert, quemadmodum adoleſcens fratre argentum alii numerante de improviſo interveniſſe *Terentio* dicitur (*g*.) ac Senex fraudem moliente ſervo, *eidem alibi* (*h*) *& in Dialogo de Oratoribus* quem Tacito vulgò inſcribunt, improviſum adventum excuſat Meſſala, rogando, num parum tempeſtivus ſecretum conſilium & cauſæ alicujus meditationem tractantibus interveniſſet? Eodem ſenſu uſurpatur *Ciceroni* (*i*) *qui & alibi* (*k*) vacuum ab interventoribus diem dicit, cujus deliberationes homines importuni minus interpellaſſent. Sic & raptæ Sabinæ prælantibus interveniſſe *Floro* narrantur (*l*) ad quam Similitudinem per figuram ea quoque intervenire dicuntur, quæ caſu aliquo contingunt, veluti Calamitas, dolor, iræ, atque inimicitiæ, prout *Terentio* (*m*) *Ciceroni*, (*n*) aliisque, paſſim uſurpari notum eſt. Illa quoque, quæ naturâ ſuâ curſum atque progreſſum alicujus rei impediunt, intervenire dicuntur, ut de fluvio inhibente graſſantem ignem, & de mari hoſtium excurſum ſiſtente apud *Florum* legitur (*o*) Juris Civilis Auctoribus uſurpatur frequenter pro interpoſitione ac mediatione inter ſcientes prudentesque facta ad negotium aliquod conciliandum, veluti in obligationibus acceſſoriis aliisque ſimilibus apparet. *Papiniano* enim (*p*) aliisque (*q*) idem eſt quod fidejubere, *Ulpiano* (*r*) expromittere; eidem (*s*) mandare, conſtituere, aliove modo obligationi alienæ accedere. Res ſuas (*t*) pro alio pignori obligare. Item (intercedendi gratia contrahere cum aliquo, qui alioquin cum alio contracturus erat. Sic & intervenire dicuntur, qui alieno nomine ſine mandato litem in judicio proſequuntur ſive agendo (*x*) ſive deſcendendo prout tum ali-

(*g*) *Adelph. III. IV. 43.* (*h*) *Andr. IV IV. 11* (*i*) *II. de Oratore* (*k*) *lib. de Fato.* (*l*) *Lib. I. c. I.* (*m*) *Hec. prol. & III. 11. 16.* (*n*) *III. Tuſc.* (*o*) *Lib. II. c. II. & Lib. III c. IV.* (*p*) *l. ſi fidejuſſores 6. ff. ad Vellej.* (*q*) *Gajo l. in perſona. 30. § 1 ff. de Pact. Marciano l. 5. pr. ff. de Appell. Pomponio l. 32. §. 3. ff. ad Vellej.* (*r*) *l. quamvis 8. §. 2. ff. ad Vellej.* (*s*) *l. 3. §. 5. ff. de pecul. l. 6. §. 2. & 4. ff. Mandati l. 7. §. ult. ff. de obſ. parent. & Patron.* (*t*) *l. ait Prætor. 7. §. 13. ff. de Minor.* (*u*) *ut in ſpecie l. 8. §. ſi cùm eſſem 14. ad Vellej.* (*x*) *l. 10. §. ult. de in jus voc. l. 11. §. 2. de injur. l. 3. §. 3. jud. ſolv.*

bi (*y*) tum in *l. 2. ff. de R. J.* uſurpatur, contra quam vulgò ſentiunt, docente ibidem eruditiſſimo *Fabro*. Alio porrò ſenſu intervenire tutorum auctoritas *Vlpiano* ſcribitur (*z*) Scilicet cùm approbant id quod à pupillo agitur, hoc enim eſt auctorem fieri. (*a*) Alibi eſt intercedere, precibusque aliquem protegere (*b*) vel amica interpoſitione inter diſſidentes Concordiam tentare. (*c*) Denique pro ſola quoque præſentia atque notitia rei quæ geritur, aliquando poni, & abſentiæ & ignorantiæ contra diſtingui ex *Macro & Papiniano* JCtis videre eſt (*d*) quo ſenſu *Seneca* DEUM mediis noſtris cogitaonibus intervenire ſcribit: Et multæ aliæ præterea ſignificationes hujus vocis infinitis juris noſtri Locis paſſim deprehenduntur.

II. Verùm hactenus adducta & quæ ſunt ſimilia interventionum genera nunc ad nos nihil pertinent. Sed quoniam accedit frequenter, ut aliis Civile aliquod negotium tractantibus, vel in Judicio diſceptantibus intercedat tertius, jus ſuum circa illud ſartum tectumque aſſerturus, & damnum quod indè metuit remoturus, alia indè ſurgit ſpecies interventionis, JCtis non uno illuſtrata loco & præſenti diſputationi proprium argumentum præbitura. Exempli gratia. Si ſcriptus hæres, cum eo qui de inofficioſo agit, in fraudem Legatariorum transactionem agitat, hi rectè intercedent ad eam impediendam vel reſcindendam, *auctore Marciano* (*e*) Et ſi quis debitori meo, à quo debitum conſequi non poſſum, ſolvere paratus eſt, hactenus me interponam, denuntiando ne illi ſolvat, antequam mihi ſit ſatisfactum, ut propoſitâ facti ſpecie *Scævola* (*f*) oſtendit, & *alibi* (*g*) quoque traditur de creditore, cui à debitore nomen tertii debitoris oppignoratum vel in ſolutum datum eſt. Depoſiti verò reſtitutio per denunciationem ejusmodi non retardatur ob ſpecialem contractus favorem (*h*) item ſi cohæres ante exactum familiæ herciſcundæ judicium, quæ & ipſa

(*y*.) *d. l. 10. §. ult. l. 5. §. 3. jud. ſolv.* (*z*) *l. 2. de autor. tut. l. 57. §. 1. de admin. tut. Rubr. C. ſi tutor. vel cur. interv.* (*a*) *l. 3. de autor. tut.* (*b*) *l. quisquis C. ad L. Jul. Maj.* (*c*) *l. transactionem 35. C. de Transact.* (*d*) *l. 4. §. 4. ff. de Appell. l. cum creditor 3. §. 1. ff. de diſtract. pign.* (*e*) *l. à ſententia 5. §. 3. & 4. ff. de Appell.* (*f*) *l. ult. ff. de lege Commiſſ.* (*g*) *l. nomen 4. C. quæ res pign. l. 3. C. de Novat.* (*h*) *Auth. ſed jam cautum C. de depoſ. Nov. 88. C. 1. & 2.*

ipſa hæreditatis communionem dirimit (*i*) domum fundumve hæreditarium vendere aliique tradere vult, reliqui teſtato denuntiabunt emptori ne emat, niſi in omne damnum & intereſſe iis obligari malit; vel, ſi res poſtulare videatur, adito judice venditionis inhibitionem impetrabunt, quâ alienandi jus & translatio dominii uſucapiendive conditio tollitur. (*k*) Quanquam enim ſubſecutâ licèt diſtractione integrum ſit Cohæredibus partem ſuam vendicare (*l*) pretiumvé à Cohærede competentibus actionibus exigere (*m*) præſtat tamen rem in hæreditate permanere. (*n*) Similiter Creditor, ſi debitor fundum ipſi obligatum alii obligare vellet in meliorem formam ac jus prælationis inducturam (*o*) rectè ſe opponet, ne cauſa ſui pignoris deterior reddatur. Et ſi unus deſponſatorum, neglectâ fide datâ, matrimonium alibi contracturus eſt, alter ad impediendum intercedet: quæ exempla & alia his ſimilia adducit *Mindanus* (*p*) Neque aliter ſe habet in Controverſiis judicialibus. Si enim ſuſpecta ſit Legatariis colluſio inter ſcriptos hæredes & eum qui de inofficioſo agit, adeſſe etiam Legatarios & voluntatem defuncti tueri conſtitutum eſt (*q*) & legata re, ſuper qua controverſiam patitur teſtator, quoniam tum litis eventus cenſetur relictus eſſe, poterit legatarius, hæredis fidem, ſuſpectam habens, liti adeſſe ne colludatur (*r*) Sic patre poſt diſſolutum filiæ matrimonium dotem repetente, ſi illa ſe matrem familias dicat, interveniendo impetrabit, ut patri actio denegetur ita docente *Africano* (*s*) Et in executione rei inter alios judicatæ, ſi victori pignus addicendum vel res tradenda eſt, in qua mihi aliquid juris aſſero, me interponam, ut executio vel ſuſpendatur, vel in aliis rebus fiat, quæ ſine controverſia ſunt (*t*) cujusmodi alia multa interventionis exempla in LL. paſſim occurrunt & inferius elucеſcent.

(i) l. non ideo 12. C. Fam. herc. l. 3. & 8. C. Comm. utr. jud. Frantzk. ff. fam. herc. num. 24. Weſ. ff. n. ult. (k) l. 26. ff. de Contract. Empt. l. 1. C. de reb. alien. non alien. ubi Peretz. num. 7. (l.) l. 1. & 2. C. de Comm. rer. alien. l. 8. C. Comm. utr. jud. (m) v. l. 44. §. 2. ff. l. 20. C. Fam. herc. (n) l. minus 204. de R. J. ubi P. Fab. (o) ut in caſu l. Scripturas 11. C. qui pot. in pign. v. Carpzov. p. 2. Conſt. 26. def. 1. ſeqq. Dn. Struv. ad ff. Ex. 26. Th 22. (p) de Proceſſib. lib. III. c. IX. n. 1. ſeqq. (q) l. ſi. ſuſpecta 29. ff. de inoff. teſt. (r) auth. nunc. ſi hæres C. de Litig. Nov. 112. c. 1. (s) l. Titia 34. ff. Sol. Matr. (t) l. à divo. 15. §. 4. ff. de re jud. c. cum ſuper 17. X. Eod.

III. Ex allatis verò, ni fallor, apparet quid nobis interventio propriè nunc denotet. Est nimirum nihil aliud, *quàm Tertii ad negotium inter alios peragendum litemve coram Iudice motam intercessio, pro jure suo tuendo facta*, quæ definitio rem totam complecti videtur. Plerique Litis hic tantum mentionem faciunt, omnem scilicet interventionem ad sola judicia revocantes. Sed hos alteram speciem, quæ extra judicium contingit, omittere, arguit res ipsa latius se exserens. Quibus sanè hoc indulgemus, interventionem judicialem speciem efficere famosiorem, ac longè pluribus difficultatibus implicatam, propter formam atque ordinem processus, ac rerum judicatarum auctoritatem. Attamen non ideo magis excludenda est altera, quæ revera datur ac sæpissimè usu venit, neque à priore ratione originis ac formæ essentialis distinguitur.

IV. Genus ponimus intercessionem (*u*) à quo nihil abeunt, qui per interpositionem definiunt. (*x*) *Ummius* (*y*) rejecto isto genere, tanquam ad exprimendam rei naturam invalido, litis inter alios agitatæ participationem esse contendit. Sed enim interventio ad sola judicia restringenda non est, ut jam diximus, tã etsi verum est in interventione judiciali, quod ille tradit, fieri non posse, quin, quisquis interveniat, litis motæ particeps fiat, quomodocunque etiam interveniat. Intercessionem porrò istam appellant Dd. Interventionem voce non minùs ad hanc rem usitata, quàm ad exprimendam aptâ, præeunte inprimis JCto *Macro* (*z*) quem locum adeò non observavit *Ummius*, qui fatetur se non reperisse, an hoc sensu verbum interventionis in jure positum exstet. Intervenientem verò ipsum, *tertium intervenientem*, *tertium* simpliciter, *tertium oppositorem*, *tertium Contradictorem*, item *tertium adhærentem* Dd. passim nuncupant (*a*)

V. De Consortio litis hic agere nihil attinet, cùm ab interventione toto genere sit diversum. Accidit sanè in interventione, ut tertius litis fiat particeps, & ab altera parte Litigantium consistat. Verùm hoc

(*u*) *arg. l. pen. inf. ibi: neque potui Titio intercedere ff de re jud.* (*x*) *Vultej. Il. Jur. Rom. c. 1. & 30.* (*y*) *de Process. disp. XI. n. 2.* (*z*) *d. l. pen. vers. nam & si Libertas ff. de re jud.* (*a*) *v. c. veniens 38. ibi: se ipsi opposuit X. de test. c. ut circa 4. ibi: tam opponentes quàm adhærentes de Elect. in 6. Covarr. pract. quæst. 13. n. 1. Mynsing. 3. Obs. 73. n. 1. Gail 1. Obs. 70. & alii.*

hoc non fit jure communionis originariæ sive societatis causæ ex uno eodemque jure ad utrumque eorum, qui consortes dicuntur pertinentis, qualis communio demum propriè efficit consortium litis, unde & *tit C. de Consort. ejusd. lit.* in Basilicis περὶ κοινωνίας de Communione inscribitur ut docet *Cujacius* (*b*) Ita fratres Consortes sunt *Paulo JCto* (*c*) qui idem patrimonium habent. Et quod de agro aliave re Comuni extraneo, quem socius licitatione superaverit, non vendenda rescriptum est, (*d*) id alibi (*e*) ad consortes refertur, sicut & quod de Consortibus litis ob continentiã causæ ad eundem judicem mittendis, tradi solet (*f*) *Pomponius* (*g*) de pluribus cohæredibus sociisque, qui videlicet rem habent Communem, *Papinianus* (*h*) de pluribus tutoribus ob simul gestam tutelam judicio conveniendis confirmat. Indè quoque fit, ut, quod uno Consortium appellante, victoriam judicio appellationis obtentam, etiam illi proficere, qui non appellavit, rescriptum est (*i*) ita demum, *Ulpiano actore* (*k*) probandum sit, si una eademque fuit causa defensionis atque una eademque condemnatio. Ex quibus apparet, in omni consortio esse Communionem, quæ in interventione præcise non requiritur. Sufficit enim, quoquo modo hic versari jus tertii, sive illud cum jure litigantis cohæreat, sive aliunde ortum sit, modò ei detrimentum à lite vel negotio aliorum immineat. Poterit sanè etiam tale quid Consorti accidere, quo casu rectè se interponet pro suo jure. Verùm id tum non fiet propriè jure Consortii, sed interventionis ex Consortio natæ, quæ alioquin multo latius patet, longeque ad plures, quàm solos Consortes porrigitur.

VI. Quare neque laudatio neque nominatio, actoris confundenda sunt cum eo, quod nunc tractamus interventionis jure. Quanquam enim utraque interventioni præbeant occasionem, ab ea tamen, sicut origine, ita fine atque effectu discrepare manifestum est; quemadmodum

(*b*) *in Parat C. de Consort. ejusd. lit. n. 1. & 2. & 5. Obs. 10.* (*c*) *l. si is qui 31. §. ult. ff. de Excus.* (*d*) *l. ad officium 3. in f. C. Comm. div. ubi Perez. n. 8.* (*e*) *l. dudum 14 C. de Contrah. empt.* (*f*) *Gail. 1. Obs. 32. n. 2. Mindan. III. de Process. IV. n. 2.* (*g*) *l 1. ff. de quib. reb. ad eund. jud.* (*h*) *l. 2. d. t. l. 5. C. arb. tutel.* (*i*) *l. 1. & 2. C. si unus ex plur.* (*k*) *l. si quis 10 §. 4. de Appell. d. l. 1. & 2. l. un. C. si in communi eademque caus. ubi Cujac. in parat.*

dum & rectè à *Berlichio* (*l*) erroris arguuntur, qui laudationem ac nominationem inter se confundunt. Laudare enim auctorem *Modestino* interprete (*m*) dicitur possessor, qui suo nomine possidens, atque actione reali Conventus, litem motam ei, à quo habet possessionis Causam, denuntiat, ut in ea re agenda adsit (*n*) & possessorem defendat ejusque causam instruat. (*o*) Laudare enim priscâ linguâ est denuntiare, & nominatim appellare, ut est apud *Gellium* (*p*) unde, quod in uno loco dicitur laudare (*q*) id alibi est denuntiare (*r*) & interpellare (*s*) auctor verò dicitur, à quo quis habet causam veluti venditor & similes (*t*) qui rem alicui justa causa tradiderunt. Estque laudationis effectus, ut auctor possessori assistere, remque defendere compellatur (*u*) manente scilicet in eodem judicio possessore. Neque enim hunc liti eximere eamque in se transferre auctor poterit (*x*) At nominare dominum dicitur, qui conventus actione in rem, non se, sed alium esse possessorem contendit, quo nominato à judicio absolvitur & dominus ad rem per se vel per procuratorem defendendam evocatur (*y*) Cujus quidem juris non est ea ratio quam affert *Perotzius* (*z*) ac si nudus detentor non sit reus idoneus in vindicatione, contrarium docente *Ulpiano* [*a*] Sed ne cogatur detentor, invitus rem alienam defendere, aut tanquam se liti obtulerit, condemnationis periculum sustinere (*b*) Atque huc pertinet, quod tradit JCtus *in l. ult. ff. de re vend. In rem*, inquit, *actionem pati non compellimur, quia licet alicui dicere se non possidere*, & quod dicitur alibi: (*c*) *Invitus nemo cogitur rem defendere. Is verò* (*d*) *videtur non defendere, non tamen qui latitat, sed & is, qui præsens negat se defendere,* aut

(*l*) *1. Concl. 24. n. 140.* (*m*) *l. Herennius 63. §. 1. ff. de Evict. l. 29. §. ult. Eod. l. 1. C. de pericul. & comm.* (*n*) *l. 21. & 23. C. de Evict. c. ult. x. de Empt. & vend. Dn. Arum. ff. de Evict. & ibi all.* (*o*) *dd. ll.* (*p*) *Lib. VI. c. VI. v. Gothofr. ad l. 6. §. 5. ff de act. empt.* (*q*) *ut apud Pompom. in d. l. 6. §. 5. & in l. 7. & 14. C. de Evict.* (*r*) *l. 29. §. ult. l. 56. §. 4. & 5. & 7. ff. de Evict. l. 8. & 23. C. eod.* (*s*) *l. 21. C. d. t.* (*t*) *d. l. 6. §. 5. de act. empt. l. 13. §. 1. de acquir. poss. l. an vitium ff. de divers. & temp.* (*u*) *l. si plures 74. §. 2. ff. de Evict. Carpzov. p. 2. Const. 34. des. 40.* (*x*) *l. 1. C. ub. in rem act. l. venditor 49. ff. de judic. l. 21. C. de Evict.* (*y*) *l. 2. C. ubi in rem act. ubi Peretz. n. 3. & 4. c. quoniam frequenter. §. ult. x. ut lite non contest. Berl. 1. Concl. 24. n. 101. Struv. ff. de rei vend. Th. 9.* (*z*) *d. n. 4.* (*a*) *l. 9. in f. ff. de rei vend. Mynf. 2. Obs. 58. n. 4.* (*b*) *l. 7. l. 25. & seq. ff. de rei vend. l. 13. §. 13. ff. de hæred. petit.* (*c*) *l. 156. de R. I.* (*d*) *l. 52. d. t.*

aut non vult suscipere actionem. Ex quibus sicuti discrepantia laudationis ac nominationis elucescit, ita neutrum cum interventione idem esse, satis apparet. Laudatio enim propriè respicit favorem laudantis, ut auctor ipsi ad Evictionem obligetur. Hunc enim in finem præcipuè auctorem laudari, indè patet, quòd etiam scienti & præsenti lis denuntianda est (e) neque alias regressum propter evictionem habiturus possessor. Nominatio verò itidem nominantem judicio eximit, atque adeò fit in hujus favorem: Contra interventio solam concernit indemnitatem tertii, neque litigantibus nisi in consequentiam patrocinatur. Neque verò dum laudatur auctor, vel nominatur dominus, iis demum jus interveniendi nascitur, sed admonentur ad illud exercendum, quod jam ante habebant, & sine dubio etiã non factâ interpellatione potuissent interponere. Quo pertinet quod ab Impp. rescribitur (f) non prohiberi venditores emptoribus adesse & causam defendere. Atque illi non intercedunt jure nominationis vel laudationis, sed interventionis, quod ab illo est separatum ac tertii proprium, & cui illud velut jam præexistenti & aliundè orto fundamento innititur. Frustra enim ad defensionem causæ vocaretur auctor vel dominus, nisi defendendi jus haberet. Omissis ergò illis, ea quæ nostri sunt argumenti, ordine persequemur.

VII. Interventio originem trahit ex naturali jure, quod cuivis damni per legitimos tramites præcavendi atque avertendi facultatem concedit, nec quenquam alieno facto prægravari permittit. Meritum enim atque imputatio actionis, præsertim in oneribus ac dispendiis extendi non debet ultra eos, qui actioni dant principium & effectum. (g) Hanc regulam enuntians JCtus *Paulus* (h) ait: *factum cuique suum, non adversario nocere debet.* Et eodem sensu *Papinianus* (i) *non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.* Quare, cùm (k) naturalis simul & Civilis ratio suadeat alienam conditionem quidem etiam ignorantis & inviti nos facere posse meliorem, deteriorem

Iii non

(e) l. 55. § 1. ff. de Evict. Frantzk. ibid. n. 658. l. 53. §. 1. ff. l. 8. & 20. C. d. t. l. 1. C. de peric. & Com. Berl. 1. Concl. 24. n. 29. (f) *l. si parentes 20. C. de Evict.* (g) *Grot. II. de J. B. XXI. 12. Pufend. II. Elem. I. 6.* (h) *l. factum 155. ff. de R. J.* (i) *l. non debet 74. d. t.* (k) *l. solvendo 39. ff. de neg. gest. l. solvere 53. ff. de solut.*

non posse, mirum non est, in permultis juris Capitibus hujus regulæ vim observari. Hinc est quod, prout refert *Callistratus* (*l*) unusquisque ex suo admisso sorti subjicitur, neque alieni criminis successor constituitur, idque sæpius ita rescriptum est (*m*) & quod dicitur *in l. 1. §. ult. ff. Quod vi aut clam*, non teneri me interdicto quod vi aut clam, si cùm opus facerem, & te volentem ad prohibendum venire, deterruerit forsan aliquis, armis fortè, sine ullo dolo malo meo, ac propterea non veneris; ejus rationem hanc affert Venulejus (*n*) ne in aliena potestate sit, Conditionem meam nihil delinquentis deteriorem facere. Sic & *Cajus* JCtus in quadam eleganti facti specie ponit, & pro decisionis ratione affert, quòd non debeat alterius Collusione aut inertiâ jus alterius corrumpi (*o*) Neque aliundè descendit, quod si, deferente possessore, juravit petitor, rem suam esse, actio illi datur adversus solum deferentem ejusque successores, non verò adversus tertium, ut docent *Vlpianus & Paulus*. (*p*) Hinc neque divisio à Cohæredibus facta jus absentis imminuit, quemadmodum nec solutio transactio aut pactio (*q*) nam ante omnia advertendum est (*r*) ne conventio in alia re facta aut cum alia persona, in alia re aliave persona noceat. Quod illustri responso exemplis docent Impp. [*s*] Nec filius, inquiunt, nec quisquã alius nec litigando, nec paciscendo, nec jusjurandum citra voluntatem dominæ rei deferendo præjudicium ei facere potest. Et in genere denique dicimus, res inter alios actas vel judicatas aliis non nocere [*t*] quod pluribus exemplis ex interiore juris philosophia depromptis illustrat jam ante laudatus *Faber* [*u*] Atq; hinc etiam descendere jus interventionis, manifestum est. Nam si illa, quæ inter alios geruntur, aguntur, judicantur, non debent tertio præjudicium creare, si nemo tenetur jus suum temerè indefensum relinquere [*x*] liberum sit necesse est, tertio, eatenus negotio litique intercedere,

(*l*) *l. Crimen 26. ff. de Pœnis.* [*m*] *v. l. Sancimus 22. C. de Pœnis.* (*n*) *l. 2. ff. Quod vi aut clam.* (*o*) *l. si pariter 9. ff. de Liberali Caus.* (*p*) *l. 9. §. ult. & l. seq. ff. de jurejur.* (*q*) *l. 17. C. Fam. herc. l. 1. & seq. C. Res int. al. act.* (*r*) *l. si unus 27. §. 4. ff. de Pact.* (*s*) *l. 7. C. de reb. Cred.* (*t*) *Rubr. & tit. C. res int. al. act. l. Claudius 16. ff. Qui potior. l. 63. de Re Jud.* [*u*] *add. l. 74. & 155. de R. J. add. l. 10. de Jurejur. l. 10. de Except. l. 7. §. 2. de accus. l. 2. C. de Probat. & similia.* (*x*) *l. illud 40. pr. ff. de hæred. petit.*

re, ne quid detrimenti patiatur. Quam adeò facultatem jus Civile intervenienti concedit, demonstrantibus tot locis, quot interventionis exempla passim in jure exstant. Non immeritò itaque pro regula ponitur, quòd tertius regulariter negotio intercedere, in judicio comparere, & pro suo interesse intervenire possit. Quam unanimem & inconcussam omnium interpretum sententiam esse testatur & multis auctoritatibus probat *Ernestus Cothmannus* (y) neque opinor, quisquam est, qui id negandum credat.

VIII. Ex ea verò, quam nunc indicavimus, interventionis origine, intelligi datur, ut interventioni locus sit, ante omnia requiri, ut jus aliquod tertii in causâ versetur, atque adeò ipsius intersit, ut intercedat. Jus enim & interesse tertii solum atque unicum fundamentum est, cui omnis interventionis æquitas innititur, quo sublato, nihil causæ restat, cur quis se immiscens rei ad se non pertinenti audiri debeat, & judicium satis multis ambagibus & Calumniis jam ante obnoxium novis adhuc difficultatibus ac molestiis implicari. Atque hoc ipsum perspicuè innuunt leges, quæ de admittenda interventione statuunt. Sic enim *Marcianus* (z) à sententia inter alios lata appellari posse negat, nisi justa ex causa: ubi per causã intelligit, interesse, ut subjecta exempla docent. *Idem ICtus* (a) tertii interesse in tantum requirit, ut eos, qui, quòd ipsorũ intersit, appellant, propriam causam defendere doceat; nam si vellent causam alienam videri, semet ipsos excluderent, quia in aliena causa, ei qui judicio expertus non est, appellare non liceat. Similiter *Africanus* in jam memorata facti specie, patri dotem repetituro [*b*] denegandam esse actionem tradit, nisi probet filiam in potestate esse & ipsi consentire. Nisi enim istis probatis causa nihil attinebat ad patrem, neque jus ipsi erat, filiæ de dote agenti intercedere. Et *Imperator* Legatario, cui litis eventus est relictus, jus esse statuit causæ adesse, addita ratione: ne aliquam fortè negligentiam seu proditionem hæredi possit objicere [*c*] ex quo intervenientis interesse dilucidè apparet. Denique quod de appellantibus in genere pronuntiat

(y) *IV. Resp. IV. num. 179.* (z) *l. à sententia. 5. pr. ff. de Appell.* (a) *l. 2. §. 1. ff. Quand. appell.* (b) *l. Titia 34. ff. Sol. Matr.* (c) *N. 112. c. 1.*

tiat *Vlpianus* [*d*] Non ſolere audiri appellantes, niſi hos quorum intereſt, id ex paritate rationis ad omnem interventionem porrigendum, idque multis aliis juris textibus oſtendi poteſt. [*e*] & jure quoque Saxonico nominatim cavetur. [*f*] Quare rectiſſimè concordi omnium ſuffragio tradunt Dd. [*g*] nullam interventionem admittendam, niſi conſtet ante de jure & intereſſe tertii. Et non minùs circumſpectis cauſarum patronis quàm judicantium religioni ſedulò inculcat Gailius (*h*) ut articulos interventionales diligenter examinent, qui niſi ſint pertinentes ac relevantes, hoc eſt, jus ſingulare ac intereſſe tertii contineant, oppoſitâ exceptione impertinentiæ, vel ex officio à limine judicii erunt rejiciendi. Cujus quidem ratio, ut *Mindanus* (*i*) ait, graviſſima ac piiſſima eſt, ne feneſtra pandatur cavillationibus litigantium, quæ tot legibus repreſſæ miras per artes rurſum oriuntur.

IX. Quoniam igitur ſolum intereſſe efficit, ut admittatur tertius, neque ſine illo interventio poteſt conſiſtere, manifeſtum fit, judicem ante omnia de jure & cauſa interventionis edocendum eſſe, atque ita perſonam legitimandam, quod velut antecedens, ſi non fiat, etiam conſequens tollatur neceſſe eſt. Hinc tradunt Dd. (*k*) articulum de intereſſe præjudicialem eſſe, & ante omnia diſcutiendum, atque adeò intereſſe confeſtim in primordiis probari debere. Atque hoc manifeſtè colligitur ex jam adductis juris locis (*l*) Quantum verò temporis ad probationem iſtam concedi debeat, nullibi expreſsè definitur, atque propterea judicis arbitrio relinquendum (*m*) In qua probatione ſi defecerit tertius, ita interloquitur judex: (*n*) Daß die Intervention geſtalten Sachen nach / weil kein Intereſſe beſcheiniget / nicht ſtatt hat / von R. W. Probationem verò iſtam ſummariè &

(*d*) *l. 1. de Appell. recip.* (*e*) *v. l. ſi ſuſpecta 29. de inoff. teſt. l. ſi per luſorio 14. pr. ff. de Appell. c. veniens ibi quod ſua intererat x. de teſtib.* (*f*) Proceß und Gerichts-Ordnung. *c. 15.* (*g*) *Cothm. IV. Reſp. VI. n. 171. Mynſ. 2. Obſ. 1. n. 3. Carpz. part. 1. Conſt. 3. def. 30.* (*h*) *1. Obſ. 69.* (*i*) *III. VIII. 4.* (*k*) *Gail. 1. Obſ. 69. n. 4. Mind. III. VIII. 3. Carpz. p. 1. C. 3. def. 30.* (*l*) *d. l. 34. ibi: niſi probaret. Solut. Matrim. d. c. veniens 38. x. de teſtib. c. interpoſita. 70. x. de Appell.* (*m*) *Menoch. arb. jud. quæſt. 18. Mindan. d. l. Umm. diſp. XI. n. 6.* (*n*) *Carpz. Proc. tit. 4. art. 2. num. 38.*

& absque solenni ordine fieri debere, innuit Ulpianus *(o)* adeóque concordi Interpp. opinione traditur. *(p)* Et habet hanc rationem, ne interventio causæ principali nimium moræ facessat. Quare neque interrogatoria, exceptionesve adversus testes, neque testimoniorum disputationes & similia admitti debere, communiter placet. *(q)* Summaria enim disquisitio nudam facti veritatem respicit, posthabita solennis judicii figura, adhibitis saltem negotii substantialibus *(r)* Quod verò itidem communiter scribunt [*s*] qualemcunque probationem hic sufficere, etiam semiplenam, etiam apparentem saltem, id nullo juris textu probatur, neque indiscretè admittendum esse censeo, Sanè in textu *d. c. veniens 38. x. de testib.* testium & instrumentorum fit mentio, quæ plenam efficiunt probationem [*t*] atque his dicitur usus esse interveniens, cui congruenter *Africanus* [*u*] probationem sui juris exigit ab eo, qui intervenire cupit. At probatio est, per quam judici fit fides super re controversa. [*x*] Talis ergo probatio requiritur quæ judicem certum reddat, aut saltem dubitare probabiliter non sinat, præsertim si adversus interventionem excipiant partes. De probationibus ergo exceptione majoribus plana res est, at quantum tribuendum sit uni testi, scripturæ privatæ, aliisve indiciis ac probationibus per indirectum concludentibus, non potest simpliciter definiri. Nam si præsumptio ac suspicio calumniæ & malitiæ subest adversus tertium, evidentibus argumentis opus erit ad illam eluendam [*y*] neque enim propter suspicionem solam statim rejiciendus est, ut quidam censent, [*z*] modò illam idonea probatione tollat. [*a*] Quo toto in negotio verissimum est, id, quod de testimoniorum fide rescribit *Hadria-*

(o) l. 15. §. 4. ibi: summatim de re jud. (p) Myns. 2. Obs. 1. in fin. & alii passim. (q) Carpz. d. l. num. 42. Berlich. 1. Concl. 50. n. 50. (r) vulg. Clem. sæpe de V. S. Myns. 3. Obs. 70. Marant. Specul. part. 4. dist. 9. num. 8. seqq. (s) v. Covarr. pract. quæst. 16. n. 1. Gail. 1. Obs. 69. n. 5. Cothm. IV. Resp. IV. n. 195. Berl. 1. Concl. 25. num. 55. Carpz. p. 1. c. 3. d. 30. num. 9 (t) l. ult. C. de Probat. (u) d. l. 34. Sol. Matr. (x) Dn. Struv. ff. de Probat. Th. 2. [y] l. facta 63. §. 4 ff. ad SC. Trebell. v. l. 7. §. 12. de Pact. §. 11. & 16. J. de inut. Stip. l. 14. C. de contrah. Stip. l. 18. C. de Probat. [z] Gail. 1. Obs. 70. num. 20. Berlich. 1 Concl. 25 num. 55. [a] modo dd. ll. v. c. literas circa finem x. de restit. Spoliat. Covarr. pract. quæst. 16. num. 2. Umm. disp. XI. num. 6.

drianus [*b*] judicem omnium optimè eam æstimare posse, etiam hic attendendum esse, atque adeò multum tribuendum boni viri ac discreti judicis arbitrio, non tantum circa probationis qualitatem, sed & circa tempus ipsum intra quod fieri debet, ne tertium à defensione sui juris temerè excludat, neque tamen recipiendis frustratoriis oppositionis facilè propendeat, quemadmodum post *Felinum* aliosque tradit JCtus celeberrimus *Didacus Covarruvius*. [*c*]

X. Ex dictis Thesib. præced. judicium fieri potest de iis, qui non sponte sed à judice vocati ad interventionem accedunt, qualis est v. g. venditor, quem auctorem laudavit emptor, à quo est res vendicari cœpta, & dominus vel possessor, quem nominavit is, qui ejus nomine in possessione erat, quales etiam sunt illi, qui jus & interesse circa causam quæ judicatur, jactantes, ad jus suum prosequendum in judicium vocantur. Posse enim tale quid jactantes ad judicium vocari, ut de jure ipsorum simul cognoscatur, atque totum negotium una sententia conficiatur, vel si emanserit jactator, perpetuo silentio damnetur, *Gailius* atque alii (*d*) tradunt. Hos verò & similes intervenientes ad probationem interesse urgendos non esse censet JCtus Cameralis *Hartmannus Hartmanni* [*e*] & *Vincentius Carocius*. [*f*] Propterea quod per ipsam citationem justa causa interventionis, satis probata, ac persona ipsorum abundè legitimata censeatur. Quod quidem verum existimem, si aliundè liquido constaret, eum qui citatus est, verum esse auctorem vel possessorem, & illum, qui se jactaverit, non id per vaniloquentiam aut dolum fecisse, Quid enim, si quis falso laudaret nominaretve, aut jactatorem subornaret, ut morosum ac difficiliorem adversarium actori obtrudat, potentià aut privilegio aliquo munitum? & præterea pars adversus istam interventionem excipiat & opponat? Citatio itaque sola non legitimat intervenientem, quin potius fit ad hoc ut compareat & de suo jure doceat, sine quo judex illum non admittet. Quare neque his casibus satis rationis subesse arbitramur, cur à regula, quæ tertium nisi interesse probaverit, admitti vetat, recedamus.

XI. Pro-

[*b*] *l. 3. in f. pr. ff. de testib.* [*c*] *cit. loc.* (*d*) *Gail. 1. Obs. 70. n. 27. Covarr. pr. quæst. 13. n. ult. Mindan. III. VIII. 42. Berl. 1. Concl. 25. n. 34.* (*e*) *lit. V. obs. X. n. 2. & 3.* (*f*) *de remed. advers. sentent. Except. 69.*

XI. Probato autem in quantum sufficit, interesse, interveniens ad defensionem sui juris omnino intromittendus est, obnitentibus quamvis tam actore, quàm reo, idque liquidi probant textus in *l. à sententia 5. pr. ff. de Appell. l. principaliorem 19. C. de Liberal. Caus. & c. veniens 38. X. de testib.* ex quibus constat, etiam reclamantibus & jure suo cedentibus principalibus, tertio jus esse, ut causam suam prosequatur, quod & de jure Saxonico expresse constitutum. [g] Cujus rationem jam supra diximus ex JCto [h] qui tertium intervenientem propriam, non alienam causam defendere ostendit, quod quo minus faciat ab aliis prohiberi non debet. [i] Atque hinc est, quòd Gailio teste [k] tertius consideratur ut principalis, non verò ut procurator aut negotiorum gestor. Quare judex, probatâ interventionis causâ, posthabitis aliorum contradictionibus, ita interloquitur: Daß Kläger vel Beklagter sich auff intervenientens vorbringen / seines einwendens ohngeachtet / einzulassen schuldig / vel, daß die intervention gestalten sachen nach zulässig. (*l*) Ubi non inutiliter quæri potest, si judex intervenientem per injuriam admittat vel repellat, anne pars læsa tum appellare possit. De jure Canonico minus dubii est, siquidem ab omni interlocutione & quovis gravamine appellare isto jure licet [*m*] At jure Civili, quod Cameram Imperialem in recipiendis appellationibus sequi *Gailius* [*n*] atque *alii* [*o*] testantur, & notoria praxis docet, ideo dubitari potest, quia ab interlocutoria appellare regulariter non licet (*p*) Sententia verò super admittenda interventione vel rejicienda absque dubio interlocutoria est, quia non definit totam causam, sed fertur super articulo incidente inter principium & finem litis (*q*) Attamen quoniam interlocutoriæ, quæ gravamen continent successivum & irreparabile, aut vim habent definitivæ, quoad recipiendam appellatio-

(g) *Berlich. 1. concl. 25. n. 44.* (h) *l. 2. §. 1. ff. Quando Appell. Gail. 1. Obs. 70. n. 8.* (i) *l. 63. ibi, neque enim potui & c. ff. de re jud.* (k) *1. Obs. 70. n. 8.* (l) *text. d. c. veniens x. de test. ibi pronuntiavimus, ut se posset opponere Carpz. process. tit. IV. art. 2. num. 22. & part. 1. Const. 3. def. 30.* (m) *c. super eo 10. c. interposita 70. x. de Appell. c. 1. eod. in 6. Wesemb. parat. de Appell. n. 8.* (n) *1. Obs. 129. n. 1.* (o) *Rhoding. Pand. Cam. tit. 26. §. 4. in addit. ibique alleg.* (p) *l. 2. ff. de Appell. recip. l. 6. §. 3. C. de Appell. l. ult. C. de Sent. & Interloc. Ord. Cam. p. 2. tit. 28. Hunn. Encycl. p. 2. tit. 33. c. 9. n. 1.* (q) *l. 9. C. de sent. & interl. ubi Peretz. n. 1. Gail. 1. Obs. 129. n. 2.*

ationem jure quidem definitivarum censentur,(r) ratione verò formalium & justificandorum gravaminum inter se distinguendæ (s) videndum erit, ad quam istarum speciem in proposito casu interlocutoria referri debeat. Itaque si interloquitur judex, causam justam interventionis non subesse, vel non esse probatam, & tertium non esse admittendum, videtur sententia vim definitivæ obtinere. Per indirectum enim, dum tertium non admittit, de ipsius jure definitivè pronuntiasse censetur, & judicis officium quoad illum finitur. Tales verò ac similes interlocutiones vim definitivæ obtinent, ut Interpp. passim docent.(t) Quare interposita appellatio eodem modo valebit, ac si à definitiva appellatum esset, & adversus judicem à quo inhibitio decerni poterit, ne ultra procedat, antequam de interventione sit pronuntiatum. (u) At si tertium per interlocutoriam admittat judex, non indistinctè vim habere definitivæ videtur, sed tum demum, cùm admissio ista per se exclusionem alterius litigantium vel in totum vel ex parte inferret. Veluti si possessore defendente fundum adversus petitorem, interveniret tertius, jus possessionis & defensionis sibi in totum vel in partem asserens. Eo ipso enim dum tertius admittitur, de jure quoque litigatoris pronuntiatur, atque possessioni ipsius præjudicatur. Quod si verò ad assistendum alterutri tantummodo accederet tertius, interlocutoria sanè vim definitivæ non habet, continet tamen gravamen continuum & irreparabile. Perpetuus enim contradictor obtruditur parti, qui si semel per sententiam admissus est, per appellationem à definitiva deinceps amoveri nequit, quia sententia super admissione transivit in rem judicatam, atque indè jus parti est quæsitum (x) Quare adversus interventionem velut impertinentem in instantia appellationis excipi non posset, sed teneretur eam recipere Judex & desuper cognoscere (y) prout in terminis tradit *Referens apud Gylman-*

(r) *Ord. Cam. p. 2 tit. 28. §. ult. & tit. 29. §.* Und so von beyurtheilen *& seq.* (s) *Ord. Cam. dd. ll. Gail. 1. Obs. 130. n. 1. seqq.* [t] *Gail. 1. Obs. 30. n. 6. Marant. P. 6. tit. de Sentent. n. 42. Dn. Eric. Maurit. Cons. XX. n 17.* (u) *Recess. Imp. de Anno 1594. §.* die *inhibitiones 92. Gail. 1. Obs. 130. n. 7. & Obs. 144. Rhod. Pand. Cam. Lib. III. lit. XI. §. 9.* (x) *c. cum inter 13. x. de sent. & re jud. Gail. 1. Obs. 144. n. 6.* (y) *l. de quare 74. ff. de judic.*

mannum (z) Talis ergo interlocutoria ſimplex quidem eſt, appellabilis tamen, ob rationem, quam dixi (a) Id quod accuratè obſervandum, & in omni interlocutoria, quâ interventio admittitur vel rejicitur, probè diſcernendum utrùm habeat vim definitivæ vel ſit ſimplex. Habent enim diverſos effectus tam ratione formalium interponendæ quàm proſequendæ appellationis, ut jam oſtendimus. Præterea in ſimplici inhibitio decernenda non eſt, niſi juſtiſſima ex cauſa. (b) Cæterum & querelam nullitatis, prout res erit, aliquando hic locum habere, ex modo dictis intelligi poteſt, cui & utiliter conjungitur remedium reſtitutionis in integrum, Quæ duo, ſicut cumulari poſſunt (c) ita quoque non inconſultum erit conjungere, prout in caſu non diſſimili conſulenti reſpondit *JCtus inſignis ac Præceptor noſter Dn. Ericus Mauritius.* (d)

XII. Ut autem plenius de admittenda vel deneganda interveniendi forma ac modo cognoſcatur, videndum eſt, quale ſit illud intereſſe tertii quod requirimus, & unde generari queat. Id quod tant diligentius explicari operæ pretium eſt, quanto confuſius id alii fecerunt, licèt tota argumenti ratio, & diverſa procedendi facultas ac diſſimile intervenientium jus inde pendeat. Et mirum videri poſſet, quomodo hic verſari queat jus tertii, cùm ſuprà dixerimus, regulam eſſe juris naturalis, ne acta vel judicata inter alios, aliis noceant. Debebant itaque tuti ſatis eſſe ipſo jure, etiamſi non interveniſſent. Sed nimirum in multis contingere poteſt, ut jus tertii à validitate atque eventu negotii, quod inter alios tractatur, per neceſſariã conſequentiam dependeat, ita, ut generatio unius ſit corruptio alterius, aut ſaltem unum non poſſit expediri, quin alteri detrimentum aliquod in jure quæſito neceſſariò inferatur, ut mox apertum fiet. Unde apparet, quod ait *Sigismundus Scaccia* (e) Communem eſſe opinionem, quòd ſufficiat intereſſe, nòn modò certum & verum, ſed etiam quale quale præjudicium,

(z) *Symphor. tom. 1. part. 3. vot. 15. num. 10.* (a) *Rhoding. Pand. Cam. lib. 1. tit. XIX. in Comm. verſ. Secundò & verſ. Septimò Sigism. Scaccia in terminis de Appell. q. 17. Limn. 6. membr. 4. num. 107.* (b) *Receſſ. Imp. de Anno 1594.* §. Wann aber von gemeiner 93. *Gail. 1. Obſerv. 144. num. 4. Rhoding. Lib. III. tit. XI.* §. *10.* (c) *Mynſ. 2. Obſ. 25. Rhoding. Lib. 3. tit. XXXIV.* (d) *Conſil. VII. n. ult.* (e) *de Appell. q. 5. n. 73.*

um, & ut aliqua ſaltem ratione interſit tertii, ita temperandum eſſe, ut ad aliquam certitudinem juris omninò revocetur. nam intereſſe nimis generale non ſufficit, ut idem teſtatur *Scaccia* [*f*] quin potiùs non unam abſurditatem involveret, quod propoſito exemplo de Magiſtratu, qui litibus privatis ſubditorum, nullâ idoneâ causâ allegatâ vel probatâ ſe immiſcet, *Gailius* oſtendit (*g*) & nulli jam Limites interventioni poni poſſent, ſi quodvis etiam fictum & imaginarium intereſſe jus interveniendi daret. Quare ſicut in actione ad exhibendum definit *Neratius*, ut *Vlpianus* refert, (*h*) *non omnem cujus intereſt, ſed quem juſtam ac probabilem cauſam, judex habere arbitratus fuerit, agere poſſe*, ita etiam in interventione tenendum. Neceſſe igitur eſt, ut intereſſe non ſit fictum, frivolum, aut prætenſum, ſed verum, actu exiſtens, & in jure quodam radicatum, quod multis modis accidere poteſt. Unde meritò, quod nonnulli tradunt, non modò titulum, ſed & traditionem, ei qui interventurus eſt, probandam eſſe, tanquam regulam inanem non magnifaciendam, cenſet *Mindanus* (*i*) Non enim ſola traditio, ſed & fidejuſſio, emptio, hæreditas, pignus, poſſesſio &c. interlocutioni locum aperire queunt. Imò neque pecuniarium intereſſe ſolum, ſed quodvis aliud ſimile huc omnino pertinet, veluti jurisdictionis, ſuperioritatis, patronatus &c. Sanè ſi adhuc ſit de futuro, atque in ſpe, nondum exiſtens in jure quæſito, non valebit ad interventionem, veluti ſi quis liberaliter tranſigenti, donanti, jus ſuum remittenti, vellet intercedere ob ſpem ſucceſſionis in bona ipſius. Spes enim ſucceſſionis nondum jus hæreditarium aut dominii efficit, quod exemplum *allegato loco* profert *Mindanus*. Pariter Legatarius vel fideicommiſſarius immaturè intercederet hæredi, rem ſub conditione legatam vel fideicommiſſo obnoxiam alienanti vel oppignoranti (*k*) Jus enim Legatarii ante exiſtentem conditionem nullum eſt, nec quicquam cœptum deberi (*l*) neque ideò minus rectè dominium & jus alienandi hæredis eſſe dicitur, quod ſperatur ab eo abiturum, ut *Paulus & Pomponius* ajunt (*m*) Sicuti etiam intereſſe actu quidem

(f) ibid. n. 57. (g) 1. obſ. 125. n. 2. (h) l. 3. §. Si mecum 11. ff. ad Exhib. (i) de Proceſſib. III. VIII. n. 12. (k) l. 3. §. 3. C. Comm. de legat. (l) l. cedere diem 213. ff. de V. S. Gail. 2. Obſ. 132. n. 3. (m) l. non ideò 66. ff. de Rei vend. l. pler. 205. ff. de R. J.

dem existens, sed nulli juri innixum nihil proficit, ut argumento ejus, quod de actione ad exhibendum idem *Paulus* (*n*) disputat, intelligitur. à quo non est alienum, quod *Papinianus* respondit (*o*) dominum, qui rem vendi mandaverat, non posse procuratori denuntiare, ne tradat, sed nihilominus actionem mandati contrariam locum habituram, si quid indè Procuratori post traditionem abesset. Quamvis enim forsan interfuisset domini rem non tradi, jus tamen ipsi non erat intercedendi contra proprium factum. Neque minus huc pertinet, quod de interesse nimis generali modo dictum est.

XIII. Negotia verò aliorum, unde tertio damnum generatur, vel extra judicium fiunt, vel in judicio. Atque illa quidem minus habent difficultatis, quoniam, implorato judicis officio, tertio, qui se lædi conqueritur, statim consuli potest, inhibendo scilicet actũ, aut plenam securitatem tertio præstando: modò ut diximus, de læsione veri alicujus juris tertii ante constet. Læsio autem contingit, cùm vel jus circa rem ipsam, & actui, quem alius vult perficere, cohærens, pervertitur ac mutilatur, vel ex alio quidem principio ortum ac diversum, quoad executionem tamen sui, aliquod præjudicium patitur, Utriusque exempla allegare prævertimus *Thes. II.* ad quæ etiam referri potest, quod paulò ante de alienatione rei legatæ attulimus. Nam etsi res purè aut sub certo die legata, fidei comisso, substitutionivè supposita inutiliter alienetur, vel pignori detur (*p*) adeóque vindicatio competat legatario, attamen si alienatio vel pignoratio grave incommodum Legatario inferret, forsan quod res transfertur in potentiorem, aut alia sub Jurisdictione commorantem, vel similem ob causam, rectè se interponet, ne alienatio vel pignus contrahatur. Id quod pari ratione procedit in Edicto de alienatione judicii mutandi causa facta, quod pluribus exemplis interpretatur *Gajus* (*q*) Quid enim si res alienata fiat deinceps difficillimæ persecutionis? alienans verò non sit solvendo, aut alioqui periculum subsit ut facilè conveniri possit? Nam ne quidem adversus hæredem ista actio datur (*r*) omnibus verò modis id agit Proconsul (*s*) ne cujus deterior causa fiat ex alieno facto. Quare dubium nullum est, quin, si parùm

 præ-

(*n*) *l. pen. ff. ad Exhib.* (*o*) *l. Papinianus 14. ff. de public. in rem act.* (*p*) *d. l. 3. §. 2. C. Comm. de legat.* (*q*) *l. 3. illo tit.* (*r*) *l. 4. §. ult. d. t.* (*s*) *l. 1. ibid.*

præſidii in propoſita actione futurum animadverterit, alienationem inhibeat. Satius enim eſt, Intacta jura ſervare, quàm poſt vulneratam cauſam remedium quærere (t) Hinc etiam eſt, quod Papinianus docet, (u) quamvis ſocius ad ſarciendum damnum, quod in re communi factum ſentit, actione Communi dividundo uti poſſit, jus tamen ipſi eſſe prohibendi ne opus fiat. In his igitur & ſimilibus (x) negotiis jus tertii, quod circa rem ipſam habet, deterius reddi apparet. Sed etſi ſit ſeparatum atque aliunde deſcendens, nihilominus locum habet, interventio, veluti concludi poteſt ex eo, quod de denuntiatione debitoris debitori facienda, ne ſolvat, ſupra adduximus (y) Juxta quæ non improbabiliter dici poteſt, ſi debitor in fraudem creditorum dominia rerum alienare, dotem conſtituere, acceptilatione & Chirographi redditione debitorem liberare, vel ſimile quid machinari vellet, (z) jus eſſe creditoribus, ut intercedant ut nimirum commonefacti, qui cum fraudatore contracturi ſunt, in mala fide conſtituantur, & actione revocatoriâ conveniri poſſint, (a) vel totus Contractus ad evitandas actionis Paulinianæ ambages prohibeatur. Cui congruenter quis dixerit, quoniam, *Ulpiano auctore*, Creditores hæredis, qui damnoſam adiit hæreditatem, non poſſunt ſeparationem bonorum impetrare (b) tamen ſi dolo malo in fraudem ipſorum adierit, extra ordinem prætorem, adverſus calliditatem ejus ſubvenire convenit (c) licere creditoribus ante fraudulentam aditionem intervenire, ne adjectione novorum Creditorum onerentur. Ex quibus ac ſimilibus exemplis patet, hanc interventionis ſpeciem quàm latiſſimè diffundi, neque ex uno cauſarum genere provenire.

XIV. At in judiciali interventione præter alia ac jam dicta, ſententia quoque Judicis & rei judicatæ executio concurrunt, quæ tertium, etiamſi judicio non interfuerit, neque vocatus ſit, gravare poſſunt. Quod quemadmodũ fiat, accuratè attendendum erit. Diſtincta enim hinc naſcuntur Interventionum genera, & planè diverſa totius proceſſus

(t) *l. ult. C. in quib. Cauſ. in int. reſt. neceſſ.* (u) *l. Sabinus 28. ff. Comm. div.* (x) *v. Scotan. in proceſſ. tit. de intervent. & ſupr. Th. II.* (y) *d. Th. II* (z) *l. 1. & ſeqq. l. 14. & t. t. ff. quæ in fraud. Cred.* (a) *l. 6. §. 8. l. 10. §. 2. d. t.* (b) *l. 1. §. 2. ff. de Separat.* (c) *d. l. 1. §. quæſitum 5.*

ſus interventionalis ratio. Cujus diverſitatis fontem & originem, cùm multi non ſatis expenderent, neque ad veram juris normam interpretarentur, in tam contrarias etiam in praxi opiniones iverunt, ut quid ſequendum ſit non rarò ambigas. Sententiam igitur jus facere inter partes, dubio caret: (*d*) partes verò dicimus non modò ipſas perſonas litigantes, ſed & quæ illarum vicem ſubeunt, atque pro eadem perſona cum ipſis reputantur. (*e*) Res enim judicata, *ut Ulpianus* auctor eſt, (*f*) pro veritate accipitur, poſtquam non quæritur ultra, an quid debeatur, ſed an judicatum ſit (*g*) efficit enim hoc rerum judicatarum auctoritas, ut jus faciat; quod conſervari publicè intereſt, etiamſi Judex iniquè, per errorem, aut ambitiosè decernat (*h*) Atque hoc quidem, licèt quàm maximè obtineat inter illos, qui ſententiâ nominatim comprehenduntur; de illorum enim jure directò ſtatuitur, atque exceptio rei judicatæ generatur (*i*) ad alios tamen etiam expreſſè non comprehenſos ſententia vim atque effectum ſuum quandoque extendit, ut iis præjudiciũ faciat, vel ratione meræ alicujus præſumptionis, vel plenius ratione alicujus juris, de quo ſimul judicatum videtur, per conſequentiam etiam ad plenum effectum exceptionis rei judicatæ. Id quod iterum fit vel naturâ ac vi ipſius ſententiæ, vel propter notitiam geſtæ litis, quam habuit is cui præjudicatur; vel neutra quidem harum ratione tertio præjudicat, qui tamen damnum aliquod paſſurus eſt, quod licèt non procedat à ſententia velut à cauſa efficiente, tamen indè occaſionem ac momentum accipit. Sed & executionem rei judicatæ ſolam, non habito reſpectu ad ſententiam ipſam, cum detrimento tertii quandoque eſſe conjunctam, res ipſa docet, ut ordine oſtendemus. De Præſumptione, quod diximus, probari poteſt *ex l. ſi duo Patroni 13. ff. de jure jur.* ubi quod aſſerit *JCtus Ulpianus* de jurejurando, ad rem judicatam applicare licet, popterea, quòd autoritas rei judicatæ & vis jurisjurandi in jure notoriè comparari ſoleant. (*k*) & *in c. bonæ 33. circa fin. X. de Elect.*

(d) c. cum inter 13. circa f. X. de re jud. l. 25. ff. de Statu hom. Hotom. 6. Obſ. 23. Petr. Fab. ad l. 207. de R J. (e) v. l 4. l. 11 §. 7. & 8. ff. de Except. rei jud. Weſ. ibid. n. ult. (f) d. l. 207. de R. J. (g) l. poſt rem 56. ff. de re jud. (h) l. pen. de j. & j. l. 65. §. 2. ad Trebell (i) l. 3. & 14. pr. l. 22. ff. de Except. rei jud. (k) l. 2. ff. de jurejur. l. poſt rem 56 ff. de re jud.

lect. expreſsè traditur, præſumendum eſſe pro his, quæ à Judice acta ſunt, propter rerum judicatarum auctoritatem. atque hoc ipſum Communi omnium ſuffragio teneri ait Gailius, (*l*) quòd ſcilicet pro ſententia præſumatur, non modò quoad proceſſum, ſed & quoad juſtitiam. unde intelligitur, ſententiam quibusvis extraneis prodeſſe & præjudicare quoad aliqualem præſumptionem, quæ oritur in favorem illius pro quo lata fuit, & contra eum qui ſuccubuit, quæ aſſertio communi quoque Dd. teſtimonio roboratur. (*m*) Quantum verò iſti præſumptioni tribuendum ſit, diſcreti judicis arbitrio relinquendum eſſe, poſt alios rectè monet Covarruvius (*n*) neque enim ad exceptionem uſque rei judicatæ valet, ne quidem ſi tertius aliquam in cauſa communionem haberet, veluti exemplo compatronorum, cohæredum, ſociorum apertè conſtat (*o*) Quin nec effectum ſemiplenæ probationis ex tali præſumptione ſemper naſci adverſus *Bartolum* & alios idem *JCtus* defendit, cui non obſcurè ſuffragari videntur modò allegata jura. (*p*) Quare neque pro juſta interventionis cauſa allegari poſſe arbitramur. Eſſet enim nimis generalis & è longinquo accerſita. Ergo ſi v. g. ab uno cohæredum partem debiti pro rata petiero, alteri ſub iſto prætextu intervenire non licebit. Nam, ut ait *Macer (q)* integra ipſi defenſio eſt, etiam cùm alter condemnatur; cui conſimiliter ſcribit *Marcianus* (*r*) etiam ſine appellatione *vel interventione tutũ* eſſe. Neq; obſtat, quod appellandi jus cohæredi concedit idem *JCtus*. Poteſt enim accipi de caſu ſingulari, quo res individua à cohærede petitur, ad iſtas enim præſtandas unusquiſque cohæredem in ſolidum conveniri poteſt, & quod præſtitit, à cohæredibus pro rata repetit (*s*) vel explicari poteſt de caſu, quo præſumptio adverſus cohæredem ex ſententia eſſet urgentior & gravius onus invehens, quomodo poſt *Zaſium & Duarenum*

(l) 1. Obſ. 144. num. 7. Gabriel rubr. de Sent. concl. 4. pr. & concl. ſeqq. (m) Covarr. pr. quaſt. 13. num. 4. Hunn. Encycl. p. 2. tit. 22. c. 5. n. 5. & ibi all. (n) d. l. cui conſent. Perez. C. quib. res jud. non noc. num. 5. (o) d. l. ſi duo Patroni 13. de jurejur. l. judicata 28. pr. ff. de Exc. rei jud. l. 5. pr. ibi quamvis & ſine appellatione tuti ſint ff. de. Appell. l. 2. C. de Fide inſtr. l. 2. C. quib. res jud. non noc. ubi Perez. num. 4. l. 1. & ult. C. int. al. act. vel jud. (p) ad lit. praced. (q) l. 63. de re jud. (r) l. 5. pr. de Appellat. (s) l. 2. §. 2. de V. O. v. l. 72. ff. eod.

num interpretatur *Vmmius* (*t*) tunc ergo propter certum ac evidens intereſſe cohæredi interventio conceditur; Alioquin verò fruſtra ſe immiſcet liti, quæ ipſi damnoſa non eſt. quod & in contutoribus, pluribusve dominis, qui ſeparatim conveniuntur, & ſimilibus cauſis juris erit.

XV. Suâ verò naturâ ac propriâ vi nocet vel prodeſt ſententia aliis, quàm quos inter lata eſt, quoties lis tractatur cum Legitimo contradictore, à quo cæteri jus ſuum tanquam à fonte derivant ac recognoſcunt. Neque enim hi plus in iſto jure ſe fundare poſſunt, quàm quatenus illud exiſtit penes eum, qui illud primariò, ac principaliter habet, quantum verò habeat, per ſententiam declaratur, & quidem in univerſum, ac totum unâ vice, quoad omnes qui in iſto jure ſeſe fundant, quia deſuper pronuntiatum fuit contra illum, cui legitima, ac tota iſtius juris defenſio primariò competebat; is enim eſt, quem legitimum contradictorem appellamus (*u*) unde præjudicium vel commodum, quod ex tali ſententia quoad tertium oboritur, dicimus plenius eſſe, atque rei etiam quoad hunc judicatæ vim obtinere. Neque enim tertio, qui innititur juri legitimi contradictoris, eoque ad cauſam ſuam uti neceſſe habet, eandem quæſtionem denuò retractare licet. Exempli gratia, ſi cauſa filiationis inter patrem & filium acta fuerit apud judicem, & judex pro filio pronuntiaverit, indè infert *Julianus* (*x*) etiam fratribus conſanguineum fore, idque adeò ſimiliter in nuptiis & ſucceſſionibus procedet. Omnibus enim, qui in filiatione iſtius filii ſe fundant, ſententia vel proderit vel nocebit. Pater enim eſt legitimus contradictor, quo cum controverſiam ſopitam nemini licet retractare. Pariter, ſi ſcriptum hæredem ſuperaverit is, qui legitimam vindicabat hæreditatem, etiam Legatariis ac fidei commiſſariis nocebit ſententia, ut demonſtrat *Papinianus* (*y*) totum enim legatorum jus dependet ab inſtitutione hæredis, unde vires capit teſtamentum (*z*) quæ an rectè ſe habeat vel non, inter ſcriptum & legitimum hæredem diſquiri debet. Cui quidem quæſtioni hodie locus tantũ foret, ſi ex alio Capite, quàm injuſta præteritione, vel exhæredatio-

(*t*) *Diſp. XIX. n* 52 (*u*) *l. 1. C. de Ingen. manumiſſ.* (*x*) *l. 1. §. ult. & ll. ſeqq. ff. de agnoſc. lib.* (*y*) *l. ſi ſuperatus 3. ff. de Pignor.* (*z*) *§ 34. I. de Legat.*

tione liberorum, vel parentum, testamenti jus impugnatur. his enim casibus annullata institutione cætera servantur. (*a*) Sic & qui ingenuus judicatus est justo contradictore, quoad omnes ingenuitatis effectus ratione aliarum quoque personarum pro tali haberi, ex *l. ingenum 25. ff. de Statu hom.* eruditè demonstrat *Petrus Faber.* (*b*) Et separato matrimonio Liberi post sententiam concepti pro illegitimis quoad omnia habebuntur (*c*) omne enim jus legitimæ nativitatis à matrimonio dependet. (*d*) Et matre ob crimen suppositi partus damnatâ, actiones hæreditariæ, auctore *Vlpiano* puero denegantur (*e*) omniaque perinde habenda, ac si hæres scriptus non fuisset. Simile est, si fundus adjecto pacto Legis Commissoriæ vectigalis constitutus, à possessore pignori datus sit, deinde cùm in legem commissum esset, ac pronuntiatum, fundum secundùm Legem domini esse; nam etiam pignoris jus eâdem sententiâ evanuisse *Scævola* tradit. (*f*) cujus rationem exponit *Papinianus* (*g*) quod plus habere creditor non potest, quam habet, qui pignus dedit. Ergo hypothecariâ agens, repelletur rei judicatæ exceptione, tanquam si res hypothecæ data in bonis debitoris nunquam fuisset. Eâdem ratione, si prædium locatum vel in usum fructum concessum domino fuerit evictum, eo ipso conductori & usufructuario hactenus nocebitur, ut rei usus & ususfructus juxta voluntatem ejus, qui dominus per sententiam declaratus est, finiatur. (*h*) Innitebatur enim dominio possessoris, quod cum nullum fuisse judicatum est adversus legitimum ac justum contradictorem, etiam quoad alios pro nullo habendum esse apparet. Quæ & similia exempla manifestum reddunt, tertio aliquando plenum præjudicium creari, propter sententiæ latæ vim & naturam ipsam. Quare idem omninò juris erit, licèt tertius litem agitari ignorarit, neque ad judicium unquam vocatus fuerit contra quam *Bartolus atque alii* sentiunt. Sufficit enim vocari illum, quem negotium principaliter concernit, neglectis aliis subsequentibus, ut docent expressi textus

(*a*) *Nov. 115. c. 3. & 4.* (*b*) *ad l. Res judicata 207. de R. I.* (*c*) *c. cum inter 2. x. Qui fil. sint Legitim.* (*d*) *§. si adversus 12. Inst. de Nupt.* (*e*) *l. 1. §. ult. de Carbon. Edict.* (*f*) *l. lex Vectigali 31. ff. de Pignor.* (*g*) *l. S. superatus. 3. §. 1. d. t.* (*h*) *l. si quis domum 9. pr. Locati.*

tus (*i*) & latè probat *Covarruvias* (*k*) confutatis aliorum opinionibus, qui diversum sentiunt, & ratione præjudicii generandi, inter tertium scientem litem geri, & ignorantem, noxio errore distinguunt. Neq; enim in modò adductis & similibus casibus scientia vel patientia tertii sed ipsius sententiæ efficacia operatur, ut noceat iis, quibus jure nocere debet. Atque hoc fit, sicuti dictum est, quando legitimus contradictor causam defendit. Ex quo sequitur, licèt de jure principali, cui innititur tertius, inter alios fuerit judicio disceptatum, sed non cum legitimo contradictore, nihil indè neque damni neque emolumenti tertio provenire. Atque h. e. quod monet *Callistratus* (*l*) cum, non justo contradictore, quis ingenuus est pronuntiatus, perinde inefficax esse decretum, ac si nulla res judicata intervenisset; ac proinde patronus eam cognitionem exercere non prohibebitur (*m*) Et si agente Legatario testamentum ruptum irritum aut non justum dicatur, ac propterea legatarius fuerit superatus, collegatariis præjudiciũ nullum fieri *Vlpianus* respondet (*n*) Nimirum in quæstione rupti vel vitiati testamenti legitimus contradictor non est legatarius, licèt in consequentiam dum petit legatum, de viribus testamenti esset quæsitum. Quod si in judicio fuerit quidem legitimus Contradictor, sed causam non defenderit, & in contumaciam se condemnari passus fuerit, sententia non nocebit tertio. Præsumitur enim magis de jure litigantis, quam justitia totius causæ esse pronuntiatum, (*o*) atque ideo sententiam (quoad alios) jus non facere disertè scribit JCtus (*p*) Quare Judicem his casibus admodum cautum & circumspectum esse vult *Vlpianus* (*q*) in concipienda sententiæ formula, ne ratione aliorum præjudicium involvat, sed solum contumacem comprehendat. Cujus subtilissimum responsum, sicuti totum hunc locum

LII egre-

i *l. ex contractu. 44. ff. de re jud. l. 1. §. denuntiari autem. ff. de Ventr. inspic. l. si patroni. 55. §. actiones. 5. ff. ad Trebell.* k *pract. quæst. 13. n. 5. & 6. v. Bachov. ad Treutl. 11. XXIII. V. e. verb. etsi hoc scivissent.* l *l. 3. ff. de Collus. deteg.* m *l. 1. ff. si ingen. ess. dic. l. 1. C. de Ingen. manum.* n *l. 1 ff. de Except. rei jud.* o *Gothofr. ad l. qui repudiantis 17. §. 1. verb. fieri. ff. de inoff. test.* p *d. l. 17. §. 1. l. si prolusorio. 14. §. ult. ff. de Appell.* q *l. Divi fratres. 27. §. 1. ff. de Liberali causa.*

egregiè illustrant sæpius à nobis laudati *Covarruvias* (r) & *Petrus Faber.* (s)

XVI. Aliquando verò non propriâ vi, sed ratione scientiæ tantùm sententia tertio nocet; quandoque verò ejus naturæ est, ut nec scienti quidem obsit, quem locum ex professo tractat *Macer in l. 63. ff. de re judic.* Prius ut fiat, duo conjunctim requiri ex d. l. colligitur, I. ut agatur per alium de jure quod tertius ab illo velut ab auctore suo consecutus est. II. ut primaria defensio istius juris nunc ad tertium spectet, atque proinde is agentem prohibere possit ne agat vel ulterius procedat, id quod ex priori membro consequitur. Si enim jus in tertium transtulit, defensio ejus primaria tanquam rei propriæ ipsi competat, necesse est. Ista verò duo conjunctim & simul requiri, exemplo duorum petitorum diverso & separato jure vindicantium, *Macer* apertè docet, subjectis rationibus. Nam ideò sententiam adversus alterum latam, alteri non nocere ait, quia 1. non nititur jure ab altero accepto, sed separato & aliundè quæsito, adeoque 2. alteri non potuit intercedere, quo minus suo jure utatur. Quæ duo capita prorsus conjungenda atque ad unum redigenda sunt, ut rectissimè post *Carolum Molinæum* tradit *Covarruvias* (t) ita ut planè erronea sit eorum sententia qui ista separanda censent, duas exceptiones à regula, quòd res inter alios judicata aliis non nocet, constituunt, propter textum *cap. per x. de re jud.* qui ad normam & mentem *ICti in d. l. 63. de Re jud.* ceu ad fontem omninò reducendus est. Id quod ulteriùs & indè apparet, quòd posito uno membro, sed negato altero minimè consequeretur effectus iste, ut sententia tertio scienti præjudicet. Nam si aliquis rem agendo vel defendendo in judicium deducit, cujus mihi jus primarium vel æquè principale assero, quamvis sciam litem tractari, tamen nihil præjudicii patior, quoniam causam non habeo ab eo, qui judicio disceptat, quod exemplo cohæredis & competitoris JCtum demonstrasse diximus. Nam & si quis offerret se vindicanti rem, quam, non ex persona defensoris, possideo, atque ad me pertinere dico, isque, me non nominato succumberet, dominium atque possessio mea

r *pract. quæst. 13. n. 5. & c. 14. n. 1. & 2.* s *ad l. res judicata 207. de R. I.* t *d. q. 13. n. 7. & seq.*

mea non intervertuntur, ſed novo judicio adverſus me opus eſt (*u*) quam ſententiam communem eſſe poſt *Mynſingerum* teſtatur *Vmmius* (*x*) quod cur minus in poſſeſſore, dominove ſciente, quàm ignorante procedat, nihil cauſæ eſt. Atque neceſſariam iſtam prædictorum cohærentiam tam JCtus *Macer*, quàm *Pontifex* ulterius innuere ſatis videntur, dum ajunt: *Si quis ſequentem agere patiatur.* Sequens enim ille non eſt quivis alius, ſed auctor à quo tertius cauſam habet, quod accuratè ſignificat JCtus ſubjectis exemplis creditoris, mariti, emptoris &c. quæ omnia intra terminos hujus explicationis exactè conſiſtunt. Ratio verò, cur tertius, ob ſcientiam rei, quamvis inter alios judicatæ, exceptione lædatur, conſiſtit in patientia, quam adhibuit tractationi litis. Iſta enim pro ratificatione valet, tanquam ſi ex voluntate ejus actum ſit de jure ad ipſum principaliter ſpectante. Debuiſſet enim intercedere, & agentem vel defendentem repellere, atque ſui juris tuitione ipſe defungi, quod ipſi utique licuiſſet (*y*) Ex his facilè eſt videre, quando ſententia juxta mentem JCti, neque ſcientibus obſit. Scilicet quando cauſam habent ſeparatam, neque ab eo, qui vicit vel victus eſt provenientem, quod exempla tum in *d. l. 63.* tum alibi (*z*) poſita explanant: intelligitur enim tum alia perſona atque alia res eſſe, (*a*) id quod multo magis dicendum erit, ſi non idem genere, ſed diverſum jus circa rem intendant. (*b*)

XVII. Planum itaque eſt, quando ſententia ratione ſcientiæ tertio noceat, quod juxta paulò antè dicta exemplis aliquot JCtum illuſtraſſe diximus, quæ quidem quantum ad maritum & emptorem ſatis expedita ſunt & plana. In utrumque enim transfertur rei dominium (*c*) aut ſaltem uſucapiendi conditio (*d*) unde manifeſtum eſt, defenſionem ſuper jure dominii ipſis primariò competere. Sed quæ

u *l. 7. ff. de rei vend. l. 13. §. 14. ff. de hered. pet.* x *Mynſ. ad c. quoniam n. 43. x. ut lit. non Conteſt. Vmm. diſp. XI. n. 42.* y *text. in d. l. 63. de re jud. ubi Goth. verb. Maritus.* z *l. ſi pariter 9. §. 2. l. duobus 30. ff. de Liberal. Cauſ.* a *l. 22. de Except. rei jud.* b *v. l. 3. §. Pomponius 12. ff. ad Exhib. l. 8. §. 2. ff. de Liberal. Cauſ. Peretz. C. quib. res jud. non nocet & ibi all.* c *§. 41. Inſt. de rer. diviſ. l. 18. §. 1. ſol. Matr. cum ſimil.* d *l. 3. §. 1. ff. de Publician. t. t. pro dol. & pro emptor.*

de creditore & liberto afferuntur, non nihil difficultatis habent, cùm regulæ præfatæ non satis convenire, imò eam convellere potius quàm confirmare videantnr, Dicitur enim si libertus meus, me interveniente, Servus alterius judicatus fuerit, mihi præjudicari, ratione nimirum Juris patronatus. At enim nullum præjudicium indè timere debebam, quonium servo defensio libertatis principaliter competit (e) neque causam juris Patronatus ego à servo accepi. Manumissio enim à me facta efficit, ut meus sit libertus. Sed nimirum ideò Patrono præjudicari ait JCtus, quòd illo interveniente, hoc est, servum defendente, & Causam juris Patronatus interveniendo prosequente, servus alterius pronuntiatus, atque ita simul de jure Patroni cognitio suscepta erat. Non itaque scientia patroni sola, sed simul facta interventio & instituta defensio sui juris, ac simultanea decisio causæ præjudicabant patrono, quæ explicatio istius textus à *Covarruvia & Peretzio* allata (e) longè convenientior est illâ *Mindani* rationem decidendi ad connexitatem causæ referentis (f) Omissâ itaque interventione sententia Patrono non nocuisset, quemadmodum in casu non dissimili sententiam adversus Subditum aut Vasallum alicujus latam super subjectione & superioritate, domino, quamvis scienti non nocere Dd. unanimiter tradunt (g) id quod Pontifex quoque non obscurè confirmat (h) Neque verò hoc fit, ut *Gailius* (i) videtur sentire, speciali aliqua ratione, sed quia jus dominii directi & superioritatis minimè à Vasallo & subdito dependent. Tuitio enim & protectio subditorum & Custodia totius territorii spectat ad officium domini (k) Ergo etiam subditus super illo litigando domino præjudicium facere nequit, propter regulam, quæ rem inter alios actam alii non nocere definit, quam in terminis ad propositum casum allegat Pontifex (l) juxta quæ sententiam contra præsentatum, electum vel institutum latam minimè præjudicare præsentanti, eligenti,

e *Covarr. pr. q. 13. num. 9. Peretz. C. quib. res jud. non noc. num. 9.*
f *III. VIII. 7.* g *Covarr. d. l. Gail. 1. Obs. 70. num. ult. Cothman. IV. Resp. IV. num. 183. Peretz. C. d. l. n. ult.* h *c. cum super. 17. X. de re jud.*
i *d. Obs. 70. n. ult.* k *Reink. de R. S. & E. I. V. IV. 61.* l *d. c. 17.*

ti, constituenti, solidè evincit *Covarruvias.* (m) Præsentans enim non nactus est jus præsentandi ab eo qui præsentatus est. Atque hic, licèt præsentationem sui ipsius in judicio defendere possit, non tamen ideo de toto jure præsentantis disceptare poterit, neque hoc illi permissum censeri potest.

XVIII. Exemplum Creditoris quod attinet, duplici ratione & sensu planè diverso id proponitur. Florentina enim lectio ita habet: *Veluti si creditor experiri passus sit debitorem* (sive agendo, sive defendendo) de proprietate pignoris. quam & probant Basilica, teste Cujacio (n) atque ita ponit exemplum in Creditore, cui nocet sententia lata adversus debitorem, quem scivit & passus est de dominio rei oppignoratæ causam agere. Vulgaris verò & Haloandri Codex habet ita: *Veluti si debitor creditorem experiri passus sit.* Sensum priorem penitus invertens, dum loquitur de debitore, cui præjudicatur sententiâ adversus Creditorem lata, quem super dominio pignoris litigare passus est. Utrumque cùm satis subtiliter expendisset *Covarruvias* (o) sensum priorem ac literam Florentinam tandem sequitur cum Peretzio (p) Molinæo, aliisque quos ipse citat. Id quod est contra Communem opinionem multorum, quibus lectio vulgaris & posterior sensus magis arridet. Et sanè non desunt prægnantes rationes pro Communi opinione. Inter quas urgentissima est, quod dominium pignoris manet penes debitorem, & plenos post se trahit effectus. Sustinet enim periculum & Commodum rei oppignoratæ (q) & retinet liberrimum alienandi jus solvo jure pignoris (r) unde etiam consequi videtur, si super dominio pignoris quæstio movetur, primariam defensionem omnino debitori non Creditori competere neque posse debitorem à Creditore prohiberi, quo minus suo jure utatur. Ergò juxta regulam in *l. 63. de Re jud.* sententia Creditori noxia esse non debet. Id quod in terminis præterea probare videtur

m *pract. quæst. 14. n. 1. & 2.* n *12. Obs. 25.* o *d. l. n. 7. p. d. l. n. 7. add. Bacchov. de pignor. Lib. 3. c. 15. num. 1. Mindan. III. VIII. 6. & 7. Vmm. disp. 13 n. 52.* q *l. 21. §. 2. ff. de Pignor. l. 9. C. de Pignor. act.* r *l. si debitor 12. C. de distract. pign. l. distractus 14. C. de Pign. Bacch. de Pignor. Lib. III. c. I. num. 2.*

Papinianus in l. si superatus. 3. ff. de Pignor. Sed vice versa, si debitor pateretur Creditorem de proprietate pignoris experiri, sententiam ipsi obfuturam dicendum esset. His tamen non attentis Florentina lectio, quam *Covarruvias* defendit, verior, & regulæ *d. l. 63.* magis consentanea est. Etenim certissimi juris est, creditori defensionem rei in pignus datæ primariò quoad jus pignoris competere, neque posse à debitore prohiberi, quo minus illo utatur. Hic verò arcto nexu cohæret quæstio dominii, saltem quoad certiorem victoriam. Nam quamvis creditor necesse non habeat juxta naturam actionis hypothecariæ probare dominium debitoris (*s*) hoc tamen solum procedit, quando quæstio vertitur inter creditorem & illum qui causam habet à debitore. Hoc enim casu sufficit probasse, rem cùm pignori daretur, in bonis debitoris fuisse. Nam sicut debitor non potest referre quæstionem dominii, aut allegare, rem fuisse alienam, (*t*) ita nec ille, qui eam à debitore accepit, cùm non aliter transeat in accipientem quàm cum sua causa. (*u*) Idem est, si lis esset cum illo, qui non justo titulo possidet; atque debitore publicianâ agente succumberet. Sic enim Creditorem tuetur Prætor per Servianam, quemadmodum debitorem per publicianam (*x*) quare si tertius proprio jure rem à Creditore vindicaret, aut Creditor adversus titulo possidentem servianâ intenderet, satis elucet, quæstionem dominii defensioni pignoris omninò cohærere; ab ejus enim jure tum jus quoque pignoris dependet. Creditor ergò, quia à debitore jus pignoris accepit, omninò quoque accepisse censendus est jus de dominio disceptandi, quatenus sine illo jus pignoris exerceri nequit. Imò si quis tertius rem pignori datam vendicare vult, creditorem, non debitorem conveni re debere expresè *Javolenus* tradit. (*y*) Unde corruit ratio pro contrario exemplo allata, de jure defendendi rem ad debitorem spectante. Ex quibus apparet, si debitor ageret de proprietate pignoris, susci-

s *l. 3. pr. l. 15. §. 1. ff. de Pign. Gail. 2. Obs. 26. Bacchov. de Pign. Lib. III. c. XI. n. 2.* t *l. Rem alienam. 41. ff. de Pign. act. Bach. d. l. Vinn. ad §. 7. I. de act. n. 3.* u *d. l. 12. C. de distr. Pign. l. 1. §. 2. ff. l. 14. C. de Pignorib.* x *l. si ab eo 18. ff. de Pignor. Vinn. ad d. §. 7. n. 4. I. de Act.* y *l. servi nomine. 16. ff. de usuc. v. l. 9. in f. ff. de Rei Vend.*

cipere eum defensionem & actionem quæ aliquomodo & certo casu ad creditorem spectat, & quam hic ab illo accepit. Quare mirum non est, si conniveret Creditor, ipsi præjudicium generari, juxta regulam à JCto traditam; debuerat enim intercedere agenti debitori ratione pignoris, neque ipsi soli committere defensionem dominii, quod memoratis casibus est totum pignoris fundamentum. Ignoranti verò Creditori nullum præjudicium imminere indè colligitur, quod ratione solius scientiæ & patientiæ, non verò naturâ suâ sententia ipsi obest, quod apertè tradunt JCti nostri (z) Quare neque obstabit supra *d. l. 3. ff. de Pignor.* quam, nihil vetat, ad Casum ignorantiæ referre, vel de hypotheca in specie dicta accipere, in qua non idem juris esse facile concesserim, cùm non æquè possessio hypothecæ, sicut pignoris, in creditorem transferatur. (*a*) neque adversus vindicantem primaria defensio ad eum spectat, sicuti in pignore diximus. Ex hactenus allatis ergò percipi datur, sententiam adversus Creditorem, super proprietate pignoris propriè dicti litigantem, latam, debitori quamvis scienti non nocere, quod & notat *Covarruvias* (*b*) & contra *Zasium* post *Duarenum* defendit *Ummius* (*c*) at contra, si feratur contra debitorem, non ignorante, sed admonito Creditore, super dicta proprietate litigantem, Creditori obfuturam. Quæ paulo prolixius annotare visum fuit, ut de veritate regulæ *d. l. 63. de re jud.* traditæ, & de vero difficilioris hujus exempli abstruso sensu luculentius constaret. Circa quæ non abs re fuerit observare monitum *Gailii* (*d*) atque aliorum, ut quando ratione scientiæ alicui sententia nocere potest, eum de lite certiorem reddant, vel implorato Judicis officio citari curent, ne ille ignorantiam prætendere queat, & de suo jure cognitionem subire cogatur. Idque salutarius procedet, si de suo jure non diffidit actor vel reus; cujusmodi citationes juxta praxin Cameræ Imperialis sæpè ad litigantium Instantiam decretas esse, memorato loco *Gailius* testa-

z *l. judicatæ. 29. §. 1. ff. de Except. rei jud. l. ab executore. 4. §. 4. ff. de Appell.* a *§. Serviana. I. de act. l. 9. §. propriè. de pign. act.* b *d. l.* c *Disp. XIX. num. 52.* d *1. obs. 70. num. 27. Covarr. pr. quæst. 13. in f. Berlich. 1. conclus. XXV. num. 34. Mindan. III. VIII. 42.*

testatur. Quod verò censet *Cothmannus* (*e*) Citationem istam præcisè necessariam esse ad generandum tertio præjudicium ratione scientiæ, id neque *d. l. 63. de re jud.* neque rationi convenit. Sufficit enim tertium notitiam litis habuisse, sive eam per Citationem, sive alio modo accepisse probari queat.

XIX. Videamus nunc, quemadmodum sententia inter alios dicta tertio noceat per indirectum. Id autem fieri censetur, quando sententia tertio nocet non quidem in vim exceptionis, vel actionis rei judicatæ, sed ut antecedens quoddam, cui damnum tertii, tanquam consequens, vel cohæret, vel aliundè propter sententiam occasionem sumit. Idque multifariam accidere potest. Exemplum proponit *Marcianus* (*f*) in fide jussore venditoris. Condemnato enim emptore ad restitutionem rei evictæ, venditor, ejusque fide jussor, conveniuntur de evictione; non quidem actione rei judicatæ, quia necdum inter emptorem, & venditorem, hujusve fidejussorem, quicquam judicatum est, sed actione ex stipulatu, quæ omninò cessavisset, si emptor sententiam condemnatoriam passus non fuisset. Sed & si venditor, cui forsan pretium numeratum, vel per acceptilationem, aliove modo satisfactum jam est, antequam rem tradat, conventus & condemnatus sit, nec tamen idoneus ad refundendum pretium, apparet ex tali sententia detrimentum emptori per indirectum inferri. (*g*) Similiter, cui litis eventus fuit relictus, sententiâ adversus hæredem latâ damnum sentit, quia legatum nullum esse declaratur. (*h*) Et si is, qui jam solvendo esse desiturus est, in fraudem creditorum causam lusoriè agens amittat, aut reum absolvi patiatur, eive exceptionem præbeat, indè Creditoribus damnum creari manifestum est, atque ideò tum edicto Prætoris locum esse *Ulpianus* scribit (*i*) Huc etiam non malè refertur, si quis à subditis alienis Collectas exigeret, aliove modo, salvo quamvis jure domini, oneraret, & recusantes judicio conveniret Nam si adversus reos judicatum fuerit, sententia domino hactenus oberit, quod subditi pluribus oneribus afficiuntur, (*k*) quod ne fiat, maximè quidem ipsius interest. Idem est, si quis

e *IV. Resp. IV. n. 205.* f *l. 5. pr. ff. de Appell.* g *l. 4. §. 3. d. t.* h *N. 112. c. 1.* i *l. 3. pr. & §. 1. quæ in fraud. Cred.* k *v. Gail. 1. Obs. 124. Cothm. IV. Resp. IV.*

quis adversus privilegium domini de non evocando, appellando &c. competentem se judicem pronuntiaret. Detrahit enim sententia privilegio per consequentiam, licèt de toto ejus jure controversia non agatur. Interest namque domini, id sanctissimè custodiri, adversus quod neque subditis jurisdictionem prorogare licet: (l) similia exempla ex variis causarum figuris oriri possunt.

XX. Ut accedamus propius ad interveniendi modum & rationem processus, quem valde diversum esse diximus, ex modò positis principiis diligenter inspiciendus est scopus ac finis subalternus, quē sibi proponit interventio. Indè enim dependet diversitas processus, & major minorve libertas tertii intervenientis, quod & est rei veritas, & ab omnibus uno ore adstruitur. Finis ultimus est, ut interveniens jus suum salvum conservet: Subalternus, ut alterutri litigantium adsistat, eumque defendat, vel, ut actorem reumve à lite removeat, atque excludat, ipse vicem ejus, quem amolitur, subiturus; vel denique salvâ utriusque personâ jus proprium aliquod circa istam causam prosequatur. Distincti isti fines descendunt, ac dijudicandi sunt à diversimoda qualitate juris, cui innititur tertius. Hoc enim vel cum jure litigantis ita cohæret, & cognitionem quandam habet, ita ut ab eo tanquam principaliori, de quo in judicio disquiritur, dependeat; vel ita, ut etiam quoad actionem vel defensionem desuper in judicio instituendam per se subsistat, atque sufficiat, neque opus habeat, quoad fundandum judicium, beneficio litigantis; vel denique à jure litigantium prorsus separatum atque diversum est. Posteriora duo membra adumbrare videntur Dd. quando tertium causam principaliter concernere, vel ipsius omnium maximè interesse dicunt. Prius quando interesse utriusque, tam litigantis, quàm tertii versari tradunt. Priori modo fieri ad assistendum vel adhærendum, posteriori ad submovendum, ajunt: ambiguè satis atque obscúrè, si rem ipsam rectè putaveris. Non enim semper, quando utriusque interesse in causa versatur, interventio tantùm fit ad adhærendum, quod exemplo possessoris, qui venditori de proprietate rei venditæ litiganti, intercedit, manifestè docet JCtus *in l.63. de Re Ind.* utriusque enim interest,

l *Gail. 1. Obs. 40. Dn. Struv. ff. de Iurisd. Thes. 59.*

tereſt, rem non evinci; Emptoris quidem, ne re careat; venditoris, ne de evictione conveniatur. Et tamen hoc caſu interventio fiet ad ſubmovendum, non ad adhærendum. Et vice verſa, fieri poteſt, ut magis interſit intervenientis quàm litigantis, ut in propoſito exemplo plus forſan intereſt venditoris, rem non evinci, quàm emptoris, cui præſtatione evictionis plenè conſulitur; ſicuti & fieri poteſt, ut plus interſit fidejuſſoris quàm debitoris, hunc non ſuccumbere, veluti, ſi actio mandati certas ob cauſas ceſſaret, vel inanis foret; & tamen neque venditor, neque fidejuſſor ad ſubmovendum intervenire poſſunt. Videamus igitur, quemadmodum ad rectum & genuinum hujus rei intellectum ſint explicandi Dd. & quomodo juxta diſtinctionem juris tertii, à nobis traditam, diverſi interventionis fines indè promanent, & quinam ſingulis interventionibus conveniant.

XXI. Quando itaque intereſſe tertii cohæret juri litigantis, vel indè conſequentiam trahit, jus verò litigantis eſt illud, de quo primaria in judicio quæſtio eſt, & cujus actio vel defenſio ad litigantem propriè, non ad intervenientem ſpectat, apparet, tertium, qui admitti ad cauſam deſiderat, principalem litigantem è judicio ſubmovere nequaquam poſſe, ſed hactenus admittendum eſſe, ut cauſæ ejus, unde intereſſe ipſius dependet, adhæreat, eamque inſtruat & defendat. Ratio eſt, quoniam de jure, cujus vigore fit interventio, nulla in judicio controverſia agitur, atque ideò tertius admittitur non directò, ſed per interpoſitionem litigantis, ad cujus defenſionem interventio collimat. Quare neque tertius tunc conſiderari ſolet in proceſſu, ut tertius litigans, ſed adjungitur illi, cui adhæret, idque formulis ſententiarum ita obſervari, teſtis eſt *Carpzovius* (m) in Sachen N.N. Klägern/ und N.N. intervenienten an einem/ und N.N. Beklagten andern Theils. vel N.N. Klägern an einem/ und N.N. Beklagten/ und N.N. intervenienten andern Theils. Exempla interventionis ad adhærendum paſſim obvia & ſuprà memorata ſunt. Legatarius cui litis eventus relictus eſt, hæredi adhærere interveniendo tenetur, non enim ſubmovere eundem poteſt. Hæres enim ſuccedit ad inſtanti-

am,

m *In Proceſſ. tit. 4. art. 2. n. 1. ſeqq.*

am, (*n*) non legatarius. Ergo & hæredi causæ defensio competit principaliter. quare legatarius expresse dicitur posse *litis participem fieri* (*o*) *& liti adesse*. (*p*) Idem juris est in legatariis, motâ super hæreditate quæstione, pro jure legati, intervenientibus. [*q*] Sic venditor emptori, à quo res vendicari cœpta est, & fidejussores, mandatores &c. debitori convento per interventionem adhærent. Idem judicium est de similibus. [*r*]

XXII. Ex his videre est, si jus tertii & interesse litigantis habent quandam connexitatem & consequentiam, sed causæ, cui interceditur, defensio primariò spectat ad intervenientem, qui obtinet partes legitimi ac justi contradictoris, non teneri illum adhærere litiganti, sed posse eum interveniendo removere, ut ipse tertius causam principalem agat. Ratio est, quia tunc tertius non indiget mediatione litigantis, sed nititur proprio jure ad fundandum judicium. Nam quoties de jure, quod ad aliquem spectat, in judicio lis oritur, neminem ante dominium id defendere vel prosequi posse certum est, quare simul atque is supervenerit, reliqui removendi erunt. Atque hoc apertè docet JCtus, *in sæpe d. l. 63. de re jud.* exemplo mariti, emptoris, & similium, qualis est is cui res in solutum vel ob transactionem data est. Nam si super dominio talis rei lis moveatur, vel alius in istâ re aliquid juris, veluti usumfructum, possessionem, Emphyteusin &c. sibi arrogaret. Nam utriusque quidem interest rem non evinci, possessoris ne rem omittat, actoris, ne de evictione conveniatur (*s*) sed quoniam possessor rem defendere primariò debet & potest (*t*) auctorem verò defendere videt, poterit intercedere, & ne ulterius procedatur, impedire (*u*) atque tum ipse poterit novo initio integram causæ defensionem

n *l. si is qui 34. de judic. l. 58. de c. & a. Gail. 1. Obs. 37. num. 8.* o *N. 112. c. 1.* p *auth. nunc si hæres C. de Litig.* q *l. si suspecta 29. ibi: adesse etiam ff. de inoff.* r *v. l. 4. & 5. ff. de Appell. l. 2. C. de legat. l. 28. ff. de donat. l. 2. §. 7. & 16. ff. l. 2. C. de hæred. vel act. vend.* s *v. l. 4. & 29. C. de Evict. l. 1. C. ubi in rem act. l. 33. C. de Transact. l. 57. & 66. §. ult. ff. de Evict. Dn. Struv. ib. Th. 20.* t *l. 1. & 2. C. ubi in rem act. l. 1. C. Quib. res jud. non noc. l. 7. C. de reb. Cred. Vasq. 2. ill. 23. n. 12.* u *Covarr. pr. quæst. 14. n. 3. in f. Gylm. symph. tom. 1. p. 3. vot. 15.*

nemo rdiri. Neque enim præjudicant intervenienti quæ hactenus ipso inscio nec mandante aut ratihabente, actitata fuere. (x) Huc & referri potest, si is, qui nomen ex causa venditionis, vel simili, cessit, illud exigere vellet. Quamvis enim directæ actiones penes cedentem nihilominus maneant (y) cessionarius tamen illo potior est, atque ideo interveniendo cedentem submovere poterit (z) Atque hanc interventionis speciem propriè loquendo ad excludendum vel submovendum fieri dicemus, propterea quòd unus litigantium è judicio submovetur per tertium, qui ipse subit locum principalis, cui tamen ille, qui submovetur, propter interesse suum poterit adhærere, ejusque causam instruere, si ita videatur.

XXIII. Quod si verò jus tertii separatum est, neque per consequentiam connexum cum jure partis, scilicet, quia neutrum ab altero dependet, apparet, nulli litigantium adhærere intervenientem posse, quia neutrius victoria ipsi quicquam profutura est, & habet jus per se subsistens & sufficiens, quod in judicium deducat. Quare hoc casu interventionem ad submovendum vel excludendum alterutrum ex litigantibus, vel utrumque fieri vulgariter tradunt. Id quod tamen demum verum est, si tertius eandem in individuo actionem vel defensionem sibi competere contendat, quâ utitur litigans. Hoc enim casu interventione admissâ, illum cujus jus ad se pertinere tertius probavit, litem omittere debere manifestum est, salvis scilicet iis, quæ ob malè inchoatum litigium ab illo præstari debent (a) Exemplum hujusmodi interventionis exhibet *Africanus* (b) in patre, cui post dissolutum filiæ matrimonium de dote acturo filia intercedit, actionem sibi, non patri competere contendens, quo probato, patri actionem denegandam JCtus scribit. Simile exemplum desumi potest à Colono, depositario, Commodatario, &c. qui rem adversus vindicantem proprio nomine defendunt. defensio enim spectat ad possessorem,

quo

x *v. all. ad lit. t.* y *l. 3. C. de Navat. l. 7. & 8. C. de hæred. vend. l. ult. C. Quand. fisc. vel princ.* (z) *l. procuratore. 51. ff. de procur. l. sicum emptore. 16. ff. de Part. d. l. 3. C. de Novat. l. 4. C. Quæ res pign.* a *l. 15. qui se obtulit. 25. ff. de Rei Vend. v. Covarr. pr. quæst. 14. num. 3. vers. Hactenus.* b *l. Titia. 34. ff. sol. matr.*

quo interveniente reliquos recedere oportet. (c) Idem dicendum, si quis in subditos alterius jurisdictionem territorialem vel simplicem affectaret. Dominus enim interveniens removeret subditos, cùm ipsi soli competat jus superioritatis defendere. (d) Quod si verò non ipsissima numero actio vel defensio, quâ utitur pars litigans, ad tertium spectaret, interventio propriè loquendo ad submovendum fieri non potest, ne quidem si tale jus urgeret tertius, quod jus partis ultimò & finaliter excluderet. Docet hoc apertè JCtus (e) exemplo duorum petitorum, qui rem jure dominii in solidum vindicant. Nam si uterque nititur jure proprio, ex diversis principiis orto, e. g. si primus agat jure dominii hæreditate quæsiti, interveniens ut Legatarius, vel aliis modis, non poterit interveniens removere petitorem, quia illum prohibere nequit, quo minus suo jure utatur, utut totâ causâ tandem discussâ ac finitâ jus alterius prævalere necesse sit, cùm fieri nequeat, ut uterque in solidum sit dominus [f] idem in judicio universali, quo duo à possessore vindicant hæreditatem, actor fortè ab intestato, tertius ex testamento, pro positis passim elegantibus exemplis (g) observare licebit. Quibus casibus, quoniam cursum judicii sistere, atque agentes removere tertius nequit, cautione ipsi consulendum esse tradunt (h) ita si Emphyteuta utili vendicatione vel creditor hypothecariâ adversus possessorem rei emphyteuticæ agerent, mox dominus commissum prædium & exstinctam Emphyteusin allegans, (i) directo judicio interveniret, neutrum priorum à lite removere posset, quanquam jus domini eò tendit, ut, si obtinuerit illi à suo jure cadant. Quod si jus tertii non esset incompatibile cum jure partis, adhuc manifestius est, neutrum submoveri posse. Veluti si reo ad forum incompetens evocato vel ibi comparente, aut per arrestum detento interve-

 niat

c *l. 2. C. ubi in rem act.* d *v. Thes. XVII. Gail. 1. obs. 126. num. 2.* e *l. 63. de Re jud. l. 15. à quo 57. ff. de rei Vend.* f *l. 5. §. ult. ff. Commod.* g *v. l. pen. ff. de hered. petit. l. filius. 17. ff. de injust. rupt. test. l. si patroni. 55. §. actiones. 5. ff. ad SCt. Trebell.* h *d. l. 57. de rei Vend. d. l. pen. ff. de her. pet.* i *juxta l. 31. ff. de Pign. l. 2. C. de jure Emphyt.*

niat magistratus, opponendo privilegium ratione suæ jurisdictionis & causam ad forum suum remitti debere contendat. Idem est in creditote, qui aliis creditoribus adversus debitorem vel possessores pignorum agentibus intervenit, ut salvo aliorum jure ratione sui ordinis ac prioritatis audiatur, (*k*) His sanè casibus, & si qui occurrunt similes, interventio non fiet, nisi ad hunc finem, ut salvo aliorum, si quod habent jure, ipse interveniens jus suum proprium prosequatur. Quem finem interventionis dari perspexit quoque *Mindanus III. IX. 32.* & *Vmmius*, (*l*) sed in explicatione angustè nimis versans. Unde intelligi datur, quando Dd. has quoque species interventionum ad submovendum fieri tradunt, eos admodum ambiguè loqui, & exaudiendos tantummodo esse de pleniore libertate & opponendi jure, quod habet omnis interveniens, qui litiganti adhærere non tenetur, atque adeò iis, de quibus ultimo loco diximus, quoque competit, ut infra demonstrabitur. Omnis enim interveniens, qui non tenetur adhærere, consideratur ut tertius litigans principalis, atque ideo in ipsum quoque sententiam concipi tradunt *Practici commentatores* (*m*) cujusmodi formulas recenset *Carpzovius* (*n*) **in Sachen an** N. N. **Klägern an einem** N. N. **Beklagten am andern / und** N. N. intervenien**ten dritten Theil**. Si cum solo actore vel reo negotium habet tertius talis formula est? **In Sachen** N. **Klägers an einem / und** N. intervenien**ten andern Theils:** vel, **Beklagten an einem / und** N. intervenien**ten andern Theils.** Neque enim nomen actoris vel rei assumere debet tertius, ne oriatur personarum confusio & semper sciri possit, quas partes unaquæque persona in judicio obtineat.

XXIV. Ex iis, quæ de effectu sententiæ ratione tertii, ac diverso hujus jure hactenus dicta fuerunt, duo arbitror manifesta fieri. I. Quando interventio admittenda sit in judicio vel non. II. Quid propriè intendere tertius, & qualem sibi finem proponere debeat, quod utrumque non satis distinctè proponunt Dd, Prius toties locum habebit, quoties

k *v. l. Claudius. 16. ff. l. 6. C. Qui pot. in pign. l. 6. & 7. C de obl. & act. l. 1. & 3. C. si. antiq. Cred. pign. Vend.* l *Disp. XI. num. 13.* m *Gail. 1. obs. 122. inf. Berlich. 1. Concl. 25. inf.* n *process. tit. 4. artic. 2. num. 4. seqq.*

ties causa inter aliquos vertens tertio aliquâ ratione, sive suâ naturâ, sive propter scientiam, sive denique per consequentiam necessariam detrimentum afferre potest. Id quod etiam tum fieri censetur, quando jus tertii separarum est à jure litigantis, modò tamen ipsi damnosum sit, sententiam inter alios dici, vel dictam executioni mandari, quod multis exemplis paulò antè demonstravimus. Itaque, quando *Gailius* (o) atque alii (p) articulos interventionales tum demum pertinentes esse scribunt, si jus tertiæ personæ idem sit cum jure, quod deductum est per principalem, impertinentes, si jus separatum & alienum à jure principalis in judicium deducto contineant, id nimis generaliter dictum, & tantùm de interventione, quæ ad adhærendum fit, intelligi debere, apparet. Ea enim vix est, ut sine aliqua affinitate causæ contingat; Sicuti vice versa, quando negant *Berlichius* (q) & *Cothmannus* (r) interventioni locum esse, si jus tertii non sit exclusivum juris adversarii, vel nisi habeat jus potentius, quàm quod à principalibus in judicium deductum est, de sola interventione, quæ ad submovendos litigantes spectat, exaudiendi sunt. Nunquam enim, qui adhæret, jus, propter quod vult admitti, in modum exceptionis vel exclusionis adversario opponere potest, & absurdum utique foret, si v. g. fidejussor ad dependendum principalem propter fidejussionem interveniens, tanquam exceptionem ad victoriam causæ opponere vellet, quòd fidejusserit; quemadmodum nec repellendus propterea est ab interventione fidejussor, quia principalis primas obtinet in defensione causæ, licèt verissimum sit, quod propterea ad submovendum principalem intercedere nequeat. Pertinentia igitur atque impertinentia articulorum interventionalium semper dijudicanda est à damno, quod tertius, ratione causæ inter alios actæ, in jure quæsito sentire potest, sive jus tertii litigantibus cohæreat sive non, sive sit idem sive diversum, sive exclusivum alterius, sive stare cum illo possit. Fines porrò interventionis diversi à diverso interventientium jure descendunt; sed illos parùm accuratè Dd. observasse ac tradidisse apparet. *Gailius* [s] triplicem finem proponit, 1. ad impediendum vel removendum agentem, 2. ad assistendum alterutri. 3. ad

o *1. obs. 69. n. 2.* p *Vmm. disp. XI. n. 5. inf.* q *1. Concl. 25. n. 53. & ibi all.* r *IV. Resp. IV. n. 173. ibique all.* s *1. Obs. 70. n. 19.*

3. ad impediendam executionem. Verùm ultimus hic finis à reliquis re vera distinctus non est, cùm tam ille, qui assistit, quàm qui submovere intendit, etiam post rem judicatam vigore sui juris intercedere, & exceptiones justas, si quas habet, allegando, executionem impedire queat. Ergò interventio ad impediendam executionem peculiarem à reliquis speciem non constituit, neque ab illa ad jus intervenientis quoad procedendi rationem argumentum duci potest, quod tamen fieri debet in singulis diversis speciebus interventionis, ut mox apparebit. *Mindanus* (*t*) quem plerique sequuntur, duplicem tantùm finem statuit, ad adhærendum & submovendum; sed utrumque æstimat à connexitate vel separatione juris, quod inter tertium & litigantem intercedit. Illo casu ad assistendum interventio fieri illi dicitur, hoc, ad submovendum. Verùm hoc perpetuum non esse, & solam istam connexitatem atque affinitatem causæ non sufficere ad constituendam diversam interventionis naturam, sed respiciendum insuper esse ad jus primariæ defensionis vel actionis super causa quæ disceptatur, multis exemplis probavimus. Quare nec sibi constat modò laudatus auctor in applicandis interventionum exemplis. Legatarium enim, si de hæredis collusione suspicetur, intervenire posse ad submovendum hæredem, & fidejussorem submovere posse debitorem colludentem cum creditore, asserit, quod utrumque falsum esse non dubito. Primaria enim causæ defensio hæredi & debitori competit, qui minimè desistere tenentur ob suspicionem ab interveniente allegatam. Atque utut maximè tanta foret suspicio, ut ad evitandam collusionem intervenienti causa committenda videatur, jus tamen tertii ac processus ad normam adhærentis, non submoventis, vel separato aliquo jure intercedentis instituendus ac dirigendus esset. Tertius enim his casibus admitti nequit; nisi per interpositionem litigantis, neque ideò aliam, quàm adhærentis, personam sustinere.

XXV. Explicatâ ac solidè perceptâ interventionis divisione, facilè erit, reliqua, quæ processum spectant, inoffenso pede percurrere. Summa enim totius rei in eo consistit, quòd tertius adhærens vel assistens litem in illo statu assumere tenetur, in quo reperitur tempore interventionis

t *III. VIII. 6.*

tionis: ille verò, qui ad excludendum litigantes, vel jus ſeparatum proſequendum intercedit, litem in prædicto ſtatu aſſumere non cogitur, ſed poteſt omnia ab initio repetere, perinde ac ſi nulla lis adhuc mota fuiſſet. Hanc diſtinctionem caput eſſe totius proceſſus interventionalis omnes Interpp. unanimiter confirmant, ex qua videntur facilè diſſolvi poſſe, ſi quæ ratione tertii, quantum illi liceat vel non, dubitationes oriuntur. Sed quoniam ſæpè caſus dubii occurrunt, utriusque militantibus Dd. ſententiis, potiſſima capita attingere viſum eſt; Ac primò quidem videbimus, quid juris ſit in prima inſtantia, deinde in Appellatione, poſtremò poſt rem judicatam in impedienda executione, paucis, de perſonis, quæ intervenire poſſunt, ac de cauſis, quæ interventionem admittunt, præmiſſis. Perſonas quod attinet, omnes rectè interveniunt, cujuscunque ſint ſexus, ſtatus vel conditionis, modò intereſſe aliquod juſtum allegare & probare poſſint, juxta ea, quæ ſupra tractata ſunt, & legitimam perſonam vel per ſe, vel per procuratorem, in judicio ſtandi habeant. (*u*) Ratio eſt in generali æquitate interventionis, quæ ad omnes ſeſe extendit. Quare etiam tutoribus, Procuratoribus, ac ſimilibus perſonis nomine pupillorum & dominorum intervenire licebit. Id quod rectiſſimè extendit *Mindanus (x) & Vmmius (y)* ad perſonas conjunctas, quæ ſine mandato agere poſſunt, veluti parentes, fratres, affines, &c, (*z*) Hi enim ſicuti actionem inſtituere, ita etiam pro iisdem intervenire poterunt, præſtitâ ſcilicet idoneâ cautione de rato aut judicato ſolvendo (*a*) quæ tamen cautio vel interventio principali non nocebit, niſi mandato vel rati habitione accedente, (*b*) De excommunicato & bannito dubitari video. *Gailius* enim (*c*) & qui eum ſequuntur (*d*) propterea ab omni interventione repellendum cenſent, quòd tertius fungatur partibus actorum, excommunicati verò & banno proſcripti agere non poſſint (*e*) ſed nimirum non ſemper loco actoris eſt interveniens, quod ſolidè adverſus Gaili-

u *Berl. 1. concl. 25. num. 4. ſeq. Vant. Rubr. quis poſſ. dic. de nullit. n. 29.*
x *III. VIII. 14. ſeqq.* y *diſput. XI. n. 4.* z *l. ſed & hæ 33. ff. de Procur.*
a *l. 12. C. de Procur. l. 2. §. 3. ff. jud. ſolv.* b *l. 1. C. quib. res jud. non noc.*
c *1. Obſ. 70. num. 5.* d *Berl. 1. Concl. 25. num. 5.* e *c. 1. de Except. in 6. c. 8. 10. 12. X. eod.*

um probat *Mindanus* [*f*] & manifestè concludi poteſt ex eo, quòd ſæpe fit interventio ad defendendum reum. Quare tunc demum excommunicatum & ſimiles perſonas ab interventione removendas eſſe apparet, cùm actori adſiſtunt, vel ipſi principaliter tanquam actores interveniunt, non etiam cùm defendunt reum, aut ipſi vices rei ſuſtinent. Defenſio enim neque excommunicatis adimenda, ipſo *Gailio* fatente [*g*] atque ita rectiſſimè poſt *Vantium* (*h*) *Vmmium* (*i*) aliosque diſtinguit *Mindanus*. (*k*)

XXVI. Eadem porrò ratio quæ omnes homines ad judicium habiles ad interventionem admittit, nullam quoque cauſam excipere patitur. Quare ſive Civilis ſit Cauſa, ſive Eccleſiaſtica, ſive feudalis, ſive matrimonialis, ſive ſummaria, ſive ordinaria, ſive petitorio, ſive poſſeſſorio agatur, interventioni locum eſſe interpp. docent (*l*) Sed & in criminali cauſa, ubi ad pœnam Sanguinis vel ſimilem, abſciſſionem fortè membri, deportationem ac proſcriptionem proceditur, ſingulari humanitatis ratione, cujusvis interventionem ad defendendam accuſati cauſam admitti placuit, ut illuſtri reſponſo *Vlpianus* affirmat (*m*) ſatis enim intereſt hominis, hominem beneficio affici, ob cognationem, quam inter illos natura conſtituit (*n*) Quare etiamſi deſiſteret ipſe reus, perire feſtinans, vel juratò omnibus exceptionibus, meritum cauſæ concernentibus renunciaret, nihilominus defenſionem tertii admittendam, modò non ad Criminis notorii ſupplicium differendum apertè tenderet, poſt *Felinum* tradit *Mindanus*. [*o*] Eundem favorem hactenus merentur cauſæ publicæ, ut quivis civis ad defenſionem earum interveniendo admitti debeat. (*p*) cujus hanc rationem affert *Paulus ICtus* [*q*] quòd reipubl. interſit, plurimos ad defendendam cauſam ſuam admitti. Quare privatum intereſſe interveniens probare tunc non tenetur, cum publico & privatū contineri, ſatis conſtet, quod *Jamblichi* verbis ita exprimit *Grotius* (*r*) Non

f *III. VIII. 40.* g *1. obſ. 9. num. 8.* h *tit. Quis poſſ. dic. de null. n. 29.* i *diſp. XI. n. 3.* k *d. l.* l *Vmm. d. l. n. 8. Berl. 1. concl. 25. n. 11.* m *l. non tantum. 6. ff. de appell. v. Berl. d. l. n. 9. Farin. pr. crim. q. 101. n. 24. in fin.* n *l. 3. de j. & j.* o *III. VIII. 25.* p *Berl. d. concl. 25. n. 10. & ibi all. arg. l. 3. §. ult. ff. de oper. nov. nunt.* q *l. 4. d. l.*

(r) *Non disjuncta est privata utilitas à publica, imò in bono communi singulare etiam continetur: Et ut animalibus cæteraque natura, ita in civitatibus in totius salute salus est partium. Et tenui republ. angustas Civium domos, quæ postquam ad magnificentiam venerit, gliscere singulos, Tacitus* ait. (s) atque hinc quoque est, quòd in publicum hostem omnis homo miles sit, auctore Tertulliano (t) & adversus publicos latrones & militiæ desertores unicuique jus pro quiete communi publicæ rationis indulserint Imperatores. (u)

XXVII. Quod autem diximus tertium adhærentem teneri litem assumere in illo statu, in quo tempore interventionis reperitur, probatur aperto textu *c. ult. X. ut lit. non Contest.* & est concors omnium doctrina. (x) Nititur verò solidâ ratione, quoniam juxta ea, quæ supra exposita sunt, alteri assistens ex persona & beneficio principalis causæ adesse permittitur, ad cujus defensionem quoniam fit interventio, non debet tertio licere, quæ ipsi principali non licuissent. Ergò cùm hic non possit pro lubitu ad initium litis retrogredi & nova impedimenta machinari, neque tertio adhærenti idem licere debet, cùm foret iniquissimum, si adversarius, qui causam semel cum legitimo contradictore inchoavit, propter interventionem adhærentis ad initium litis redire cogeretur. Hinc sequitur, quod & observandum *Gailius* inculcat, & juxta praxin Cameræ observari tradit (y) quòd tertius adhærens iisdem terminis arctatur quibus ipse principalis, ita ut termini assignati principali, etiam assignati censeantur intervenienti, quem in finem etiam tertius in sententia illi, cui adhæret, adjungitur, atque ita terminorum assignatio utrique fit expresse, prout supra annotavimus. [z] Licebit autem, tertio causam principalis omni ratione instruere, acta & actitata, Libellum vel exceptiones à principali exhibitas, item copias attestationum, peractasque probationes edi sibi, & pro justo salario describi, desiderare, probationibus, documentis, deductionibus meliori, quo potest, modo juvare ac pro-

Nnn 2 inde

r *de l. Bell. 1. IV. 4.* s *II. Ann.* t *Apologet.* u *l. 2. C. Quand. lic. unicuique &c.* x *Gail. 1. obs. 71. n. 1. Covarr. pract. quæst. 13. n. 1. Mindan. III. IX. 6. Vmm. disp. XI. num. 11. Berl.* 1. *concl. 25. num. 57.* y *1. obs. 71. num. 18.* z *Thes. XXI.*

inde defenſioni incumbere ac ipſe principalis (*a*) ſalvo tamen, ut dixi, jure terminorum, intra quos ſinguli actus judiciales exercendi ſunt. In illis verò, qui ad ſubmovendum litigantes, vel ſpeciali jure principaliter interveniunt, diverſum eſt, quia proprio jure ſubnixi, aliis adhærere, cauſamque alienam defendere non tenentur. Unde conſequens eſt, eos litem in ſtatu, in quem ab aliis deducta jam eſt, aſſumere non cogi, neque ab aliis acta his præjudicare, ſed ſui juris defenſionem aut perſecutionem ex integro ordiri poſſe, neque terminos aliis aſſignatos hos ligare. (*b*) Ubi tamen obſervandum, eos, quibus res inter alios judicatas ratione ſcientiæ nocere diximus, quanquam interveniant ad ſubmovendos litigantes, tamen, ſi litem agitari ſciverint, hactenus induere naturam adhærentium, ut, quemadmodum ſententia, ita etiam reliqui termini peracti, ipſis ob ſcientiam noceant, ne eoſdem denuò repetere queant (*c*) Quibus obſervatis etiam poſt litem conteſtatam eos rectè intercedere arbitror, ac litigantem removere, quicquid diſſentiant *Mindanus (d) atque alii.* (*e*) Nulla enim ratio habetur, quæ cogat intervenientem, alium ſui juris defenſorem ad finem usque proceſſus tolerare, ſi paratus eſt ratihabere iſta, quæ hactenus ipſo non ignorante actitata fuerunt.

XXVIII. Ex eo verò, quod tertium adhærentem litem in ſtatu, in quo verſatur, ſuſcipere teneri diximus, perſpicere eſt, interventionem in quacunque judicii parte ac termino admitti, ſive fiat ante ſive poſt litem conteſtatem, ſive in principio, ſive medio, ſive fine, idque poſt *Gailium* (*f*) *& Mindanum* (*g*) annotavit *Berlichius* (*h*) An poſt cauſæ concluſionem & ſententiam idem liceat, nonnulli dubitant, propterea quòd concluſione cauſæ omnibus allegationibus renuntiatum eſt (*i*) poſt ſententiam verò ne quidem lis ſupereſt, cui intercedi queat. Sed ne iſta quidem interventioni obſtare, modò laudati aucto-

a *Gail. d. obſ. 71. num. 15. & 16. Mindan. III. IX. 33. Rosbach. proceſſ. lit. 47. n. 17. Covarruv. pract. quæſt. 13. n. 1. inf.* b *Covarr. pract. quæſt. 14. n. 3. circa f. & n. ſeq. Berl. d. l. n. 58. Vmm. d. l. n. 12.* c *Covarr. d. n. 3. circa f. & latius quæſt. 15.* d *III. IX. 7.* e *Berl. I. Concl. 25. n. 35. Cothm. IV. Reſp. IV. n. 174.* f *1. Obſ. 70. n. 4.* g *III. IX. 4.* h *d. Concl. 25. n. 18. ſeq.* i *Gail. 1. Obſ. 107. n. 3. Vmm. diſp. XIX. n. 13.*

ctores rectè defendunt, cùm non modò post sententiam tertio appellare liceat, sed etiam post rem judicatam executionem impedire, ut inferius apparebit. Solenniter verò processum reassumere non tenetur tertius, neque adeò ad talem reassumptionem specialiter citandus est. Præterquam enim, quod reassumptio ista de jure Civili incognita & moribus multis in locis introducta est, *(k)* ut illi locus esse possit, requiritur deficere personam Judicii, in cujus locum ad processus continuationem alia vocetur *(l)* quod non fieri in Interventione omnes intelligunt. Unde cùm istæ circumstantiæ cessent in tertio interveniente, qui afficiendus non est novo onere, quod & stricti juris est, & alioquin per se ipsum protrahendis litibus valde oportunum. Qua de causa abrogandum prorsus esse JCti nonnulli suaserunt, quod sine dubio attendens *Sanctio Ratisbonensis* (*m*) citationes ad reassumendum valde restrinxit, de quo toto argumento consulendus est jam supra non sine honore nobis memoratus hujus disputationis Præses ac rerum Cameralium peritissimus *Dn. Ericus Mauritius* (*n*)

XXIX. Videamus nunc de Legitimo & Competente Interventionis judice, nam & hic dubia occurrere video, quæ potiùs à Dd. involvi, quàm extricari conqueritur *Mindanus* (*o*) Et quidem Interventionem ad continentiam causæ pertinere, vel ex solius vocabuli significatu idem rectissimè probat. Interveniens enim, quà talis, litigantibus veluti medius intercedit, & fieri non posse jam ante diximus, quin interveniens litis inter alios vertentis se participem reddat. Nam sine ista participatione ne quidem interventio erit, sed alia atque alia actio. Quod enim supra à nobis dictum est, Interventionem fieri posse jure separato nec cum litigantibus cohærente, id saltem intelligimus ratione originis ac diversimodæ qualitatis, quarum conformitas in jure litigantis & tertii non semper requiritur, non verò ratione finis executionis; Id enim in omni interventione agit tertius, ne cau-

 sa in-

k *v Berl. 1. Concl. 27. n. 1. seqq.* l *Recessus Deput. anni 1600.* §. Nachdem aber *Alvarus Valascus cons. 38.* m *Recess. Imp. de ann. 1654.* §. Damit auch zum vierdten. n *Dissert. de Citat. ad Reassum.* o *III. VIII. 38.*

ſa inter alios agitata decidatur vel executioni mandetur cum præjudicio intervenientis. Ergo datâ connexitate Cauſæ idem erit judex interventionis qui & cauſæ principalis (p) à qua ſententia inſuper apertè ſtare videtur *Cajus ICtus* (q) Cauſæ verò principalis judex eſt, ſub quo reus conventus forum ſortitur, vel ubi res ſita eſt, ut vulgò notum, (r) Ergò judex, coram quo reſpondere tenetur reus, competens erit in proceſſu interventionali. Atque hinc etiam tradit *Blumius* (s) Cameræ jurisdictionem in tertio interveniente fundari, licet alioquin forum primæ inſtantiæ ibi non ſortiatur. Atque hoc dubio caret in omni interventione, quæ fit ad hærendum. Tertius enim, ſive actori ſive reo aſſiſtat, quoniam non ex propria, ſed ex principalis litigantis perſona in judicium accedit, eique conjungitur, coram eodem judice verſari tenetur, ubi is, quem defendit. Idque dilucidè probat textus *in l. venditor 49. ff. de judic.* (t) In reliquis interventionum ſpeciebus in eandem ſententiam deſcendit *Mindanus* (u) Si enim reo tertius contradicat, meritò forum ejus ſequitur. Si verò actori vel utrique, idem juris eſſe putat ex natura reconventionis, quoniam actor, qui reum coram ejus judice convenit, eundem etiam pro legitimo judice agnoſcere tenetur adverſus omnem in eadem cauſa contra ſe intervenientem (x) Nos omninò diſtinguendum arbitramur, utrum tertius interveniat ad ſubmovendum actorem vel reum, an ſalvis illorum perſonis pro ſingulari ſuo jure ſe interponat. Hoc caſu vera eſt Mindani ſententia; operatur enim tum cauſæ continentia, ne coram alio judice de jure tertii quæratur, quàm ubi agunt litigantes. At ſi alterutrum ſubmotum eat tertius, diſtinguendum eſt inter interpoſitinem interventionis & ejusdem proſecutionem. Interponi enim debet coram judice cauſæ, hactenus idem exigente continentiâ, isque de admittenda vel rejicienda interventione cognoſcet atque decernet. Altero verò remoto coram eodem judice cauſam proſequi ter-

p *t. t. ff. de quib. reb. adeund. jud. l. nulli 10. C. de judic.* q *l. ſi pariter 9. pr. ff. de Liberal. cauſ.* r *l. 2. & 3. C. ubi in rem act.* ſ *in proceſſ. add. Gail. 1. obſ. 32. Mind. III. VIII. 1.* t *add. Gail. 1. Obſ. 71. n. 2. Mynſ. 5. Obſ. 14. & 6. Obſ. 33.* u *d. l. n. 39.* x *l. tum Papinianus 14. & auth. ſeqq. C. Quom. & quand. jud.*

tertius non tenetur, nisi forsan ratione scientiæ præjudicium ipsi generatum sit, juxta illa quæ *Thes. XXVII. inf.* exposita sunt. Nam si actoris locum subit, reus verò duobus judicibus, concurrentem jurisdictionem habentibus, Cameræ v. g. & judicio Aulico, est subjectus, vel si fuisset primò conventus in foro domicilii, intervenienti verò magis placeret forum rei sitæ, vel contrà, nihil vetat illum denuò convenire coram utro placuerit, nullâ præventione opponendâ, quoniam nihil præjudicant tertio, quæ inter alios acta fuerunt. Si verò excluso reo ipsius locum occupat, non tenebitur eodem in loco defensionem subire, sed privilegium fori allegando, ad suum judicem revocare poterit: Ratio, quia tunc ipse de novo fit reus, atque in suo foro conveniri debet. Idque ipse fatetur *Myndanus* (*y*) rem exemplis illustrans, atque ad hunc solum casum rectissimè restringit quod nimis generaliter, *à Corneo, Mynsingero* (*z*) aliisque traditur: Generaliter dicendum esse, quod in omni casu tertius interveniens principaliter pro defendendo suo jure, non autem adsistendo alteri remitti debeat ad suum judicem.

XXX. Iisdem distinctionibus utendum in judice prorogato & delegato. Licèt enim delegatio sit stricti juris, & ad causas non expressas minimè extendenda, (*a*) ea tamen, quæ necessario nexu causæ delegatæ cohærent, vi ipsius delegationis judici commissa censentur. Committens enim alteri jurisdictionem, ea quoque mandasse intelligitur, sine qua illa expediri nequit, ut *Iavolenus* definit (*b*) Atque hoc est, quod dici solet; Emergens, in incidens & connexum ejusdem cum causa principali naturæ & qualitatis esse. Idq; in specie in proposito casu confirmat *Pontifex* (*c*) *Explorati*, inquit, *juris existit, ut delegatis judicibus, quibus principale committitur, etiam accessorium committatur.* Quatenus ergo ordinarium de interventione cognoscere valere diximus, eatenus idem de delegato vel Commissario dicemus, utut mandati & delegationis tenor de interveniente specialiter nihil contineat. (*d*)

XXXI.

y *d. c. VIII. inf.* z *5. Obs. 14. & 6. Obs. 33.* a *c. 22. inf. X. de Rescript. c. 40. X. de off. deleg. Gail. 1. Obs. 35. n. 3.* b *l. ult. ff. de off. ejus cui mand. jurisd.* c *c. 21. §. Sexta nobis. & §. si verò. X. de off. deleg.* d *Mindan. d. c. VIII. n. 27. Gail. 1. obs. 70. n. 2. Carpz. p. 1. Const. 30. n. 4.*

XXXI. Quoad interventiones in summis Imperii Judiciis specialiter observandum: Quoniam, durante sacrorum dissidio, ad confirmandam Civilem Concordiam & Justitiam ab omni suspicione vindicandam pace Osnabrugensi placuit, Controversias quæ inter Romanæ religioni addictos & Augustanam Confessionem professos, pendent, per lectos ex utraque religione numero pares Judices dirimendas esse, idem quoque expressis verbis præfatæ pacis ad tertium intervenienrem porrectum (e) Quare si tertius vel principales, non sint religionis ejusdem, sed in sacris discrepent, sive partium una, sive tertius interveniens, utriusque religionis assessoribus numero paribus cognitio demandanda, salvo tamen inter ordines mediatos & immediatos, comprehensâ hactenus sub his immediatâ Imperii, nobilitate, discrimine, quoad remissionem, ad Comitia universalia in casu discrepantium Judicum. Si enim omnes litigantes sunt immediati, sive unus saltem, actor ille sit, vel reus, vel interveniens, atque in diversa abeant Assessores Evangelici & Catholici, decisio Causæ ad Comitia usque universalia quiescere jubetur. At si inter se permixta sint Judicum vota, quibusdam scilicet Evangelicis cum Catholicis sentientibus, & horum vicissim quibusdam illis suffragantibus, licèt utrinque numero paria sint vota, remissio ad Comitia cessat, negotio tunc juxta ordinationem Cameræ (f) terminando. Idem indistinctè locum habet, quotiescunque inter solos mediatos Imperii subditos Controversia peragitur. Licèt enim & tunc, si vel actor, vel tertius interveniens, parietatem judicantium utriusque religionis postulaverit, pares adhibendi sint, tamen quomodocunque paritas votorum contigerit, remissio ad Comitia locum non habet, sed juxta dispositionem ordinationis Cameralis lis sopienda est. Quæ sanctio Instrumenti pacis etiam ad Interpretationem Constitutionum & Recessuum Imperii, si quæ circa istam dubia occurrunt, pertinet, ut textus docet, eaque Ordinationi Judicii Aulici, nisi quòd unus casus ibi omittitur, (g) inserta reperitur, atque etiam procul dubio locum sibi vendicat in Commissionibus extraordinariis, &

e *Instr. Pac. art. V. §. vilitatio. 55.* f *part. 1. tit. 13.* §. Weiter ordnen 10. g *tit. 1.* §. Wir wollen auch 3. & *tit. 5.* §. Da über den Verstand 22.

& nominatione Referentium & Correferentium, quotiescunque tertius interveniens diversis ritibus sacris imbutus est, prout ipsa ordinatio non obscurè innuere videtur. (h) Cujuscunque verò generis sit interventio, & ad quemcunque effectum tendat, nihil refert. Constitutio enim generaliter de omni interveniente loquitur. Distinctio tamen Thesi præced. à nobis allata circa Interpositionem processus interventionalis, terminis habilibus, uti ibidem, positis, huc omninò repetenda est. Quod enim ibidem est mutatio jurisdictonis, id ad alios subrogandos Judices in supremis Imperii dicasterii non malè, ni fallor, transferemus.

XXXII. Si coram arbitrio res agatur, an coram eodem tertius interveniens litigare cogatur, inquiri potest: ita enim indistinctè sentit *Menochius* (i) ob eam quam diximus causæ continentiam. Et quidem in arbitris, qui verorum Judicum locum obtinent, atque necessarii vel statutarii à pragmaticis appellari solent (k) dubium nullum est, quin idem obtineat, quod de competente ordinario Judice allatum est. Nam & hi veri sunt Judices & jurisdictionem exercent. In Compromissariis verò, qui liberâ partium voluntate assumuntur, atque arbitrorum nomine propriè veniunt, distinguendum est inter tertium adhærentem & alios intervenientes: Adhærens enim arbitrium à pricipali electum sequi de jure tenetur, quia ex persona hujus etiam, coram judice, sibi aliàs non competente, litigare cogeretur. Neque enim prohibere potest principalem, quo minus causam suam propriam judicandam committat cuicunque ipsi libuerit, præsertim cum peracto compromisso, si laudum displiceat, possit ipse tertius reductionem petere, hoc est, spretâ arbitri sententiâ rem ad ordinarium causæ judicem deferre (l) non secus ac à sententia veri judicis, etiam quiescente principali, provocare potest. (m) Neque enim leges com-

Ooo pro-

h *tit. 2.* §. **Wann nicht** 7. *& tit. 4.* §. **Nicht allein** 4. i *de arbitr. jud. quæst. lib. 1. quæst. 45.* k *Mynsing. 4. obs. 64. Rhodinus. Pand. Cam. Lib. 1. tit. 35. Dn. Struv. ff. de recept. arb. Thes. 96.* l *l. 27.* §. *ult. & ll. seqq. ff. de recept. arb. Bach. ad Wes. ibid. l. 5. C. d. t. Hunn. Encycl. p. 2. t. 40. c. 8. n. 5. Gail. 1. obs. 149. Rhodinus. Lib. 1. tit. 35. in pr.* m *l. à sententia. 5. p. ff. de Appell. Gail. 1. obs. 70. n. 9.*

promisso additæ, veluti, si revisioni, reductioni, vel simili remedio partes etiam cum juramento renuntiassent, tertio officiunt. Hactenus enim, ut jus suum defendat, persona æquè principalis est, cui jus interventionis formatum & quæsitum alieno facto non debet nec potest auferri, ut rectissimè *Mindanus* docet (n) In aliis verò intervenientibus vera est ejusdem *Mindani* sententia, tertium coram arbitro compromissario Causam agere non teneri, sed posse implotato judicis officio, exposito eidem interventionis jure, si alterutrum compromittentium submovere intendat, causam ad ordinarium judicem revocare, inhibitionibus etiam, ne arbiter ulterius progrediatur, impetratis. Quod si verò neutrum excludat tertius, sed pro suo jure singulari intercedat, Compromissum directò inhiberi posse non videtur. Non enim prohibere potest tertius, quo minus illi propriâ actione utantur; & jus suum Compremisso supponant. Per indirectum verò, si rertius actionem pro suo jure coram Judice instituerit, hactenus Compromisso obstaculum ponere posset, ne laudum executioni mandetur, nisi salvo tertii jure.

XXXIII. Hactenus dicta de competente interventionis judice notabilem restrictionem patiuntur, cùm tertius idoneas recusandi judicis causas allegat. Quamvis enim litigantes ipsi in judicem consentiant, aut recusandi causas non habeant, tertius tamen coram suspecto litigare cogendus non est, idque in terminis definit *Cajus ICtus* (o) & exemplo reconvenientis; qui itidem judicem reconventionis recusare potest, (p) confirmat *Mindanus* (q) Ratio consistit in evidenti recusationis æquitate, quæ etiam ad tertium intervenientem pertinet. Nam ut ait *Pontifex*, (r) Quodammodo naturale est, suspectorum judicum insidias declinare, & inimicorum judicium semper velle refugere. Neque officit, quod à nobis dictum est, [s] non posse prohibere tertium, quo minus litigantes jus suum judicio qualicunque supponant, & sibi judicem eligant. Id enim locum habet in judicibus

n *III. VIII. 30. seqq. Gail. d. obs. 70. n. 9.* o *l. 9. pr. ff. de Liberal. caus.* p *auth. & consequenter de sent. & interloc.* q *III. VIII. 37.* r *c. quod suspecti 3. q. 5. c. 41. in f. x. de Appel. Gail. 1. Obs. 71. n. 7.* s *Thes. præc.*

cibus qui de jure inhabiles non sunt. Tales verò sunt suspecti & recusati [t] quibus illicò ligantur manus, ne ad ulteriora procedere valeant, quicquid enim egerint, ipso jure nullum est & irritum [u] Tertius autem, quoniam, ut supra [x] demonstratum est, jus proprium defendit, hactenus pro principali reputandus est, ne jus suum iniquo judici submittere compellatur. Atque hoc ipsum quoque innuere videtur præfata Constitutio Pacificationis, quæ tertio intervenienti eo de quo loquitur casu, si id petierit, judices utriusque religionis dandos esse imperat. Sive igitur ordinarius sit, sive delegatus judex, eum rectè recusabit interveniens, æquè ac ipsi litigantes. Quanquam enim sint, [y] qui ordinarium de jure Civili recusari non posse sentiunt, æquior tamen, verior, & naturali juri conformior est contraria sententia (z) quam & usu ac praxi receptam esse multi testantur (a) Quod verò tanquam singulare privilegium tertii tradit *Gailius*, (b) etiam post litis contestationem ab eo recusationem fieri posse, id rectissimè declarat *Mindanus* (c) tum demum locum habere, nisi ante litis contestationem interventio fiat. Tum enim post illam recusatio de jure cessat (d) nisi aut recusandi causæ de novo emerserint, aut serius ad notitiam recusantis pervenerint, quod juramento asserere tenetur. (e)

XXXIV. Inquirunt etiam, an Libellum exhibere, litemque contestari debeat interveniens? In quo rectè se habet distinctio Dd. (f)

 inter

t *Dn. Struv. ff. de judic. Th. X. XI.* u *text. c.41. circa finem x. de Appell. Gail. 1. Obs. 33. n. 12. Hunn. Encyclop. p. 2. tit. 35. c. 3. n. 46.* x *Th. XI.* y *Gail. 1. Obs. 1. in f. & obs. 33. n. 1. Covarr. pract. q. 26. n. 1. Mindan. III. VIII. 37.* z *l. 10. ff. l. 4. C. de jurisd. l. apertissimi l. ult. C. de judic. l. ult. C. de Sent. & Interloc. c. 61. x. de Appell. c. 4. x. de foro Comp. c. 39. x. de off. deleg.* a *quos allegat Hunn. Encycl. p. 2. tit. 35. c. 3. n. 3. & seqq. Struv. ff. de judic. Th. XI.* b *1. Obs. 71. n. 8. & obs. 72. n. 8.* c *III. VIII. 37.* d *l. Apertissi. C. de judic. l. ult. C. de Sent. & Interloc.* e *l. Iulianus 17. ff. de judic. c. insinuante 25. x. de off. deleg. c. Pastoralis 4. x. de Except. Gail. 1. Obs. 33. n. 11. Dn. Struv. d. l. Th. XI. Covarr. pract. quæst. 26. n. 2. Hunn. d. l. num. 40.* f *Gail. 1. Obs. 31. num. 9. Mindan. III. IX. 32 Vmm. Disp. XI. Th. 4. & 5.*

inter tertium adhærentem & alios, qui proprio vel ſeparato jure intercedunt. Adhærens enim tenetur cauſam ſuſcipere in eo ſtatu, in quo eſt tempore interventionis. Ergò ſi exhibitus jam eſt libellus à principale, & lis conteſtata, in iis tertius intentionem ſuam habebit fundatam. Sin minus, ſufficiet ipſum principalem libellum offerre & judicium ſuſcipere, cùm is ſolus obtineat locum juſti Contradictoris. Articulos tamen interventionales omnimodo tertius exhibere debebit *(g)* ex quibus de jure interveniendi judex certior reddatur, videatque utrùm ad probandum admitti vel rejici debeant. Reliquos verò intervenientes, quoniam hactenus in judicio actitata ipſis nihil præjudicant, & novo prorſus ac ſeparato jure interveniunt, libelli oblatione & litis conteſtatione opus habere ſatis eluceſcit. Totam enim cauſam ex integro diſceptandam ordiuntur *(h)* niſi ſorſan ratione ſcientiæ, juxta ſupra à nobis tradita *(i)* agnoſcere teneantur, quæ litigantes egerunt, quo caſu non ſecus atque adhærentes oblato libello & factæ litis conteſtationi inhærere & acquieſcere cogentur. Quod ſi in ſecunda inſtantia fiat interventio idem juris erit, exceptò ſi tertius adhærens, ceſſante nimirum principali, appellationem ipſe introducere & proſequi velit. Tum enim libellum appellationis exhibere litemque conteſtari debebit. *(k)* quia tunc ipſe loco principalis cauſam proſequitur ac deducit. Qualiter verò libellum debeat formare ejusque petitionem dirigere, videatur ſi volupe eſt, apud *Mindanum.* *(l)*

XXXV. Iisdem diſtinctionibus ad amuſſim obſervatis, inſuper habitis diverſis multorum & perplexis opinionibus, definiendum quoque eſt jus tertii circa productionem teſtium poſt publicatas atteſtationes & exhibitionem inſtrumentorum poſt concluſionem cauſæ. *(m)* Adhærens enim horum nihil poterit, propterea quod nec ipſe principalis poteſt. *(n)* Atque hoc eſt, quod ait *Gailius* *(o)* præcluſâ

g *Gail. 1. n. 9.* h *Covarr. pract. quæſt. 14. num. ult. Vmm. d. l. Th. IV.* i *Theſ. XXVI. 1. in. f.* k *Mind d. l. Ord. Cam. p. 3. tit. 32. §. 4. Cail. 1. Obſ. 70.* l *III. IX. 34.* m *v. Gail. 1. Obſ. 71. Mind. d. l. n. 8.* n *c. fraternitatis 17. & ſeq. x. de teſt. c. 39. eod. c. cum dilectus 9. x. de fide inſtrum. Gail. 1, Obſ. 107. Vmm. diſp. 19. n. 13.* o *1. Obſ. 71. n. 19.*

ſâ via principali etiam non admitti intervenientem. Neque refert, utrùm litem agitari ſciverit an ignoraverit adhærens, ut pleniſſimè contra *Bartolum* alioſque demonſtrat *Covarruvias* (*p*) Minori tamen per reſtitutionem in integrum ſubveniri poterit favore ætatis, cujus privilegii fructus etiam tum ad principalem perveniet, ſi cauſa eſt connexa & individua (*q*) in reliquis intervenientibus diverſum jus eſt: Nihil enim impediunt inter alios acta & producta, quo minus de novo cauſam ſuam probationibus inſtruere queant. Excepto ſcilicet, ſi ratione ſcientiæ alicui præjudicium generatum eſt, ut ſæpe monuimus. Ex quibus evidenter apparet, falſum eſſe, quod ſcribit *Vmmius* (*r*) ſi ad excludendum litigantes veniat tertius, indiſtinctè tenendum eſſe, ipſum etiam poſt concluſionem cauſæ admittendum eſſe, ſive ſciverit, ſive ignoraverit litem moveri, adeò ut novos articulos formare, & novam etiam probationem inſtituere poſſit. Hæc enim minimè procedunt, ſi ex ante actis & actitatis ratione ſcientiæ tertio imputari poſſit, quod alterum agere paſſus ſit & tacuerit, quod nec ipſe *Vmmius* diffitetur. (*s*)

XXXVI. An porrò Interventio proceſſum ſuſpendat, & curſum judicii remoretur, inter Dd. controverſum eſt. Ex antedictis verò facilè colligitur, quid ſit ſentiendum. De adhærente nullam quæſtionem eſſe, res ipſa docet. Tantum enim abeſt, ut proceſſum impediat, ut eum potius inſtruat. Submovens autem, quoniam alterutrum partium ab actione vel defenſione excludit, (*t*) proceſſum omninò impediet, atque ad novum initium revocabit, niſi acta ultrò ratificare malit, aut propter ſcientiam teneatur; De reliquis qui interveniunt, ſalvo jure ac perſonis litigantium, dubitatur. Caſus proponunt JCti (*u*) de pluribus rem unam diverſis titulis ab uno eodemque poſſeſſore vendicantibus. Ex iis verò apparet, neutiquam differendam eſſe litem propter oppoſitionem tertii, ſed ita definiendam atque executioni mandandam, ut interpoſitâ cautione tertio

 de

p *Pract. q. 13. n. 1. & ult.* q *arg. l. 10. ff. Quemadm. Serv. amitt. Peretz. C. ſi in comm. eademque cauſ. Covarr. pr. quæſt. 14. n. 3. Umm. Diſp. XI. n. 11. circa f.* r *d. l. n. 10. ibid. n. 11. circa f.* t *Th. XXIII.* u *l. is à quo 57. & l. ſeq. ff. de Rei. vend. l. pen. ff. de hered. petit.*

de indemnitate consulatur. Neque latet ratio. Jus enim tertii hac quidem facti specie à jure reliquorum separatum est, quare neque illi obstaculum creare debet. Atque hanc sententiam juri & æquitati maximè consentaneam contra *Bartolum* & qui eum sequuntur, optimè ac solidè propugnant *Fachinæus* (x) & *Covarruvias* (y) qui & in praxi observaram & retinendam tradit. Idque, inquit, æquitati potissimè convenit ob frequentes has oppositiones, quæ plerumque dolo, & fraude fiunt, non aliam ob causam, quam ut reus justissimam timens condemnationem diem differri velit. *Vmmius* hic subobscurus est, & duplicem decisionis nostræ exceptionem affert. I. si tertius utrumque litigantium, tam actorem, quàm reum excluderet, veluti Mevio à Sejo fundum vendicante, Sempronius interveniat, & se simul & dominum & possessorem fundi dicat. II. si jus tertii infringeret jus partis, veluti, si hærede ab intestaro petente hæreditatem eandem tertius ex testamento vindicaret. Neutrum rectè. Ex eo enim, quod terrius rei dominium & possessionem allegat, reliqui à tertio causam non habentes confestim submovendi non sunt. Neque ulla ratio apparet, cur lis inter illos cæteros suspendi debeat. Idem est, si jus tertii tolleret jus partis. Hoc enim saltem fit in intentione cùm intervenit tertius, effectu verò tum demum fit, cùm de utriusque jure constat & judicatum est. Id quod successivè fieri nihil prohibet. Quin utroque casu litem definiri, & tertio in casum victoriæ cautione prospici, ex modo dictis jurib. apparet. Planè, si causa interventionis suâ naturâ talis esset, ut, nisi illâ decisâ, principalis absque insanabili vitio ad finem perduci non posset, eousque in principali supersedendum erit, donec articulus de interventione, veluti præjudicialis, componatur. Id quod exemplo magistratus, qui ob privilegium fori aliamve justam ob causam interveniunt, judicio incompetenti, coram quo subditi illorum non jure conveniri vel agere cœperunt, declarat *Gailius* (z) interventio enim hoc casu competentiam jurisdictionis reddit controversam, sine quâ nullum judicium expediri potest. Quare quicquid paractum fuerit duran-

x *1. Contr. V.* y *pract. quæst. 14. n. 4.* z *1. obs. 126. v. Berl. 1. concl. 25. n. 6. Carpz. p. 1. const. 3. def. ult.*

durante ista contradictione, ipso jure nullum erit, & tanquam injustè attentatum, revocandum. (*a*)

XXXVII. Pergamus ad Instantiam secundam, quæ est appellationis, quam vel ipse orditur interveniens, vel ab aliis inchoatam instruit & prosequitur. Utrumque enim tertio licere certi & dubitati juris est. (*b*) quod adeò verum est, ut licèt Principales sententiæ acquiescant, appellationique renuntient, (*c*) vel aliam ob causam, veluti quia obstat rescriptum principis provocationis auxilium tollens (*d*) aut jam bis est in causa provocatum (*e*) vel similem [*f*] id tamen nihilominus queat tertius (*g*) ut autem rectiore tramite quæstionem hanc decuurramus, distinctè nobis agendum est pro diversa interventionis natura, juxta ea, quæ supra tractata sunt, & pro diverso interventionis tempore in ipsa instantia appellationis. E quibus principiis solidè licebit determinare, quæ alioquin dubiè satis ac diversimodè etiam in hoc capite à Dd. traduntur. Et quidem locum esse omni interventioni etiam in secunda instantia introducendæ, ex modò dictis apparet, & certa satis ratio confirmat, quoniam appellatio vim sententiæ totamque causam hactenus resolvit, ut ad tempus litis contestatæ reducat, atque ea, quæ licent in prima instantia, etiam tum liceant in secunda (*h*) idque in tantum verum est, ut ipsi quoque appellato interpositæ semel provocationi liceat adhærere, gravamina prioris sententiæ, cui acquieverat, allegare, & notissimo isto beneficio non deducta deducendi, & non probata probandi uti (*i*) quod & praxi Camerali convenire, *Gailius* (*k*) & *Mynsingerus* (*l*) testantur. Quando itaque tertius in secunda instantia de novo intercedit, perinde erit, ac si in prima

ma

a *Gail. d. l. v. Recess. Imp. de ann. 1654. §.* Schließlich. *123. t. t. C. si à non Comp. jud.* b *l. ab executore 4. §. 3. ff. de Appell.* c *l. à sententia. 5. pr. d. t.* d *c. super eo. 15. X. de off. deleg.* e *l. un. C. Ne lic. in una eademque caus. clem. 1. de Re jud.* f *v. Berlich. 1. concl. 25. n. 9.* g *Plenè Berl. d. l. n. 25. seq. Gail. 1. obs. 70. n. 12. seq. & obs. 72. num. 4. & 5. Cothm. IV. Resp. IV. n. 179. Myns. 1. obs. 3. num. 3. Mind. III. IX. 15. Hippol. de Marsil. singul. 295.* h *v. l. eleganter. 23. §. 1. ff. de Condict. indeb. l. 7. pr. ff. de transact. l. 14. §. de bon. libert. Gail. 1. obs. 70. num. 4.* i *l. per hanc. C. de tempor. appell. l. Ampliorem. C. de Appell.* k *1. obs. 122. n. 3.* l *2. obs. 21. Carpz. P. 1. const. 19. de. 7.*

ma intervenisset, & admissâ interventione eam prosequetur. Ac si principali adhæret, appellationis causam instruet, justificando formalia, petendo compulsoriales, extrahendo inhibitiones, deducendo ac probando gravamina, agendo denique ea, quæ ad victoriam causæ inserviunt. Quod si verò ad submovendum, vel pro speciali ac separato jure intervenerit, perinde omnia aget, ac si in prima instantia intervenisset. Id quod sibi velle censeo interpp. (*m*) quando dicunt, tertium, si appellationem ab alio interpositam prosequi vult, admittendum esse, etiamsi ipse non appellarit.

XXXVIII. Sed si in prima Instantia facta est interventio, causa verò per interpositam à principali provocationem ad judicium appellationis devoluta multi auctores [*n*] non aliter admittendum tertium arbitrantur, quàm si intra fatalia interponendæ (à die scilicet propriæ scientiæ, ut mox dicemus, numeranda) appellationi adhæserit. Id quod amplius tradit *Mindanus* [*o*] de illo quoque, qui litem geri & sententiam esse latam sciverit, licèt necdum in prima instantia intervenisset; pro qua opinione allegant textum *c. ut circa. 4. de Elect. in 6.* eamque aliquot rationibus adstruere conatur *Carpzovius.* [*p*] Fateor, non malè acturum tertium, ad multas cavillationes evitandas, ut judici à quo adhærendi propositum declaret, interpositâ etiam appellatione pro sua persona, & petitis libellis dimissoriis, non tamen si ista intermiserit, præterlapsis fatalibus ab interventione removendum. Urget enim paulò antè allata ratio de effectu appellationis à condemnato interpositæ, quæ ipso jure & virtute propriâ januam aperit iis, qui quoquo modo sententiâ gravati sunt, imò etiam ipsi appellato, ad consequenda ea quæ priùs non obtinuerat. Quemadmodum igitur huic imputari non debet, quod sententiæ acquievit, ita nec tertio debebit, cui sufficit appellatio à principali facta. Multo minus sententia gestæ litis latæque sententiæ obstat, quo minus introducatur vel urgeatur interventio in secunda instantia. Tempus enim nullibi præfixum reperitur tertio, imò ipsius arbitrii est, interventionem

nem

m *Gail. d. obs. 122. num. 1. Carpz. process. tit. 4. art. 2. n. 26.* n *Gail. & Carpz. dd. ll. & Carpz. p. 1. Const. 19. def. 11. Berl. 1. concl. 25. num. 36. & ibi all.* o *III. IX. 9. & seq.* p *process. tit. 4. art. 2. num. 26.*

nem in commodum tempus differre, modò paratus ſit, litem in illo ſtatu aſſumere, in quo eam reperit, nimirum in caſibus, quibus hoc ipſi incumbere demonſtravimus. Neque textus *d. c ut circa.* quicquam officit, imò potiùs noſtram ſententiam apertè probat. Verba enim *vel poſtmodum* ad fatalia interponendæ & ſolum decendium reſtringi non poſſe cuivis rectè expendenti apparet; idque luculentius adhuc oſtendit *Macer in l. 4. §. 3. ff. de Appell.* in emptore qui poſt interpoſitam & deductam à venditore ſive auctore appellationem adhuc admittitur ad defenſionem cauſæ, cùm auctor in eadem ſuſpectus videretur, quod ſanè intra decendium factum non eſſe perſpicuum eſt. Alii *(q)* diſtinctionem afferunt, utrùm victoria principalis plenè proſit tertio, an ſaltem aliquatenus quoad qualem qualem præſumptionem. Hoc caſu adhæſionem intra decendiũ requirunt, illo non item. Verùm neque iſta diſtinctio ullâ ratione aut lege fundatur, nec quicquam facit ad jus interveniendi exiguum an ingens intereſſe tertii verſetur, modò tale ſit ut ad interventionem valeat. Quare neceſſitatem iſtam intra decendium adhærendi commentitiam prorſus arbitramur, quam multis quoque rationibus confutavit Oldradus, cujus adeò ſententiam quàm plurimi ſequuntur, & expreſſe in ordinatione proceſſus confirmavit Elector Saxoniæ, ut refert *Matthias Berlichius. (r)*

XXXIX. Videamus, quando fieri debeat appellatio, & à quibusnam ſententiis fieri poſſit, ſi ipſe tertius interveniens, ceſſantibus nimirum principalibus, provocationem interponat. Nam & hoc tertio licere conſtat *(s)* ubi ante omnia in genere præmittendum, quòd licèt alioquin regulariter, à definitiva, vel interlocutoria vim definitivæ habente, appellans, cauſas appellationis reddere non teneatur *(t)* attamen appellatio à tertio interveniente facta recipi non debeat, niſi cauſas ſtatim in ipſa interpoſitione provocationis allegave-

q *Felin. & Mynſing. quos allegat Berl. 1. concl. 25. n. 37.* r *1. concl. 25. n. 24. ſeqq.* s *l. 4. §. 2. ſeqq. l. 5. l. 14. ff. de appell. l. 20. C. de Evict. Gail. 1. obſ. 122. Berl. d. l. n. 22. Scaccia de Appell. q. 5. n. 31. & n. 71.* t *l. 1. §. ult. & l. ſeqq. ff. de Appell. Ord. Cam. p. 2. tit. 29. §. 3. Gail. 1. obſ. 130. num. 5.*

rit, & summatim probaverit, quam sententiam apertè probat *Marcianus* (*u*) à sententia, inquit, inter alios dicta, appellari non potest, nisi ex justa causa. Et *Pontifex* (*x*) appellationem tertii tum demum admittit, quatenus constiterit, eam rationabiliter interpositam. Ratio est, quia appellatio tertii est irregularis, & ideo propter doli præsumptionem non admittenda, nisi expressâ causâ justificetur, quæ comunis est Dd. sententia. (*y* Causam verò justam intelligimus, non ut tertius specialiter alleget gravamina & articulos in quibus judex malè versatus est, dum proferret sententiam, quam emendari desiderat; prout fieri alioquin juris est in appellatione ab interlocutoria simplici (*z*) id enim maturè satis proponetur in ipsa prosecutione, sed ut ostendat, se eâ sententiâ læsum, hoc est probet suâ interesse ab illa provocari neq; eam transire in rem judicatam, Ita justam causam explicat *Marcianus d. l.* additis etiam exemplis, quæ non gravamina prioris instantiæ, sed interesse tertii demonstrant. Atque hoc ipsũ innuere puto *Vlpianum*, (*a*) quem in Decretum *Gratianus* retulit (*b*) dum appellantem audiri tradit, si ejus intersit appellari, in qua sententia quoque *Mindanum* (*c*) esse video. Ex his porrò intelligitur, si sententia plenè quidem jus faceret quoad partem, tertio autem non præjudicaret, illum quoque appellare non posse. Ita si hærede scripto non respondente causam que non agente, vel lusoriè agente, secundùm hæredem ab intestato pronuntiaverit judex, nihil hoc nocet Legatariis nec ideo minus salvas habent actiones adversus victorem, (*d*) Eâdem ratione non oberit creditori jus sui pignoris exequenti sententia adversus debitorem dicta, si collusisse debitorem cum adversario, aut non causâ cognitâ, sed præscriptione superatum esse constiterit, ut ab Antonino rescriptum est. (*e*) Ejusmodi enim sententiæ jus quidem faciunt quoad partes, non verò

u *l. à sententia. 5. ff. de Appell.* x *c. cum super 17. X. de Appell.* y *Covarr. pract. q. 15. n. 1. Gail. 1. obs. 122. n. 3. Scaccia de Appell. q. 17. Lim. 6. membr. 4. n. 106. Carpz. process. tit. 4. art. 2. n. 26.* z *c. ut debitus 19. x. de Appell. c. eod. in 6. ad Cam. p. 2. tit. 29. §. 4.* a *l. 1. ff. de Appell. recip.* b *c. non solent. 2. q. 6.* c *c. III. IX. 35.* d *l. qui repudiantis 17. & l. seq. ff. de inoff. test. l. si Servus plurium 50. §. 1. ff. de leg. 1.* e *l. Præses 5. C. de Pignor.*

verò quoad tertium, quod eruditisſimè explanat *Petrus Faber* (*f*) ſic & venditor de evictione conveniri nequit, quamvis condemnato emptore, ſi illi lis denunciata non eſt, vel emptor contumaciter abfuerit, aut per injuriam vel imprudentiam judicis victus eſt. (*g*) His ergò caſibus neque Legatariis neque creditori aut venditori à ſententia inter alios prolata appellare permittitur, quod evidenter ex modò dictis infertur, & probat *Covarruvas* (*h*) deeſt enim tum juſta appellandi cauſa, quæ in omni appellatione tertii probanda eſt. Planè ſi dubium ſit atque altioris indaginis, utrùm non obſtante ſententiâ, jus ſalvum hebeat tertius, veluti ſi de colluſione vel contumacia ſatis non conſtet, tum in dubio appellationem tertii admittendam eſſe verisſimum eſt, quem in ſenſum accipi debent textus, appellationem his caſibus tertio permittentes. (*i*)

XL. Interponenda autem erit appellatio intra decendium à tempore latæ ſententiæ, quod tempus eſſe utile ratione initii, ut non currat niſi à die ſcientiæ, continua verò ratione curſus, eſt notiſſimi & uſitati juris (*k*) ſed an computari debeat à die ſcientiæ principalis qui ſuccubuit, an ipſius tertii, qui appellat, quæſtionis eſt. Et verius eſt, ipſius tertii ſcientiam reſpiciendam eſſe, quia unicuique, cui appellandi jus eſt, decendium utile indulgetur. Tertius verò appellare poteſt non modò ex perſona condemnati, ſed ex propria, licèt ille acquieſcat aut contradicat, & quanquam aliquando ſententia tertio ex ſua natura, videlicet, quando adverſus juſtum contradictorem lata tranſiit in rem judicatam, attamen hoc verum demum eſt, quando nullo remedio attentari poteſt, quod dici nequit, dum integra eſt tertio provocatio legibus ipſi ex perſona propria indulta & conceſſa. Atque hoc in genere verum eſt, ſive ſuâ naturâ, ſive ratione ſcientiæ peractæ litis ſententia tertio noceat, ut prolixius deducit *Covarru-*

 vias,

f *ad l. 207. de Reg. jur.* g *c. ult. x. de Empt. & Vend. l. 51. ff. de Evict. l. 1. C. de Peric. & Com. Covarr. 3. var. 17.* h *pract. quæst. 5. n. 4. circa f. post Gloſſ. & Dd. in l. ab Executore 4. §. alio ff. de Appell.* i *l. 5. §. 1. l. 14. cum ſimil. ff. de Appell.* k *c. concertationi 8. de Appell. in 6. auth. hodie C. Eod. l. ab eo. C. Quom. & Quand. jud. l. 1. §. ult. ff. Quand. appel. Gail. 1. Obſ. 139. Treutl. 2. 23. 8. 6.*

vias, (*l*) & tradit *Sigism. Scaccia* (*m*) qui præterea iſtam ſcientiam tertii, cùm ſit facti alieni, à victore probandam aſſerit. Quod verò *idem Covarruvias* (*n*) cauſam venditoris à reliquis intervenientibus hactenus ſeparat, tanquam illi fatalia interponendæ provocationis à die ſcientiæ emptoris, qui condemnatus eſt, non verò propriæ, numerari debeant, parùm habet rationis. Sanè in *l. 4. & 5. de Appell.* nulla differentia inrer venditorem & Legatarios alioſque conſtituitur, ſed omnibus æquè appellandi jus tribuitur, quid vetat ergò quo minus quoque appellandi tempora æquentur? Neque verò rationes diverſitatis inter legatarios & venditorem à modo laudato auctore in medium allatæ contrarium evincunt, quod brevitatis ſtudio ulterius propterea non proſequimur, quia cuivis rectè iſta æſtimanti planum forè arbitramur.

XLI. Ex his videre eſt, tertium appellare poſſe quandoque etiam, cùm ipſe principalis non poteſt. Scilicet quando huic præterlapſa ſunt fatalia propter ſcientiam, illi non item: Et vice verſa, principalem appellare nonnumquam poſſe, licèt tertius non poſſit; nimirum quando huic nocet ſententia ex natura cauſæ, vel ratione ſcientiæ, & effluxum eſt tertio decendium propter latæ ſententiæ notitiam, quam non habuit principalis; tametſi appellante poſtmodum principali nihilominus poſſit tertius appellationi adhærere, vel ipſam proſequi etiam invito alio, & cauſam deſerente, ut *per text. l. 5. §. idem 2. ff. de Appell. rectiſſimè tradit Covarruvias* [*o*] & clariùs adhuc probatur *in l. 4. § 3. d. t.* Sed quod dictum eſt, etiamtum appellandi auxilium tertio integrum eſſe, quamvis ipſi principali obſtet reſcriptum Principis, cauſam cum clauſulâ, *remotâ appellatione* delegantis, vel trium ſententiarum conformitas, aut ſtatuti lex, quanquam ſimpliciter Dd. approbent, tamen ſi ad vera principia revocetur, ſine diſcrimine admittendum non eſt, prout idem *Covarruvias* [*p*] JCtus acutiſſimus oſtendit. Sententia enim, quæ ſuâ naturâ nocet tertio ſive ignoranti ſublato per delegationem appellandi præſidio, neque per tertium

l *Pract. quæst. 15. n. 1. & 8.* m *de Appell. quæst. 17. Lim. 6. membr. 4. n. 96.* n *d. l. n. 4.* o *d. q. 15. n. 2. in fine.* p *d. l. n. 3. & 8. add. Berl. 1. concl. 25. n. 28.*

um suspendi & impugnari potest. Censetur enim causa delegata inter actorem & justum contradictorem, à quorum fortuna meritò pendent, quicunque iis in consequentiam accedunt. Neque credibile est, mentem principis, qui provocari ab ea causa noluit, istam fuisse, ut per indirectum causa resuscitaretur ex persona tertii, ipsum condemnatum, cui appellatione interdixerat, defensuri. Idem juris est, si statuto, vel duas ob provocationes jam factas, appellatio ulterior non datur [quod tamen in Cemera Imperiali non observari notat *Gailius* [*q*] nam & tunc natura negotii appellationem non admittit, quam ipse reus principalis intra ullum diem proponere nec potuit, nec potest. At si ratione scientiæ sententia tertio nocet, neque ille litis motæ aut tertiam ad instantiam devolutæ, aut cum clausula *remotâ appellatione* delegatæ notitiam habuerit, dicendum est eum appellare posse, quamvis ipse principalis non possit. Deest enim scientia gestæ litis, quæ sola poterat efficere, ut nexu delegationis & processus illigaretur. [*r*] Idem juris est, si causa tertii esset separata à negotio principali. Nam & tunc nihil obstat, quo minus executioni sese opponat tertius pro suo jure, & si ita videatur, appellationem interponat. Isto enim casu neque delegatio causæ, neque sententia dicta jus tertii comprehendit, quare neque indè argumentum duci potest ad prohibendam appellationem. Atque is est casus qui exstat *in d. c. super eo x. de officio deleg.* ubi delegata erat causa super controverso jure præsentandi, adjectâ clausulâ de non appellando. Cujus occasione cùm turbaretur quasi possessio ejus qui habebat jus instituendi, quod cum priori nihil habet commune, neque delegatione erat comprehensum, rectè appellabat tertius. ad quam speciem facti optimè quadrat responsum Pontificis, non tertio, sed partibus, inter quas causa commissa est, appellationis remedium esse sublatum, & quod alioquin vulgariter dici solet; Rescripta principum ita esse interpretanda ne tertio noceant. (*s*)

XLII. Illud quoque non omittendum censeo, quod post *Bartolum Innocentium* monet dicto loco *Covarruvias*, & *Gailius 1. obs. 70. n. 26.*

q *1. Obs. 72. n. 3. Myns. 1. Obs. 15.* r *juxta distinctionem l. 63. de Re jud. de qua supr. Th. XV. seq.* s *l. 1. ff. de Const. Princ.*

n. 26. poſſe tertium, ſtatim atque notitiam litis adeptus eſt, proteſtatione ſibi cavere, quòd in cauſæ examinationem non conſentiat, quo ipſo præjudicium quod alioquin ratione ſcientiæ imminebat, evitatur. Id quod præcipuè conſultum eſt, ſi poſt concluſionem cauſæ litem geri reſciſcat. An porrò, ſi appellare nequit tertius, ſaltem remedio nullitatis uti poſſit, alia inſpectio eſt. Et diſtinguendum puto, an appellari nequeat propter reſcriptum, an propter tres conformes ſententias. Priori caſu locum habere poteſt querela nullitatis, quoniam ſublatâ appellatione, non ſtatim tollitur nullitas, juxta notata *Gailio 1. obſ. n. 135.* idque præcipuè poſt noviſſimum Imperii Receſſum (*t*) ſi nullitas defectum inſanabilem haberet. Poſteriori autem caſu, quoniam principali ipſi expreſsè adimitur remedium nullitatis [*u*] neque tertius eo gaudebit [*x*] atque ita declarandum puto, quod generalius *Gailius* atque alii [*y*] tradunt. Illud verò rectè notat idem *Gailius*, victoriam tertii adhærentis etiam ipſi principali prodeſſe. [*z*]

XLIII. Poſt rem judicatam denique interventioni locum quoque dari diximus, quod quemadmodum procedat, reſtat explanare. Probatur verò aſſertio iſta liquidiſſimis utriusque juris textibus (*a*) & concordi omnium interpp. traditione, (*b*) ut in adſtruenda multus eſſe non debeam. Illud ſaltem repetendum eſt ex ſuperioribus, (*c*) tertium, qui executioni de novo ſe objicit, jus ſuum intra breve ſpatium probare debere. Executionis enim proceſſus ſummarius eſt, & longæ contradictionis impatiens (*d*) Tota verò iſta tractatio ad duo capita redigitur. Primum eſt, ubi ſententia nocet tertio ſive ſuâ naturâ, ſive ratione ſcientiæ, omnisque appellandi via eſt præcluſa. Secundum,

t *de ann. 1654.* §. **Bey den jenigen** *nulli***täten**. 122. u *clem. 1. de re jud.* x *Covarr. d. q. 13. inf.* y *1. obſ. 72. n. 4. Mindan. III. IX. 12. Scacc. de Appell. q. 17. Lim. 6. membr. 4. n. 66.* z 1. *obſ.* 122. *n. 7. & obſ.* 126. *per l.* 1. *& 2. C. ſi unus ex plur. appell.* a *l.* 15. §. *4. & 5. ff. de re jud. l. bona fides.* 31. *ff. depoſ. l. ob Maritorum. c. Ne ux. pro Marit. c. veniens. 38. X. de teſtib. c. cum ſuper.* 17. *X. de re jud.* b *Cothm. IV. Reſp. IV. num.* 180. *Hun. Encycl. p. 2. tit. 23. c. 7. n. 4.* c *Theſ. IX. ad Covarr. pract. q.* 16. *num.* 1. *& 2.* d *d. l.* 15. §. *4. de Re jud. Gail.* 1. *obſ.* 113. *n.* 10.

dum, ubi ſententia nulla ratione præjudicare poteſt tertio, ſed executio, ipſa eſt conjuncta cum læſione & diſpendio ipſius. Priori caſu non aliis remediis ad impediendam executionem uti tertius poteſt, quam ipſe principalis, allegando tales exceptiones, quæ de jure etiam poſt ſententiam locum habent, atque executioni obſtant. Talis eſt exceptio ſolutionis, compenſationis, &c. quæ actionem ipſo jure tollunt minuuntve, (*o*) exceptio *Vellejani* & *Macedoniani* (*f*) nullitatis (*g*) & ſimilium, de quibus alibi Dd. (*h*) His enim exceptionibus tertium, quatenus juxta naturam ſuam ipſi in conſequentiam patrocinari poſſunt, etiam poſt rem judicatam uti poſſe non dubitamus, ſi vel eas omittat principalis, vel non ex fide proſequatur. At ſi ipſa ſententia non nocet tertio, neceſſe eſt alio & ſpeciali jure eum niti, ſi executionem vult inhibere, quod quale eſſe poſſit, per aliquot capita attingemus.

XLIV. Si rem, in qua facienda eſt executio, ſuam eſſe contendat tertius, eamque ſimul poſſideat, ſive ipſe, ſive alius ipſius nomine ſit in poſſeſſione (k) executionem impediet, modò allegatum jus ſine mora poſſit probare. Hanc ſententiam luculenter probat *Vlpianus* [*l*] & habet certam rationem, quòd executio nullo jure decerni poſſit in præjudicium dominii poſſeſſionisve tertii, qui nec citatus nec condemnatus eſt, idque ne principali quidem juſſione fieri poſſe, Impp. reſcribunt [*m*] non enim fieri debet executio niſi in bonis condemnari [*n*] à tertio verò procul abeſt qualitas condemnati, quare reſpectu illius executio magis eſt novæ litis inchoatio, quàm deciſæ implemen-

e *l. 1. C. de re jud. l. pen. ff. de Confeſſ. l. ſi conſtat. 4. C. de compenſ.* f *l. 11. ff. ad Sc. Mared.* g *l. 4. §. 6. ff. de re jud. l. 24. C. de Procur. t. t. C. ſi à non comp. jud. t. t. C. Quand. provoc. non eſt neceſſ.* h *Gail. 1. obſ. 113. n. 2. & 2. obſ. 17. n. 8. Coler. de proceſſ. Exec. p. 4. per tot Vmm. diſp. 23. n. 30. Schwanem. proceſſ. Lib. 2. c. 62. Marant. ſpec. p. 6. membr. 9.* i *arg. l. 4. §. 3. ff. de Appell.* k *v. §. poſſidere. 5. J. de Interdict. l. 3. §. 12. & l. 9. & ſeqq. l. 30. § 6. de acquir poſſ. l. 6. §. 2. ff. de Precario.* l *l. 15 §. ſi ſuper rebus. ff. de re judic.* m *l. ult. C. ſi per vim vel al. mod. v. l. 12. & ſeq. l. 22. ff. de Except. rei jud.* n *d. l. 15. §. 4. ff. de re judic.*

mentum, ut evidenter probat *d. c. veniens 38. X. de test.* Probationem verò à tertio exigemus non tam dominii, quàm possessionis tantùm, cujus vigore scilicet dominium quoque penes ipsum esse præsumitur, donec ab adversario contrarium probetur [*o*] neque enim possessor dominium suum adversus petitorem probare aut contra vendicare tenetur, ut adversus Contium ostendit *Vinnius.* [*p*]

XLV. Si solam possessionem tertius Contradictor allegat, omissa dominii mentione, adhuc executioni obsistere poterit, quia nec dum ille victus est, neque temerè commodo possessionis privandus. Alioqui enim adhuc dici posset, executionem non tam contra victum, quàm contra tertium fieri, ut ex paulo ante dictis apparet, & satis elucescit ex *c. cum super 17. x. de re jud.* idem eleganti præjudicio de muliere, rem dotis restitutæ nomine possidente confirmat *Ludovicus Postius* (*q*) Possessionem verò intelligimus justam, quam nactus non sit tertius à reo condemnato vi, clam aut precario, quod probare tenebitur victor, (*r*) alias enim executioni non obstituram rectè censet *Scaccia* (*s*) Planè si in se vitiosa est possessio, modò ratione victi talis non sit, adhuc tuendus erit possessor, nam adversus extraneos vitiosam possessionem prodesse solere, *Venulejus* nos docet [*t*] Vitiosa porrò possessio est, quam habet tertius ab eo, qui rem tenuit nomine victi & condemnati, eamque deseruit vel transtulit. (*u*) ut & illa, quam habet tertius à victo, qui omnia sua bona obligaverat creditori cum pacto constituti possessorii (*x*) nam & ad hanc pertinet remedium *l. ult. C. de Acquir. poss.* ut docet *Scaccia* (*y*) Non verò vitiosa est, quam quis habet ab illo, in cujus bona creditor ob debitum personale vi pacti vel statuti, vel ob sententiam latam, paratam habet executionem, quod latè deducit

&ad-

o *l. 2. l. sive possidetis. 16. C. de Prob. l. ult. C. de rei vend. §. 4. J. de Interdict.* p *ad §. omnium. 1. n. 18. J. de act.* q *Resol. XI.* r *l. cogi. 11. C. de hered. petit. §. 4. J. de interd. l. 1. §. ult. & 1. sæp. ff. uti possid.* s *de Appell. q. 17. Lim. 6. membr. 4. n. 54. & 62.* t *l. ult. ff. de acquir. poss.* u *vid. l. ult. C. de Acquir. poss.* x *arg. l. quædam 77. ff. de rei vend. l. qui bona. 19. pr. ff. de acquir. poss. l. quisquis 29. C. de donat. v. Coler. de process. exec. p. 2. c. 3. n. 481.* y *d. l. membr. 6. n. 48.*

& adversus multorum errores defendit Colerus (z) tam enim pactum & statutum, quàm sententia rem non afficiunt, sed personalem saltem actionem producunt, quæ non impedit liberam rei in alium translationem. (a) Quòd si litigiosæ rei possessio in tertium collata sit, executio adversus eum procedet ob vitium litigiosi, quod alienationem & translationem reddit ipso jure nullam (b) Quid autem, si in casu, quo justè possidet tertius, victor probare paratus esset dominium victi? tunc in quasi possessionem ipsius dominii & actionis in rem mittendus est, quâ deinceps institutà ordine adversus tertium experiatur (c) Nihil portò interest, reali an personali actione victus sit reus. In utraque enim militat ratio pro tertio, ne inauditus, & non legitimè defensus suâ possessione privetur.

XLVI. Idem juris erit, si possessio rei, de qua quæstio est, vacet. Nam & hic audiendus est tertius, justam oppositionis causam allegans. Interest enim ipsius, rem victori non tradi, quia eam facilius obtinere poterit vacantem quàm possessam. Idque non obscurè probant text. *l. ult. C. de Edict. D. Hadr. toll. & c. veniens 38. x. de test.* & jam olim placuit *Bartolo*, quem referunt *Mynsingerus* & *Covarruvias* (*d*) ejusque sententiam unanimia Dd. suffragia tulisse scribunt.

XLVII. Si verò possessio est penes ipsum reum, & tam actor quàm tertius pariter in rem agant, executio facienda est, & possessio transferenda in favorem illius, qui prior obtinuit, sed ita ut jubeatur præstare cautionem si contigerit juxta tertium judicari. Quem casum in terminis decidunt JCti *in l. is à quo 57. & l. seq. ff. de rei vend. & l. pen. ff. de petit. hæred.* (*e*) qui textus quoniam apertè loquuntur, si ante latam sententiam tertius ad simultaneam vendicationem interveniat, rectè concludit post *Felinum*, *Mindanus* (*f*) postea se opponentem

z *d. l. n. 445. seqq.* a *l. 11. ff. de obl. & a. l. ult. ff. de Contr. empt. l. 3. §. 11. ff. de Pecul. l. 6. §. ult. ff. de re jud. Vmm. disp. 19. n. 53.* b *l. 2. & 4. C. de litig. Gail. 1. obs. 118. Coler. d. l. n. 448. Dn. Struv. ff. de Litig. Th. 51.* c *arg. l. 15. §. 2. & 8. ff. de re jud. Covarr. pract. quæst. 16. n. 4. Scaccia d. l. membr. 4. n. 59. seqq.* d *Myns. 3. obs. 73. n. 1. & 6. Covarr. pract. q. 16. n. 3.* e *adv. Gail. 1. obs. 70. n. 21. Cothm. IV. Resp. IV. n. 176.* f *III. IX. 23.*

tem minimè impedire executionem aut cautionem extorquere posse, sed tum contra novum possessorem competente actione iturum. (g) Enimverò si notabile gravamen allegaret tertius ex mutatione possessoris contingens, si suspicio subesset fraudis, quòd novus actor etiam obtentâ victoriâ frustra haberetur, si difficillimus adversarius, rei tradendæ corruptio, agri devastatio, & similia rationabiliter præsumerentur, justa ac probabilis est *Panormitani* (*h*) Sententia, ut cordatus ac discretus judex huic incommodo succurrat, vel ipsam suspendendo executionem, vel exigendo idoneam cautionem, habitâ scilicet ratione summariæ probationis periculi & juris, quod in re habere contendit secundus actor. Neque id alienum esse à mente JCti *in d. l. is à quo 57. de rei vend.* si quis decisionis rationem penitius expenderit, judicat *Covarruvias* (*i*)

XLVIII. Si immineat executio rei dotali ob debitum à marito contractum, jure se opponet mulier ratione dominii sui (*k*) vel hypothecæ (*l*) ut dotem habeat salvam. (*n*) Non idem faciet dominus in re usufructuaria, qua tali, vi nudi dominii. Ususfructus enim à proprietate separatus est (*o*) qui sicut vendi, donari &c. (*p*) ita & in causam judicati capi potest (*q*) salvo scilicet proprietatis jure. In re Feudali idem dicendum; Nam si in illa decernatur executio, hactenus saltem intercedet dominus atque agnati, ne ipsum feudum transeat ad creditorem. Cùm enim Vasallus in re Feudali non nisi utile habeat dominium, directo penes dominum manente (*r*) agnatisque jus successionis per investituram sit quæsitum, illis tanquam tertiis nullum præjudicium fieri debet. Creditor ergo in fructus tantùm feudales perceptos & inposterum percipiendos immittitur ad debiti usque quantitatem, hosque in causam judicati capi posse, communis est Dd. sententia.

(*e*) Fru-

g *l. 15. §. si post addictum. ff. de re judic.* h *in c. veniens. 38. n. 6. X. de test.* i *d. q. 16. n. 3. add. Myns. 3. obs. 73. n. 7.* k *l. in rebus 30. C. de jure dot.* l *l. assiduis. 12. C. qui pot. in pign.* m *v. l. ob maritorum. C. Ne ux. pro marit.* n *de Process. Exec. p. 2. c. 3. num. 264. seqq.* o *§. 1. I. de usufr.* p *l. 12. §. 2. ff. d. t. pr. I. de usu & habit.* q *l. 15. §. 1. ibi: jura. ff. de re jud. l. 15. §. 26. ibi. ut eodem jure esset. ff. de damno infecto.* r *c. 2. in f. 2. FF. 23.*

(*s*) Fructus enim cum ipsa re nihil habent commune, neque eam afficiunt (*t*) dum ergo hi alienantur, non censetur feudum ipsum alienatum. Neque tunc onerantur dominus vel agnati. Creditor enim tum percipit fructus jure debitoris, cui cùm fuerit satisfactum, vel feudo interim aperto, tenebitur de possessione decedere succedentibus agnatis sine omni onere, (nisi quòd filius simul hæreditatem agnoscere tenetur (*u*)) aut feudo ad ipsum dominum revertente. (*x*) Similiter in re Emphyteutica non obstat interventio domini, ne fiat executio in jus Emphyteuseos, sed domini directi jure salvo. (*y*)

XLIX. Si res pignorata sit contradictori, opponet se executioni, ut omnimodo provideatur, ut creditum integrum recipiat, quod expresse satis docet JCtus *Vlpianus* (*z*) & notat *Ludovicus Postius*. (*a*) Quòd si res non sufficiat utrique, & prioritatem urgeat victor, nihilo magis manus extendi poterunt adversus tertium, sed competenti actione victor rem persequetur. (*b*) alia enim ratio est actionis principalis, quâ succubuit reus, alia hypothecariæ, quæ intentata nondum est contra tertium, ergo nec executioni mandanda. (*c*) ob meliorationes quoque Colonus redemptori resistere, atque executionem in re conducta impedire potest, prout notat referens apud *Gylmannum* (*d*) sanè si melioramenta sint liquida, atque altiorem disquisitionem exigant, non improbabiliter censet *Scaccia* (*e*) peragendam executionem præstitâ colono cautione de indemnitate, juxta ea, quæ ex *l. 57. de Rei Vend.* suprà dissertata sunt. Quid porrò juris sit in possessore rei, in

Qqq 2 quem

s *Ord. Cam. p. 3. tit. 48.* §. Und so also. *5. Gail.* I. *obs.* 117. *n. 2. & 2. de PP.* 17. *n. 8. Coler. d. l. num. 289.* t *l.* I. §. *2. ff. de Pignor. l. 57. pr. ff. ad Trebell. l. 9.* §. I. *de donat. l. ult. ff. de Contr. empt.* u *2, FF. 45. Coler. decis. 282.* x I. *FF. 5. pr. & arg. 2. FF. 8. in f. pr.* y *d. l.* 15. § *26. & seq. de damn. inf. Gothofr. ad l.* 31. *de Pignor. verb. an rectè pignori.* z *l. 15.* §. *quod si res. 5. ff. de re jud.* a *Resol. XI. num. 2.* b *N. 112. c. 1. vers. ab hoc autem.* c *l. 1. C. de Exec. rei jud.* d *Symph. tom. 1. part. 3. vot. 15. & ibi all. arg. l. l. colonus. 16. inf. ff. de vi & arm. l. colonus. 61. inf. pr. ff. Locati. l. in rem. 23.* §. *4. ff. de rei Vendic.* e *de Appell. q. 17. Lim. 6. membr. 4. n. 65.*

quem erat translata post injectionem manus & impositum arrestum apud *Matthiam Colerum* (*f*) si lubet, videri potest.

L. Contradictionem verò tertius coram executore proponet, sive is idem sit, qui sententiam tulit, sive merus executor, qui ad mandatum & instantiam alterius vigorem rei judicatæ ad effectum perducit (*g*) Quamvis enim merus executor jurisdictionem non habeat, neque de exceptionibus meritum causæ concernentibus cognitionem exercere possit (*h*) sed eas recipere, atque ad judicem causæ remittere teneatur (*i*) attamen de iis, quæ sententiam non oppugnant, sed executioni obstant, cognoscendi jus habet, quia sine eo ne executio quidem absque injuria fieri posset, quam distinctionem tanquam singulariter observandam tradunt rerum Cameralium auctores (*k*) Exceptio verò de jure tertii super rebus in quibus facienda est executio, neque sententiam neque merita causæ concernit, quare rectè disceptabitur coram executore. Atque hanc sententiam apertè probat *Jctus in sæpe d. l. 15. §. 3. & seqq. ff. de re jud.* habetque æquitatem, ut ostendit *Covarruvias* (*l*) ne cogatur contradictor judicem requirentem accedere, qui forsan à loco executionis longè abest, & in cujus jurisdictionem tertius nunquam consensit. Præterea facillimè quilibet executor injuriam facere posset tertio, qui non ita facilè posset requirentem adire. Si verò non admittatur oppositio, ab ipsa executione poterit appellare tertius, quia tunc modum executor transgreditur (*m*) appellatio verò fieri debet ad superiorem ejus, qui executionem decrevit vel commisit, non ejus qui suscepit, appellatur enim ab iniquo facto, quod magis procedit à mandante, quàm ab eo, qui juxta præscriptam formulam exequitur. (*n*) Quod si denique posthabitâ ac spretâ omni reclamatione ac protestatione tertii executionem con-

f *de process. Exec. p. 2. c. 3. num. 439. & 463.* g *l. 6. & 8. C. de Exec. rei jud.* h *dd. ll.* i *c. de cætero. 5. X. de sent. & re jud. l. 75. ff. de judic. l. pen. ff. de Confess.* k *Gail.* 1. *obs.* 113. *n. 7. Myns. 3. obs. 69.* l *pract. q.* 16. *inf.* m *l. 5. C. Quor. Appell. recip. c. 17. X. de sent. & re jud.* n *Wesemb. cons.* 100. *n. 5.*

consummarit judex, tanquam de factò intempestivè adversus non citatum nec condemnatum suscepta atque ipso jure nulla contrario imperio erit revocanda (*o*) Quin & ultra nullitatem, remedio spolii violenti tertio subveniendum, ut ante omnia restituatur, (*p*) ut præter alios (*q*) præjudicio adducto probat *Ludovicus Postius* (*r*) Quod verò tradit Wesembecius (*s*) etiam de facto non ritè exequenti resisti posse, verum non esse arbittor, nisi injustitia foret evidentissima & notoria (*t*) alioquin enim executioni de facto se opponentes gravissima pœna manet (*u*) Sicuti & falsum est quod scribit *Carocius* (*x*) posse tertium, in cujus absentis bona facta est executio, propriâ authoritate possessionem recuperare. Debet enim potiùs viâ juris uti, aliàs & odium & pœnam invasoris non evitaturus. (*y*) Atque ista de argnmento quotidiani sanè usus, sed difficilioris disquisitionis pro instituti ratione dicta sufficiant. In quibus si aliquando à rectissima juris semita aberravimus, æqui lectoris judicium æquo ac lubenti animo feremus. Neque enim unquam nos pigebit, sicubi hæsitamus, quærere, & sicubi erramus discere.

o *v. c. 5. X. de Pignor. l. 1. C. de exec. rei jud. l. 4. C. de sent. & interl. Coler. d. l. num. 264. Vinn. ad §. ult. num. 4. Inst. de Pæna temerè litig.* p *l. meminerint. C. unde vi l. ult. C. si per vim vel al. mod.* q *Wesemb. d. cons. 100. n. 13. Caroc. Except. 69. n. 6. & 30.* r *Resol. VIII.* ſ *d. l. num. 15. seq.* t *l. prohibitum. C. de jure fisci. Lib. X.* u *Ord. Cam. p. 3. tit. 48. Recess. Imper. de anno 1654. §.* Wegen des *modi. 15. Wesemb. & Dd. ff. si quis jus dic. non obtemp. Rhoding. Pand. Cam. Lib. 3. tit. 63.* x *d. l. n. 4.* y *vulg. l. exstat. 13. ff. Quod met. Caus. l. si quis in tantam. 7. C. unde vi. l. 1. C. si per vim.*

ÆTERNÆ JUSTITIÆ SOLI SIT
LAUS ET GLORIA SEMPITERNA.

Parerga Exercitii gratia adjecta.

I.

Usura non est res moraliter mala.

II. *Usura jure Canonum simpliciter prohibita non est.*

III. *Emptio redituum non est idem quod stipulatio usurarum.*

IV. *Jus dominii eminentis, prout accuratioribus Politicis intelligitur, non perinde in honore subditorum, ac in personis possessionibusque harum & actionibus à summa potestate exerceri potest.*

V. *Pœna ex jure naturæ præceptivo est, adeóque moraliter bona.*

DE

SECULARISATIONE BONORUM ECCLESIASTICORUM,

Ex

JURE DIVINO ET HUMANO, PRÆSERTIM, INSTRUM. PACIS, AC NOVISSIMIS IMPERII CONSTITUTIONIBUS.

Dissertatio.

CONtroversia est illustris & ardua, moribus ac temporibus nostris convenientissima: *Utrùm bona Ecclesiæ & piis usibus olim destinata ad formam secularium redigi, & à Laicis justè possideri possint?* Quæ quæstio tam inter Politicos, quàm Theologos, magnâ animorum contentione hinc indè ab aliquot annis, non minùs in imperio nostro, quàm alibi ad convitia usque agitata, variis eristicis libellis ansam suppeditavit. Cùm verò à nemine hactenus, quoad equidem memini, argumentum hoc peregrinum, & in jure tam publico quàm privato utilissimum, justâ quâdam methodo elaboratum sit, visum est, adcuratiori illud disquisitione admetiri. Quod

Quod ut eò meliùs præstari possit, sequentia Dissertationis constituam capita; in I. pauca de *Fundatione & Origine bonorum Ecclesiasticorum* præfabor. Deinde cap. II. de *Secularisatione B. E. ipsa, quid sit & quotuplex*, cap. III. de *Secularisatione illicitâ*, cap. IV. de *Licitâ* agam, porrò eandem materiam juxta quatuor causarum genera explicabo, & initio sumpto in cap. V. à *Causa Efficiente, tam in genere, quàm in specie*, cap. VI. de *Causa materiali* secularisationis tractabo, cui cap. VII. *Exempla*, cap. IIX. *Formam*, cap. IX. *Finem*, & tandem cap. X. *Effectum* subjungam.

CAP. I.

De Fundatione & Origine bonorum Ecclesiasticorum.

I.

IN aëre esse columnas Reipublicæ molem sustentantes, Justitiam nimirum Legibus armatam, Præmium item ac Pœnam, nisi basi Religionis, quæ Legum est vinculum & anima Rerumpublicarum, innitantur, ipsa divinæ mentis particula menti nostræ indita suggerit, & sapientissimorum Virorum suffragia comprobant. A supremi enim Numinis cultu non hujus solùm, sed & illiis vitæ felicitas, velut à fonte, promanat, R. A. zu Augspurg/ *de anno 1566.* §. Wiewol wir uns nun auff solches *ibi*: daran alle zeitliche und ewige Wohlfahrt hanget/ & cadente eo, omnis quoque ipsi superstructa justitia, publica honestas, ac disciplina corruit, R. A. zu Regenspurg/ *de anno 1532. rubr. Concilium* betreffend *in fin. pr. ibi.* Darneben erfolgen wür-

würde/ daß alle Zucht/Ehre/Gehorsam/ und andere gute Tugend in Geistlichen und Weltlichen gäntzlich fallen werde. Ut autem cultus ille divinus eo ritè peragatur ordine, cujus ipsum cœleste Numen author est, necessariò quoque requiruntur bona quædam huic usui peculiariter inservientia. Ne quid enim nunc de structuris & fabricis, aliisve rebus ad divinas ceremonias pertinentibus dicamus, saltem personis, quæ sacra tractant, in qualibet Rep. opus. Iis verò ut de honesta sustentatione prospiciatur tam justum est, quàm æquum, ut operario merces sua detur, *Matth. X. 10.* & bovis triturantis os non alligetur, *Deut. XXV. 4. cap. cùm secundùm Apostolum. cap. exstirpanda §. ult. extr. de præbend.* Sunt igitur bona hæc in duplici differentia, quædam principaliter & immediatè ad cultum divinum spectant, quædam ad fabricam, & sustentationem ministrorum Ecclesiæ, aut aliam piam causam. Illa vocantur res sacræ, hæc bona Ecclesiastica, Quorum de origine & fundatione ut pauca prælibentur, quæ infrà dicendis lucem præbere possint, operæ judicavi pretium. Ut autem cuncta ab ovo, & simul quàm succinctè, accersam, res sic se habet.

II. Primis mundi seculis Ecclesiæ erant tantùm domesticæ, quas ipse Deus sine ministris aut Prophetis viva voce docebat, nisi quòd Patresfamiliarum ea etiam, quæ ab ipso Deo perceperant, sæpe repetebant, suisque tum liberis tum servis inculcabant. Postmodum Moses mandatum accepit à Domino, ut in summum populi Sacerdotem eligeret, ungeret & confirmaret fratrem suum Aaronem, *Exod.* XXIIX. 1. utque populus ad ipsius filiorumque suorum vestimenta, & alia ad Tabernaculum fœderis, cultumque divinum necessaria, sumptus & operam conferat. Constituta verò Politia Mosaica, cùm populus universus in XII. tribus fuisset distributus, & tribus Levitica cultui divino destinata, jussit Deus, ut non tantùm primitiæ & decimæ omnium frugum pecudumque Sacerdotibus & Levitis offerrentur, sed etiam ut certam partem Civitatum ac prædiorum in singulis tribubus acciperent, prout Historia Mosis passim nos edocet, & à Josepho simul *Antiquitat. Iud. lib. 4. c. 3. & 6.* ac Franc. Stypmanno *de Salariis Cler. cap. 1.* latissimè exponitur. Post tempora Mosis

sub Regibus & Principibus in singulis Regnorum ac Principatuum præfecturis, publica constituta fuerunt æraria, in quibus reponebantur reditus ad pios usus destinati, *II. Reg. XII. 9.* in tanta copia, ut Reges exteri, Ægypti, Assyrii & Chaldæi bonis istis inhiare, & sibi armatâ manu vindicare cœperint, *II. Paralip. XXIV. 8.*

III. Primis N. T. initiis Christus fungens concionandi ministerio non habuit proprios fundos, non amplos thesauros, non propriam domum, sed marsupium, & pecunias quasi publicas, à piis & opulentioribus hominibus, qui ipsum sequi solebant, collatas, *Ioh. XIII. 29.* ut se indè discipulosque aleret, & pauperibus, etiam ipse pauper, benefaceret. Quem morem Domini sui primitiva Ecclesia, ut ex Actis Apost. cap. IV. & V. videre est, diligenter observavit. Dum enim Ecclesia mox post adscensionem Christi Hierosolymis fuit, nihil proprium habuit, sed Christiani tum temporis prædia sua vendebant, & omnia in commune ærarium ad communem omnium usum conferebant. *Act. II. 44. IV. 32. V. 4. Klock de Ærario l. 1. c. 2. n. 40. seqq.* Quamdiu autem hæc pecuniæ in commune ærarium collatio duraverit, certo aliquo testimonio indicari non potest. Certum tamen est, non semper in hac ipsa Ecclesia durasse, sed postea magis expedire visum esse, ut ipsamet prædia sive immobilia bona Ecclesiæ donarentur, & consecrarentur, ex quorum annuis reditibus Ministrorum sustentationi perpetuò provisum esset. De tempore tantùm, quo Ecclesia bona immobilia possidere cœperit, non usque adeò constat. Credibile tamen est, cœpisse Ecclesias reditus & prædia aliaque hujusmodi bona immobilia possidere Urbani I. pii Episcopi tempore primùm, circa annum Christi 225. qui Sacerdotibus permisit, ut prædia & fundos à piis oblatos susciperent, prout ex Cranzio *in Metrop. lib. 2. c. 1.* Funckio *in Chronol.* Carranza *Epit. Concil. fol. 21. b. & 22.* aliisque patet.

IV. Quoniam verò postea in persecutionibus Impp. Ethnicorum prædia illa vi iterum Ecclesiæ auferebantur, excitavit DEUS Constantinum M. ut nomen CHRISTO daret, & non tantùm libertatem ac pacem Ecclesiæ repararet, à persecutionibus respirare faceret, & omnia bona ablata restitueret, sed multa insuper de novo ade-

deret, concessa unicuique licentia bonorum, quod optaverit, Ecclesiæ relinquendi, *l. 1. C. de SS. Eccl.* ut indicat Eusebius *lib. 2. de vita Constantini.* Et quamvis à Juliano, primùm Christiano & dein apostata, ac Christiani nominis acerrimo persecutore, bona Ecclesiastica à Constantino concessa iterum ablata fuerint, tamen successor ejus Jovianus, & postea Valentinianus ac Gratianus Constantini M. privilegia Ecclesiæ indulta confirmarunt, largioribus adhuc reditibus ac bonis Ecclesias ditantes. Quos secuti postea alii Impp. Reges, Reginæ, Principes, Episcopi, præsertim Sixtus III. & Simplius, nec non alii pii homines per subsequentia duo secula multi.

V. Virtuti autem & Religioni, item alendis pauperibus datum est, quicquid horum liberalitati tum ad manum fuit; otio, inertiæ, luxui, voluptati ne hilum quidem datum est. Monasteria instituebantur, ut Scholarum & Academiarum vice essent, tanquam seminaria, in quibus ad Ecclesiæ & Reip. regimen semina jactentur, ut notat Limnæus *l. 8. I. P. c. 6. n. 8. p. 57.* Postquam verò sub finem seculi V. tempore Gregorii opiniones de purgatorio, de precibus pro animis defunctorum liberandis, & necessitate bonorum operum ad salutem succreverunt, de quibus per prima quatuor & ampliùs secula altum in Ecclesia fuit silentium, simul etiam intentio Fundatorum mutata, & quicquid ferè tum Ecclesiis ac monastetiis legebatur, nitebatur non modò fundamentis illis erroneis, Deique gloriæ multis modis adversantibus, verùm etiam fiebat in usum idoloatricum & superstitiosum, ut veteres chartæ ac fundationum documenta à Joachimo Vadiano apud Goldastum *de rerum Aleman. scriptoribus tom. 3. collecta,* fusissimè testantur. Unde factum, ut hac superstitione dementatis hominum, præsertim verò Regum, animis, fundationes & largitiones Ecclesiis factæ in immensum excrescerent, & exhaustis profusa illa liberalitate opibus publicis Reip. non parùm detrimenti afferretur. Quid in Italia patrimonio Petri ex eodem fonte affluxerit, quot Regna, quot Provinciæ, Principatus, & innumera bona ex copiosis & ingentibus Regum ac Principum donationibus, aliisque mille modis ac technis Ecclesiæ Romanæ accesserint, & hodienum accedan, tde eo videri potest Goldastus **in Reichs-Handlungen** *fol.* 215. & Lud.

de Monte sperato **in Rettung des Ossnabruggischen Friedens** *p. 100. seqq.* Hutter. *in act. contr. Jacob. Grether. de Reg. ac Princip. in sed. Rom. manif. c. 1. §. 12.* In Gallia moris olim fuit, ut qui testamento nihil collegiis Ecclesiasticis legasset, honore sepulturæ careret, quo factum, ut duo trientes totius Regni ad Ecclesias pervenerint. Habent enim Clerici Gallicani 14. Archi-Episcopatus, 95. Episcopatus, 1396. Abbatias, & ultra 27000. Cœnobia, præter alia pia loca, quæ magno numero refert Hornbeck *ad Bull.. Inn. X. p. 56. 57.* adeò, ut deprehendatur singulis annis illos habere in reditibus nummorum 8200000. octoginta duos milliones scutatorum, & singulis diebus 286301. scut. & 20. solidos. In aliis quoque Regnis & Provinciis hanc Regulam observatam fuisse, quòd in his, quæ donantur Ecclesiis, optima mensura sit immensitas, Historiæ passim commemorant, usque eo, ut nisi summæ Potestates ob incrementum quotidie crescentium bonorum Ecclesiæ Remp. penitus versam voluerint, coactæ fuerint de remediis malo invalescenti adhibendis seriò cogitare, statutisque prohibere, ne quid amplius bonorum immobilium in personas Ecclesiasticas alienari debeat. Tale decretum à Curia Parisiorum in Gallia, Edvardo I. & Henrico V. in Anglia, Carolo V. & Philippo II. in Hispania, Friderico II. in Sicilia, Ludovico in Hungaria, & Rep. Veneta factum esse, testes sunt Joh. Bodin. *de Rep. lib. 5. c. 2.* Polydor. Vergil. *lib. 17. hist. Anglic.* Peregrinus, Otthelius & Scaynus *in responsis pro Rep. Veneta fol. 167. & seqq.* Aldran. Mascard. *de Stat. conclus. 1. n. 140.* Arnisæus *de subj. & exemt. Cler. c. 4. n. 8. p. 63.*

VI. In Germania ante Pipini Imperium, ubi de articulo justificationis & mediis ad salutem aliter, quàm hodie in Papatu, docebatur, paucæ Ecclesiæ & monasteria fuerunt, Episcopis ac Clericis exiguos reditus percipientibus, prout querelæ illorum tum temporis factæ testantur apud Baron. A. 724. *n.* 8. Posteaquam verò Bonifacius ex Anglia monachus à Gregorio Pontifice Anno Christi 715. in Germaniam missus ad plantandam propagandamque Romanam doctrinam, & à Pipino ac Carolomanno Ecclesiæ Moguntinensi Præfectus, opinionem de Purgatorio & eleemosynarum meritis animis homi-

mi-

minum infudit, Germani media hæc ad salutem avidè acceptarunt, inque dotandis Ecclesiis Italis & Gallis cedere noluerunt. *Et profectò extra controversiam est, vix alias gentes Ecclesiis ordinandis fovendisque amplius impendisse, quàm Franci & Alemanni impenderunt. Omnium enim commune videbatur pietatis studium donare & largiri Ecclesiis, usque adeò condendis donandisque sacris ædibus prope omnes admirabili quodam consensu & voto incubuerunt post doctrinam illam operum & meritorum imbibitam*, ut ait Goldastus *in præfat. ad tom. 3. de Alem. rerum Scriptoribus.*

VII. Carolus M. domitis Saxonibus, quò eos non suis tantùm, sed & Christi imperio ac legibus obsequentes in officio contineret, sacras passim opportunis in locis instituit Episcoporum præfecturas, quarum octo in Saxonia numerantur, Otto verò primus non solùm integros Ducatus Episcopis attribuit, sed etiam seculari Jurisdictione & potestate, regaliis item aliisque juribus in diœcesibus suis eos donavit, teste Theodorico de Niem veteri Historico *fol. 811.* Cæterùm quæ aliàs in sequentibus etiam temporibus bona Ecclesiastica fundata sunt, tanta fuerunt, ut si quis numerum inire velit, duas partes de Imperio Ecclesiasticis cessisse inventurus sit, ceu ex gravaminibus Statuum Imp. Norib. Anno 1523. exhibitis §. 22. patet, apud Hortleder. in Reichs Handlungen *lib. 1. c. 1. c. p. 14.*

VII. Estque notabile, quòd quanto magis abundare cœpit Ecclesia istis opibus & latifundiis, tanto magis degenerare cœperit: ut verissimè exclamaverit jam olim S. Bernhardus: *Religio peperit divitias, sed filia deveravit matrem:* De pessima Clericorum & Monachorum vitiisque contaminata vita ab antiquo ingentes extiterunt authorum querelæ, quas videre licet apud Authorem *de Eccles. libert. c. 3.* & Anton. de Rosellis *de Potest. Pap. cap. 15.* Graviter Protestantes apud Sleidanum *lib. 11. Comm. p. 303.* *Quemadmodum malis artibus, & inhonestis rationibus per vim atque dolum ad ejusmodi præfecturas perveniant, quàm turpem vitam agant, quàm illaudatis exemplis præluceant, quàm nihil sui muneris faciant, quomodo fidei suæ commissos homines negligant, & in omni vitæ nequitia debacchentur, id vulgò sic notum est atque testatum, ut explicatione prolixiori non sit opus.* Idem referunt sta-

tus Imp. Evangelici in protestationibus suis, quibus Edicto Ferd. II. se opposuerunt, apud Limn. *in add. ad l. 1. IP. c. 13. p. 166.*

IX. Postquam igitur Deus T. O. M. verbum suum salvificum per Papæ Antichristi falsam doctrinam obscuratum & suppressum, iterum in lucem produxit, & pellucere fecit priùs per *Waldenses* in Gallia seculo XII. deinde per *Wiclesitaas* in Anglia, sec. XIII. postea sec. XIV. per *Hussitas* in Bohemia, & tandem sec. XV. auspiciis magni illius Theandri *Martini Lutheri* in nostra etiam Germania statim cum reformatione Religionis reformatio quoque quorundam bonorum Ecclesiasticorum jure cœpit, illaque genuino usui, quamvis non sine maximis contradictionibus & contentionibus, à nostris restituta sunt, nonnulla verò in alios Reip. usus necessarios conversa ac secularisata. Atquæ hæc illa sunt, quæ de Bonorum Ecclesiasticorum origine & fundatione pro re nata censuimus edissertanda, progressum nunc facimus ad

CAP. II.

De Secularisatione B. E. ipsa, quid sit, & quotuplex.

I.

DEscendit vox *secularisatio* à verbo *secularisare*, quod vi vocis idem est ac seculare reddere, hoc est, illud quod Ecclesiæ dicatum est, in alios seculi usus transferre. *Seculare* enim opponitur hîc *Ecclesiastico*, & nihil est aliud, quàm mundanum, profanum, temporale, quemadmodum *Literæ seculares*, id est, profanæ, & *viri seculares*, mundanis curis negotiisque dediti passim Hieronymo, & aliis dicuntur. Alio nomine secularisatio vocatur *incorporatio bonorum Ecclesiasticorum*. Verùm ambo vocabula, & secularisatio & incorporatio, barbara sunt, & apud elegantioris Latinitatis Scriptores non reperiuntur: tantùm eo

ævo

ævo usurpari cœperunt, quo spreta artium, quæ ab humanitate commendantur, cultura, linguæ negligentius tractatæ fuerunt ingentis mortalium ad inutiles & otiosas sæpe speculationes aversis. Si igitur magis Latinè loqui quis vellet, posset fortasse vocabulum *profanationis*, quo Plinius lib. 16. c. 4. utitur, in hac materia usurpare, dummodo non in sequiorem partem, quâ profanum idem est quod *impium & sceleratum*, sed propriè & in meliorem vox illa acceptetur. Trebarius autem, referente Macrobio *lib. 3. c. 3. profanum* id propriè dici tradit, *quod ex religioso vel sacro in hominum usum proprietatemve conversum, & promiscuum humanis actibus accommodatum est.* Agenus quoque Urbicus *in Comment. Frontini*, & ex eo P. Manutius *in Additam.* Profanum ait esse, *quod cùm sanctum esset, postea in usum hominum & extra fanum venit.* Dicitur enim profanum quasi *porro*, hoc est, *procul à fano*, & ita propriè idem est ac *seculare*, unde etiam sacro & religioso in *l. 83. §. sacram. D. de V. O.* opponitur, nec infrequens est Cl. Conringio aliisque Dd. dicere, quòd si ad impium & superstitiosum usum destinata sint bona, in alium meliorem *atque pium, quamvis profanum*, licitè converti. Germani vocant **Einziehung Geistlicher Güter / Verwendung Geistlicher Güter zu weltlichen Geschäfften** / it. **secularisirung der Stiffter.** Quicquid sit de voce secularisationis ab usu Latinæ elegantiæ aliquanto deflectente, recepta tamen apud JCtos loquendi consuetudo vocabulum istud admisit.

II. Describimus autem secularisationem bonorum Ecclesiasticorum *qualitatis Ecclesiasticæ in secularum transmutationem* Et pro diversitate bonorum Ecclesiasticorum duplicem constituimus, unam *rerum singularum*, aliam *universitatis*. Quando enim vasa aurea vel argentea, aliaque ad cultum divinum destinata, vel res mobiles aut immobiles singulares, sustentationi Clericorum inservientes, ut domus, prædia &c. alienantur & ad seculares perveniunt, potest vocari secularisatio rerum Ecclesiasticarum singularum. Quòd si verò transmutatio illa in tota aliqua universitate contingat, ut quando Archi-Episcopatus, Prælatura, Abbatia, Monasterium, integra Fundatio qualitatem suam Ecclesiasticam amittit, & securalem possessorem per in-

feu-

feudationem, concessionem, vel alio modo recipit, qui proventus usibus applicat temporalibus, est secularisatio universitatis Ecclesiasticæ. Utraque vel *licita* est, vel *illicita*.

CAP. III.

De

Secularisatione illicitâ.

I.

PRopter favorem Religionis, & ne cultus divinus impediatur, omnis bonorum Ecclesiassticorũ alienatio, tam eorũ, quæ simpliciter & directè ad servitium Dei, quàm quæ ad servitium servientium Deo destinata sunt, de Jure est prohibita, & non nisi paucis in casibus permittitur, quos Ferdin. de Castro Palao *Operis Moral. part.2.tr.2.Disp.un.punct.15. §.2.p.139.* ad duos hos revocat, ad evidentem scilicet Ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem, & pietatem, per *Auth. sancimus C. de SS. Eccl. Nov. 46. per tot. cap. 1. de reb. Eccl. non alien. in 6.* R. A. zu Speyer *de Anno 1542.* § Aber der Kirchen Kleinoder. *&* §. und zu diesem Christlichen milden Werck. observandis insuper certis solennitatibus jure Canonico requisitis. Quin igitur eorundem quoque bonorum secularisatio regulariter de jure, & multo quidem magis vetita sit, à nemine inficiabitur. Unde etiam communis est regula: *Semel Deo & Ecclesiæ dicatum ad usus humanos non est transferendum ulterius.* Supremæ enim testatorum voluntates & donationes secundùm placitum donantium servandæ sunt, *Nov. de hered. & Falcid.1.p.2.* §. *1.* cùm publicè intersit suprema hominum judicia habere exitum *l.5. D. de testam.quem aper.* Nec ratio ulla permittit, ut quod pro communi utilitate datum esse cognoscitur, id propriis cujusquam usibus applicetur, *c.3. extr. de præb. l.3. D. de adm. rerum &c.*

II. Quod quidem jus ab ipso DEO profectum, & naturæ ac communi Gentium lege sancitum esse, graviter tradit Ernest. Cothman. *Resp. jur. 100. per tot.* Matth. Coler. *de Proß execut. part. 2. c.3.n.137.* Everh.

Everh. à Weihe *in tr. de prærogat. successf. lit. H. 7.* Henr. Petrejus *in tr. de Monast. fol. 55.* Generaliter enim Gentibus loca & res sacras ullas violare, inque usus privatos convertere religio erat. vid. Paulus *in l. qui universitat. 30. §. possessionem 1. D. de acq. vel am. poss.* Cajus in *l. 1. D. de O. & A.* Val. Max. *l. 1. c. 2.* Ammirat. *l. 15. diss. 5.* Joseph. 14. *Antiquit. c. 8.* Quam religiosam Ethnicorum in res sacras affectionem illæ ab authoribus etiam celebratæ passim cùm Romuli, tum XII. Tabularum leges planissimè demonstrant. Nota est enim XII. Tabb. lex: SACROM. SACROVE. COMMENDATOM. QUI. CLEPSERIT. RAPSERITQ. PARRICIDA. ESTO. Quod etiam isto Pythagoræ symbolo significatum volunt: *Ne coacerva ligna cupressina*, id est, bono Deo sacra. Ex cupresso enim Jovis formabatur sceptrum.

III. Imperat hoc ipsum sacrarum literarum Majestas, *Lev. VII. 25. XXVII. 28.* quæ Deum in eos, qui bona cultui suo vel Ecclesiæ consecrata, diripiunt aut profanant, severè excandescentem exhibet. *Ios. VII. 1. Dan. V. 3. Ioel. III. 5. 12. 13. Malach. III. 8. Prov. XX. 25. Act. V. 3. Rom. II. 22. Apoc. IX. 21.*

IV. Specialiter verò bonorum Ecclesiasticorum in profanos usus applicatio Legibus Civilibus injusta pronunciatur, & quippe quæ non omnia solùm ad Ecclesiæ cujusque jura pertinentia, tanquam ipsam Ecclesiam, intacta venerabiliter custodiri volunt, illæsaque jugiter servari. *l. jubemus. 14. & l. non plures. 4. inf. & auth. hoc jus porrectum. C. de SS, Eccles. Nov. 7. per tot.* sed & multo magis ipsius monasterii alienationem prohibent, quâ redeat in antiquum statum & secularem usum. *auth. multo magis C. ib.* Cum qua congruit *Nov. 120. cap. 7.* in quo omnibus modis obviam itur alienationibus monasteriorum, quibus hæc à sacra figura in privatorum conversationem transferantur. Quo facit etiam *l. 6. D. de contrah. emt. & l. 1. C. de sepulch. viol.*

V. Jura Canonica hos alienatores perpetuâ damnatione mulctant, *c. si quis datos. 1. q. 3.* quin & Episcopos & Abbates criminis hujus reos ab officio suspendunt, & ut infames abjiciunt, *c. si 1. q. 3. & c. quisquis Episcoporum. ead. q. 2. c. quicunque Episc. & c. sunt qui c. sacri-*

legium & c. attendendum est. 17. q. 4. & velut homicidas damnant, *c. qui Christi 12. q. 2.* ac excommunicant, *c. nulli licet & cc. seqq. ead. 12. q. 2. &* sacrilegorum loco habent *c. si quis Principum. 16. q. 7.* Quàm severissimè hoc etiam antiqua Concilia prohibuerint, constat ex Concil. Ancyrami *can. 15.* & Carthag. IV. *cap. 32.* & Aurel. III. *cap. 12.* & Synod. Rom. III. *cap. 4.* & Concil. Tolet. IX. *cap. 1.*

VI. Eadem bonorum Ecclesiasticorum in proprios & profanos usus adhibitio improbatur quoque Imperii constitutionibus, ceu patet ex R. A. zu Augspurg *de Anno 1530.* §. etliche haben Klöster. *ibi:* zu ihrem eigen Nutz oder in andere Wege / unordentlicher maß ihres Gefallens gewendet / und dieselbe nicht weiters / wider ihre Fundation, verliehen / oder andern zu verleihen gestattet. R. A. zu Speyer *Anno 1544.* §. und damit der Kirchen-Güter halben. *ibi:* ihrer Güter nicht entsetzt werden sollen. In ipsa Pace Relig. *de Anno 1555.* §. dieweil aber etliche/ constituitur, ut bona Ecclesiastica, à Statibus quibusdam intercepta, & ad pias causas conversa, in eodem quidem statu permaneant, sed §. als auch den Ständen / subjungitur, ut Ministeria tamen Ecclesiæ, Scholæ, Xenodochia ex bonis illis, secundùm modum olim receptum, deinceps etiam constitui & sustentari debeant, non attentâ Religionis diversitate, d. §. *ibi:* und sollen dannoch von solchen obgenanten Gütern die nohtdürfftige Ministeria der Kirchen/Pfarren/und Schulen/auch die Allmosen und Hospitalia, die sie vormahls bestellt/ und zu bestellen schuldig/ von solchen obgemelten Gütern/ wie solche Ministeria der Kirchen und Schulen vormahls bestellt / auch nachmahls bestellt / und versehen werden/ungeacht was Religion die seyen.

VII. Idem porrò statuunt nostri JCti, qui pro bonis Ecclesiæ relinquendis contra Dominos terrarum dederunt Responsa. Hieron. Schurpff. *cent. 1. consil. 48. & cons. 90. per tot. p. 87.* Cothman. *vol. 2. Cons. 100.* Wesemb. *Consil. 37. num. 6.* Modest. Pistor. *vol. 1. consil. 54. n. ult.* Coler. *Dec. 224.* Nicol. Reusn. *lib. 4. dec. 7.* Rumelin. *p. 3. ad A. B. Car. IV. dissert. 3. coroll. 3.* ibique Nic. Mylerus *in add. pag. 715.* Petræus apud Lehmannum *de pac. Relig. lib. 3. cap. 34.* Henr. Andr. Cran. *Diss. de pace Relig. part. 1. probl. 5.* Syring. *de pac. Relig. concl. 28. lit. b.*

lit. b. Gottfr. Suevius *ad pac. Relig. pag. 134.* Hortleder in Reichs-Handlung. *lib. 4. cap. 7. n. 10. fol. 126.* Matth. Wehner *pr. obs. v.* ungerecht Gut. Carpz. *ad L. Reg. cap. 4. sect. 4. per tot.* Klock. *de Ærar. lib. 2. cap. 53. n. 12.* Reinck. *Tr. de Reg. sec. & Eccl. l. 3. cl. 1. cap. 3. n. 13. pag. 514.* Coler. de process. *execut. p. 2. cap. 3. num. 181.* Ant. Fab. *de Relig. reg. in Rep. lib. 2. c. 6. & 7.* ibique D. Ahasv. Fritschius. *in not.* Peckius, Vivianus, Zoesius *ad cap. semel Deo. 51. de R. I. in 6.* Schneidew. *ad Inst. de R. D. n. 10.* Everh. à Weihe. *de success. prærog. H. 7. P.* Frid. Mindan. *lib. 3. de contin. caus. cap. 18. num. 51.* Lather. *de censu. lib. 3. cap. 15.* Besold. *de jure Majest. sect. 2. cap. 7. num. 3.* Idem *lib. 1. Pol. cap. 4.* Arum. *vol. 2. disc. 10.* Dn. Nic. Mylerus *de Princ. & Stat. I. R. G. c. 88. §. 11. & 12.* & alii innumeri. His succinunt unanimiter Theologi, B. Lutherus in Tischreden *cap. 56.* von Geistl. und Kirchen-Gütern *fol. 472. T. 7. Ien. Germ. pag. 261. & in Genesin cap. 54. pag. 616. & Tom. 2. Islebiensi pag. 33.* B. Joh. Gerhard. *Conf. Cathol. lib. 1. pag. 914.* aliique, quorum testimonia magno numero curiosè collegit Joh. Hornbeck *exam. Bull. Inn. X. pag. 76. seqq.*

VIII. Hanc ipsam ob causam Ecclesiæ quoque appellantur *Manus mortuæ*, quia scilicet veluti mortui non alienant, sed quod in ultimo conatu mortalitatis aprehendunt, firmiter tenent & non remittunt, ita Ecclesia semel accipiendo æterno jure sibi bona mancipat, & extra commercium hominum seponit, qua de re eleganter scripsit Peck. *tr. de amortisat. bon. cap. 2.* Ne igitur quis ausit perpetuum hoc Ecclesiæ patrimonium invadere, & illud in profanos usus convertendo defunctorum extremas dispositiones violare, fundatoribus solemne fuit, eos, qui manus bonis à se Ecclesiæ dicatis inferrent, diris devovere, *ut auferat Deus memoriam eorum de terra viventium, ut q; cum Dathan & Abyran perennem incurrant damnationem, & cum Sodomitis ac Gomoritis ignis & sulphuris imbres experiantur*, daß derselben Lung und Leber im Leibe verserhren / daß sie GOTT der HErr straffe mit Armuht / Kranckheit / Schmach und Schande. Plures ejusmodi exercitationum formulas vide sis apud Speidel. *in Spec. lit. G. v.* Geistliche Güter / *Besold. Thes. pr. v.* Stifftung. Lehman. *in Chron. Spir. v.* Stifft. Henr. Petreum *in tr. de monast. fol. 3. 4.*

Hornbeck. ad B. Inn. X. *pag. 163. seqq. Piaculares itaque*, inquit Lambert. Dan. *sunt Deo Principes ii, cæve Resp. quiquæve Ecclesiastica bona sibi* (nullâ urgente necessitate) *vendicant, aut in alios usus transportant, de Rep. Christian. lib 3. cap. 2.* Quibus juxta Lutheri sententiam idem accidit, quod aquilæ olim obveniebat, cui videnti Jovi sacrificium in ara fieri ex carne agnina, & advolanti bonamque partem auferenti, carbo igneus alis inhæserat, quo postmodum & nidos & pullos, quibus prædam advexerat, comburi faciebat. Etenim qui B. E. temerè attrectare atque diripere, cœnobia invadere, eorumque census in usus profanos privataque commoda convertere ausi sunt, & audent, vereri debent, ne ob sacrilegium tale verè illas, quarum antè meminerimus, fundatorum malectiones, licèt serò, experiantur, & ejusmodi bona propria ipsorum velut rubigo ferrum, & ignis consumens comedant. Unde etiamnum hodie vulgi vox circumfertur: **Pfaffen Gut hat Adlers Federn. Es kommt nicht auff den dritten Erben. Die Heiligen hohlen das Wachs wieder. Kirchen Gut ist Zünd-Pulver/hat eiserne Zähne / es frist eins mit dem andern hinweg. Es ist mit den Heiligen nicht gut schertzen / sie zeichnen gerne.** Quod videtur consonum illi Salomonis *prov. XX. 25. Ruina est homini devorare sanctos.* Plena sunt Historicorum tristibus exemplis monumenta, in quibus verum extitit, quod Salomon *proverb. XI. 24. Eccles. VI. 2.* dicit: *Vnus distribuit suum, & ditior fit, alius aliorum bona rapit, & fit pauperior.* Sæpe neglectam religionem se ipsam graviter ultam esse, pluribus tam Christianorum, quàm Gentilium exemplis probat Pet. Peckius *Comment. ad Reg. Jur. Can. pag. 165.* & nullum, qui in usum privatum contulit, quæ publicis piisque usibus erant dicata, aliquo cum fœnore furta possedisse, refert Theodorus Reincking. *in Pol. Bibl. lib. 1. axiom. 19.*

IX. Equidem nagari non potest, quin res prædiaque Ecclesiastica, si usus, ad quem destinata sunt, impius vel superstitiosus deprehendatur, ad alium superstitione rejectâ conferre possint Imperantes; approbat enim hoc sanctio pacis Relig. *de anno 1555.* **Als auch den.** Haut indè tamen inferendum, quòd bona ista superstitioso dicata cultui, profanis commoditatibus statim applicare liceat, nisi quis velit

lit crimen sacrilegii incurrere. Quemadmodum enim legatum alicui relictum sub conditione impossibili, non ideo cadit in commissum, quia conditio est impossibilis adjecta, aut relictum sub modo, ut tales vel tales ludi fiant, forte in illa Civitate non permissi, quia ludi non celebrantur: sed conditio impossibilis habetur pro non adjecta, per *l. 3. D. ne cond. & dem.* sed modus illicitus in alium licitum est transferendus, *l. legatum. 6. & l. quidam 17. D. de usu & usufr. leg. & l. 4. D. de admin. rerum ad civ. pert.* Sic itidem relicta sub abusu aliquo Ecclesiæ, per Magistratum pium & Christianum ad usum cultumque divinum meliorem sunt transferenda *Nov. 37. de Eccles. Afric.* vid. Zepper. *de Polit. Eccl. lib. 2. c. 26. & de leg. Mosaic. lib. 4. cap. 10.* Binder. *Disp. de bon. Eccles.* Thum. *eod. tr. q. 7.* Danæ *3. Pol. Christ. c. 2.* latè Hortled. *de caus. bell. Germ. tom. 1. lib. 5. & 7. per tot.* Besold. *d. cap. 7. n. 1.* Syring. *de pac. Relig. th. 38. lit. b.* Ita tamen ne in totum pereat intentio eorum, qui illa reliquerunt, *arg. l. 16. D. de Usu & Usufr. leg. & l. 4. de administr. rerum.* Iniquum quippe foret, ut quæ in usum Ecclesiæ, etsi superstitiosè, aut pauperum gratia Ecclesiæ sunt relicta, ab iis, quos ea maximè conservare, & emendare, sicubi vitium occurrat, oportuit, in alienum & toto genere ab intentione generali testatorum deviantem transferrentur usum, *l. 1. D. de adm. rerum.* Wesenb. *consil. 37. num. 8.* Hortled. **in Reichs-Handl.** *lib. 4. cap. 7. num. 10.* Cran. *de Pac. Relig. part. 1. probl. 5.* Licèt etiam usus, in quem bona illa destinata fuerunt, planè deficiat, ea tamen, ceu bona vacantia, nil magis Fiscus occupare potest. Schurff *cent. 1. consil. 48. num. 11.* Camman. *de regal. disp. 8. th. 11. & 12.* Reinck. *lib. 3. cl. 1. cap. 3. num. 15.* multo minus ab hæredibus ob deficientem usum vindicari possunt, Cran. *c. l.* Bruning. *de jur. univers. th. ult.* Etiamsi quoque bona Ecclesiastica bello capiantur, ea tamen profanari nefas esse tradit Grot. *de J. B. & P. lib. 3. cap. 5. num. 2.* Carpzov. *ad L. Reg. cap. 4. §. 4. num. 1.*

X. Sunt profectò infinitæ causæ, ad quas reditus isti justè conferri possunt. Si enim satis prospectum sit Ecclesiis, eorumque Ministris, poterunt Ecclesiæ bona in usus alios, non tamen toto genere diversos, sed pios transferri, vel ut redimantur captivi, vel ut egenis consula-

sulatur, vel ut Scholæ, Ecclesiæ Dei seminaria, sustententur, vel ut illi alantur, qui postmodum Ecclesiæ Dei futuri sunt utiles, arg. *l. sancimus. 21. l. quoniam. 26. C. de SS. Eccl. cap. cùm secundùm Apostolum. 16. extr. de præb.* vel etiam in Equestribus ordinibus constituendis impenderentur, quod votum Nic. Bersii *in tr. de pact. fam. ill. cap. ult.* sequente ipsum Christ. Besoldo *de succ. reg. diss. 6.* mirificè arridet Dom. Arumæo *Disc. Acad. de I. P. 10. th. 38. pag. 369.* Et hoc laudabiliter superiori seculo Principes quosdam pios fecisse, refert & commendat Everh. à Weihe *in Aulico Polit. reg. 216.* Quorum vestigia alii, qui profanas manus bonis ejusmodi præter necessitatem admoverunt, si presserint, non habuisset causam exclamandi Autor Antonomiæ, qui fuit Franciscus Burchardus Coloniensis Cancellarius, non sine opprobrio Protestantium, hisce verbis: **Wo sind ihrer Eltern Stiffte und Clöster? Ist es nicht alles** profanieret/**abgethan/niedergerissen/und verwüstet? Seyn nicht auß Bißthumen Weltl. Fürstenthume/Roß-Stelle/Tantz-Häuser/Pulver-Kästen/Bade-Häuser** ꝛc. **auß den Clöstern gemacht worden? Wo man zuvor einen Bischoff/** Prælaten, Religiosen, **Priester/einen** Canonicum **gefunden/da sitzt jetzo ein Obrister/ein Weltlicher Raht/ein Edelmann/oder Schösser und Bauern Schinder** ꝛc. *part. 3. c. 16.* Quod, uti approbandum quidem non est, ita omnibus in genere Protestantibus falsissimè imputat virulentus Autor, cùm ipse *in fine d. c. 16.* fateatur, **da man etlich** 1000. **jährlich Einkommen in die Cammer ziehet/und davon/wann es anders wohl geräht/eine Sectische Schule anrichtet** ꝛc. Sed non evertet aspera dicacitate sua pium, & Christianum institutum, quo tanti reditus tantis in Papatu abusibus immersi, ad pios & legimos usus applicati. Vid Gottfr. Suevius *in thes. secul. ad Pac. Reg. propos. 9. th. 2. pag. 130.*

CAP.

CAP. IV.

De
Secularisatione licitâ.

I.

SEcularisationem B. E. non simpliciter quidem, sed regulariter omni jure prohibitam esse, capite præcedente demonstravimus, ubi hanc posuimus regulã: *Bona & possessiones, quæ à majoribus nostris ex singulari devotione, quamvis plerunque superstitiosa, ad Ecclesiæ & pios usus dedicata ac donata sunt, in privatos ac profanos temerè non sunt convertenda, sed potiùs superstitione & abusu rejectis in parilem rursus usum pium, vel meliorem adplicanda.* Dico: *regulariter.* Sunt enim certæ causæ, ob quas & naturalis, & divina, & civilis ratio, observatis quibusdam requisitis infrà ponendis, permittit bona Ecclesiastica in alios etiam usus, seu privatos seu publicos, eosque seculares convertere, & salva ac illæsa conscientia possidere. Quemadmodum enim bona Ecclesiastica secularia fuerunt, antequam in manum mortuam Ecclesiæ devenerunt, ita etiam pòst temporalia manent, & non nisi jure humano possidentur, quidni igitur eorundem jurium vi & more iterum amitti possint?

II. Inter causas verò, quæ bonorum Ecclesiasticorum secularisationem licitam reddunt, agmen ducit *Necessitas*, eaque non tantùm physica & naturalis, cujus scilicet evitatio non est in potestate nostra, sed etiam moralis, quam sine magno damno evitare non possumus, at absolutè possumus, si velimus. Non enim aurum habet Ecclesia, ut illud servet, sed ut erroget, & subveniat in necessitatibus, *c. aurum. cum seqq. de Eccl. Afr.* Et casus necessitatis de non licito facit licitum, cùm ab omni dispositione exceptus sit, *per text. in l. 1. ibi. necess. suas. C. de oper. Lib. & c. quod non 4. extr. de R. J.* Quemadmodum igitur res Deo dicatas, quæ aliàs sunt extra commercium, in casu necessitatis vendere non est prohibitum, *l. sancimus. 21. C. de S S. Eccl.* Ita licebit etiam bona, Episcopatibus olim, Ecclesiis, ac Monasteriis data, adhibere in alios

alios usus, quæ adhiberi postulat necessitas. Si quoque præstat Ecclesiam conservari per bona Ecclesiæ, quàm eandem cum omnibus bonis probabiliter perditam iri, sicut omnibus amissis nulli inposterum locus esse possit restitutioni: etiam præstabit in extremo necessitatis casu defensioni & liberationi Reip. reditus Ecclesiasticos impendi, quàm ut postmodum frustra remediis adhibitis, cum Rep. Ecclesia pessundetur. Unde bene Hugo de S. Vict. *lib. 2. de sacr. fid. part. 2. c. 7. Nunquam possessiones à Regia potestate ita elongari possunt, quin si ratio postulaverit, & necessitas, & illis ipsa potestas debeat patrocinium, & illi ipsæ possessiones debeant in necessitate obsequium.* Requiritur autem, ut necessitas illa vera sit & urgens, non palliata aut affectata; alioquin enim vulgatam illam juris Canonici regulam: *Quod semel Deo dicatum, ad alios usus transferri nequit*: minimè limitabit, accuratè, ut omnia solet, demonstrante Dn. Ahasv. Fritschio JCto & Consil. Schwartzburg. celeberrimo, Patrono meo sempiterna pietate observandissimo, *in Disput. sua inaug. de præsidio necessitatis contra legem concl. V. §. 5.*

III. Proximum à necessitate locum inter causas secularisationem B.E. justam reddentes sibi vindicat *Utilitas Reip.* Quamvis enim aliàs non omne, quod in casu necessitatis licet, illud statim etiam justum & licitum sit in casu utilitatis, propterea, quòd necessitas sit supra legem & cogat, utilitas verò suadeat, & alia adhuc remedia admittat, Utilitati tamen excellenti & publicæ ea æstimatio accedere potest, ut non minus quàm necessitas licitum reddat quo alioquin extra illam illicitum foret. Cùm igitur honesta sit omnis ratio expediendæ salutis, per *l. ut vim. 3. D. de J. & J.* Cicer. *pro Milon.* Marius Giurba *consil. decis. crim. 17. n. 32.* honestum etiam erit, si aliter Salus publica obtineri non possit, bonis Ecclesiasticis ad hoc uti. Si enim in Rep. continetur Ecclesia, & salva Rep. Ecclesia salva esse poterit, eâque versa Ecclesia funditus evertatur, (quo etiam nomine Deus voluit, ut pro salute Regni & Regis, sub cujus tutela Ecclesia liberum habet cultus divini exercitium, precarentur fideles, *Esræ VI. 10.*) sequitur, ut si Ecclesiæ bona in Reip. salutem impendantur, sine qua Ecclesia salva esse non potest, eadem in bonum Ecclesiæ, id est, in ejus defensionem

&

& conservationem impendantur. Qui enim illum tuetur, quo salvo, ego salvus ero, quôque cadente, ego cado, ille me tueri dici poterit. Et qui eversum vult Ecclesiæ defensorem, Ecclesiam ipsam vult eversam. Hæc enim sunt paria.

IV. Non tantùm verò sola extrema necessitate urgente aut Reip. utilitate suadente licet bona consecrata in alios usus impendere, verùm etiam si quando illorum ea est *abundantia*, ut quamvis summa aliqua detracta, tamen satis supersit ad sacrorum usus, & præsertim quidem si bonis illis Clerici superbiant, ac dominentur, tunc enim ea à Principe non malè vindicari posse statuunt D. Conring. *animadv. in B. Inn. X. c. 6.* Blold. *de Majest. sect. 2. cap. 7. num. 3. in fin.* & Magn. Dn. Nic. Mylerus *in addit. ad Rumel. in A. B. Car. IV. part. 3. Diff. 3. coroll. 3. p. 717.* Interest enim Reip. ut ne qua nimia opum abundantia in sacro sit ærario, ne scilicet illa sacerdotum noceat pietati ac sanctimoniæ ceu solent divitiis mores corrumpi, quos integerrimos in sacerdotibus servari plurimum publicè interest. Nec strui Ecclesiam auro, sed destrui, apud Sulpitium Severum Episcopum Bitaric. *Dial. 1.* legimus. Et quanto magis ditescit, tanto magis periclitari, *Vasq. lib. 1. Controv. c. 6. n. 2.* Greg. Tholosan. *de Rep. lib. 13. c. 17.* docent. Unde Bernhardus inquit: *Sub Christianis quidem Imperatioribus profecit Ecclesia opibus, defecit verò virtute*, citante Reincking. *l. 1. de R. S. & E. cl. 2. c. 8. n. 88. p. 84.* Et tempore, quo Pontificies Provincias & Jurisdictionalia bona possidere cœperunt, vocem hanc de cœlo auditam fuisse: *Hodie seminatum est in Ecclesia Dei venenum aspidum,* magni Viri referunt, teste Nic. Boer. *decis. 69. num. 2.* Qua de causa de Maximiliano I. Imp. legimus, eũ non semel in animo habuisse, jura Imperii in Patrimonio Petri & aliis Provinciis à Pontifice possessis eidem competentia vindicare, prout tradit Waremund. ab Ehrenberg. *de subsid. regn. cap. 1. n. n. 22.* Cùm igitur ad Ecclesiasticum officium tot possessiones non sint necessariæ, nec intersit Ecclesiæ, plus æquo dotari, utique copiâ Ecclesiasticorum proventuum inopiæ seculari subvenire licet, Limn. *ad Cap. Car. V. pag. 282.* dummodo de superfluo antè non instituatur deliberatio, nisi postquam Ecclesiæ ubique bene provisum sit.

V. Propter *Pacem* etiam *redimendam* (quamvis hoc ad casum ne-

cessitatis vel utilitatis Reip. referri possit) bona Ecclesiastica alienari & secularisari posse, præclarè demonstravit Caramuel Abbas Disenberg. & Monsserrat. ingenii & industriæ haud vulgaris *Opere Theologico-Politico de S. R. Imp. Pace licita demonstrata Rat. 7. pag. 140.* quicquid etiam cum suis Fabiis & Ernestis Innocentius in Bulla sua dixerit. Multa namque contra juris stricti rationem recepta esse ob solam pacis conservationem, tranquillitatem & concordiam, constat ex *l. hoc modo. 64. §. ult. D. de condit. & demon. l. 3. C. de primipil.* Bartol. *in. l. quemadmodum. C. de agric. & censit. lib. 11.* Et pro beneficio habendum, si quid ratione pacis & quietis contra strictum jus factum sit, ut Baldus in *tit. de pace Const. §. hoc quoque nos. in fin.* docet. Imò quod aureæ pacis causa conceditur, secundùm omne jus factum esse censetur. Anton. Conf. *in tr. de privil. pac. privil. 60.*

VI. Tandem ad seculares quoque usus revocari possunt bona Ecclesiastica, *si cum certa pernicie Reip. subtracta sunt*, semper enim penes Remp. fuit, emendare quæ ipsi nocumento sunt. Petr. Molinæus *de Monarch. temp. Pontif. cap. 18. & 21.* Dn. Lans. *de relig. cur. cap. 3 f. 70.* Thum. *de Bon. Eccl. q. 5. fol. 67.* Cacheran. *decis. 68. num. 8.* & antè laudatus Dn. Nic. Myler. in addit. ad Rumelin. *pag. 3. D. 3. ad A. B. cor. 3. p. 716.* Nec aliter bona Ecclesiis aut Ecclesiasticis dari potuerunt, quàm hac sub conditione, *nisi quid Resp. detrimenti indè capiat*, sive à privatis data sint, sive ab ipsa Rep. Privata enim omnisque privati donatio, in quantum Reip. est perniciosa, in tantum invalida est. Quid? quod ipsa Resp. teste Paulo, non habeat authoritatem ad destructionem, sed ad ædificationem; Ergo nullam voluit, nec etiam potuit, donationem validam facere, quæ ejusdem destructionem inferret. Quoniam sicut homo privatus non potest dare panem, quo extremè indiget, nec potest, quo non indiget, se obligare ad non resumendum donatario à divite, etiam si extremè indigeat: Sic Resp. nec potest dare Ecclesiasticis bona, quibus ipsa indiget, nec dando illa, quibus non indiget, se potest validè obligare ad non resumendum illa, etiamsi extremam indigentiam incurrat, & illi non egeant. Cùm igitur quantum Ecclesiæ accedit, tantum Reip. decedere necesse fit, oportet Principi curæ esse, ne propter nimiam quorundam supersti-

tio-

tionem tota Resp. labefactetur, quod propter irregularitatem possessionum pluribus Civitatibus accidisse Aristoteles tradit *lib. 2. Pol. c. 7.*

VII. In hisce igitur casibus secularisatio B. E. licita est, nec ullo jure improbatur. Quod enim attinet jus naturæ, Moralistarum unanimis ferme est sententia, in gravissima necessitate reviviscere jus pristinum utendi rebus, tanquam si illæ communes mansissent, nulla proprietate singulorum instituta, *arg. l. 2. §. 2. vers. itidem agitatum est. D. ad L. Rhod. de jact.* id quod latè etiam deducit Grot. de *J. B. & P. l. 2. cap. 2. §. 6.* Frantzkius *var. Resol. lib. 7. resol. 2. num. 23.* ac præprimis *num. 30. & 31.* Besoldus *Dissert. de jure rerum cap. 4. num. 11.* Thomas *2. 2. q. 66. art. 7.* Dicastillo *de J. & J. L. 2. tr. 2. D. 9. dub. 9. num. 24.* Nec excipi ab hac regula universali bona, quæ Ecclesiastica dicuntur, sed etiam illa necessitatis tempore omnibus effici communia, seorsim præclarè demonstrat Castrensis *consil. 415.* Dein commune Ecclesiasticis pariter est ac profanis bonis, ex hominum instituto & moribus, accedente Reip. authoritate, aliam atque aliam conditionem subire, nec certè vel divina vel naturæ lex bonis Ecclesiasticis perpetuam ac immutabilem aliquam vim indidit, quin potiùs à potestate Civili, cui jure naturæ supereminens Dominium in omnia sibi subjecta, sive profana sint sive Ecclesiastica, competit, ad Reip. utilitatem justè mutari, & in aliam formam redigi possunt.

VIII. Quis non existimet, inter Regum Judaicorum religiosissimos fuisse Asam & Ezechiam? & tamen Asa *omne argentum & aurum, quæ reliqua erant in thesauris Iehovæ etiam thesauros domus regiæ tradidit Benhadado Regi Syriæ, I. Reg. XV. 18. 19.* Ezechias verò *Confractas Dominici templi valvas, quasque ipse affixerat auri laminas, detraxit ut eas traderet Assyriorum Regi, II. Reg. XVIII. 14. seqq.* Simile quid à Davide factitatum, qui in casu necessitatis, cùm periclitaretur fame, ingressus in domum Domini, non dubitavit panes propositionis sibi suisque comitibus à Sacerdote Abimelecho petere, & commedere, I. Sam. XXI. 6. quibus non nisi solis Sacerdotibus cæteroquin vesci fas erat, Exod. XXIX. 33. Lev. XXIV. 9. Idque in exemplum à Salvatore nostro est laudatum Matth. XII. 3. 4. & Luc. VI. 3. in tantum,

ut de jure suo dispensante, hunc casum permissum non tantùm, sed approbatum fuisse, manifestò evincatur.

IX. Quod jus Civile concernit, Imp. Justinianus *in Nov. Const. VII. cap. 2.* demonstrato prius, nihil inter homines stabile, & ita immobile esse, ut nullam patiatur mutationem, permittit imperio, *si qua communis commoditas esset, & ad utilitatem Reip. respiciens, & possessionem exigens Ecclesiasticæ alicujus rei immobilis, hoc ei à sanctissimis Ecclesiis, & reliquis venerabilibus domibus ac Collegiis percipere licere, undique sacris domibus indemnitate servatâ, & recompensanda re eis ab eo, qui percepit, æqua, aut etiam majore, quàm data est; cùm nec multum differant ab alterutro sacerdotium & imperium, & res sacræ à communibus & publicis: quando omnibus sanctissimis Ecclesiis abundantia & status ab Imperialibus munificentiis perpetuò præbeatur.* Nec prohibetur Resp. uti templo pro propugnaculo, si utilitas ejus ita exigat, ut vult Castrensis *in l. nullus hæreticus. num. 6. C. de S. Trin.* Et Ecclesiam conservare de bonis Ecclesiæ, ubi alia non suppetant, injuriasque ab ea profligare, non licitum tantùm est, sed & pium, *arg. leg. 17. C. de SS. Eccl.* pium igitur quoque & licitũ erit, in casu necessitatis utilitati Reip. bona Ecclesiastica, si alia deficiant, impendere, quo facit *l. sancimus. 21. C. de SS. Eccl. Nov. 120. §. sacro sanctis, & Nov. 65. pr.* Quódque hoc nec jus Canonicum improbet, colligere est ex *cap. aurum. cum seqq. de Eccl. Afr. cap. quod non 4. extr. de R. I. & gl. cap. quippe. 3. q. f.*

X. Denique secularisationem bonorum Ecclesiasticorum licitam quoque pronunciavit *Instrumentum Pacis Osnabrugo Monasteriense,* quippe in quo multa feuda Ecclesiastica, Archi-Episcopatus, ac Abbatiæ cum consensu totius Imperii alienata, & in formam secularium redacta sunt. Quod Instrumentum Pacis deinde in Comitiis Ratisponensibus Anno 1654. confirmatum, & omnium Statuum consensu corroboratum est, ita ut inposterum pro Lege imperii, pragmaticâ sanctione, & immutabili æternumque valiturâ Imperii Constitutione reputetur, & æstimetur, quòd easdem cum aliis decretis tam in judicando, quàm probando vires obtinere debeat, spretis Protestationibus omnibns, spretis Papalibus Bullis.

CAP.

CAP. V.

De Causa Efficiente secularisationis B. E.

I.

QUibus in casibus secularisatio bonorum Ecclesiasticorum licita ac permissa sit, hactenus vidimus, incidit nunc controversia nos inter & Pontificios vexatissima: *quis bona Ecclesiastica usibus Ecclesiasticis eximere, & ad profanos, exigente id Reip. utilitate, revocare possit?* Hi enim omnia Ecclesiastica bona, eo ipso dum Ecclesiis traduntur, jure divino exemta à dominio & potestate Laicorum, & summum eorum dominium ex speciali jure vel penes ipsum Christum, vel ejus Vicarium Pontificem esse volunt, per Innocent. *in c. cum super. num. 2. de caus. poss. & propr. & inc. verum. n. 2. de foro compet.* Afflict. *decis. 361. n. 22.* Suarez. *cap. 17. num. 9. & cap. 18. num. 3. 7. cap. 21. n. 5.* Th. Delbene *de immun. & Idict. Eccl. part. 2. cap. 10. dub. 16. num. 4. pag. 107.* deque iis neminem disponere, vel ea in aliam posse transmutare qualitatem, quàm solum Pontificem. Ern. de Euseb. in Jud. Theol. *super quæst. an pax qualem desiderant Protest. sit secundum se illicitata, sect. 3. th. 5. & sect. 4. rat. 4. §. 5.* Caramuel *cit. Op. p. 17.*

II. Nobis verò, quibus satis constat, omnia bona Ecclesiastica, non minus atque alia quæque privatorum Civium, subjacere potestati Civili, satis etiam persuasum est, ea, si postulet Reip. necessitas, in communitatem recipi, donari, & à quovis Magistratu Politico alienari in salutem publicam jure posse; Papam verò in bona Ecclesiastica, qualia etiam cunque fuerint, nihil divini quidem juris habere, sed si quid habet, id omne humanis institutis ac Legibus niti, & iis unicè esse definiendum. Ut ita causam Efficientem secularisationis non solum Pontificem Romanum, vel Clericos, sed quemvis secularem Principem superioritate territoriali gaudentem constituamus.

III. Bona enim Ecclesiastica, quæ Ecclesiis & Monasteriis adplicata

ta fuerunt ex privarorum quidem dominio & potestate exiverunt, non tamen etiam ex illo, quod summæ Majestati in omnia Reip. bona competit, dominium eminens, vel Jurisdictionis appellatum. Sicut enim Impetrantibus ab ipsa natura omnium eorum, quæ ad salutem Reip. necessaria sunt, potestas conceditur: Ita etiam non solùm personæ & actiones civium, sed omnia etiam bona intra Reip. terminos sita, eatenus illis subjecta sunt, tam Ecclesiastica, quàm profana; salvâ tamen proprietate singulis Dominis semel constituta. Dn. Boeclerus *ad lib. 1. c. 1. Grot. de I. B. & P. pag. 93.* Non solùm ergo de bonis privatorum ex utilitate & necessitate publica disponere, sed etiam de Ecclesiasticis eas ordinationes facere possunt, quæ & cultus divini ratio, & Reip. salus exposcit. Neque etiam fundatores potuerunt vel voluerunt fundando beneficio Ecclesiastico eripere Reip. jus suum, sed quemadmodum ante fundationem beneficiorum summum dominium fuit penes Remp.; ita etiam post fundationem semper Reip. manserunt sua jura, adeoque mansit summum dominium. Id quod innuit Hugo de S. Victore *lib. 2. de sacr. fid. part. 2. cap. 7. De his autem bonis terrenis, inquiens, quæ vel possident Prælati in subjectis, vel subjecti à Prælatis, quædam Ecclesiis Christi devotione fidelium concessa sunt possidenda, salvo tamen jure terrenæ potestatis. Sic enim rationabile est & bonum, quia Deus nimirum pacis amator est, & nihil inordinatum approbare potest vera justitia, Spiritualis siquidem potestas non ideo possidet, ut terrenæ in suo jure præjudicium ferat.*

IV. Et in universum certum utique est, omnes Ecclesiasticas possessiones, sive immobilium rerum, fuisse antea in privatorum potestate. Civium autem singulorum bona nequeunt profectò exire summo Reip. jure, nisi authoritate eorum, quos penes est τὸ κύριον. Quamobrẽ rectè docet Augustinus *tr. 6. ad cap. 1. Ioh. Vnde quisque possidet, quod possidet? nonne jure humano? nam jure divino Domini est terra & plenitudo ejus: Pauperes & divites Deus de uno limo fecit, & pauperes & divites una terra supportat; jure tamen humano dicitur: hæc villa mea est, hæc domus mea, hic servus meus est: jure humano, jure Imperatorum. Quare? quia ipsa jura humana per Impp. & Reges seculi Deus distribuit generi humano, &c. Sed dicis quid mihi & Imperatori? Secundùm jus ipsius possides*

des terrena. Tolle jura Impp. & quis audet dicere, mea est illa villa, aut meus est ille servus; aut domus hæc mea est? Hæc Augustinus, quibus adstipulatur Ambrosius *lib. 1. Epist. 1. Non vis esse obnoxius Cæsari, noli habere quæ sunt mundi. Qui enim mundanas captat divitias, eum oportet pati, ut Dominus mundanus in rebus suis dominetur.* Quæ si quis Paulo attentius expendat, non poterit non fateri, bona Ecclesiastica in se temporalia esse, nec nisi jure humano, & per concessionem potestatis Civilis ab Ecclesiis & Monasteriis possideri, sique requirat Reip. Status illorum possessionem mutari, & à Magistratu Politico, qui solus arbiter est eorum, quæ à quoque possidenda sunt, aliis concedi posse.

V. Ita Christiani Impp. Arcadius & Honorius temporibus S. Augustini circa annum Christi 398. Donatistis & Anabaptistis templa sua & bona Ecclesiastica eripuerunt, & veris Ecclesiis ac communionibus Christi applicarunt. De hoc conquerebantur Donatistæ, putantes, hoc Impp. non esse, ita in bona Ecclesiastica imperare. Verùm S. Augustinus respondebat illis his verbis, *distinct. 8. c. quo jure: Nolite dicere, quid mihi & Regi? quid tibi ergo & possessioni? Per jura Regum possidentur possessiones. Dixisti, quid mihi & Regi? Noli dicere possessiones tuas, quia eo ipso humana jura renunciasti, quibus possidentur possessiones.* Hæc loquitur S. Augustinus de bonis Ecclesiasticis, & hujus sui responsi adversus Donastitas & Anabaptistas nullum aliud fundamentum ponit, quàm quòd unusquisque superioribus, qui gladium gerunt, obedire debeat, allegans dicta Pauli *ad Rom. XIII. & Tit. III.* Unde & Ambrosius fatetur Imperatori jus esse vindicandi agros Ecclesiasticos, *serm. adversus Auxentium: Si tributum*, inquit, *petit non negamus; agri Ecclesiæ solvunt tributum; si agros desiderat Imp. potestatem habet vindicandorum; nemo nostrum intervenit; potest pauperibus collatio populi redundare: non faciant de agris invidiam, tollant eos, si lubitum est.* Etiam Leo I. hoc probè ad Imp. Leonem: *Debes Imperator ineunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam.* Quod considerans Adrianus Papa Carolo Pipini Filio non urbis solùm, sed Ecclesiæ etiam urbanæ dispensationem ita largè contulit, ut ne de sacris quidem & Ecclesiasticis rebus

con-

constituendis Principe inconsulto deliberaretur. Quem secuti multi post Gregorium Pontifices, vel juramento fidem facere Germaniæ Principibus non dubitarunt, donec Gregorius VI. & subsequentes antiquissimo & æquissimo illo jure Principes Germaniæ destituerint.

VI. Cùm verò per Transactionem Anno 1552. Passavii initam, & hanc Anno 1555. secutam Pacem Religionis, prout ea Anno 1566. Augustæ Vindelicorum, & post in diversis S. R. Imp. Comitiis universalibus, & tandem Instrumento Pacis Cæsareo Suecico art. 5. §. transactio. 1. confirmata fuit, unanimi Imp. Electorum, Principum ac Statuum utriusque Religionis consensu, Jurisdictio Ecclesiastica Pontificiorum, in terris ac ditionibus Augustanæ Confessioni addictorum, planè fuerit suspensa, hisce Jurisdictio seu Regimen tam Ecclesiasticum quàm seculare, atque adeò simul potestas de bonis Ecclesiasticis pro utilitate Ecclesiæ & Reip. disponendi, in terris ac provinciis suis vigore territorialis superioritatis, **Krafft habender Landes Fürstlichen Hohen Obrigkeit** / jure meritóque restitutum est. Ut adeò hodie quilibet Imperii Status in suo territorio summâ vi polleat, liberam ac ferè Regiam Majestatem habeat; quod enim in absolutis Regnis Majestas dicitur, id ferè in Statibus Imperii Jus territoriale permittit, ut latè deducit Herm. Stamm, *de servit. person. l. 3. cap. 10. num. 30. seqq.*

VII. Quicunque igitur superioritate territoriali gaudet, gaudet etiam jure secularisandi. A sola qualitate feudali & subfeudali jus hoc non dependet. Sola etiam criminalis Jurisdictio, solumque jus gladii & retentionis, potronatus, filialitatis, neque conjunctim neque divisim potestatem hanc tribuunt. *Inst. Pac. Cæsareo Suec. art. V. §. A. sola. 14.* Quod attinet Ecclesiasticorum bona per Germaniam, illorum præcipua citra controversiam subjecta sunt summæ Imperii potestati, utpote cùm sint & manserint Imperii feuda, nec naturam exuerint, etiamsi ab Ecclesiasticis possessa? Ideoque à solo etiam Imperio, hoc est, Cæsare & Statibus tam Ecclesiasticis quàm secularibus, suadente id Reip. utilitate, secularisari possunt. Penes hos enim conjunctim sumptos Majestatem Imperii nostri residere, nova Capitulatio perpetua modernis in Comitiis propediem ad umbilicum deducenda clarè nos edocebit. Propria verò & mediata B. E. *cæteris paribus*, quilibet Status secularisa-

risare potest, sub cujus Jurisdictione sita sunt, tam Electores, quàm Principes, Comites & Barones immediati, per *Instr. Pac. art. V. §. quæcunque monasteria. 9.* Item Nobiles Imperii immediati, *ib. §. Libera 10. & Civitates Imperii liberæ, §. Libera Imperii 11.*

CAP. VI.

De

Causa Materiali secularisationis B. E.

I.

OBjectum, sive *materia circa quam* Secularisatio versatur, sunt *bona Ecclesiastica*, quæ, ut suprà dictum, bipartita sunt. Quædam enim Deo consecrata sunt, & principaliter ac imediatè ad cultum spectant, qualia sunt tam mobilia, ut donaria divino cultui sacrata, *l. 4. §. 1. D. ad L. Jul. Pecul. Novell. 120. cap. 20.* simulacra, vestes, calices, & alia vasa aurea, vel argentea, quàm immobilia, ut ædes sacræ, cum area & finibus suis. Quædam sunt in patrimonio Ecclesiæ, monasterii, aliorumque locorum ad pios usus fundatorum, ut sunt: annui reditus, census, decimæ, prædia, domus, monasteria, asceteria, civitates, præfecturæ, provinciæ, & quocunque nomine res illæ immobiles, & territoria, ut Archi- & Episcopatus, Abbatiæ, Primatus, Ballivatus, Commendaturæ &c. vocari possunt, quæ olim ad dotem, ad fabricam, ad alimenta ministrorum Ecclesiæ destinata, aut ad piam causam relicta sunt. Illa vocantur res *sacra*, & absolutè commerciis hominum propter singularem qualitatem exemta sunt, *§. 8. Inst. de R. D. l. 1. D. eod. leg. 21. C. de SS. Eccles. Nov. 46. & 67. c. 4.* Hæc in commerciis hominum posita sunt, *leg. 6. C. de contrah. emt.* & appellantur *bona Ecclesiastica*, quia scilicet eorum proprietas est Ecclesiæ, *arg. leg. 14. C. de SS. Eccl. Auth. omnes peregrini. C. commun. de success. c. relatum. c. cum esses extr. de Testam.* Dn. Struv. *Synt. Iur. Civ. Exerc. 3. th. 70. pag. 100.*

II. Dicuntur aliàs bona in specie Ecclesiastica etiam *Sacra*, sed abu-

sivè, cùm tota sua natura secularia sint, solis iis, quæ propriè & immediatè cultui divino inserviunt, vim ac essentiam sacrorum bonorum tenentibus. Inconvenientius elogium, & à loquela sacri Codicis remotissimum, à Scriptoribus præsertim Pontificiis his bonis tribuitur, dum *Spiritualia & patrimonium Crucifixi* appellantur, hoc fortè scopo, ut ea à secularibus Magistratibus intacta prorsus, & inaccessa redderent, cùm tamen spirituale nihil omnino habeant, & præterquam quod plurima, quô jure, quâque injuriâ, malis artibus ac commentis corrasa Salvatori nostro abominationi sint, etiam non satis pium est Christo, cujus patrimonium, teste Johanne, non est de hoc mundo, patrimonii vice ea assignare, quibus in ingens meriti ejus præjudicium superstitiosi vitam æternam promereri instituerunt. Puriore igitur religione imbuti à talibus elogiis meritò abstinent. Dn. Conring. *animadv. ad Bull. Iun. X. cap. 6. pag. 174.* hæc mavult *Ecclesiasticorum bona* vocare, quia sint in possessione personarum Ecclesiasticarum, quàm *Ecclesiastica*, cùm hoc nomen illa demum mereantur, sine quibus Ecclesiæ sacra haberi nequeant.

III. Quemadmodum autem Ecclesia diversa propter membra in veram & falsam distribuitur; Ita bona quoque Ecclesiastica alia sunt *veræ Ecclesiæ*, alia *falsæ*. Quod attinet bona Ecclesiastica veræ Ecclesiæ, ab illis, quantum fieri potest, abstinendum est, ne fortè cupido invadendi B. E. necessitatis obtentum facilè reperiat. Itaque bonis fiscalibus exhaustis, etiam patrimonialia Principis & privatorum, potiùs ad ornatum, quàm necessitatem, aut utilitatem facientia, excutienda sunt, & in usum Reip. convertenda, antequam Ecclesiæ bona invadantur, cùm hæc augenda potiùs & amplificanda sint, quàm diminuenda, per ea quæ tradit Carpzov. *lib. 1. Iurispr. Consist. tit. 7. def. 98.* §. *2. pag. 113. & lib. 2. tit. 19. per tot.* Reincking. *l. 3. cl. 1. c. 8. pag. 534.* Si tamen adeò urgens Patriæ sit necessitas, ut vix quippiam supersit, unde ei prospiciatur, & nisi tempestivè necessaria suppeditentur, non aliâ ratione saluti publicæ consuli possit, nisi ex bonis Ecclesiæ debitis bellum geratur, militibus subsidia subministrentur &c. non jam adeò rigidè bonorum Ecclesiasticorum jura tueri potero, quin existimem, ea satis tutò in publicas illas necessitates impendi posse. Eâ tamen lege, ut si inposterum

Resp.

Resp. ad felicitatis culmen assurgat, adeoque denuò floreat, primas partes obtinere debeat munificentia in Ecclesiam, id est, eorum, quæ Ecclesiæ anteà fuere subtracta, grata restitutio, tum sortis, cùm & usurarum, si scilicet abundè Reip. sit prospectum, arg. suprà laudatæ *Nov. 7. cap. 2.*

IV. De bonis Ecclesiasticis falsæ Ecclesiæ, quæ v. g. ad superstitiones Pontificiorum destinata & abusibus contaminata sunt, quæritur: *an Principes Protestantes ea superiori seculo occupare, & Fisco vindicare potuerint?* Cui quæstioni jam olim in utramque disputatæ à Cothmanno *Resp. Acad. 100. per tot.* Dillingensibus *cap. 9. quæst. 60. Compos. Pacis pag. 305.* Carpzovio *in Comment. ad L. Reg. Germ. cap. 3. sect. 10.* antequam meum subnectam judicium, quædam ex Historia repetenda erunt. Constat inter omnes, quantas quámque periculosissimas indè usque à primordio Reformationis Protestantibus Pontificii insidias per adhærentes suos struxerint, atque paraverint, quibus nostri indies etiam atque etiam coacti fuerunt, multis gravibusque se onerare sumptibus, hìc Diætis & confœderationibus, ibi Legationibus & armaturis, qui eò usque etiam accreverunt, ut quidam nostrorum Principum iis ferendis impares esse cœperint. Quoniam igitur solo Ecclesiæ bono, ut eam in pace ac Evangelio conservarent, sumptus istos nimios sufferebant. crediderunt, non adeò forè iniquum, si de bonis Ecclesiasticis aliquid saltem emolumenti reciperent, persuasi, sua Ecclesiæ præstita officia æquè ac alia, stipendio digna esse. Hos in aliquam sumptuum Ecclesiæ liberationi impensorum compensationem quædam Ecclesiasticorum bona, quorum pleraque Majoribus fraude, dolo ac mille artibus extorta fuerant, ac pessimè usurpata, licitè occupare potuisse, cum B. Luthero *Tom. 2. Isleb. fol. 313. b.* §. Ob aber der Land-Fürst auch etwas von solchen Gütern mag für sich selber behalten rc. statuimus, qui *ibid. fol. 314.* §. Was darnach übrig wäre/ im Bedencken: Von der Sequestration, bene respondit, licuisse Saxonibus aliquid de bonis Monasteriorum ad compensandos sumptus, in Religionis tutelam quos fecerant, sibi retinere. Erant etiam inter Principes, quorum belli calamitate res eò redactæ fuerant, ut proventus ordinarii status ipsorum conservationi minimè sufficerent. Nisi igitur de bonis Ecclesia-

clesiasticis illis subventum fuisset, subditos suos miseros aut tributis exhaurire, & ad incitas redigere, aut debita protectione destituere debuissent. Quo casu iterum existimo, æquitati fuisse consentaneum, ut pauperum subditorum ordinaria protectio etiam per bona Ecclesiastica conservaretur, iiq; à tributis, quibus ferendis non erant, liberarentur, cùm aliàs pauperibus succurrere, eorumque onus suscipere Ecclesiam quàm maximè deceat. Interim tamen complures Principum nostrorum aliquot quidem exigua monasteria à Monachis vacuefecerunt, verùm eorum reditus tantùm Hospitalibus, & prospectioni pauperum ac Scholarum applicarunt, nec obulum publicis vel privatis bonis incorporarunt. Laudat in hoc Principes Theod. Reinck. *tr. de R.S. & E. l.3. cl.1.c.3.n.13.p.514.* Everh. à Weihe in *Aulico-Politico Reg.216.* prolixè Hortleder **in Reichs-Handlungen** *lib.4.cap.7.n.10.f.126.* & Hornbeck. *in Comm. ad Bull. Inn. X. pag.110. seq.* Exemplorum loco sint Electores Saxoniæ *Fridericus sapiens*, ejus Frater *Iohannes*, & hujus Filius *Ioh. Fridericus*, qui omnia bona Ecclesiastica ad Dei gloriam piosque usus adplicasse commendantur. Quam ob causam etiam Johannes Fridericus *defensor & nutritor pastorum* dictus est, qui *Anno 1532.* exacto ab Universitate *Wittebergensi* subjectionis juramento, omnium Professorum salaria laudabiliter adauxit, & Academiæ variis ex monasteriis egregia additamenta adjecit. Cujus pia vestigia piè legerunt Ejus Serenitatis tres Filii, *Iohann. Fridericus* medius, *Ioh. Willhelmus*, & *Ioh. Fridericus junior*, qui *Anno 1558. d. 2. Febr.* inclytam Academiam *Ienensem* in Monasterio fundarunt. Saxoniæ Elector *Mauritius* tres literatum ludos *Anno 1540.* instituit, *Misenæ, Merseburgi, & Portæ*: singulisque locis certum numerum attribuit adolescentum. His omnibus victum præbuit atque vestitum, magistris etiam annua stipendia solvit, & in hunc usum applicavit eorum Collegiorum proventus, in quibus aliquando monachi vixerant, & id genus alii: Ex iisdem quoque bonis Academiam *Lipsiensem* auxit & amplificavit duobus aureorum millibus annuis, & modiis aliquot frumenti, commemorante Sleidano *lib.15.Comment.f.238.* Nec immeritò laudatur *Philippus Hassiæ Landgravius*, qui *Anno 1536.* reditus Monasteriorum ad Academiam *Marburgensem*, & ad quatuor

item

item *Nosocomia* transtulit. Hortleder. *lib. 5. cap. 2. f. 1959.* Eadem cura circa Ecclesiastica adhibita fuit in reformatione *Ducatus Würtebergensis*, unde *Anno 1537.* decretum, referente Bindero *in Thesibus de* B. E. **Es solle auch der Kirchen-Kast wieder mit allen seinen** Pertinentien **angericht / mit nichten geändert / viel weniger auch die Geistliche Güter unserer und unsers Fürstenthums** Prælaturen/ **Klöster / Probstin / Stifften /** Canonicaten/ **Pfründen / und also berührtes Kirchen-Kastens gantzes Einkommen durchauß in eignen/oder sonst in einigen anderen Nutzen/sondern mit stattlichem guten Raht einig und allein zu Unterhaltung der Kirchen und Schulen/und also zu Beförderung der Ehre Gottes/ und der Armen/ nützlich gebraucht werden.** Inter quos pios Principes referendus quoque est *Hosatiæ Dux Iohannes Senior*, qui Cœnobium *Bordesholmense* à Monachis vacuefactum *Anno 1565.* in Gymnasium convertit, prudenter considerans, jam olim cœnobia velut Gymnasia humanitatis fuisse, cujus reditus quàm piissimo consilio, quámque maximo Holsatiæ commodo Regnans Cimbrorum Dux Reverendissimus Serenissimusque DN. CHRISTIANUS ALBERTUS, Episcopatus Lubecensis postulatus Coadjutor, Hæres Norwegiæ &c. &c. Universitati huic *Kiloniensi*, ingentibus insuper de proprio additis sumptibus, destinaverit, æterno præconio omnis posteritas memorabit. De bonis igitur Ecclesiasticis superiori seculo occupatis, hæc nostra est sententia, quòd omnino Principibus Protestantibus potestas justa fuerit, Monasteria illa, aliaque bona Pontificiorum superstitionibus deservientia invadere, reformare, & ad se trahere, ad conservationem communis Politiæ ac Pacis, & defensionem ac propagationem Ecclesiæ in vera Religione; (quicquid enim duæ hæ causæ non excusant, id nec defendere me; nec colorare velle protestor) Meliùs tamen fecisse, qui ea non bonis patrimonialibus incorporarunt, sed alios veræ Religioni consentaneos pios usus adplicaruut. Interim tamen quæ in secularia bona transmutata fuerunt, illa hodie justè possidentur. Pace Religionis licentiam hanc concedente.

V. Superest ut de bonis quoque Ecclesiasticis ætate nostra secularisatis non nihil addamus. *Licuitne Imperatori & S. R. I. Ordinibus*

feudalia illa bona omnia, Episcopatibus olim & Monasteriis data, per Instrumentum Pacis concedere Protestantibus in alios usus? Respondeo, *omnino.* De bonis enim Imperii quidni pro flagitante necessitate, aut usu exigente, aliter atque aliter liceat statuere toti Reipublicæ? Atqui penes Cæsarem & Status Imperii est Resp. eoque summum dominium bonorum imperii. Feuda autem, & si ab Ecclesiasticis possideantur, non exuere naturam, sed teneri feudorum legibus, est passiva sententia, & apud omnes in confesso. Imperator igitur & Status Imperii Romano-Germanici tenebantur concedere Ecclesiastica feuda Imperii in alios usus, quum absque hoc remedio Pax desperanda fuerit. Negatâ enim Religionis libertate, & bonorum Ecclesiasticorum cessione pacem nullam admittere volebant Protestantes, quorum ad summum culmen evecta erat potentia, promptissimo Suecorum & Galliarum Regis auxilio tuta, qui plurima munitissima loca per omnem Germaniam, imò in ipsis terris Catholicorum Statuum, jam occupaverant. Postulabat hoc salus Ecclesiæ & Reip. qnarum utraque in discrimen conjiciebatur; postulabat innocens sanguis, qui durante bello fundebatur, & animarum æterna beatitudo, quæ itidem in discrimen conjiciebatur, quia impietas unà cum bello vires accipiebat. Nec poterant Catholici aliter quieti esse, nisi bona Ecclesiastica Protestantibus restituerent, cùm illa jam tum revera in ipsorum manibus essent, justis armis vindicata, nec ulla spes superaret recuperandi bona isthæc, æstimata secundùm leges prudentiæ humanæ Catholicorum ordinum tum temporis conditione. Stante verò recuperationis impossibilitate, bona moraliter extincta dicuntur, & cessante spe, creduntur derelicta. Quod igitur in perpetuum jam periisse judicat prudentia, id profectò in alios usus concedi posse, nemo prudens negaverit. Vid. Cl. Conring. *de pace perpetua Germ. pag. 179.* & Caramuel *de S. R. Imp. pace licita demonst. pag. 16.* ubi justitiam cessionis illius bonorum Ecclesiasticorum in Evangelicos perquam egregiè demonstrant.

CAP.

CAP. VII.

Exempla Secularisationis exhibens.

I.

QUid notius quàm Asam & Ezechiam ex consecreta gaza & Dominico templo, quæ necessitas postulavit, depromsisse, & pacis obtinendæ causa Assyriorum Regi tradidisse? Quid notius, quàm ipsummet Davidem sedandæ famis causæ non dubitasse vesci panibus prohibitis? Sic etiam Joas Rex sanctus, imò cultus divini reformator, argento autoque ad pios templi usus destinato pacem ab hoste Aramæo redemit, *II. Reg. XII. 17. 18.* Quod si quispiam ex Historicis profanis exempla desiderat, nec illa desunt. Paulus Diaconus & Cuspinianus *in vita Heraclii* referunt, quando Rex Persarum Cosroes Romanis ingentem cladem intulisset, Imp. Heraclium, cùm neque copias, quæ hostibus pares forent, neque pecuniam haberet, aurum & argentum ex magna Ecclesia Constantinopolitana, & ex aliis sacris ædibus mutuatum fuisse, indéque pecuniam signasse, quâ milites conscripsit, & insignem de hoste victoriam reportavit, Ne jam paganorum exempla plurima proferam, ex Thucydide *lib. 4.* Æmilio Probo *in Themistocle*, Livio *lib. 22.* & Valerio Maximo *lib. 7. cap. 6.* quæ omnia probant, necessitate dura lege urgente, templorum aurum & argentum, in militum cessisse stipendium: quod imitatus Theodosius Imp. annonas templorum, sed paganorum, transtulisse ad milites legitur in *leg. 19. Cod. Theod. de pag.* & cum Honorio jussisse, ut omnia loca, quæ sacris error veterum deputaverit, suæ rei socientur *leg. 5. C. de Pagan. & sacris.* Quid Arcadius & Honorius Christiani Impp. tempore Augustini circa annum Christi 398. cum bonis Ecclesiasticis Donatistarum moliti fuerint, jam antè monuimus. Chilpericus Rex Suissonensis, qui Anno 565. Regno potitus, cùm deprehendisset, pauperem remanere Fiscum suum, & omnes penè divitias ad Ecclesias esse translatas, omnia testamenta, in quibus Ecclesiis

præ-

præclara essent legata relicta, irrita reddidit, quæque Parens ipsius illis donaverat, occupavit & ad Fiscum revocavit, commemorante Gregor. Turon. *lib. 6. Hist. Franc. cap. ult.* & Christoph. Lehman. *in Chronica Spirensi lib. 2. cap. 35. pag. 136.*

II. Quid quod familiarissimum fuerit & Pontificibus Romanis ipsis, & omni Clero, omnibusque Monachis, bona sua, qualiacunque etiam fuerint, aliis vendere, donare, permutare? Gregorius VII. Papa ad pacandos Romanos, cùm post devictum Rudolphum, quem Imperatorem contra Henricum IV. salutarat, eorum metueret offensionem, circiter centies mille auri libras passim ex templis surreptas distribuit. Clemens VI. Pontifex licentiam dedit his, qui Neapolim Duci Andegavensium defendebant, ut venderent vasa aurea & argentea Ecclesiarum conflata, quò stipendia possent militibus conductis dare. Pontifex Urbanus calices, cruces, ac imagines Sanctorum argenteas & aureas conflare jussit ad cudendam monetam pro Carolo Ungaro, & sustinendos belli sumptus Clemens VII. Regiæ Majestati Ferdinandi I. ante Comitia August. de Anno 1530. per Bullam concessit, bonis Ecclesiasticis adversus Turcam uti, imò etiam fundos & prædia venire, & in perpetuum alienari. R. A. zu Augspurg Anno 1530. §. Nachdem Churfürsten. Quódque Innocentius X. plurima monasteria per universam Italiam extinxerit, bonis eorum in fiscum, minimè sacrum, aliosque seculi usus translatis, testis est post Scriptores Italos Dn. Conring. *animadv. ad B. Inn. X. pag. 182.*

III. Monumenta Imperii antiqua lustrantibus manifestum est, non tantùm prima & secunda florente Francorum Regum familia, sed etiam diu post, donec Hildebrando authore erepta est Regibus nostris prisca authoritas & potentia, juris Regii fuisse ipsa Monasteriorum bona Principibus aut militibus optimè de Rep. meritis, si alia præmia deessent, tanquam in laborum mercedem donare. Historiæ antiquæ talium actuum plenæ sunt. Imò verò adhuc sub finem seculi duodecimi Henricum VI. Regem non dubitasse Ecclesiam Urspergensem aliis oppignorare, liquet ex illis, quæ narrat Conradus illius Monasterii Abbas *in Chronico ad annum 1226.*

IV. Cæterùm quæ superiori seculo bona Ecclesiastica, Fundationes

nes & Monasteria occasione Reformationis aliquibus in locis secularisata fuerunt, eorum tam ingens est numerus, ut si ordine recensere omnia animus esset, non tædio tantùm hoc futurum sit maximo, sed ne pagellæ quidem hæ caperent, cùm vix integer Tractatus illis speciatim persequendis sufficiat. Plenissima sunt talibus exemplis Historicorum monumenta. Præcipua generatim attingere satis erit. Ita Albertus Marchio Brandenburgicus, Dux Borussiæ &c. Anno 1526. Ordinem Teutonicum tanquam statum Ecclesiasticum mutavit, & ad eum pertinentem Borussiæ terram alienavit, ac Regi Poloniæ ad pacem obtinendam, subditis id sollicitantibus, tradidit, reliquum verò sibi vindicavit, Hortleder. in Reichs Handl. *lib. 5. cap. 1. f. 1949.* Neque silentio involvendum hoc loco est, quòd non pauca Ecclesiastica bona per seditiones rusticorum quoque mututa, & in formam secularium redacta fuerint; inculcant enim hoc non modò passim Historici, sed adparet etiam ex R. A. zu Augspurg *de Anno 1530.* §. Nachdem seither. *ibi*: in der Bäurischen Auffruhr abgetrungen ꝛc. De Secularisatione facta in Bohemia Carolus Caraffa in *Comment. de Germania sacra restaurata pag. 104. ita: Qualis fuerit Status Religionis Pragæ & Regni Bohemici nondum partâ victoriâ, quilibet poterit cogitare; Nam Ecclesiastici honore & opibus fuerunt exuti, bona Ecclesiastica ademta, templa, monasteria profanata &c.* Ferdinandus I. Rex Bohem. tabulis publicis prohibuit, ne Ecclesiastici bona à se & Prædecessoribus aut Successoribus suis Bohemiæ ad alios translata aut tranferenda, repetant, id quod multis etiam Literis, quas vocant Majestaticis postea confirmatum fuit, quàm verò feliciter, orti indè motus Bohemici cum maximo Vicinorum damno & nostri quoque fundi calamitate, plus satis edocuerunt.

V. Singularia secularisationis licitæ exempla suggerit nobis Instrumentum Pacis Osnabruggense Cæsareo-Suecicum. Ibi enim *Art. X. §. Tertio.* Imperator de consensu totius Imperii concessit Potentissimæ Reginæ ejusque Hæredibus ac Successoribus Regibus, Regnoque Sueciæ *Archi-Episcopatum Bremensem & Episcopatum Verdensem*, cum omnibus ac singulis ad eos pertinentibus, in perpetuum & immediatum Imperii feudum, sub solitis quidem insigniis, sed titulo

Ducatus *Eod. art.* §. quicquid. conceditur Regiæ Majestati, Regnoque Sueciæ potestas extinguendi Prælaturas & præbendas *Capituli Caminensis* in Pomerania citeriori, reditusque mensæ Ducali post Canonicorum & Capitularium decessum applicandi. Similiter Electori Brandenburgico Dn. Frid. Wilhelmo ejusdemque posteris & successoribus hæredibus atque Agnatis masculis *Archi-Episcopatus Magdeburgensis*, qui qualitatem quidem clericalem ad vitam moderni Gloriosissimi Administratoris Dn. Augusti Ducis Saxoniæ retinebit, *Episcopatus Halberstadiensis, Mindanus & Caminensis*, cum omnibus juribus & appertinentiis sub titulis Ducatuum à S. Cæs. Majestate de consensu Statuum Imperii & præcipuè interessatorum traditi sunt, *art. XI. pr. & §§. seqq.* Pro eo verò quod Duci Megapolitano Suerinensi Dn. Adolpho Friderico in alienatione Civitatis portusque Wismariensis decessit, Ipsi ejusque Hæredibus masculis concessus est *Episcopatus Suerinensis & Razenburgensis* jure perpetui & immediati feudi, cum potestate extinguendi Canonicatus utrobique post Canonicorum decessum, omnesque reditus mensæ Ducali applicandi. Eidem Domui Mechlenburgensi cessæ etiam *Commendæ Ordinis Equestris D. Johannis Hierosolymitani* in isto Ducatu sitæ, & quidem lineæ Suerinensi *Mirovv*, lineæ verò Gustroviensi Commenda *Nemerovv, art. XII.* Ita *Monasterium* seu *Prælatura* Walckenried, unà cum prædio *Schavven* perpetuo feudi jure Ducibus Brunsuicensibus & Luneburgensibus collata, *art. XIII.* §. *Septimo. 9.* Quibus etiam restitutum Monasterium *Græningense*, quod antea acquisitum Episcopatui Halberstadiensi cesserat, *eod. art.* §. *Octavò. 10.* Dn. Christiano Wilhelmo Marchioni pro summa 12000. Imperialium ex Archi-Episcopatu Magdeburgensi ipsi quotannis solvendorum, *Cœnobium & Præfectura Zinna & Loburg* traditæ, cum omnibus pertinentiis & omnimoda Jurisdictione, solo territorii jure excepto, ut illis præfecturis utatur fruatur ad dies vitæ, & descendentes ipsius ad quinquennium. Elapso verò quinquennio prædictæ Præfecturæ earundemque Idictio, reditus & proventus Archi-Episcopatui Magdeburgensi, postea Ducatui, restituendæ sunt, *art. XIV.* Domus Hasso-Casfellana, ejusque Successores *Abbatiam Hirsfeldensem* cum omnibus

apper-

appertinentiis, salvis tamen juribus Domus Saxonicæ, retinuerunt, & eo nomine investituram à Cæs. Majestate petere debent, itemque jus directi & utilis Dominii in Præfecturas *Schaumburg*, *Buckenburg*, *Saxenhagen & Statthagen*, Episcopatui Mindano antea assertum & adjudicatum, *art. XV. §. 2. & 3.*

CAP. VIII.

De

Forma & Modis secularisandi.

I.

VIdimus huc usque Causam Efficientem & Materialem Secularisationis, instituti ratio postulat, ut de forma & modis quoque ejusdem nonnulla edisseramus. Diversimode autem se modi illi habent. Aut enim secularisantur bona Ecclesiastica per *Occupationem*, quando territorii Dominus Monasteria aliaque bona piis usibus destinata invadit, & ea vel Patrimonialibus incorporat, ac Fisco adscribit, vel aliis profanis usibus assignat, ad quos secularia bona, **die Fürstlichen Cammergüter und Einkunfften**/ usurpari assolent, veluti usui aulico, **zu der Fürstlichen Hoffstatt**/ Statui & Regimini, **zum Regiments- und Stats-Wesen**/ ædificiis necessariis exstruendis, **zum Bauwesen**/ vel etiam æri alieno solvendo &c. Seculo præterito communiter ex Monasteriis & Fundationibus collecturas sive præfecturas, **Fürstliche Aempter**/ factas esse, asserit Vir judicio & usu rerum maximus Dn. Veit **Ludwig** à **Seckendorff** *in addit ad part. 1. c. 4. §. 3.* **des Teutschen Fürsten Stats**. *pag. 49.* ita tamen, ut ex illis plerisque in locis eximia proventuum portio ad Ministrorum Ecclesiæ & Scholarum stipendia relicta fuerit. In aliquibus Provinciis à singulari incorporatione hujusmodi bonorum abstentum fuit, & omnes mediatarum Prælaturarum, Fundationum & Monasteriorum reditus in peculiare Corpus coacti, unde omnis generis pia legata annua ordinabantur, residuum verò vel ad ampliationem sortis mutuò dabatur, vel Reip. usibus impendebatur.

II. Aut etiam secularisantur bona Ecclesiastica per *Concessionem*, dum Superiores ea aliis in usum secularem concedunt, vel *jure allodiali*, & simili, quemadmodum superioribus annis multa Monasteria aliaque bona Ecclesiastica Laicis utenda fruenda data, vendita, ministris & bene meritis donata, militibus pro stipendiis assignata, & variis modis alienata fuerunt; vel *feudali*, ut quando Archi-vel Episcopatus, Abbatia, Prælatura &c. sublatâ denominatione Ecclesiasticâ aliis in feudum sub dignitatis secularis titulo conceditur, quâ ratione Archi-Episcopatus Bremensis Regno Suec. & Magdeburgensis cum Episcopatibus Halberstadiensi, Mindano & Caminensi Electori Brandeburgico, extincto sacrorum non usu modò, sed quod hunc superat, simulachro & memoria Ecclesiastica sub Ducatuum titulis vigore Transactionis Osnabruggensis adjudicati sunt.

III. Tandem secularisari quoque possunt bona Ecclesiastica per *præscriptionem*, quod haut rarò factum esse, latæ super hoc Sententiæ Camerales abunde testatum faciunt. Præscribuntur verò bona Ecclesiastica *mobilia* jure Canonico *triennio, c. jubemus. 16. sub fin. caus. 16. q. 3.* jure Civili hac in re non expresse mutato, Zœsius *ad Decretal. de præscript. num. 5.* Canisius *c. 5. eod.* Gebhard. *tr. de Usucap. cap. 2. §. 3. num. 3.* Quæ juris dispositio etiam in foro Saxonico observatus, per ea, quæ tradit Matth. Berlich. *concl. pract. p. 2. concl. 7. num. 12.* Dn. Carpzov. *ad Const. Elect. def. 1. cap. 5. d. 6. Immobilia* autem *quadraginta annis, c. de quarta. extr. de præscript.* quo pertinet *Nov. 43. cap. 6. Nov. 111. c. un. & Nov. 131. cap. 6. cum auth. quas actiones. C. de SS. Eccl.* Idque etiam in terris, ubi jus Saxonicum viget, observatur, secundùm *Gloss. Ordinat.* Land-Recht. *lib. 1. art. 29. super verb.* an eigen und und Erbe. §. Es sind aber. *vers.* die Gottes Häuser und Kirchen aber verschweigen sich in viertzig Jahren; exceptâ Ecclesiâ Romanâ, cui non potest alia opponi præscriptio, quàm centum annorum, *cap. fin. q. 3. c. 13. c. 14. c. 17. in fin. extr. de præscript.* prout ingeniosè post Dn. Struvium *Synt. I. Civ. Exerc. XLIII. th. 19. pag. 622.* & Wissenbach. *Sylloge Error. Irnerianor. th. 2. & seqq* probat acutissimus JCtus Dn. Joh. Strauchius in *Irnerio non errante*, seu *Dissert. ad auth. quas actiones. C. de SS. Eccl. cap. 4.* §. 3. ubi contra laudatos duos Dd. Irnerium accuratissimè defendit.

IV. For-

IV. Forma Secularisationis B. E. videtur consistere in *Solennitatibus* iis, quæ jure Canonico ad alienationem bonorum Ecclesiasticorum in genere necessariæ sunt. Exigit autem Canonica solennitas (1) *cognitionem causæ, Innoc. ad c. un. in fin. extr. de Eccles. benef.* (2) *necessitatis probationem, vel evidentis utilitatis, c. sine distinctione, 12. q. 2. & cap. 1. de reb. Eccl. non alien. in 6.* (3) *Superioris authoritatem*, ejus scilicet, cui Ecclesia, cujus res alienanda est, subest, juxta *cap. 1. cum tua, & tot. tit. de his quæ fiunt à Præl. sine cons. Cap. c. placuit c. fin. extr. de rebus Eccl. non alien. cap. 1. & 2. eod. in 6.* Pari igitur ratione ut secularisatio B. E. eo justior evadat, dicta modò requisita non negligenda sunt. Et quidem quod attinet bona Ecclesiastica Imperii immediata, ad illorum transmutationem totius Imperii consensus necessarius est.] Quemadmodum enim solus Imperator, tanquam tutor & administrator Imperii, per *leg. 3. C. de jure Reip. &* R. A. zu Augspurg *de Anno 1559. pr. ibi:* die Administration und Verwaltung des Römischen Reichs &c. sine decreto Electorum, qui partes Magistratus hoc in casu expediunt, Limn. *ad Cap. Car. V. pag. 165.* bona Imperii secularia alienare non potest, *l. contra. 28. D. de pact. tot. tit. D. & C. de præd. & aliis reb. min. sine decreto non alien.* sed inaugurandus promittere solet: Zu deme/ und insonderheit sollen und wollen wir dem H. Römischen Reich und desselben Zugehörungen nicht allein ohne Wissen/ Willen und Zulassen gemelter Churfürsten samptlich/ nichts hingeben/ verschreiben/ verpfänden/ versetzen/ noch in andere Wege veräussern oder beschweren ꝛc. *Capit.* LEOPOLDI Invictissimi Imp. nostri *art. XII.* unde etiam *Semper-Augustus*, Allzeit Mehrer des Reichs/ ab augurio & augendi voluntate simul, vocatur, Dn. Besold. *in Th. pract. v.* Mehrer des Reichs/ *fol. 543.* Ita tantum abest, ut bona Imperii Ecclesiastica citra consensum Statuum mutare vel alienare possit, ut potiùs ad illorum conservationem & amplificationem teneatur, per *Capit. dictæ art. 1. ibi:* die Christliche Kirche/ als derselben Advoct. in gutem getreulichen Schutz und Schirm halten / quod Ipsum etiam submonet titulus, quo Ein Obrister Vogt/ und Schirmherr der Kirchen insignitur, R. A. zu Augspurg de Anno 1530. §. Auff solches

V. Pontificis verò consensum ad alienationem & secularisationem bonorum Ecclesiæ Germanicæ necessarium non esse, extra dubium collocamus, quicquid etiam Papicolæ in contrarium fabulentur, & speciosissimè quidem Caramuel *de Pace licita sent. primæ Concl. 8. pag. 17.* hisce verbis: *Bona verè Ecclesiastica & occupata ab Hæreticis, non possunt directè dari Hæreticis ab Imperatore Pontifice inconsulto aut invito: At potest Cæsar permissivè se habere*, Item *Concl. 10. §. 21. & 22. Quia Lutherani cessionem Pontificis non urgent, sed contenti sunt permissione Cæsareâ, svadendum Pontifici esset, ut consensum semper suum absolutè negaret, aut saltem se haberet negativè; illius enim consensus Paci, quæ intenditur, non prodest, sed fortè poterit prodesse negatus, quoniam hoc modo Ecclesia utiliter prudenterq; sua jura conservabit.* Sed utut speciosè hæc dicantur, tanta tamen non sunt, quæ Protestantium conscientias in possessione bonorum Ecclesiasticorum sine Pontificis amortisatione, ex solo Imperii decreto sibi cessorum, turbare valeant. Præterquam enim quòd nec jure naturæ, nec divino, nec Civili jubeatur, ut ad alienationem vel secularisationem B. E. consensus Pontificis adhibendus sit, sed tantum in Ambitiosa illa, quam Paulus II. Papa in præjudicium alicujus Reip. ferre minimè potuit, certum utique est, Pontifici nihil juris in bona Imperii competere, nec in Ecclesiastica quicquam divini, sed si quid habet, tantum habere, quantum seculares transmiserunt, quantum indulserunt Principes & Imperator, fatente ipso Caramuele *num. 8. pag. 13.* illudque in Italia desinere, nec extra Dioecesin, cui Pontifex tanquam Episcopus præest, se extendere. Ut adeò ad Secularisationem bonorum Imperii Ecclesiasticorum consensus Pontificis neque adhibitus prodesse, neque negatus quicquam obesse valeat, sed omnino Ecclesia Germanica citra Papalem dispensationem, per solam Cæsaris & ordinum dispositionem, jura sua in nonnulla bona salute Imperii amittere possit, cùm bona illa supremo Jurisdictionis titulo non ad Pontificem, sed Imperatorem & Ordines spectare, ipse Caramuel inficias ire nequeat, *Concl. VII. pag. 16.*

VI. Prædictas verò solennitates circa secularisationem B. E. tempore Pacis condendæ observatas fuisse, non licet nobis ambigere, recordantibus, quàm testudineo gradu processerit pacificationis illius nego-

negotium, quot menses in deliberationem de puncto cessionis bonorum Ecclesiasticorum insumpti, quotque hoc ipso de negotio prudentissima Consilia hinc indè agitata, donec tandem Imperator consensu totius Imperii summam rei manum imposuerit, & translatione bonorum Ecclesiasticorum in potestantes jure facta, Pacem illam redemerit, quam post triginta annorum sævissima bella, & inductam Patriæ solitudinem, ad unum omnes tam anxiè desideraverant, & ad eam à supremo Pacis Authore explorandam tot lacrymas tepentibus humano sanguine campis affuderant, tot cordis suspiria ad cœlum effuderant.

VII. Sed monendum hìc est, quòd, sicut in alienatione B. E. dictæ modò solennitates curandæ non sunt, si evidens sit Ecclesiæ utilitas, quæ negari non possit, notante Menochio *Consil.817.* & ex eo Dn. Brunnemanno Comment. ad Cod. *pag.11.* ita nec eædem in Secularisatione strictè observandæ sint, ubi ineluctabilis necessitas & evidentissima utilitas eam efflagitent, cùm hoc in casu intervenisse præsumantur, quemadmodum aliàs facilè præsumitur in iis, quæ juris prohibitionem non habent, solennia intervenisse, per *l. sciendum. 30. D. de V. O. & §. si scriptum. 17. Inst. de inutil. stipul.* Sæpius etiam bona Ecclesiastica de facto secularisantur, & præscriptio salvat intermissam solennitatem, si nimirum nixa sit bonâ fide, & quadraginta annorum. Sin verò longissimi temporis præscriptio est, tunc nec bona fides, nec titulus, nec possessio requiritur, prout optimè docet Magn. Dn. Præses *in Disp. Inaugur. pos. juris controv. 7. ex lib. 7. Cod.*

CAP. IX.

De

Fine Secularisationis.

I.

ID, cujus gratia Secularisatio B. E. instituitur, non unius est generis. Præcipuè verò illâ bonorum Ecclesiasticorum in aliam formam transmutatione hoc intenditur, *ut*, deficientibus fortè bonis aliis Ærarii:

rii: *Reip. necessitatibus* ea ratione *succurratur*, ne quivis ejusdem civis cum inopia aliisque miseriis innumerabilibus conflictandum habeat. Qui finis optimus est. Si enim Ecclesiam defendere de bonis Ecclesiæ, ubi alia non suppetunt media, liceat, veluti suprà ex *leg. 17. C. de SS. Eccl.* probatum dedimus, & finis hic sit pius, Ecclesiam tueri, injurias Ecclesiæ illatas arcere: Pius etiam erit finis & licitus, ut in suprema necessitate in Reip. tuitionem & liberationem Ecclesiæ bona impendantur. Nic. Reusner. *1. consil. 2. num. 27. & seqq.* Oldendorp. *1. Cons. Marb. 5.* Dan. Lansius *de relig. cur. c. 3. fol. 71.* Reincking. *3. cl. 1. c. 3. n. 8. seqq.* Qualis Reip. necessitas est, *si expeditio contra Turcam instituenda.* Ita legimus in **R. A. zu Augspurg** de anno 1530. §. **Nachdem Chur-Fürsten/etc.** quòd Ferdinando Imp. Clemens Pontifex ad expeditionem belli Turcici tam Cleinodiarum, quàm aliarum pretiosarum Ecclesiasticarum immobiliumque rerum alienationem per Bullas quasdam concesserit *ibi*: **der Kirchen Kleinoder / auch etlich Theil der Geistlichen unbeweglichen Güter im H. Reich zu widerstand des Türcken zuverkauffen/etc.** Item *si pro aris & focis pugnandum*, & tot animæ hominum ab hoste liberari non possint, nisi militibus de bonis Ecclesiasticis subsidia administrentur. Hanc quoque Reip. necessitatem tantam esse, ut ei licitè bonis Ecclesiasticis succurri possit, ipse supremus Ecclesiarum Patronus nos edocet, qui moriens pro animabus abunde testatus est, vel unam solam animam omnibus divitiis esse præponendam. Quo facit *l. sancimus 21. C. de SS. Eccles.* ubi Imp. tradit, conservationem sanguinis Christiani ac periculi aversionem quibuslibet rebus pretiosiorem esse censendam. *Non* igitur *major potest esse pietas, quàm Patriam defendere, & infirmos ab hostibus tueri*, ait Nic. Reusn. *lib. 1. Cons. 2. num. 41.* sive per secularia bona hoc fiat, sive, his deficientibus, per Ecclesiastica. Res enim Ecclesiasticæ pro thesauro Christiani populi reputantur, quæ casu necessitatis & ingruente subitâ belli calamitate ad repellendum hostem alienari possunt, **R. A. zu Speyer/** de anno 1542. §. **Aber der Kirchen Kleinoder und Gezierde sollen in dieser Anlage nicht mit begriffen seyn/ sondern als zu einem Schatz der Christenheit/ wo man deß zu einer eilenden/ nothwendigen/ unvermeidlichen Hülffe bedürffen würde/ gesparet/**

und

und behalten werden. Quod repetitur in R. A. zu Speyer ad annum 1544. §. Aber der Kirchen Kleinoder/ etc. Idem dicendum, *si Pax aliter obtineri non possit, quàm per bona Ecclesiastica.* Unde passim in Instrumento Pacis has licet reperire formulas, quòd bona Ecclesiastica cessa fuerint *pro bono Pacis ad mojorem Imperii tranquillitatem stabiliendam, ut securitati publicæ meliùs prospiciatur.* Ad necessitates Reip. quibus tollendis B. E. impendi possunt, referendum quoque est *si Imperatori vel Principi necessariò subveniendum sit,* & aliunde id fieri non possit. Tali enim casu Waremundus ab Ehrenberg meditam, pro fœder. *lib.3.cap.3.num.34.* hoc consilium suppeditat, ad bona Ecclesiastica regressum faciendum. Et quamvis hoc ad bellum Turcicum restringere Autorem tradat Klock. *de Contribut.cap.3.num.71.* Limnæus tamen *ad Capit. Car. V. pag.182.* ad omnem subventionis necessarium casum applicare posse asserit, ubi non solùm Waremundum defendit, quòd sine dubio non velit consilium suum eò usque extendi, ut religio negligatur, sed ut copia Ecclesiasticorum proventuum inopiæ seculari subveniatur; sed & Reinckingium dissentientem nervosè refutat.

II. Vel etiam secularisationis finis esse potest *Ratio Status*, per quam minimè gentium intellectum volumus monstrum illud rationis, & diabolicum dominationis flagitium *Raison d' Estat* vulgò appellatum, cujus fundamentum *suam cuique utilitatem* ponunt, sed ductum sanæ rationis, & *Vtilitatem publicam*, quæ Dn. Bœclero *Orat. de Rat. Status* tria fundamenta habere dicitur, *honorem Dei, honestatem & justitiam.* Cùm enim Populi salus suprema lex sit & esse debeat, non solùm privatas res in usum publicum destinari, sed etiam Ecclesias à jure suo discedere oportet, si Reip. interest. Iniquum id sanè videtur, imò miserabile, sed in favorem Reip. indultum est, boni publici causa nonnunquam à communi jure recedere. Scip. Ammirat. *Dissert. Polit. in Tac. l.12. cap.1.* Wilh. Ferd. de Effern. *in manual. Polit. lib.1. punct. 1.* Arnold. Clapmar. *lib.14. cap.16. pag.233.* Quod ait Cassius Senator apud Tacitum 14. *Annal. Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur.* Ecclesia etiam sine Rep. tuta esse nequit. Unde bonum Reip. æquat Baldus bono Ec-

 clesiæ,

clesiæ *gl. in l. fin. C. de SS. Eccl.* quoniam Imperium & Ecclesia fraternizant quodammodo, ut Idem loquitur in *l. bene à Zenone. 3. num. 20. C. de quad. præscr.*

III. Denique secularisari quoque hoc fine possunt bona Ecclesiis destinata, *ne nimia illorum abundantia & abusus Ecclesiæ vel Reip. detrimento sit*, quod fieri quandoque posse ex suprà positis perillustre est. Quo jure bona Pontificiæ superstitioni subducta ad sua veriora sacra, nimiam verò eorum abundantiam in alios publicos apud sese usus transferri, meritò Protestantes à Rep. communi Germaniæ sibi impetrarunt. Hancque Ipsorum in reformatione illa Monasteriorum & superflui incorporatione intentionem fuisse, ut impios bonorum Ecclesiasticorum in suis territoriis abusus, atque ex his prognata offendicula tollerent, ex Protestationibus contra Edictum Ferd. II. *An. 1629.* promulgatum, luce meridianâ clarius apparet, apud Limn. *in addit. ad l. 1. J. P. cap. 13. pag. 167.* Non igitur dicendus est contra immunitatem Ecclesiasticam egisse, qui possessionum nimiæ magnitudini modum ponere voluerit. Imò *qui modum ponit nimio excessui B. E. potius ea removet, quæ libertatem serviendi Deo impediebant.* Henn. Arnisæus *de subject. & exemt. Cler. cap. 4. num. 6. in fin. pag. 61.*

CAP. X.

De

Effectu Secularisationis B. E.

I.

OStensum est, uti spero, sat perspicuè, quòd *Princeps* aut alius *Magistratus*; qui cum Superioritate est, *pro evidenti Reip. utilitate*, aliave idonea de causa, bona *Ecclesiis* olim & *piis usibus destinata* ad formam *secularium redigere*, & *Laicis* justè possidenda *concedere* posit. Tandem igitur de *Effectu* Secularisationis aliquid addendum est. Operatur autem illa uno verbo *qualitatem secularem*, dum res Ecclesiasticæ privilegia & immunitates, quibus præ aliis beatæ sunt, amittunt, & ejusmodi evadunt, ut de ipsis omnia prædicari possint, quæ alioquin

bonis

bonis secularibus competunt, nisi specialibus pactis secularisatio restricta sit, ut quandoque fieri potest. Sicut enim profana res præsumitur esse alicujus *l. fin. C. unde vi.* etiam secularisata bona Ecclesiastica illorum sunt, ad quos per secularisationem devenerunt, cùm antea pleraque in privatorum dominio non fuerint, aut etiam nullius fuerint, §. *nullius. Inst. de R. D. l. in pr. & leg. 6. §. 2. C. eod.* Rei profanæ alienatio permissa censetur; in patrimonio enim est, & dominio nostro; Præcipuum autem veri Dominii officium est, perfectè & pro libitu disponere de ea re, cujus quis est Dominus, *l. pen. D. de pact.* egregiè *Arist. 1. Pol. 4.* & *1. Rhet. 5.* cùm quilibet rei suæ moderator & arbiter sit, §. *per traditionem. 41. Inst. de R. D. l. in re mandata. 21. C. mandat.* alienationis autem verbum latè sumptum significat omnem actum per quem dominium transfertur, *lib. 1. C. de fund. dotal.* Ita etiam bona secularisata, si allodialia sunt, ab eo, qui eorum verus Dominus est, pro lubitu alienari quocunque titulo possunt; sin verò feudalia sint, cum consensu Domini, *cap. 1. §. similiter. 2. de l. Conradi 2. F. 34. c. un. de prohib. feud. alienat. per Frid. 2. F. 55.* nec non agnatorum, siquidem antiqua jam sint, *cap. 1. de alien. patern. feud. 2. F. 39.* Antea verò, cùm Ecclesiastica adhuc qualitate bona induta essent, non nisi paucissimis in casibus, observatisque certis solennitatibus alienari poterant, ut hocce *cap. 3. supra* §. 1. monere me memini.

II. Dein quemadmodum ratione bonorum secularium tributa præstantur, pro viribus patrimonii, *l. forma §. is vero. 2. D. de Cens. l. 6. §. fin. leg. 18. §. 21. junct. §. 23. de muner. l. f. C. de Cens. & leg. 2. ac 3. ubi latè Amaya, C. de Annon. & trib.* **R. A. zu Speyer.** *de Anno 1542.* §. **Und nemlich sollen. R. A. zu Speyer.** *de Anno 1544.* §. *eod.* & § **Damit nun solches.** Ita etiam bona secularisata in censum referri possunt, cùm Ecclesiastica ordinariè ab exactionibus & tributis immunia sint, *leg. 22. C. de SS. Eccl. cum similib.* & non nisi iis casibus, in quibus principaliter pietas & publica versatur utilitas, contributioni subjici possint. **R. A. zu Speyer/** *de Anno 1542.* §. **Aber der Kirchen Kleinoder.** & §. **Und zu diesem Christlichen willen Werck.** Sic de Feudis Imperii secularisatis Collectæ ordinariæ, **die Reichs-Steuren und Anlagen** solvendæ sunt, secundùm formam matriculæ Imperii,

perii, & taxam expeditionis Romanæ, nach dem Anschlag in der Matricul begriffen/und den Römerzug gerichtet/R. A. zu Speyer *de anno* 1544. §. Und damit nun. *O. C. part.* 1. *th.* 42. *seqq.* Et ad Cameræ quidem sustentationem juxta auctam Cameræ Matriculam, quam Fiscalis Generalis Judicii Cameralis in Comitiis Ratispon. *Anno* 1654. obtulit, è Circulo Saxonico superiori quotannis conferre tenentur secularisatus *Episcopatus Caminensis* 55. *Imperiales*, 3. *sestertios* & 4. *sextantes*, & *prælatura* Walckenrieth *idem*; è Circulo Rhenensi superiori secularisata *Abbatia Hirsfeldensis totidem.* E Circulo Westphalico *Ducatus Bremensis* 130. *Imperiales*, 41. *sestertios* & 6. *sextantes*, *Verdensis* 55. *Imp.* 3. *sest.* & 4. *sext. Mindanus idem.* E Circulo Saxonico inferiori *Archi-Episcopatus Magdeburgensis* 348. *Imp.* 35. *sest.* & 2. *sext. Bremensis* 73. *Imp.* 20. *sest.* & 6. *sext.* secularisatus *Episcopatus Halberstadiensis* 100. *Imp.* & 7. *sest. Sverinensis* 55. *Imp.* 3. *sest.* 4. *sext. Razenburgensis* 45. *Imp.* 40. *sest.* 3. *sext.*

III. Tandem pleraque bona secularisata, non secus ac alia secularia, faciliùs præscribi possunt, quàm Ecclesiastica, cùm enim hæc tantùm 40. annis præscribantur, illa, si mobilia sint, & continua possessio justus titulus ac bona fides non deficiant, jure Civili triennio, si immobilia inter præsentes decem, inter absentes viginti annis usu capiuntur, *pr. Inst. de Usuc. l. un. C. de Usucap. transform.* Jure autem Saxonico res mobiles intra annum, sex septimanas, & diem, (h. e. unum annum, sex septimanas, sex dies, Lehn R. *cap.* 16.) præscribuntur, Land R. *lib.* 1. *art.* 28. *l.* 2. *art.* 44. immobiles verò, jura & actiones, triginta annis, sex septimanis, & uno die, Land R. *l.* 1. *art.* 29. Ad Feudorum verò præscriptionem requiritur tempus 30. annorum, *cap.* 1. §. *si quis* 4. *si de feud. def. eont. sit.* 2. *F.* 26. si Regalia non sunt, sin verò Regalia; immemoriale, *cujus initium memoriâ* hominum non extat, *arg. c. super quibusdam. v. præterea, extr. de V. S. Zas. consil.* 15. *num.* 44. & 45. *lib.* 2 Gilcken. *ad auth. quas actiones. de SS. Eccl. cap.* 9. *n.* 73. Quod etiam de bonis Imperii Regalibus obtinet, si ab Imperii subdito præscribantur, R. A. zu Augspurg/ *de Anno* 1548. §. Wann auch ein Außgezogener. *in verbis*: über Menschen Gedächtniß. A Principe verò peregrino & Imperio non subjecto, bona hæcce in æternum

præ-

præscribi nequeunt, ut ab Imperii subjectione subducantur. *c. cùm non liceat. extr. de Præscript.* Gylman. *lib. 2. decis. 54. num. 94.* Bocer. *de Regal. cap. 4. num. 47.* Gilcken. *d. aut. cap. 10. n. 14.* latè Joh. Igneus *in l. necessarios. §. non alias. num 650. & seqq. D. ad SC. Syllan.* Cophin. *de Doman. l. 3. tit. 9.* Principis enim, ac Reip. Rom. interest. ut omnes præscriptiones in diminutionem Imperii cedentes, explodantur; ne Patrimonio Imperii distracto, universa Reip. onera in cæteros subditos cadant.

IV. Ultimò Secularisatio B. E. operatur etiam non modò titulum secularem, sed sessionem quoque inter Seculares in Comitiis. Ita Ducatus Bremensis quintum locum occupat in scamno seculari in Senatu Principum collegialiter congregato. Fortassis & Magdeburgum, quando post vitam moderni Administratoris Augusti qualitatem Ecclesiasticam amittet, & sub titulo Ducatus Electori Brandenburgico accedet, in seculari scamno sessionem habebit. Ducatus Halberstadiensis sedet immediatè post Domum Brunsuicensem, Suerinensis verò, Razenburgensis & Hirsfeldensis ante Mompelgardensem & alias sequentes Principales domos. Sed hæc hac vice sufficiant

AD GLORIAM DEI.

APPENDIX.

CUm pagella vacet, operæ judicavi, quædam Adversariorum fundamenta, quibus secularisationem B. E. in se injustam esse probatum eunt, quàm brevissimè examinare. Dicunt autem (1) Reg. illam: *Semel Deo dicatum ad usus profanos non est transferendum ulterius:* esse juris naturalis ac Divini moralis. Quod verò jure naturæ & Divino morali illicitum est, id necessitas nulla aut utilitas licitum reddere potest. Vid. Molin. *de J. & J. tom. 1. D. 3. num. 2.* (2) Secularisationem esse contra ultimas voluntates, & intentionem Fundatorum, qui manui Ecclesiæ mortuæ sua reliquerunt, & perpetuo Ecclesiæ patrimonio assignarunt. (3) B. E. esse res sacras, quæ commercio hominum exemtæ sint, *l. 1. D. de R. D.* & non facilè ad profanam conditionem, in qua aliquando fuerunt, redire.

Quod *primum* attinet, ne κατ' ἄνθρωπον respondeam cum Joh. Sancio *Disp. 41. n. 27.* in necessariis nec crimen, nec peccatum dari, & cum Caramuele *c. l. pag. 29.* idipsum, quod intrinsecè malum dicitur, stante necessitate, quæ asseritur & experientia convincitur, debere potiùs intrinsecè bonum vocari; falsissimum est, Regulam illam juris Divini moralis, vel, quod tanquam participatio hujus est, naturalis esse, cùm contrarium in S. Scriptura expresse reperiamus, testantibus id locis suprà allegatis; ut adeò juris Ecclesiastici positivi potiùs sit, cui necessitas minimè subjecta est, per ea quæ docet sæpe laudatus Dn. Fritschius in *cit. Disp. Inaug. sect. 7. concl. 2.*

Ad alterum Respondeo negando. Fundatores enim sine dubio, dum Ecclesiam voluerunt esse salvam, simul etiam Remp. in qua est Ecclesia, tueri constituerunt; Illorum igitur intentioni ex asse satisfiet, si per bona Ecclesiastica, aliis non suppetentibus, Reip. salus potiùs conservetur, quàm ut ultimis voluntatibus, quæ bonum omnino publicum supponere debent, superstitiosè indulgendo Ecclesia cum Rep. pessum eat. Neque etiam ultimæ voluntates de jure divino sunt, potest enim Resp. testamenta interdicere, ut olim factum. Quid? quod ex suprà adductis constet, plerasque fundationes Ecclesiasticas errore factas esse, ab hominibus dolo & fraude circumventis, & sub illicita conditione ipso jure nullas esse, per *leg. 53. de R. I.* excludunt namque scientiam & consensum, *l. si per error. D. de Idict. l. non idcirca. C. de Iur. & fact. ign.* Perpetuitas quoque patrimonii Ecclesiastici civilis est, & finem habet, qui quia determinatè non cognoscitur, perpetuum illud dicitur, & ipsa Ecclesia manus mortua, quæ tamen per amortisationis jus, potestati Civili competens, reviviscere potest.

Ad tertium optimè videtur respondisse Vivariensis Episcopus in ipso Tridentino Concilio: *Clericorum patrimonium rem secularem esse, de qua Ecclesiasticis Legibus nihil constitui possit.* Bona igitur in specie Ecclesiastica velle vocare *Sacra*, ex eo fortè, quòd ad usus sacros applicentur, absurdissimum est. Aliàs enim omnis pecunia, quæ propter rem sacram penditur, sacra fieret, & sic omnis Simoniaca pecunia fuerit sacra. Contra nihil à vero sacro remotius, nihil profanius illis nummis. Deinde colligere etiam liceret, omnes illas speluncas & domos

mos fuisse perpetuò habendas pro rebus sacris, in quibus Christiani tempore persecutionis sacra sua peragere soliti, quòd ad tempus usui sacro consecratæ fuerint. At quis ita ineptiat? De rebus immediatè Deo consecratis, quòd sacræ quidem appellari, nihilo tamen secius postulante necessitate alienari queant, egimus *c.3. §.1. c.4. §.2. & c.6. §.1. & 2.* Hæc sunt præcipua, quæ à contraria parte urgeri assolent, reliqua in ipso Dissertationis cursu passim immiscuimus, quæ verò insuper addenda forent, ea diducendi in conflictu occasio præbebitur.

ERICUS MAURITIUS. JCtus, Facult. suæ Profess. Primarius

Præclaro Juveni

LUDOVICO ROTHMALERO

S. P. D.

QUod à me contendis, Doctissime Rothmalere, ut tibi exponam, quid de Dissertatione, quæ industriam tuam aliquot septimanas jam exercet, quamque publico nunc destinasti, ipse existimem, age, & meritis, & ingenio, addo & studiis tuis, operam illam lubenter concedo. Versatur illa circa argumentum, quo non facilè aliud, nostra ætate, & plus circa initia turbarum dedit, & magis deinceps ad quietem publicam in Germania profecit. Docent acta publica, quantâ animorum contentione in Conventu Monasteriensi & Osnabruggensi, ea de re, inter Ordines Imperii, religione dissidentes, disceptatum sit, dum improbam pacem ex Pontificiis aliqui appellant, quæ tot bonorum Ecclesiasticorum jacturâ redimenda sit. Christophorus Forstnerus in Epistolis de Negotio Pacis Germanicæ p. 4. commemorat illorum voces, *qui profanæ maximè atque impiæ novitatis esse dicerent, quòd Sueci Bremensem Verdensemq; Episcopatus, Deo dicatos à Majoribus, sanè Christianis, ab omni Religionis & divini cultus vinculo liberos sibi asserunt.* Et Epistola ad Rosenhaanium pag. 89. monet, non deesse, qui in crimen vertant, conatus *Archi-Episcopatum Bre-*

men-

mensem extincto sacrorum non usu modò, sed quod hunc superat, simulachro, & memoria Ecclesiastica conditione ac dignitate, exuendi. Mox Fabius Chisius, Neritonensis tum Episcopus ac Papæ Innocentii X. Nuntius, qui postea ad Pontificiam dignitatem evectus, hodieque superest, Paci, cùm in eo esset, ut componeretur, semel iterum, cùm confectam audivisset, contradicit. Primos hos impetus gravior etiam ex aula Romana tempestas paulò pòst excepit. Innocentius Papa, ne quis existimet nocere noluisse, Bullam promulgat, quæ nil nisi lapides loquitur, qui cerebrum Germanis excutiant. Articulos Pacis nullos ac irritos declarat. *Etenim*, scribit ibi Pontifex, *pactionibus partim utriusque, partim alterius partis hujusmodi, inter alia bona Ecclesiastica aliaq; ab hæreticis occupata, illis eorumq; Successoribus in perpetuum addicuntur*, & paulò pòst: *plures Archi-Episcopatus, Monasteria, Præposituræ, Balliviæ, Commendæ, Canonicatus & alia beneficia & bona Ecclesiastica, Principibus hæreticis eorumq; hæredibus, sublatâ denominatione Ecclesiasticâ, in Feudum perpetuum sub dignitatis secularis titulo, conceduntur:* Quid Ernesti ab Eusebiis Judicium Theologicum, factiosum librum Vehiculum inscriptum, aut Erbermanni Anti-Caramuelem, vel cætera levioris argumenti scripta Paci adversa commemorem, quibus salutis publicæ prora & puppis in eo reposita esse videtur, ut impediant, ne, quamvis præsentissimâ necessitate urgente, bona Ecclesiasticorum in secularem conditionem redigantur? Etiam Galli fatentur, legatis ipsorum Mazarinum in mandatis dedisse, ne paterentur alienari bona Ecclesiastica. Prodiit nuper libellus Gallicus, inscriptus: *Motifs de la France pour la guerre d' Allemagne, & quelleya esté sa conduitte*, autoris quidem anonymi, sed quem negotiis illis interfuisse, & secretiora rerum momenta penetrasse, & Galli existimant, ac ex privatis illis, quos recenset, Legatorum præcipuorum sermonibus, haud difficulter conjicere est. Is non id solùm quod scripsimus, sed & studia Gallorum, Comitis d' Avaux inprimis, contra alienationem Mindani & Osnabruggensis Episcopatus prolixè recenset, & Catholicos Ordines aliquot suspectam habuisse ideo, Comitum, Trautmansdorffii, Nassovii, ac etiam Volmari, qui tunc ex præcipuis Cæsaris Ministris Conventui intererant, circa Ecclesiastica

bona

bona liberalitatem, quòd Lutheranæ antea religioni addicti fuissent: *que les Contes de Trautmansdorf & de Nassau*, verba illius sunt, *avoient esté Lutheriens; que Volmar avoit lui mes. me presché cet Evangile:* *que tous n' avoient changé, que pour les interest de leur fortune, & que ils conservoyent tous iours quelque inclination pour le party, veu le mes pris qu' ils fasoient des biens Ecclesiastiques.* Eaque de causa Cranium acriter invectum fuisse in Volmarum, & occasione mutationis, quæ circa Osnabruggensem Episcopatum accidit, per mensem inter Gallorum & Suecorum legatos non integram mansisse concordiam, perhibet. Sed & *Iohannes Caramuel Lobkovvitz*, qui bonis hujusmodi pacem licitè redimi existimat, multis locis id ea ferè solâ ratione defendit, quòd ex duobus malis minus sit eligendum, & pacem illam perpetuam, aliquot annos, si Diis placet, excedere non vult, quòd rerum humanarum ea sit conditio, quæ pacem, quam dicimus perpetuam, exiguo sæpe tempore rixis & bello mutet. Ac memini, cùm Viennæ degerem, ex ipso Caramuele audivisse, adeò malè Romanam Curiam habuisse librum illum, ut plus simplici vice eo nomine Romam evocatus fuerit. Inter ista partium studia, non defuere tamen legitimæ causæ eximii Patroni. Cùm primùm venenum suum spargeret Ernestus, *Creidemannus*, Vir Juris Publici peritissimus, ac Ordinis Equestris Suevici, & Civitatis Eslingensis, Consiliarius, Dignissimum Academiæ Tubingensis Cancellarium, *Dn. Tobiam Wagnerum*, tum Superintendentem Eslingensem, Virum Integerrimum, ac promovendo bono publico natum, amicum nostrum conjunctissimum, monuit, ut calamum stringeret in furiosæ improbitatis hominem; atque is tum tecto nomine dedit libellum, quem inscripsit *Iniquitates Iudicii Theologici Ernesti de Eusebiis.* Mox lucem quoque vidit *discussio brevis Iudicii Theologici & Vehiculi Ernesti* autore Anonymo, sed qui creditur fuisse *Benedictus Carpzovius* JCtus. Quin & vir Celeberrimus, *Hermannus Conringius*, felici astu, Personam Catholici inditus, non paucis persuasit, ut mitius de ista alienatiene sentirent. *Iohannes Georgius Dorscheus* etiam, quid posset in Ernestum, erudito opere ostendit. Et attigerunt rem deinceps *Ludovicus de Monte sperato*, qui quis sit, hactenus mihi non constat, ac *Iohannes Hoornbeck* in *Examine Bullæ Papalis*. Fertur & sub *Amandi*

Flaviani nomine tale quid cogitasse Blondellum, sed morte prohibitum operi ultimam manum imponere. Et sanè nemo temere crediderit, si ista alienatio omni casu in vetitis sit, eò adduci potuisse Imperatorem, Reges aliquot, Principes plures, ac Status Imperii alios, ut committerent, quæ jure divino, Naturæ, aut Gentium prohibita scirent. Quid quod ipse Rex Hispaniæ idem Belgis indulsit, Pacis quæ inter ipsum & Belgas convenit *art. 42.* quod Caramuel Hispanus non diffitetur, argumento evidenti, nec Hispaniam inter vetita omni tempore & loco habere hujusmodi bonorum alienationes. Ex eadem gente, qui diu secundo à Rege loco fuit, Caspar de Guzman Dux D'Olivares 3. Octobris 1639. ad Comitem de santa Coloma, ut est Tom. 2. *des memoires pour l'Historie du Cardinal de Richelieu pag. 365. la defensa,* scribit, *propria, y la publica salud, y la misma Religion, justifica el vender los Calices; porq̃ no justificaran, quanto es menos que esto, sin exception de nada.* Est nempe verissimum, quod teste *Caramuele pag. 40.* Prodromi *Pacis licitæ demonstratæ.* Cardinalis Pasmannus Archi Episcopus Strigoniensis (quem Hungari parùm abest quin inter sanctos numerent.) Pontifici Urbano VIII. dixit: *Duo esse Privilegiorum genera in Ecclesia, nimirum esse aliqua concessa à Christo, aliqua à Regibus, illa humanitus auferri non posse, posse hæc, si necessitas publica postulet,* addo & aliæ legitimæ causæ. Illud quia eruditè & luculenter ostendis, *Præstantissime Rothmahlere,* repetito paulo altius negetio, ac advocatis legibus divinis ac humanis, non Gentium solùm, sed Civilibus etiam, & Canonicis, ac Imperii Constitutionibus, ad quem modum non memini argumentum illud hactenus unum aliquem pertractasse, non poterit non Juris & Pacis publicæ studiosis gratissima esse quam publico bono impendisti opera. Ego sanè, in impedito negotio, eo usque inoffenso pede te progredi potuisse, & ingenii felicis, & diligentiæ non mediocris indicium interpretor. Nec dubito fore, ut virtute & eruditione istâ, quâ Doctoribus Academiæ nostræ omnibus te commendasti, eximium aliquando in Republica locum merearis. Interea Vale & vive feliciter.

Scribebam Kilonii in Academia Christian - Albertina
ipsis Cal. Octobr.

DE

CITATIONE, quam vocant, AD REASSUMENDUM.

Exercitatio.

CUm ex recepto Amplissimæ Facultatis Juridicæ, in illustri hac Academia, more, recèns allecti in eum ordinem Professores, à Disputatione pro Loco publicæ operæ initium facere teneantur; visum mihi fuit non inutiliter in Exercitationis hujusmodi argumentum cedere posse CITATIONEM, quam vocant, AD REASSUMENDUM. Nam & frequenti judiciorum propemodum omnium usu hodieque celebratur, & eas per Recessum Imperii ultimum, & nuperrima Imperialis Cameræ Decreta, mutationes sensit, ut non immeritò aliquis ambigat, quid de ea moribus nostris statuendum sit. Accedit, quòd nemo hactenus manus huic tractationi admovit: quæ enim de reassumtione litis apud Practicos nonnullos dispersa, & pauca leguntur, ea postrema hæc non attingunt, & quæstiones paucas, plerumque non satis aptè, resolvunt; nec Citationis hujus fermè mentionem faciunt, in solo ejus effectu occupati: &, ut quod res est, verbo dicam, plura

propemodum involvunt quàm expediunt. Unum id mutandi consilii causa esse poterat, quòd valde accurato esse ob temporis angustiã mihi non liceret: quicquid enim ad theses has conscribendas conferre poteram industriæ, id intra breves paucissimorum dierum angustias cõcludere jubebat necessitas. Non meretur autem solùm materiæ dignitas exactam tractationẽ, sed & ipse aliàs admodum illubenter typis describenda trado, nisi quæ subinde ad limam revocare licuerit. Scio enim, si secus fiat, id plerumque non fieri sine certo autorum famæ dispendio. Quando tamen justa est acceleratæ disputationis, à superiorum jussu & necessitate excusatio, in præsens hæc typis ita permisi, ut certi esse queant, qui legerint, Deo annuente, aliquando de eodem argumento meliora à me expectari posse.

I.

CItare, Juris Auctoribus, ac scriptoribus item antiquis aliis melioris notæ, genuino ac frequentiori vocabuli usu, significat per præconem vocare: disertè Marcellus *in l. 7. prin. ff. de rest. in integ.* ibi, *si citatus non responderit &c. existimari potest non suâ culpâ, sed parùm exaudita* voce præconis *defuisse*, & Ulpianus in *l. 73. ff. de jud.* quam hodie citationem peremptoriam quis dixerit, quia scripto comprehensa, Edictum peremptorium vocat, ut à citatione distinguat, quã sequi vult, post Edictum peremptorium impetratum, cùm dies ejus venerit. Livius *lib. 1.* Historiarum, *Patres*, inquit, *in curiam ad Tarquinium* per præconem citari *jussit.* nec aliter Valerius Maximus *lib. 2. c. 9. n. 6. Præco, lecto nomine Salinatoris, citandum id sibi esset necne hæsitavit.* Etiam Suetonius in Tiberio *c. 2.* Citatum *pro tribunali* voce præconis *convitiatorem rapi jussit.* Confer Duarenum

renum *1. diſp. c. 1.* Zœſ. ad Tit. *ff. de in jus vocand. n. 4.* Unde fortaſſis eſt, quod ex antiquis JCtis ſcribit Joannes Andreæ in Clem. *gravis ad vocem præconia* de Sent. Excomm. & ſequitur Bertachin. in *Repertorio* voce *Citatio*: Citationem per præconem fortiorem quavis alia eſſe. Sanè in Imperiali Camera indè receptum eſſe exiſtimo, quod, ad exemplum, ut videtur *l. 73. ff. de judiciis*, hodieque uſu ſervari conſtat, ne quis contumaciæ nomine, antequam præceſſerit vocatio per præconem, condemnetur: quod enim Practici vocant **das Ruffen** / vel proclama, id planè cum citatione per præconem idem eſt: decreto enim proclamate (**wann das Ruffen erkandt iſt**] quod fit, parte alterutrâ emanente, & petitione Procuratoris adverſæ partis præcedente, eaque probata Judicis ſententia, prodit Pedellus Cameræ, ac, qua parte Camera aream Cathedrali templo contiguam reſpicit, repetita ter voce inclamat, ac evocat emanentem, qui niſi deinceps intra 6. proximos dies, in quibus jus redditur (juridicas vocant ſcriptores Camerales & Ordinatio) adſit, ulterius contra illum in contumaciam proceditur; ſin adſit, à contumacia eſt immunis poſt ſolutum Pedello florenum: vid. Roding. *pandect. Camer. lib. 3. tit. 53.* eſt tamen etiam reperire apud ſcriptores antiquos, ſed rariùs, ubi per literas aliquis citari dicitur, Plautus in Gurgul. *Citare libello* uſurpavit, & apertè Juſtinian. *in l. 1. §. 2. verſ. ſcienter C. de Aſſert. toll. Edictis citari* ſcripſit: quod ipſum deinceps frequentiori uſu obtinuit.

II. Reaſſumere compoſitum eſſe verbum facilè liquet, ex præpoſitione *re* & verbo *Aſſumo.* Cùm varia autem ſignificet præpoſitio, quando tamen verbo aſſumo additur, ut cum citatione conjungatur, idem eſt ac ſi quis dicat *iterum*, ut reaſſumere ſit iterum aſſumere. Id quidem in expedito eſſe exiſtimo, ex Cicerone ac purioris ævi Latini ſermonis ſcriptore alio, vix oſtendi poſſe receptum fuiſſe vocabulum. Memini tamen, ex antiquioribus Epiſtolarum Plinii editionibus, me id legere in *Epiſt. 6.* quæ eſt ad Apollinarem *lib. 5.* ubi ille de Tiberi; *æſtate ſubmittitur immenſique fluminis nomen arenti alveo deſerit, autumno reaſſumit:* ita enim primæ editiones conſtanter legunt. Sed corruptiſſimas eſſe veteres Epiſtolarum Plinii editiones,

fortaſſis haud immeritò conqueritur, qui illas non ita pridem recenſuit Dn. Boxhornius: quare illo etiam in loco, pro reaſſumit, ſubſtituit reſumit. Quicquid tamen ejus ſit, extra controverſiam eſt, neminem niſi poſteriorum ævi ſcriptorem, ac qui adeò proximis aliquot ætati noſtræ ſeculis vixerit, id cum citatione conjunxiſſe: neque reperire adeò hactenus potui, ante ſeculum decimum quintum, qui Citationem ad Reaſſumendum dixerit; quamvis reaſſumendi verbo ſimpliciter poſito, ac cognato quidem, ſed non penitùs eodem cum Practicis noſtris ſenſu, uſus jam ſit ſuâ ætate Bartholus, ut patet ex iis quæ notat *ad l. mutari 24. ff. de procurat.* Quin, in Camera Imperiali, ad annum usque 1524. ea, non citatio ad Reaſſumendum, ſed ad reſumendum vocabatur, ut videre eſt ex ſententia quæ ſub 19. Maji Anno 1522. in cauſa C. C. Contra C. M. lata eſt, & apud Barth. *Tom. 1. ſent. Cameral.* extat, & ex alia apud eundem de Anno 1524. 13. Maji: quæ ſolæ de Reaſſumptione proceſſus, ſententiæ Camerales, ad eam usque ætatem apud earum collectores Seilerum & Barthium typis deſcriptæ extant: biennio tamen poſt, 19. Januarii 1526. quæ antè ad Reſumendum in Imperiali Camera vocabatur Citatio, cœpit etiam ad reaſſumendum dici.

III. Sortitur ea diverſas apud DD. præcipuè Practicos appellationes, modò enim ſimpliciter **Citatio ad Reſumendum, Readſumendum,** ut *Zieglerus ſcribit in præludiis ad Calvolam, n. 15.* vel ut frequentius, **Reaſſumendum**, receſs. deput. *de An. 1600.* §. **Nachdem auch** / receſs. Imper. *de Anno 1654.* §. **damit auch zum vierdten** *&* §. *ſequen.* **als auch weiter zum fünfften** decret. Comm. Publ. in Camera *13. Decembr. Anno 1659.* §. *3. in fin.* Decret. com. Publ. *11. & 12. Ianuarii Anni hujus.* Berlich. *part. 1. concl. 27. n. 25.* Roding. *Pandect. Camer. lib. 3. tit. 4. n. 35.* Aliquando **Citatio ad Reaſſumendum litem** Receſs. *1654. de* §. **damit auch zum vierdten** Carpzovius Proceſs. Jur. *Tit. 6. art. 4. num. 2. & n. 8. nonnunquam* **citatio ad Reaſſumendum cauſam,** frequenter in præjudiciis apud Barthium, vid. ſub Anno 1526. *19. Ianuarii lit. E.* Gail. *1. obſerv.*

serv.109.n.6. & ibi Fabricius. Minsing. *centur.1. obs.98.circa fin.* Sæpe **ad Reassumendum processum**, Ziegler *in præl ud. ad Nicol. Calvol. auream praxin. n.15.* Berlich. *p.1. conol. 27. n.14. 16. 17.* Carpz. process. *tit. 6. art.4. n.3. n. 22.* quandoque **Citatio ad videndum Reassumi**, quomodo appellatur in ipsa Citatione ad reassumendum, decreta Spiræ *4. Iunii Anno 1594.* in causa *Lamberti contra Waha.* **Citatio ad videndum & audiendum reassumi**, in sententia apud Barthium ad Annum *1522. 19. Martii lit. H.* Quamvis enim aliud esse videatur, citari ad reassumendum, aliud citari ad videndum reassumi, & diversæ esse personæ, reassumens, ac videns & audiens reassumi, quare etiam expressè distinguuntur in Ordinatione Processus Saxonica Johannis Georg. Elect. *c. 17.* ut nempe defuncti principalis hæredes ad reassumendum citentur, pars autem altera Principalis adhuc superstes, ad videndum Reassumi processus ab hæredibus, id tamen in Camera non semper ita exactè observari, ex dict. Citatione in causa *Lamberti cont. Waha* ad hæredes *Ioannis Lamberti.* ubi illi citantur ad videndum Reassumi, & præjudicio de die *19. Martii Anno 1522. lit. H.* apud Barthium, liquet: ubi liberi, quorum Mater reliquerat processum, & qui reassumere ideo debebant, per citatorias literas evocantur, **zu sehen und zu hören die Sache zu** resumiren. Describi autem videtur posse **Citatio hæc**: *qua Persona Iudicii deficiente, alia in ejus locum, ad processum continuandum, vocatur.*

IV. Eam jure quoque civili cognitam ac receptam fuisse, autumat Alvarus Valascus, Conimbricensis Academiæ olim Prof. Prim. & deinceps Regius in suprema Lusitaniæ curia senator, *consult. ac rerum in Lusitaniæ regno judicatarum 38. n. 1.* in quam rem adducit *l. Neratius 191. de R. I. cum gl. l. 2. ff. quæ sentent. sine appell. l. si eum hominem 33. ff. de fidejuss. ac ibi Imol. l. 34. ff. de judiciis ac in eam Iacobinum de Sancto Georgio*: unde porrò deducit, legem Regiam (Hispaniæ) quæ citationes ad reassumendum requirit, recipere omnes limitationes, quas recipit jus commune. Eandem sententiam è nostris persuasam habuisse videtur Andreas Gail, is enim *1. obs. 109. n. 5.* postquam dixisset, mortua ante conclusionem in causa, altera partium, citationem

ad

ad reaſſumendam cauſam, in eo ſtatu in quo relicta eſt, adverſus hæredes decerni, etiamſi Procurator defuncti jam Dominus litis factus ſit; ſubjungit, quo id probet *l. 23. C. de procur.* Sed hæc quidem, id nondum, imò, quædam contrarium potiùs efficiunt. Et verò, ex iis quæ ſcripſerat Gail. in adducta *l. 23. C. de procurat.* non aliud dicitur, quàm ProcuratoremDominum litis eſſe, poſt eam conteſtatam; Cæterùm, nihilominus citatione hæredis ad reaſſumendum proceſſum, poſt exceſſum ejus, qui agendam vel defendendam litem mandaverat, opus eſſe, id adeò non dicitur, ut potiùs aſſeratur, quod diſerta fronte cum his pugnat, poſſe procuratorem inchotam cauſam jurgiumque finire. Quare, quod moribus obtinuit, id ceu legi huic adverſum in ſuis ad eam obſervationibus notat Gothofr. Nec plus pro hac ſententia momenti eſt in adductis à Valaſco legibus. In *l. Neratius 191.* vel, ut eſt in antiquis ac quibus veter. Interpp. uſi ſunt, exemplaribus *l. 151. ff. de R. I.* ſanè tale quid non dicitur; ſed id ſaltem, privilegia quaſi viventi à Cæſare conceſſa, non videri ſemper etiam defuncto indulta eſſe. Gloſſa autem, judicium, etiam à Procuratore ignorante mortem Domini, pro defuncto ſuſceptum, irritum ait, & probat: quæ nullâ connexione ita conjungi poſſunt, ut efficiant concluſionem, E. Citatione ad Reaſſumendum Jure civili opus eſt. *Et. l. 2. Paulus d. quæ ſent. ſine appellatione reſcinduntur.* Id ſolùm aſſerit, irritas eſſe, latas in defunctos, quibus condemnantur, ſententias: unde iterum nemo neceſſitatem citationis ad reaſſumendum collegerit. Neque obſtat *l. 33. ff. de fidejus.* transferri enim ibi judicium in hæredem Titii dicitur, non tamen, ut opus etiam ſit ad Reaſſumendum Citatione: ipſo enim jure transferri poteſt, non etiam intercedente Reaſſumptione, quod juri civili congruere mox probabimus. Nec diverſum quid ſentit in *Comment. ad d. l.* Johannes de Imola. Denique *l. 34. ff. de Iudiciis* ſuccedere ait in mortui locum, qui hæres ab eo relictus eſt; non etiam citationem hujusmodi, ac ne quidem Reaſſumptionem, qualis illa hodie recepta eſt, requirit. Sed etiam ex iis, quæ Jacobinus de Sancto Georgio ibi commentatur, eum, contra ac exiſtimat Valaſcus, ſenſiſſe apparet; utpote qui contra Bartolum, Baldum, & Paulum deCaſtro ſecutus Angelum, credere ſe non obſcurè profiteatur,

tur, ſi citatio jam facta fuiſſet contra defunctum in certo loco, etiam ante litem conteſtatam, hæredem ibi teneri ſe defendere.

V, Quare verior haud dubiè eſt ſententia, quæ Jure Civili, nec reaſſumptionem proceſſus expreſſam, qualis illa hodie in uſu eſt, nec citationem ad reaſſumendum cognitam fuiſſe exiſtimat. Eo enim jure inſtantia paſſivè & activè ad hæredes transmittitur, hoc eſt, tam ipſi conveniunt, ſi defunctus fuerit actor, quàm conveniuntur, ſi defunctus fuerit Reus; ut bene explicat Aſinius ad ſtatut. Florent. de Modo proced. §. *2. cap. 12. num. 6.* quod probant textus, ubi lites tranſire in hæredes *l. 58. ff. de O. & A.* etiam ante condemnationem principalis defuncti, ibi, *An judicio nihilominus ipſe condemnari debeat? &* ejus *executionem* deinceps *adverſus hæredem* manſiſſe: *l. 78. §. penult. ff. ad Sc. Trebell.* dicitur. *l. 19. ff. de judiciis*: plures textus cumulat Aſinius in *prax. jud.* §. *2. c. 12. num. 4.* ſæpe tamen probando inſtituto non nimis congruos. & Carpz. in reſp. *lib. 3. tit. 2. reſp. 24. n. 1.* Berl. *p. 1. concl. 27. n. 1.* Quòd, ſi moriente principali, Procurator jam litis Dominus factus ſit, ne tum quidem Jure Civili opus fuerit litis reaſſumtione, arg. *l. 23. C. de Procurat.* Sin ipſe Procurator, poſt nactum litis dominium, vel decedat, vel ex juſta cauſa, poſt ejus cognitionem, mutetur, quod fieri poteſt *l. 17. & ſeq. ff. de procurat*: tum quidem, eo caſu, quo decedit, tranſire inſtantiam in Dominum ipſo Jure exiſtimat Angelus *in l. 57. tam ex contract. ff. de judic. n. 5.* quem ſequitur Aſinius in praxi Judiciorum §. *2. c. 13. num. 28.* at, ſi mutetur, *neceſſe eſt omnia innovari, & opus eſt nova conteſtatione & ſimilibus*, v. g. *interrogabitur Dominus, vel novus Procurator, Tu das libellum uti dedit primus*, verba ſunt Bart. *in. l. 24. ff. de Procurat:* quos actus, quamvis uno contextu fieri poſſe notet ibi Barth. ea tamen reaſſumptionem, quod exiſtimaſſe videtur Aſinius *d.* § *c. 13. n. 34.* qualis illa hodie recepta, nondum efficiunt, In reaſſumptione enim, non inſtituitur novus proceſſus ſed transferrur ſaltem, aut translata oſtenditur inſtantia in hæredem, vid. Minſing. *decad. 6. reſp. 51. num. 22*: & ſunt aliæ etiam inter hos actus, & reaſſumptionem noſtram, differentiæ. Quod autem, ad ſingulares ſucceſſores pertinet, in eos quidem ſecundùm le-

ges Justinianeas & veteres Jurisc. etiam ipso jure Instantia transit, si res necessariò, vel ex causa necessaria, quod idem est, transeat, secundùm communem Regulam, quam vide apud Asinium, *d. c. 13. num. 38.* Ziegl. *in prælud. ad Cavalc. n. 24. & ibi alleg. plur.* Quod idem, certo argum. legis *47. ff. fam. Ercis.* colligitur: ubi etiam, in communi divid. judicio, quod extra controversiam singulare est, *l. 4. prin. &* §. *2. ff. comm. divid.* integram actionem, eum sequi dicitur, cui fundus adjudicatus, confer Cothofr. *ad d. l. in not. lit. M.*

VI. Quomodo autem fieri possit, ut uno eodemque jure, transeat in hæredem instantia, & nihilominus reassumptione processus & citatione ad reassumendum opus sit, quod sentit non insubtilis alioquin ingenii Jurisc. Hispanus, Johannes del Castill. *p. 2. quotidian. controv. num. 4.* non equidem video; neque enim, quod transiit, id demum per reassumptionem transferendum est. Quare nostram quoque sententiam, Juri civili ignotam fuisse reassumptionem, calculo suo probant, Accuratissimus Dn. Lauterbach. *in disput. sub Præsidio ejus de transit. action. habita th. 40.* Dn. Carpz. *d. l. in Responsis,* & in process. *tit. 6. art. 4. n. 1.* & Jutispr. For. *p. 1. c. 11. d. 16. n. 1.* Berlich. *d. l.* ubi, & apud Asinium vid. allegatos plures: Confer. & Cæs. Barth. *in decis. Rotæ Bonon. decis. 36. n. 6. & seq.* Si quis tamen primum actum, quo Hæres, Procurator novus, vel Singularis successor, processum defuncti continuat, Jure Civili, implicitam ac tacitam litis reassumptionem continere velit: quomodo primus actus contradictionis, in summariis, pro litis contestatione à nonnullis aliàs habetur, Umm. *ad process. Iud. d. 12. th. 6. ibique allegati plures* vid. tamen omnino etiam Vultejum *de judiciis lib. 3. c. 11. n. 86.* ei valde repugnare nolim. Hinc esse videtur, quòd propter annotatum fortassis discrimen, conscriptores Ordin. Saxonicæ, nostris moribus usurpatam litis reassumptionem, expressam dicunt *c. 17.* & post eos Dn. Carpz. *in process. all. l. num. 5.* Nihilominus, talem actum, litis reassumtionem dicere, ut proprietati verborum non repuget, ita tamen nec ex usu DD. nec morum nostrorum fuerit.

Quos penes arbitrium est & jus & norma loquendi.

Sed &, quæ jure civili recepta non fuit Reassumptio Processus, aut ad

eum Citatio, ea neque Jure Canonico uſurpata probari poteſt. Et alioquin, etiam quando ambigitur, nulla temerè inter jura hæc pugna conſtituenda eſt. *c. 1. extra de nov. oper. nuntiat.*

VII. Refertur autem meritò origo ejus ad conſuetudinem: ad quam etiam referunt Berlich. *d. concl. n. 3.* Carpz. *IP. F. p. 1. conſt. 11. d. 16. n. 3.* Bocer. *claſſ. 6. diſp. 32. th. 35.* imò ipſi Dn. Camerales in ſent. de Anno 1540. die 9. Jan. apud Barth. ibi **Iſt Dr. Themarn Ladung** pro reaſſumptione cauſæ, **wie gewohnlich/erkant**: quæ deinceps, ut conſuevit, in ſcriptam legem, multis in locis, tranſiit. Adeò autem ubique, circa initium placuit, ut omnium locorum uſu propemodum recepta fuerit, & Dn. Berlich. *d. l. & Carpz. ſæpe alleg. reſp. n. 5.* haud vereantur ſcribere, ubique locorum in praxi receptum eſſe, ut hæredes ad continuationem proceſſus non admittantur, priusquam illum legitimè reaſſumpſerint. Quamvis autem temerè id aſſerere nolim: conſtat tamen, à vero alienum non eſſe, quod in *proceſſ. alleg. art. 4. n. 3.* addita, quam aliàs omiſerat, congrua limitatione obſervat: ubique ferè locorum, litis, ſive proceſſus reaſſumptionem, in judiciis, obſervantiam introduxiſſe. In Hiſpania & Luſitania equidem non conſuetudine ſolùm ſed lege etiam ſcriptâ probatam eſſe teſtatur Alvarus Valaſcus *conſ. 38.* verba ſunt: *Lex Regia lib. 3. tit. 18. §. 1. dicit*, mortuo uno ex litigantibus, non procedendum in litem quousque citantur hæredes defuncti. Idque praxi Cancellariæ Granatenſis receptum eſſe teſtatur Joannes del Caſtillo *quotid. Controv. lib. 2. cap. 9. num. 1.* de Italia, nihil quidem, quod planè conveniat cum Reaſſumptione noſtra proceſſus, apud antiquos interpretes hactenus comperio; aliquid tamen ſimile reaſſumptioni proceſſus, habet Barthol. *in l. 24. mutari ff. de Procur.* ac è recentioribus noviſſimè Ludovicus Poſtius Rotæ Auditor *in tract. Mand. de Manuten. obſ. 12. num. 159.* ea ſcribit, ex quibus apparet, agnoſcere Rotam Romanam aliquando citationem ad reaſſumendum. Quòd, ſi ſecurè, ex ratione, quam addit, gerali, ac à mutatione perſonæ judicii deſumpta, argumentari liceret, fuerit ibi, ſecundùm eum quidem, etiam jus hoc conſuetudinarium, perinde ut apud nos, ferè univerſale. Certiùs ta-

men, etiam Italos agnoſcere hodie reaſſumptionem proceſſus, probant, Peregrini, Patavini JCti, illa, quæ in tractatu de fideicommiſſis habentur *art. 33. n. 30.* Ubi etiam agit de neceſſitate citationis hujus, & de ſe ipſo addit, *ego practicavi, reaſſumpta inſtantia, reproducere omnia acta:* & reaſſumptionem etiam aliquando exigit Aſinius, in prax. judic. §. *2. c. 13. num. 34.* & ipſe Italus. Nondum tamen ibi ſcripta lege aliquid ea de re definitum invenio, quamvis Italiæ ſtatuta, quæ habet Academiæ noſtræ Bibliotheca bene multa, diligenter excuſſerim. Sed &, è Gallis, conſuetudinem hanc attingit aliquando Faber in ſuo Cod. *lib. 2. tit. 8. defin. 4. in not. num. 5.* & ea de re integra extat Franciſci I. Conſtitutio, vid. Ranchin. ad Guidon. Papæ *deciſ. Gratianopolitina 86.* & de Belgio, ibi obtinere teſtatur Grœneweg. *ad l. 23. C. de procurat.* ubi allegat etiam Zypæum & alios. Et in Polonia non tranſire cum effectu inſtantiam in hæredem, ſed ſæpe citatione opus eſſe, expreſsè colligitur, ex Manuali fundamentorum Juris civilis ac Poloni, Bogislai de Orzechow Orzechowski *ad 41. lib. Inſt. th. 109.* ibi: *ſi quis ignorantiam de proceſſu contra ſe obtendat & ſeqq.* De Germania noſtra res minùs controverſa eſt, cùm de ejus uſu tot quotidianis exemplis, publicis etiam Imperii legum, ac Ordinationum quoque Provincialium locis, & DD. plurium unanimi conſenſu, doceamur. Unde in receſs. deput. de Anno 1600. §. Nachdem aber / ꝛc. præmiſſa exceptione, traditur regula, in andern allen Fällen ſollen Ladung ad reaſſumendum außgebracht werden / & expreſsè diſponit Sächſiſche Proceß- und Gerichts-Ordnung cap. 17. daß zu Vorkommung allerhand zweiffelhafftigen Diſputats nach Abſterben eins oder des andern Parts / deſſelben Erben den Proceß außtrucklich reaſſumiren / auch entweder ſelbſt ad videndum reaſſumi citation außwircken / oder die Gegentheil die Erben ad reaſſumendum citiren / und über dieſen paſſum expreſsè, ob der Proceß zur Gnüge reaſſumirt oder nicht / erkennen laſſen. Ex quibus patet, quod diximus ſctiptis etiam legibus probari hodie reaſſumptionem proceſſus: & ut legitimè is reaſſumatur, plerumque requiri citationem. Deputations Abſcheid / & Ordin. Saxon. proceſs.

&

& judicii *d. l.* Valascus *d. cons. num. 1.* Johan. del. Castillo *lib. 2. cap. 9. num. 4.* Minsing. *respons. decad. 6. resp. 51. n. 22.*

VIII. Quemadmodum autem de consuetudine hac constat, ita initia ejus obscura fecit, barbarum, quo nata est, ævum. Non possunt quidem, quæ talia sunt, facilè fugere industriam ejus, qui accuratè contulerit Practicos postremorum seculorum: ex eorum enim conjunctis inter se locis facilè liquet quis primus de ea aliquid memorarit. Sed ea, quæ huc faciunt, omnia reperisse me, profiteri nec audeo, nec possum: temporis in præsens angustiâ exclusus. Quare quædam saltim ea de re quæ huc usque observare potui, attingam. Ex iis ergo JCtis, qui compositionem decretalium *Gregorii*, ac iis quoque, qui *sextum Decretalium*, *Clementinas*, & *Extravagantes Iohannis*, scriptis suis anteverterunt, nihil hactenus reperire potui, quod ostenderet, iis fuisse cognitam vel reassumptionem processus nostris moribus usurpatam, vel citationem ad reassumendum: quare nihil etiam in Pontificum. quos diximus, constitutionibus, ea de re legitur: qui consueverunt alias sequi Practicorum opiniones circa processum, præcipuè, si aliquâ specie æquitatis se commendent; quam hic non penitus deesse deinceps videbimus. Ubi vita excessisset Johannes 22. vel uno aut altero anno antè, cœpit scriptis inclarescere Bartholus. Is simile quid Reassumptioni nostræ memorat ad *l. 24. ff. d. Procurat.* at discrepare tamen, si bene perpendantur, quæ scribit, haud difficulter patebit, vid. supra *th. 7.* Nec enim citationem ipse inquirit: & actus, cujus ipse meminit, interrogatione judicis constat, & responsione partis; quod secus est in nostra reassumptione, Berlich. *p. 1. conclus. 27. n. 23.* & ibi novus instituitur, quamvis brevis processus, nova litis contestatio, & similia, Bartholus *d. l.* hic novus processus non instituitur, Minsing. *supr. alleg. loc.* Et Minsinger quidem ibi, secutus Zasium, putat Reassumptionem esse ex Practica Bartholi in *l. lucius. 78. ff. ad SC. Trebell.* sed eo loco nihil scribit Barth. nisi instantiam transire ad hæredem: quod longè diversum est ab eo, quod indè colligit Zasius, cujus verba describit Minsinger, tum ibi, tum *cent. 1. obs. 85.* Sed & qui aliquot lustris Bartholo posterior fuit Angelus de Ubaldis, *supr. alleg. loco.* notat adhuc instantias ipso jure transire; de nonnullis autem, necesse

cesse existimat, ut novus instituatur processus, planè ad eundem cùm Barth. modum, confer *thesin 5. circa fin.* In Germania, antiquissimum de reassumptione Processus præjudicium, de quo mihi constet, est illud, de Anno 1522. neque enim antiquius aliquod apud collectores extat: & vix 4. præjudicia in primo tomo Barthii, quibus decreta ad reassumptionem processus Citatio, habentur: cùm in posterioribus quatuor tomis longè sint frequentiora: ut nisi ea fortè causa sit, quòd non adeò diligenter primorum annorum sententias scrutatus sit Barthius, eam tunc longè minùs, quam deinceps fuit, usu frequentatam esse necessum sit.

IX. Cæterum, quæ de hac citatione nostra, usu recepta ac Imperii vel aliorum locorum consuetudinibus probata antè diximus, ea, in Germania quidem, mutata aliquis existimare possit, Recess. ult. de Anno 1654. §. Damit auch zum vierdten / & seq. quæ ipsa, cùm sæpius deinceps repetenda sint, hic semel exhibere, quamvis prolixiora nonnihil, satius est: sunt autem hæc ejus verba: Damit auch zum vierdten / wann etwa vor Beschliessung der Sachen / ein oder ander Theil von den streitenden Partheyen mit Tod abgehet / von deren nachgelassenen Erben von deren Procuratorn, als welche sich ohne vorhergehende citation ad reassumendum zu legitimiren nicht begehren / keine Gefährlichkeit zu Verlängerung des Proceß gebraucht werde / so sollen die Gewält gleich anfangs auff der Partheyen Erben mit gestellt werden / und auff einer oder anderer Parthey tödlichen Hintritt nicht nöhtig seyn / die Erben ad reassumendam litem zu citiren; sondern wann anders das Procuratorium verhero / von den bestelten Procuratorn gerichtlich producirt worden / derselbe / alßdann / biß zum Schluß der Sachen verfahren / auch so wol die divinitiv: als bey Urtheil / dafern die Erben annoch nicht namhafft gemacht / in des Procuratorn Person gefasset / und gesprochen werden / wie er Procurator dann schuldig seyn solle / innerhalb drey Monaten / oder auch ohnerwartet solcher Zeit / so bald er es in Erfahrung gebracht / seines abgelebten Principalen Todsfall / und desselbigen hinterlassenen Erben Namen / bey der Cantzley zu dem End an- und einzubringen / damit die

die Bescheid desto förmlicher begriffen und verfasset werden mögen/ & §. seq. Als auch weiter zum fünfften/wann etwa der Procurator Tods verfahren/ oder seinen Stand sonst verändert von den Partheyen/ so der Gerechtigkeit ihrer Sachen nicht wohl trauen/mit Bestellung eines andern Procuratorn viel Jahr über/ ja so lang zugewartet wird/biß ernendte Partheyen endlich durch neue citationes ad reassumendum darzu gezwungen werden/deme vorzukommen/sollen ins künfftig die Partheyen schuldig seyn/ gleich zu Eingangs des Rechtstands dem Procuratorn einen Substituten (jedoch ohne Bestallung und allein dahin/ biß sich der Fall begibt) bey zuordnen/welcher auff den Fall des Procuratoris vor der Sachen Endschafft erfolgenden tödlichen Hintritts/oder sonsten anderwerte Verenderung seines Standes/alsobald/ohn weitere Bestellung/den Proceß zu continuiren/mächtig und gehalten sey. Quæ prima fronte, videntur omnino tollere Citationes ad reassumendum, non in summo solùm Imperialis Cameræ judicio, sed in Imperiali etiam Aulico, & inferioribus aliis. Quamvis enim, quæ ibi definiuntur, ad Cameram saltim spectare quis existimare possit. §. Alsdann / dict. Recess. ibi. Justitz Wesen und dessen reformation bey unserm und des heiligen Reichs Cammer-Gericht zu Speyer: quia tamen, quo ad processum judicarium, Ordinatio Cameræ Imperialis, etiam in judicio Aulico servabitur per omnia, ut habent verba *Art. 5. §. 20. vers. quoad processum.* Instrum. pacis Cæsar. Suecici; & huc ea spectare quis existimet. Ordinationis autem Cameræ nomine, non illa solùm ibi veniunt, quæ in ea de Anno 1555. comprehensa leguntur, sed quicquid etiam deinceps Imperatoris & Imperii statuum consensu, eò pertinens in Comitiis publica authoritate sancitum est: inprimis illa quæ novissimo Recessu continentur: expressè verneuerte Reichs Hoffrahts Ordnung/ *tit. 2.* §. so wollen wir auch in fin. Citationes autem omnes, & inprimis hanc, ad processum pertinere, ipso ejus nomine monemur: est enim Citatio ad reassumendum processum. Neque defugere posse videntur inferiora judicia legem, quæ summis etiam posita, non obscuro argumento. §. *7. Instit. d. satitdat.* Et verò adhuc recenti imperii constitutione

ne

ne id cautum videtur Reichs-Abschied de Anno 1654. §. es sollen auch Chur-Fürsten und Stände des Reichs die Verordnung thun/ damit so viel müglich bey denselben die norma der Cammergerichtlichen process observirt werde: quare etiam status nonnullos, & inter eos Sereniss. Lüneburgo Cellensem Principem in suis provinciis processum indè emendasse fama fert, quod &, de Saxoniæ Electore, ratione Citationis hujus anno 1655. factum monet Carpz. process. *tit. 6. art. 4. circ. fin.*

X. Neque tamen propterea ab usu sublata est Citatio ad reassumendum, de cujus frequentissimo in Camera usu, Testimonium abunde perhibent audientiæ publicæ propemodum omnes. & vidi ipse, & petitas, & decretas plures, mense adhuc Martio, anni hujus sexagesimi. Quod & constat luculenter ex decreto communi, vulgo gemeinen Bescheid / publicato nuper in Camera Anno 1659. 13. Decembris, §. 3. circa fin. Cujus, quòd non in omnium manibus sit, ut res melius cognoscatur, ipsa dabo, quæ huc pertinent, verba: Welcher auff Absterben der Hauptparthey im Namen deren successorn einige rechthängige Sache reassumiren will / der soll jedesmal / neben Einbringung genugsamer Gewalts / zugleich seiner principalen qualification, krafft deren sie zur Sachen kommen / anmelden / und in Fällen / da die Gegentheil zu gleichmässiger reassumption citirt werden sollen / der Citation ad reassumendum inseriren lassen. Ac, ut dubitatio omnis adimeretur penitus, in decreto de 11. & 12. Januarii Anno 1660. die citationes ad reassumendum, sein / wie vorhin / judicialiter zu bitten / confer Roding nuper editum ac notis auctum, in Pandect. Cameral. *lib. 3. tit. 4. §. in causis antiquis & seq.* Ut limitatus quidem ac restrictus valde per d. Imperii Recess. §. sit citationis ad reassumendum usus, minimè gentium autem sublatus, sed in pluribus casibus adhuc receptus, de quibus fortè deinceps specialiter agemus.

XI. In supremo autem judicio Imperiali Aulico usus etiam illius sine restrictione hodieque durat, qualis olim fuit, idque Anno 1654. & 55. ibi me observare plus simplici vice memini; quamvis post ultimum Imperii recessum. Quæ enim in Camera, restricti & impediti

tam

tam frequentis uſus citationis hujus, cauſa eſt, quòd mandata ibi etiam concipiantur in hæredes litigantium; & deinceps Procuratori ſemper ſubſtitutus ſit alius Procurator, in caſum mortis vel mutationis ſtatus, §. Damit auch zum vierdten / rc. eæ in judicio Imperiali Aulico deſunt, neque in mandatis procuratoriis reperiuntnr: quare, quæ in Camera ita concipiuntur mandata, vor mich und meine Erben / ea in judicio aulico ſolùm reſpiciunt litigantes: unde incipit ibi Procuratorium. Jch bekenne / daß JCH / in allen meinen an Käyſerlichen Reichs Hoffraht hangenden Sachen / nulla facta hæredis mentione; & quod legitur in Camerali mandato Procuratorio, poſt nominatum Procuratorem, und falls derſelbe etwan frühzeitig mit Tod abgienge / will ich gleichfalls den Edel / Veſt und Hochgelahrten &c. Kayſerlichen Cammergerichts Advocaten und Procuratorn, als deſſen ſubſtituirten Anwalt / conſtituirt haben: id locum non invenit, in mandatis, in judicio Aulico ordinariè receptis: ubi nec Reſidentes, qui Electorum, nec Agentes, qui Principum Imperii plerumque Procuratores ſunt, Subſtitutos ſuos habere tenentur. Quæ differentia, ut melius pateat, non inutile fuerit, conferre utrumque mandatum: ex quibus illud, quod hodie in Camera, poſt Receſs. Imperii de Anno 1654. neceſſarium planè eſt, legitur, cùm apud authorem Comitiologiæ *part. 5. p. 355.* tum apud noviſſimè auctum Roding. in Pand. Cameral. *lib. 3. tit. 29.* id verò, quod in judicio Aulico receptum, non tamen neceſſariò eadem forma exhibendũ, (ſufficit enim etiam aliter conceptum mandatum, in quo tamen neceſſaria non deſint, ibi exhibere, *arg. tit. 7.* Reichs Hoffgerichts-Ordnung / §. Gleicher geſtalt. & ipſe tale mandatum exhibitum, & pro ſufficienti habitum, memini) cernitur Ordinationi judicii aulici *tit. 7.* circa finem annexum. Neque, ut aliter obſervetur in d. judicio Aulico neceſſum eſt, ex adducto Inſtrum. Pacis loco. Semper enim conſtitutionibus generalibus per ſpeciales derogatur, & id potiſſimum habetur, quod ad ſpeciem directum eſt. *l. 80 ff. d. R. I.* ibique *ſande l. 41. ff. d. pœnis.* non ſolùm autem in ſpecie, in d. ordinatione, ab Imperatore, hoc mandatum procuratorium probatum, ſed ab ordinibus etiam hucusque, ſæpe tacito, & nuper ex-

presso consensu ratum habitum fuit, dum postremæ Capitulationis Articulo 41. Ordinationis judicii Aulici observantiam (nisi proximis comitiis aliud constituatur) Imperatori commendant. Capitulatio autem postrema, ut quidem verba habent, quamvis ab Electoribus, nomine tamen omnium Imperii Principum ac Statuum concepta est, Procem. *Capitul. in fin. & artic. ult.* §. solches alles und jedes.

XII. Quod Principum Germaniæ, & aliorum Imperii Statuum Judicia attinet, in iis quoque, quomodo statutis hactenus, vel consuetudine probata est reassumptio litis, & ad eam Citatio, eodem modo etiam per Recess. postremi allegatum. §. res se hodieque habet: nisi ipsi ex aliis causis, & usu judiciorum suorum, aliquid immutandum, aut simile Camerali mandatum Procuratorium recipiendum existimarint. Nec obest §. ult. Inst. de Satisd. Principum enim nostrorum, ac Statuum Imperii, dignitas, nulla ratione comparationem cum magistratibus Romanis, aut Provinciarum Rectoribus ac Præsidibus, admittit: bene Frantzk. *ad tit. de Iurisd. num. 56.* Principes & Comites *nostri, nulla ratione magistratus sunt, aut cum Veteribus Romanorum magistratibus comparari possunt: longè enim altior illis ac fortior potestas est, non officii, non administrationis, sed territorii, eaq; perpetua, & in hæredes transmissibilis, quàm vulgò* die Hohe Lands-Fürstliche Obrigkeit *appellant* Dn. Hahn in notis ad Wesembec. *ad Tit. de ll. num. 3. vers. non rectè.* neque adeò leges agnoscunt, datas in veteri Romana Republica Magistratibus, aut provinciis: sed eas solùm, quæ Imperii Germanici legibus universalibus continentur. Recessus autem Imperii verbis explicandis, iis solũ opus est, quæ sequuntur d. §. Jedoch mit diesem außtrücklichen Vorbehalt/ dafern bey solchen judiciis ein ander modus eingeführet/ und biß daher beständig hergebracht worden/ daß es dabey sein ungeändertes Verbleiben haben soll.

XIII. Introductæ verò consuetudinis hujus, ac mutati antiqui juris, causæ illæ esse videntur: quòd & alioquin, ut citetur is, cujus interest, Juris naturalis esse existiment plurimi. Vult. Jurisp. Rom: *lib. 2. c. 28. n. 11.* Minsing. *obs. 6. num 3. cent. 6.* Menoch. *de arbit. jud. q. lib. 5. q. 17. n. 5.* Camill. Borell. *in summ. decis. 43. q. 6.* ubi *alleg. more suo plures:* & divini, ex Masvveri *: pract. tit. de Adorn: n. 2.* Borell. *d. decis. n. 3.* ac fun-

fundamentum judicii §. *ult. Inst. de pœn. temer. litig. Clem. Pastor.* §. *cæter. de re jud.* Carpz. *processs. tit. 7. art. 1. n. 5.* Rotschitz. *proc. jur. art. 1. n. 4.* ut omnia, ea non interveniente facta, nulla sint *alleg. Clement. Pastor. de sent. & re jud. Clement. sæp. de V. S.* & inprimis durum existimetur, absente ac ignaro eo, ad quem pertinet, causam tractari; Unde Vant. *ne null. ex defect. citat. n. 7. absentem*, (intellige ex defectu citationis) *judicare divinæ & humanæ leges prohibent.* Umm. *process. disput. 5. th. 8. n. 39.* Et *adeò nullitas ac defectus processus contrahitur, si non vocatâ parte procedatur, ut nec per ipsum Imperatorem suppleri possit,* ait Asinius in prax. judiciorum. §. *6. c. 13. n. ult.* Ummius *d. l.* Bocer, *cl. 6. disp. 13. th. 4. lit. b.* nec omittenda ea, etiam in summariis *cl. sæp. de V. S.* Carpz. *pr. tit. 7. art. 1. n. 10. & seqq.* Quamvis enim hæres, cum defuncto, una eademque persona censeatur. Nov. *48. in princ.* adeoque citatio hujus, ad illum etiam pertineat; hoc tamen fictione juris potiùs, quàm rei veritate defenditur, & naturâ duæ hæ personæ non solũ, sed multis aliis etiã differunt. Unde evenire haud raro potest, ut hæredes, pupillo, minores, milites, rustici, fœminæ, etia ex variis causis alii, ejus instantiæ, quæ cum defuncto agitabatur, nisi per Citationem admoneantur, planè ignari sint: quos præter culpam ipsorum damno litis plecti, aut contumaciæ pœnâ affici, vel deinceps, petitâ ab ipsis restitutione, judicium differri, nec ex ipsorum, nec publico usu est. Licèt enim juris regula sit, instantiam transire in hæredem, per supr. *all. jura,* quibus adde Besold. *Thes. Pract.* voce Instantz / adeóque eam, ut & alia, quæ juris sunt, omnes intelligere debeant. *l. 9. C. d. legib. l. 9 ff. d. jur & fact. ignor. l. 12. C. eod. l. 48. ff. d. fidejuss.* quia tamen regula hæc, nec divini nec naturalis, sed solùm positivi juris est, quod jus ignorantibus minoribus subvenitur jure nostro, *l. 8. ff. d. minor.* Hahn ad Wesembec. *d. jur. & fact. ignor. n. 3.* ad verb. *exceptis minor.* Zœs. *eod. n. 5.* & militibus, *l. 9.* §. *si filiusf. d. jur. & fact. ignor. l. 1. C. eod.* Wesemb. *ibid. num. 4.* Carolus à Mansfelt Magist. milit. *p. 1. c. 5.* fœminis etiam quandoque *l. ult. C. de juris & facti ignorantia.* & interdum etiam rusticis, *l. 1.* §. *fin. ff. d. edend. l. 2.* §. *2. d. jur. Fisci.* Renatus Chopp. *d. priv. rust. lib. 1. p. 1. c. 1.* Dn. Struv. Synt. Pand. *exerc. 28. th. 56. C. I. A. d. jur. & fact. ignor. th. 4.* & aliis quoque, ob ignorantiam facti necessa-

riam, *l. 9. ff. d. t.* eâ ratione augeri necesse erat in immensum, litium numerum, qui unâ alioquin instantiâ finiri posse videbatur, præcisis, ex facti & juris ignorantia natis excusationibus, per Citationem hujusmodi ad reassumendum. Quæ postquam scripsi, video, idem ferè in mentem venisse, deputatis ad resolvenda Cameralia dubia, dum de hac ipsa citatione ad reassumendum deliberant: quorum ideo, desumpta ex eorum resolutione, quæ extat post observat. pract. Esaiæ Rosenkorbs verba, quòd rem mirificè illustrent, addo: Ita ergò illi, ad dubium 57. Wann aber dabey fürnemlich bedacht seyn will/ daß man am Käyserlichen Kammer-Gericht viel wichtige Sachen/ respectu personarum & rerum, darüber mehrentheils viel Jahr litigirt wird/ daß auch immittelst die Partheyen und Advocaten/ Todes verfahren/ derselben Anwalt der Sachen wenig Berichts wissen/ auch der Partheyen Erben zu zeiten unmündig/ oder auch von der Sachen nichts oder wenig wissen/ muß man solche Umstände in solchen Sachen wohl in achtung nehmen/ damit niemand unverschuld übereilet/ lædirt, und dahero die Proceß und petitiones pro restitutione in integrum nicht überhäufft werden. Quibus accedere potest, quod solum causam litis reassumptioni expressæ dedisse existimat Dn. Carpzov. *processf. tit. 6. art. 4. num. 5.* quòd aditio hæreditatis, quæ per continuationem litis à defuncto susceptæ probari potest, si res magni momenti. Nonnulli existimant, litis reassumptionem esse speciem hæreditatis aditionis, quæ sententia Saxonicis JCtis maximam partem arridet, Finckelth. *obs. 110. num. 10.* Carpzov. *decis. illustr. Saxon. p. 3. decis. 244. num. 11.* Barschamp. *in Rad. claus. c. 6. §. 3. num. 42. vers. nonagesimo octavo requiritur.* Ubi memorat, hoc in gravi causa, quæ in suprema Curia Electorali agitabatur, sibi opposuisse D. Jacobum Schultz: quæ sententia quid veri habeat, fortè deinceps disquiremus.

XIV. Non contentus autem est hac juris mutatione Dn. Gail. *lib. 1. observ. 109. num. 7. melius autem*, inquit, *meo judicio foret, magisq; litigantibus expediret, si contra Procuratorem, tanquam dominum litis & instantiæ, usque ad conclusionem procederetur, & in eum sententia conceptis verbis publicaretur: hoc enim de jure fieri posse notum est, per tex-*

textum in l. nulla dubit. C. d. Procur. & in d. c. 1. §. 1. eod. tit. in 6. licèt executio facienda sit contra hæredes, per textum in l. Plaut. ff. d. Procur. hac via & ratione multorum hæredum malitiis & tergiversationibus obviaretur, qui rerum controversarum possessores, & causæ suæ diffidentes, de industria litem extrahunt, seq; maximo partis adversæ malo ad causam legitimare nolunt : quo fit, ut ad multos annos, in puncto legitimationis causa indecisa pendeat, & ad definitivam ob defectum mandati procuratorii perveniri non possit. A quo, post Berlich, dissentit, ac dicam ei scribit Dn. Carpz. *Resp. lib. 3. tit. 2. num. 10.* ubi, *vix* inquit, *hoc consilium erit practicabile, & seqq.* ubi Gail. argumentis respondet: quæ apud eum videri possunt prolixiùs : addit contrarium docere communiter DD. & adducit ipse ex his Jacobum Schult, Fabrum, Minsinger, Ziegler. Ostendimus autem, ut opinor, thes. præcedenti, non fuisse nullas introducendæ litis resumptionis rationes, & vidimus id etiam in resolut. dubior. Cameralium: quæ autem reprehendit Dn. Gail. ea non necessariò cohærent Citationi ad reassumendum, sed à malitia partium, aliquando etiam Procuratorum & Advocatorum proficiscuntur, qui utilibus etiam inventis abutuntur. Unde & culpam dilatæ petitionis citationis ad reassumendum Recess. deput. de Anno 1600. non in ipsam citationem, sed aliorum, & partium negligentiam, transscribit §. **Alß auch befunden** / & in recess. d. Anno 1654. §. **Damit auch zum vierdten** / ibi: **damit von deren nachgelassenen Erben / und deren** Procuratorn **keine Gefährlichkeit zu Verlängerung des Proceß gebraucht**: *& §. seq. ibi*: **von den Partheyen / so der Gerechtigkeit ihrer Sache nicht wohl trauen / mit Bestellung eines andern** Procuratoris, **so lang zugewartet wird / biß sie durch neue** citationes ad reassumendum **darzu gezwungen werden**. non facilè autem; propter abusum quorundam, tollendus rei usus, sed de corrigendo abusu antè cogitandum: qui si nimius alicubi sit circa citationem hanc, non dubito, illam suspendi ad tempus, vel aboleri etiam, superioris authoritate posse: exemplo aliorum, quæ Romanis legib. prohibitionis suæ causam, cùm indifferentia alioquin, ac sæpe etiam bona essent, uni debent abusui. Ita fæminas, in justis præcipuè causis, pro aliis postulare aut intercedere, ac mari-

to, etiam cum earum consensu, fundum dotalem oppignorare, aut alienare, jure naturæ non prohibitum invenitur: & sæpe, id fieri, ex totius familiæ usu esse potest; propter abusum tamen, quia invere-cundè nonnullæ postulabant, & quia facilè intercedentes decipiebantur, ac dotes suas sæpe amittebant, ac res, si consentire nollent uxores, id desiderante marito, turbaret conjugiorum tranquillitatem, prohibita sunt. *l. 1. ff. d. postul. l. 1. 2. ad SCt. Vellejan. princ. Instit. quib. alien. licet. l. un. §. 15. C. d. rei uxor. actione. confer l. 2. C. d. donat. inter vir. & uxor.* Cæterùm hactenus de modis, quibus abusus citationis hujus tolleretur, relicto ejus in causis necessariis, usu, anxii fuere Domini Camerales & Imperii status.

XV. Citationem autem hanc, ut & alias, decernit Judex *c. de illicita. 6. caus. 24. q. 3.* Schard. de Feud. *p. 9. c. 7. n. 40.* Gail. *lib. 1. obs. 48. num. 6.* Ibique Grevæus *consid. 1. n. 1.* Est enim citatio actus jurisdictionis, *arg. l. fin. ff. d. jurisd.* ibique Gothof. novissimè Franciscus Ansaldius *tract. d. jurisd. p. 3. c. 11. n. 33. & seq.* neque quivis judex sufficit, sed requiritur, ut sit Competens, *arg. l. 2. ff. si quis in jus voc. non ierit. l. 5. ff. d. judic. d. l. fin. ff. d. jurisdict.* qui hic est idem ille, coram quo agitata prior instantia, *arg. l. 30. ff. d. judic. l. 10. C. eod.* impertit autem officium suum, regulariter, non nisi rogatus, *arg. l. 4. §. 8. d. dam. infect. c. proposuisti X. d. for. compet.* Ummius *ad process. disput. 5. th. 11.* Carpzov. *Proc. tit. 7. art. 1. n. 28. & seq.* adeò ut citationem, quæ parte non petente fit, nullam existimet Vantius, *in Tr. d. Nullit. tit. d. nullit. ex def. citat. n. 31. & 35.* Nicol. Calvol. prax. Aurea, §. *Citatio 8. concl. 3. num. 14. & seq.* quod inprimis in Citatione hac nostra advertendum: quam ideo sæpe, nisi petitam, decernere noluit Camera: ita anno 1577. 29. Junii, in sententia, apud Barthium, in Sachen M. A. und D. nachgelassener Wittiben / wider M. B. ist von Ampts wegen der Bescheid / wofern D. Kühorn citationem ad reassumendum bitten würde / daß solches gehört werden soll / & Anno 1505. 19. Nov. in Sachen K. contra K. & consortes, ist von Ampts wegen der Bescheid / wofern Dr. Ramminger / rc. Gegentheil ad reassumendã causam citiren lassen wird / soll darauff ergehen was recht ist. Aliqnando tamen, etiam ex officio judex decernit Citationem. Quare regulæ

læ superioris limitationes 5. tradit Petrus Friderus Mindanus, *l.6.c.1.n.3.* quas sextâ auget Nicolaus Calvolus *d. loc. a. num. 3. ad 8.* eas verò accuratè expendere, nunc festinanti non licet: interim id negligendum non est, aliquando etiam usu venire, ut Citatio ad reassumendum, propter generales has à Mindano & Calvolo collectas limitationes, ex officio decernatur: quales formulæ sententiarum in Camera promulgatarum, aliquot sunt apud Barthium. Ita 1571. in Sachen G.B. wider weyland K. M. jetzt seine Erben in actis benandt/ ist der Bescheid/ sofern Dr. Mart. gnugsam Tutorium oder Curatorium zur Sachen legen wird/ daß ihm alßdann von Ampts wegen citatio ad reassumendum causam, hiemit erkandt seyn soll/ ita quoque Anno 1544. 4. Aprilis decreta in Camera hæc Citatio ex officio.

XVI. Cæterùm, ut judex decernat Citationem hujusmodi, subesse oportet legitimam causam: paria enim sunt, aliquid non fieri, & non legitimè fieri. An autem talis legitima causa sit, mutatio personæ judicis? id non videtur positum extra controversiam. Et minus quidem dubii res habet, si judicium personæ plures constituant: tum enim, ex unius vel alterius mutatione, sive ea morte, sive alia ratione fiat, non id consequitur, ut diversum existimetur judicium; etiamsi omnes mutati essent, *l.76.ff.de jud. l.7. §.2. quod cujusq; univers. nomine vel contra eam agitur,* neque adeò citatione ad reassumendum opus est, cùm nec necessaria sit litis reassumptio, judicio non mutato. Cujus ne tum quidem usus aliquis est, si in judices certos compromissum sit, eorumque unus, vel plures vitâ functi sint: est enim compromissum aliquid personale, quod judicum & compromittentium personam, nisi facta sit hæredum mentio, non egreditur, *l.32. §.16. l.45. ff. d. recept. qui arbitr. c. ult. X. d. arbitr.* Blancus *d. comprom. q. 7. prin. tit. ex prorog. num.3.4.* unde morte arbitri, vel arbitrorum, in quos compromissum est, si ante definitivam moriantur, solvitur, Wesemb. *p. 5. cons. 242. num. 51. & seqq.* ac, si plures sint, unius etiam: DD. *in c. ult. X. d. arbitr.* Wesemb. *d. cons. num.52.* in eo autem judicio, quod solutum est, processus reassumi nequit: & quamvis ibi non desit mutatio judicii, talis tamen illa est, quæ id simul tollit; neque reassumptione litis, aut citatione ad eam, sed novo processu opus habet. Sed, si unus solùm ordinarius, vel datus à superiori,

riori, causæ judex sit, isque vitâ fungatur? quid tum statuere conveniat, non perinde promptum est definire. Nonnulli finitum priorem processum, ac alio planè novo opus esse existimant: quod putarunt Comites Mansfeldenses, in causa feudali controversa, quæ ipsis intercessit cum Comite Poppe ab Henneberg/ ubi, cùm Dux Saxoniæ Johannes Fridericus, datus ab Imperatore causæ judex, se eo munere abdicasset, ac post, avocata, à judice, qui huic successerat, causa, ac electo in ejus vicem Electore Saxoniæ Augusto, *priorem processum finitum, & causam denuò incipiendam, propterea, quòd Princeps Elector esset novus judex, in quem nullam jurisdictionem haberent priores Commissarii*, voluerunt. Quam sententiam etiam defendit eorum Advocatus Melchior Kling. Sed in contrarium respondit Modestinus Pistoris, *p. 2. q. 96. n. 2.* per *l. 75. & 60. ff. l. 8. §. 8. C. d. judic.* quod etiam juri magis congruere videtur: cùm & alioquin non indulgendum sit malitiis hominum, *l. 38. ff. d. R. V.* processus in infinitum extendere summa ope nitentium. Videtur autem, hoc casu, omnino citatione opus esse: ut partes de tempore & agendis aliis circa ulteriorem processum admoneantur, & alioquin jure civili citatione ad omnes actus, [quæ communior DD. sententia] opus est. Dn. Hahn. ad Wesembec. *tit. d. in jus voc. num. 13.* vers. *singulis etiam causarum actibus.* Vultejus de judiciis *lib. 2. cap. 2. num. 85.* quamvis jure Camerali secus sit, Vultej. *ibidem* Minsing. *cent. 4. obs. 33.* Quomodo etiam in dicta causa Henneberg/contra Mansfeld, confestim petita citatio ad ulteriorem processum. Id saltim dubium adhuc, an ea Citatio, sit Citatio ad reassumendum? quod ego negandũ existimo. Citatio enim ad reassumendum duo continet: unum, ut processus reassumatur, hoc est, à parte reassumente in se transferatur, & approbetur; quod præcipuum est: alterum, ut procedatur ad ulteriora. In hac autem citatione prius deest, quod conjunctum cum posteriori, demum efficit Citationem ad reassumendum. Litigantes enim, ut in se transferant processum, cujus ipsi authores jam antè, & partes Principales sunt, & quem pridem approbarunt, fieri nequit. Est ergo specialis ad actum aliquem Citatio solùm, quæ in judiciis plerisque usurpatur, & jure Civili etiam necessaria (ut communiter credunt,) habetur. Quomodo autem necessaria sit Citatio, si agatur de executione

sen-

sententiæ, mutata persona judicis. vid. Postium *tr. d. decret. Manut. obs. 12. num. 159.* & ibi allegatos authores Italos plures. Quare pulchre Carpzov. in Proc. *tit. 6. art. 4. n. 46. Non enim lis reassumi debet unquam, si non persona litigantium alteretur.*

XVII. Mutatio ergo personæ actoris, vel rei, in judicio, locum facit Citationi huic: & primùm quidem illa, quæ fit Morte, Berlich. *p. 1. conclus. 27. num. 17.* Carpzov. *process. tit. 6. art. 4. num. 7.* I. P. F. *p. 1. cap. 20. d. 18. num. 2.* ibi: *defunctis litigantibus*, Bocer. *cl. 6. disp. 32. th. 37.* Gail. *d. o. 109. n. 5.* ibi: *si altera partium in fata concedat.* An actor vel reus sit, qui moritur, nihil interest, utriusque enim successores litem reassumere tenentur. Gail. *Berlich. Carpzov. alleg. ll.* de reo in specie, Valascus *consult. 38. n. 1.* Quòd, si ex pluribus litigantibus, qui vel actorum vel reorum loco sint, unus vitam cum morte commutet, quid tum juris esse dicemus? an pergent reliqui? vel succedent hæredes in demortui locum, sine Citatione ad reassumendum? & tunc Citatione opus esse, ex generali regula, cui ea in parte nec juris ratio, nec consuetudo obicem ponit, existimo; quod probat etiam Berlich. *d. conclus. 27. num. 18.* ubi subjungit, ita etiam Anno 1625. in suprema Appellationis Curia, Dresdæ judicatum, in Sachen der Actoren und Anwälde / Wolff Lebzelterndes Eltern / und Joachim Schlanderbachs Erben / Klägern und Procuratorn, Johann Bodecken / Casper Werners / und Mitverwandte der Irmenauische Seigerhandlung / Beklagten andern Theils / daß Klägern der gebetene Anstand mitzutheilen / und Joachim Schlanderbachs Erben zur litis reassumption gegen nechstkommenden Termin vorzuladen / V. R. W. Quod autem juris est, uno solo in fata concedente, id multò magis tum observandum, si plures collitigantes, mortui sint; etiamsi illi unum omnes actorem constituerint: de qua quæst. qui plura velit, eum remittimus ad D. Jocob. Schultes, *q. pr. p. 2. q. 52.* neque enim nostrum est describere, quæ jam ab aliis occupata sunt. Sed quid, si civitas, vel alia universitas, judicio experiatur, vel alterius actionem excipiat per Syndicum, ac major pars eorum, qui illam constituunt, mortem obierit: an citanda denuò sit, ad litem reassumendam? Dn. Carpzov. I. P. F. *p. 1. const. 13. def. 13.*

id ex hisce rationibus affirmat: quia 1. major pars ipsum collegium vel universitatem repræsentat, per *l. 3. ff. quod cui. univers. nomine.* 2. quia Syndicus est loco Procuratoris, ac ex iisdem causis mutari potest, ex quibus procurator *l. 6. §. 3. ff. eod.* quibus 3 adjungit etiam præjudicia quædam. Sed, hæc sententia, ad juris nostri stateram examinata, parùm sanè congruit: nam jura universitatis in unum etiam recidere possunt, & in universitate nihil refert, utrùm omnes idem maneant, an pars maneat, vel omnes immutati sint. *lib. 7. §. 2. ff. Quod cujusque univers.* Si ergo antea à majori parte electus sit, qui negotia agit civitatis vel unversitatis, cùm succedentes in mortui locum, non diversi ab illis habeantur, sed una æstimetur civitas, alio mandato, aut translatione processus in diversos, qui hic nulli sunt, non opus est. In *l. 6. eod.* Actor universitatis quidem mutari posse dicitur, ex iisdem causis, ex quibus Procurator, hoc est, ex enumeratis *in l. 17. 18. ff. d. procur.* propter ætatem, inimicitias, affinitatem cum adversario, alias causas; sed non de potestate, verùm necessitate mutandi Procuratorem, hic in præsens sermo est. Si enim id fuerit, quod esse putat Dn. Carpz. extinctum erit morte plurium mandatum, neque potestas mutandi Procuratorem penes universitatem, sed necessitas fuerit: necessitatem autem mutandi Procuratorem, ea lex non infert, quam moribus nostris sequitur sæpe Citatio ad reassumendum; sed de causis, ex quibus id facere possit civitas, loquitur saltim, inter quas hæc ipsa non est, verùm expressæ in ante adductis ll. & similes. Est enim, hac in parte, manifesta differentia, inter Procuratorem, quamvis plurium consortium litis, & Syndicum, ac actorem etiam à Civitate constitutum: hic enim, ab uno corpore, quod per mortem id constituentium, dummodo supersint ac succedant alii, & vel unus quoque, non discerpitur, secundùm juris dispositionem, sed unum petpetuò manet, constituitur, *l. 7. §. 2. ff. quod cujusque univ: nomine. l. 76. ff. d. jud.* ac pro una habetur persona. *l. 22. ff. d. fidejuss.* Struve *ad tit. Quod cujusque univers. nomine, num. 11.* ille verò, à diversis, ac pluribus personis, & solo litis consortio junctis. Confer Dn. D. Scheineman. *Diss. inaug. d. Syndicis, hic habita, thes. 100. circa fin.* potest tamen aliquid hac in re, ut & in aliis circa hanc materiam, praxi mutatum esse. Quamvis,

vis, quare hic à receptis juris regulis recedendum fuerit, sufficientem rationem videam nullam. Et quæ Carpzov. adducit præjud. Scabinatus Lipsiensis, ea, ut maximè de praxi Saxonica testimonium dicere possint, de aliorum locorum consuetudine tamen nos adhuc dubios dimittunt. & sanè in Camera vel judicio Aulico, ad eum modum pronuntiari, hactenus non reperi; quin hodie ne deinceps indè in Camera controversia oriri possit, prohibetur mandato, quod exhibet Procurator, qui nomine civitatis vel universitatis agit, cui semper inseritur, post ultimum Imper. recessum, clausula, **vor uns und unsere** Successorn: quod observatum ipse novi, & notavit nuper ad Roding. qui eum auxit *lib. 3. tit. 29. p. 671.*

XVIII. Quia autem Mors litigantium non uno semper tempore intervenire solet: possunt enim illi fato fungi, **ante litem contestatam**, vel eo tempore, quod **post litem contestatam** sequitur, **ante tamen causæ conclusionem**, **vel post causæ conclusionem ante tamen sententiam**, vel **post sententiam ante tamen Executionem**. Quæ tempora non bene distincta, multùm tenebrarum in judiciis versantibus, haud dubiè affundunt: ideo quid circa diversa hæc tempora juris sit, non inutiliter disquiremus. Primo casu igitur, quando **ante litem contestatam** moriuntur partes, interest, an libellus solùm Citationis, vel ut vocant, supplicatio, ab adversario exhibita sit, nec secuta adhuc contra defunctum Citatio: & non opus est citatione ad litem reassumendam, quæ tum nulla cum defuncto adhuc fuit: qua in re omnes convenire existimo, & consentit Carpz. *Proc. tit. 6. art. 4. n. 15.* ibi *si vel ante emissam citationem*, adeóque hoc casu, nova ab hæredibus, vel adversus eos, actio instituenda. Vel citatio jam impetrata, sed intercedens, inter dilationem, ut vocant, citatoriam, vel inter citationem & ejus terminum, mors, adesse vocatum prohibuit, quo casu Angelus & alii nonnulli, quos sequi videtur Jacobinus de Sancto Georgio *in l. 34 ff. d. judic.* putant hæredem simpliciter teneri se defendere, etiamsi is locus alius sit à loco domicilii, & ipse ibi non reperiatur. Sed

ipse, Jacobinus, glossam, (cujus alioquin majorem authoritatem, quàm DD. antiquorum omnium esse scribit Barth. *in l. 3. ff. d. just. & jur.*) contrarium sentire notat, & transire (ita ipse loquitur) cum illa DD. alios. Hoc ergo casu, etiam citatione ad Reassumendum non opus esse existimat D. Carpz. sed pariter novam instituendam actionem. Ac expedita videtur ratio: nulla namque fuerit hujus assumptionis utilitas: lis enim ultra citationem progressa non est. Et si dicere quis velit, assumendam ibi primam processus partem, citationem, quæ initium judicii dicitur, & præventionem inducit, Hahn *ff. d. in jus vocand. n. 13. verb. præventionem, ubi alleg. pl.* ratione effectus, sive id fiat per citationem ad reassumendum, sive aliam ad novam causam, perinde est. Consentit iterum Dn. Carpz. *d. n. 15.* ibi, *vel ante terminum unus vel alter litigantium diem obierit ultimum.* Vel jam præcessit vel unicus saltim terminus, lite licèt nondum contestatâ, & opus est citatione ad Reassumendum, Memoriale visit. *de anno 1575.* apud Denais *voce Citatio ad Reassumendum Recess. deput* in Speyer 1600. §. Nachdem auch zweiffel eingefallen / ibi, aber in allen andern fällen ladung ad reassumendum. Et §. würde aber einer / in causa pendente, sich ohn citation ad Reassumendum einlassen Ordin. process. Judiciarii Saxonica *c. 17.* quæ generaliter loquitur, nec proinde distinctionem inter litem contestatam, vel non contestatam, ratione hujus quæstionis admittit, *arg. l. 8. ff. de public. in rem actione, l. 1. §. 1. de leg. præstandis.* Dn. Carpzov. *process. d. tit. & artic. n. 17.* & I. F. *part. 1. const. 11. def. 16. n. 6. & seqq.* & *alleg. sæpe.* Respons. *24. n. 16.* Berlich. *concl. 27. n. 6. Gravæus ad Gail. lib. 1. concl. 109. consid. 2. n. 2.* Roding. Pand. *lib. 3. tit. 4. n. 35.* Quamvis enim Instantia sit exercitatio judicii à litis contestatione ad sententiam Ziegl. in præludiis ad auream prax: Calv. *n. 1. & ibi pl. ac n. 55.* Hering. *de fidejuss. c. 20. n. 2.* Sichardus *in l. properandum n. 3. C. de Judiciis* adeóque ante litem contestatam Instantia in alium transferri, ut videtur, nequeat: & ante litem contestatam, judicium nullum esse videatur *l. 15. ff. rem ratam. hab.* & lis nulla *l. un. C. de litis contest*; attamen hoc strictâ saltem fit vocabuli acceptione, quod latiori sensu, etiam assiduam illam flagitationem ante litis contestationem complectitur: quomodo Instantiæ

voca-

vocabulo utitur Ordinatio Saxonica procesſ. Judic. *tit. XI.* §. wann nun alſo. Carpz. *proceſſ. tit. 6. art. 4. n. 21.* & ita vocabulo uti plures, ipſe Zieglerus agnoſcit. *d. l. n. 24.* Quæ ipſa partium flagitatio, etiam in legibus noſtris, aliquando litis nomine venit. §. *1. Inſtit. de pœna tem. litig. l. 16. C. d. tranſact.* Dn Carpzov. *d. l. in Proceſſu* & *Reſp. n. 20. & ſeqq.* & ita pronunt. Anno 1622. m. Decembr. in ſupremo Appel. judicio Dresdenſi memorat Berlich. *n. 6.* & Carpzov. *in Reſp. 24. n. 22.* ubi etiam *n. 23.* exhibet in eandem rem ſententiam Scabinor. Lipſienſium.

XIX. Id apud omnes in confeſſo eſt, **poſt litem conteſtatam**, ad concluſionem cauſæ usque, **interveniente morte principalis**, opus eſſe Citatione ad reaſſumendum, *dict.* §. Nachdem auch / *Deputations* Abſchied *de An. 1600 Memoriale viſit. de an. 75.* Gail. *lib. 1. obſerv. 109 ibique Gravæus* Berlich. *d. l. num. 5.* Carpzov. *I. F. S. part. 1. Conſtit. XI. def. 16. num. 7.* & proceſs. *num. 22. dict. reſp. n. 16.* Bocer, Roding. Denays. *d. ll.* Rutger Ruland. *tract. de Commiſſ. l. 2. cap. 5. num. 6.* quare in re minimè controverſa, nihil cauſæ eſt, cur multum operæ perdamus. Aſt, ſi cauſa jam concluſa ſit, an tum ſuperſit Citationi ad reaſſumendum locus, non omnium eadem eſt ſententia. Id enim negant, Gail. *obſerv. 109. n. 3. ibique Græveus* Denais *ſub rubr. Citatio ad reaſſumendum.* Roding. *libr. 3. tit. 4. num. 35. pag. 498.* Rutger Ruland. *d. l.* argumentis inprimis hiſce: quod Memorali viſit: de anno 78. cautum ſit, alterutra partium, vel procuratore, poſt concluſionem decedentibus, etiam ſine Citatione ad reaſſumendum, vel audiendum pronunciatum, ſententiam in ſuperſtitem, ſive Dominum, ſive Procuratorem concipiendam: id quod confirmatum legitur im Deputations Abſchied / de anno 1600 §. Nachdem auch / *ibi* ſetzen und wollen wir / da in Sachen *definitivè* beſchloſſen / daß alßdann ohne Ladung *ad reaſſumendum, &c.* die Urtheil *contra Procuratorem,* als *Dn. litis* ergehen: addunt, ita ſæpe in Camera pronuntiatum. Ubi id obiter obſervari meretur, quod Gailius ſcripſit dicto loco, hæredum, hoc caſu, non quidem ad reaſſumendam cauſam, ſed audiendam ſententiam citari, ſi id pars petat, id eodem an-

no 78, cujus initio illa ſcripſerat Gailius, mutatum eſſe, quod conſtat ex Jud & Aſſeſſor: Memoriali apud Denais: & ſine Citatione ad audiendum pronunciatum, ſententias in Dnm. concipi exinde conſuetum fuiſſe. Ab hac autem Dd. Cameralium ſententia, in omnia alia abeunt Saxonici, Berlich. *p. 1. concluſ. 27. n. 8.* Carpzov. Proceſſ. *d. art. & tit. num. 22.* & in Reſponſ. *d. l. num. 25.* Argumenta ipſorum, ut breviter contraham, hæc ſunt: alioquin enim ſententia fertur contra defunctum, quod absque vitio nullitatis fieri nequit. *l. 47. l. 59. §. ult. ff. de re judicata*, (allegatæ à Dn. Carpzov. d. Reſ. *n. 28. l. in ſum. & l. de qua re.* nullæ ſub *rubr. de re judicata* extant) *l. 2. ff: quæ ſentent. ſine appell. reſcinduntur.* Quibus addit Surdum, Franciſcum Viv, alios. 2. quia Citatio ad audiendam ſententiam neceſſaria eſt. *Clem. ſæpe verſ. ſententiam. de V. S.* & Dd. communiter: atque defuncto actore vel reo, quomodo Citatio effectum ſortiri poterit. Tertiò, quia verba ſanctionis Electoralis, ac Ordinationis Saxonicæ generalia ſunt: &, quartò, hæc ſententia pluribus præjudiciis probata eſt.

XX. Ut autem componatur hæc lis, deſtinguendum mihi videtur, inter jus Camerale & Saxonicum. Jure enim Cameræ, non opus eſſe Citatione ad reaſs. poſt concluſionem ad ſententiam definitivam, ex Viſitatorum Decretis, & inprimis receſſu Deputation. 1600. §. **Nachdeme auch in Zweiffel**/ ac praxi cameræ, & conſenſu autorum, ſatis liquet, à quibus non diſcedit *Herm. Eſaias* **Roſenkorb.** vel potiùs, apud eum, autores reſolutionis ad *dubium 57. Camerale*, ceu putat *Berlich*, ſed planè & omnino convenit: ac errore Berlichii factum eſt, ut à ſe diſſentientem pro approbante haberet. Id tamen, ex *d. ll.* non extenditur, ad ſubmiſſionem factam in interlocutoriis, tum enim adhuc Citatione ad Reaſſumendum opus eſſe caſu evniente, exiſtimant Dn. Camerales, *vid. dub. Camer. 57.* & Reſolutionem ejus, apud **Roſenkorb**/ ubi expreſsè excipiuntur: quod ſequitur **Deputations Abſchiedt** *d.* §. **dain Sachen** definitivè **beſchloſſen.** Neque impedit, quod dicitur, ſententiam hac ratione ferri contra defunctum: id enim vanum eſt; fertur namque in Procuratorem *Memor. Aſſeſs. & jud. de Anno 1578.* §. **demnach ſich** & expreſsè *Receſſ. deputat. d.* §. **Nachdem auch**/ & effectus illius contra ſucceſſores vel hæredes extenditur,

qui

qui ad executionem citantur. *d. Memorial.* Denais *voc. Citatio ad Reaſs.* Roding. *d.l.* Quòd ſi conceptæ ſint in Camera ſententiæ in mortuum, ſive pro eo, ſive contra eum, quòd fortaſſis judici, ut judici, non conſtaret ante publicationem, de morte, ea propterea irrita non eſt; ſed ex communi ſtylo, transfertur cognitâ legitimè morte ejus, pro quo, vel contra quem lata eſt, in ipſius heredes, ac nihilominus ſuſtinetur, vid. Minſing. *cent. 1. obſ. 85.* ubi addit, id pluries practicatum fuiſſe, Gail. *1. O. 109. n. 5.* qui notat, id ſe ſæpiſſimè in Camera factum meminiſſe, Rutger Rulandt *de Comiſs. lib. 2. c. 5. n. 6. in fin.* ubi plura præjud. Atque ita etiam hoc anno in Camera in cauſa Luther contra Sehlimin obſervatum fertur. Altera Dn. Carpz. ratio, Citationem ad audiendam ſententiam neceſſariò requiri, quæ hic effectum ſortiri nequeat: contra jus hoc camerale adduci nequit. Citationes enim ad audiendam ſententiam, regulariter in Camera uſitatæ non ſunt, nec niſi certis caſibus, in cauſis tractæ pacis, *l.* diffamari, reſtit. in integr. contra lapſum fatalium, receptæ, vid. Minſing. *cent. 4. obſ. 33.* Gail. *1. O. 51. n. 10.* Blarer ad *l. diff. c. 6. n. 4.* Vult. *de jud. lib. 2. c. 2. n. 85.* Citationes ibi fiunt ad totam cauſam. Ordinatio autem Saxon. & præjudicia, de Saxonico jure teſtantur, Cameralem praxin non infringunt. Interim in Saxonia, ex add. à Carpz. rationibus, citatione ad Reaſſumendum, etiam poſt litem conteſtatam opus eſſe, verius eſt: nec impediunt verba Receſs. Deput. id prohibentia: ea enim Cameræ ita legem dant, ut non tollant aliorum locorum receptas conſuetudines Reichs Abſch. de Anno 1654. §. es ſollen aber *vid. th. 11.*

XXI. Reſtat ultimum tempus, quod eſt poſt Sententiam, ante tamen executionem. Hoc caſu ergo, tam jure Cameræ, quàm Saxoniæ, citantur heredes: de jure Camerali vid. Memor. jud. & aſſeſ. *voce citatio ad Reaſs. apud Denais.* Roding. *all. loc in recent. notis §. poſt concluſionem*: non eſt tamen Citatio hæc Cameralis, Citatio ad Reaſſumendum, ſed actum ſpecialem executionis ſolùm: quales Citationes, cùm non omne id habeant, quod ad Citationes ad Reaſs. requiritur, alias ab iis eſſe, ſuprà ſcripſimus. Confirmat in ſimili pulchre Dn. Gail. *1. O. 109. n. 3.* Ubi Citationes hæredis ad audiendam ſententiam, quæ tum, cùm hæc ſcriberet, frequentiùs quàm deinceps

re-

receptæ erant, opponit nihilominus Citationi huic nostræ. At, in Saxonia, illæ planè sunt citationes ad Reassumendum: quod in Cameralibus deest, ut reassumatur processus, id hic adjungitur, vid. apud Dn. Carpz. *p. 3. decis. 244. Resp. Scabinorum Lips. de Anno 1648. Mens. Martio*, ibi, so seyd ihr den process zu reassumiren / die Unkosten &c. zu abstatten schuldig / & hanc sententiam pluribus defensam vid. apud Dn. Carpz. *p. 3. decis. 244.* & in proces. *all. ult. & art. n. 30. & seq.* Ubi tamen haud negligendum, generalem ipsius assertionem, restringendam meritò ad Saxon. fori, & aliorum nonnullorum consuetudinem, nam in Camera aliud obtinere, jam antè ostendimus: & convenit cum Camera Galliæ praxis, ubi id jam indè ab Anno 1539. Regis Francisci Ordinat. cautum est, vid. *Matthæ.* & *Ranchin.* in notis *ad Guid. Papæ decis. Gratianopol. q. 86.* & Papon. in Tit. *de la reprinse d'vuprocez. Arrest. 2*,

XXII. Quid verò, si moriente Principalium altero, Procurator am post litem contestatam Dominus ejus factus sit? Posse Procurajtorem, etiam post excessum jus, qui agendam litem, vel defendendam mandaverat, inchoatam causam jurgiumque finire, respondet *in l. 23. C. de Procur.* Julian. Imperator. Et non obstante tamen lege illa, hodie, hoc casu opus esse reassumptione processus, & ad eam Citatione, nemo dubitat, Gail. *libr. 1. O. 109. num. 6.* Minsing. *dec. 6. Resp. 51. n. 22.* Faber. *lib. 2. tit. 8. def. 4. num. 5.* Jacob Schultes, *q. 52. n. 25.* Carpzov. *d. resp. 24. n. 14.* Berlich. *d. concl. 27. num. 9.* ac consentit *dub. cam. 54.* apud Rosenkorb / ubi adduntur rationes, 1. quòd revera Dn. litis non sit: Dann er revera Dns. litis nicht ist / noch ohne instruction und consens etwas beständiges handeln mag / *cùm sit contra mentem constituentis Procuratorem*, & 2. quia hæredes, domini actionis, de novo deliberare debent, an contendere, an cedere velint: Zu dem die Erben von neuen zu deliberiren / *an continuare litem, an verò cedere, & quid agere nunc velint, facie litis per mutationem personæ non mediocriter ferè mutatâ*: hactenus verba dubii. Valde autem se torquent DD. quid regerendum sit, *ad d. l. 23.* & expedita quidem fuerit responsio, si Neotericorum nonnullorum scriptis fides securè adjungi posset, qui moribus nostris, Procuratores non ultra litis dominos fieri antumant,

quod

quod existimat Bachov. *in Treutl. v. 1. d. 9. th. 10. vers. in Camera tamen.* Grœneweg. *ad l. 23. C. de Procur.* ibique allegatus *Argentr. & plures*, cum quo consentire videntur Dn. Camerales *d. dub. 54.* & Dn. Carpzov. *in Proc. h. n. 40.* Sed valde vereor, ne hæc sententia parùm solidis nitatur rationibus. Sanè post conclusam causam, adeóque aliquo post litem contestatam tempore, expresse Procurator Dominus litis dicitur. Recess. Deputat. *Anno 1600.* §. Nachdem auch / *ibi, contra Procurat.* als *Dominum litis*: & in jure Provinc. Würtemb. disertè, post litem contestatam Dominus ejus factus esse, dicitur Procurator. *p. 1. tit. 16.* §. Wer dann / quod probant DD. Practici plures, vid. elegantiss. ac acutissimè ea de re disserentem Dn. Lauterbach / *disput. de subst. Procur. c. 3.* §. *11.* Ubi & Bachovii rationibus abunde satisfacit. Et authores dubii Cameral. ad effectus nonnullos dominii instantiæ, qui jure veteri competebant, moribus impeditos, respexisse videntur. Unde tamen absolutè concludere nondum licet, Ergo non ultra est dominus litis: sublatis enim rei alicujus effectibus nonnullis, ea non confestim ipsa etiam tollitur. Aliter Resp. Dn. Faber. *d. l. num. 5.* quamvis vera sint, quæ dicit *l. 23. C. d. Procurat.* non cogi tamen Procuratorem uti jure suo, si nolit &c. sed ita res rediret ad arbitrium Procuratoris, ac in eo repositum fuerit, an assumendus sit Processus, vel non: qui, si se uti velle profiteatur, concesso per leges dominio instantiæ, nulla fuerit opus litis reassumptione, quod, cum praxi, & asserto autorum quos allegavimus omnium, pugnat. Dns Jacob Schult *q. 52. num. 25.* non excludi putat per d. l. litis reassumptionem; sed omnino ignotam Romanis ll. hanc reassumptionem, ni fallor, in propatulo est. Mihi videtur, non ineptè dici posse, hunc effectum dominii instantiæ, ut etiam sine reassumptione progredi possit, in Procuratore, moribus nostris, ut alios nonnullos, impediri; neque tamen propterea necessum esse, dicere, eum desinere esse litis Dominum.

XXIII. Quæ hactenus diximus, ea in judicio Imperiali Aulico hodieque, ac in inferioribus judiciis, ubi mutatio non ostenditur, maximam partem, nisi, quòd, ut in practicis consuevit, pro diversitate locorum non nihil aliter se habent, ita obtinent. At in Camera Imperiali, haud levis, propter adducta antea, th. 9. nov. Recess. imperii ver-

ba, secuta mutatio est: hodie enim, nulla ibi admittuntur, nisi generalia, & in hæredes etiam concepta Procuratoria: quibus exhibitis, non est necessaria ad reass. Citatio. Quod ipsum Anno 1655. etiam peculiari sanctione in Elector. Saxon. sub Rubr. Wie in Ihr Chur fr. Durchl. hohen Gerichten / auch ins gemein durch dero Churfürstenthum und Lande / es wegen reassumption des procesś. gehalten werden soll / ad eundem propemodum modum, ac iisdem verbis constitutum esse memorat Carpz. Proc. *all. tit. & art. in fin.* nihilominus tamen, adhuc sæpius locus est Citationi ad reassumendum, etiam in Camera. Exhibebimus nos saltem, unde ut apparere queat, aliquot Exempla. Ac I. quidem, usurpatur ea adhuc, in **causis antiquis, in quibus ad conclusionem res nondum pervenit,** & quæ per mortem alterius partis (de Procur: deinde agemus) desertæ sunt, si Procuratorium, quale id per ult. recesś. in causis novis requiritur, non exhibitum sit. Nempe in illis, procuratoria exhibita, cùm causæ introducerentur, non talia erant, qualia hodie, nec vel in hæredes concepta, nec quæ substitutionem continerent. Neque necessarium videtur, sine Citatione ac reasś. novum procuratorium substituere, in vicem Veteris, jam antè probati. Leges enim & constitutiones futuris dare formam negotiis, non ad facta præterita revocari, nisi nominatim de præterito tempore & adhuc pendentibus negotiis cautum sit, rescribunt Imp. Theod. & Valent. *l. 7. C. de ll.* & expresse recesś. noviss. §. *101.* und demnach 6to. loquitur de futuris, ibi, es sollen ins künfftig: quare qui tale procuratorium, quod in judicio Camerali acceptum, exhibuit, is alium Procuratorem priori substituere non tenetur, arg. §. Als auch weiter zum fünfften / ibi, sollen ins künfftig die Partheyen schuldig seyn d. Recess. Imper. quomodo etiam nuper pronunciarunt Dn. Camerales in causa W. contra B. 8. Jan. 1657. II. si neutrius partis apud acta Procurator existat, secundùm Recess. dep. Spirens. §. gleicher massen / quia & ibi deficit mandatum, & si secus fiat, kundte dardurch / ut verba habent, allerhand Ungelegenheit entstehen. Quare etiam hodie, in Camera tum opus esse Citat. ad Reass: observat autor notarum ad Roding.

lib. 3.

lib. 3. art. 35. §. in causis antiq. III. in omnibus causis, sive novis sive antiquis, si mortuo principali, vitâ fungatur etiam Procurator, qui caverit saltem de mandato sufficienti impetrando, nec impetraverit tamen non exhibuerit, ante mortem, citatione ad reassumendum opus erit. Cautio enim præstita, nullum hactenus substitutum obligavit, contra quem lis continuari possit, vid. omnino *Roding. d. l.* & idem hoc constituere videtur Recess. noviss. de Anno 1654. d. §. **Damit auch zum vierdten /** ibi, **sondern wann anders das** *Procuratorium* **vornenhero von denbestelten** *Proc.* **gerichtlich** *producirt* **worden.**

XXIV. Addemus & aliud, quod circa citationem hanc nostram, controversiæ occasionem dare possit. Cautum est d. Recess. *alleg.* §. exhibito, quale hodie requiritur, mandato procuratorio, & secutâ morte principalis, concipiendas tam interlocutorias quàm definitivas, in Procuratorem: qui tamen intra 3. menses, nomina principalium, in Cancellaria edere debeat, ut decreta magis congruè concipi possunt, **desto förmlicher**/ut habent verba, **begriffen und verfast werden mögen;** quæ, si illo tempore habere ac edere nequeat, vel non ediderit, quid dicemus? An locum faciemus citationi ad reassumendum? an ea omissa nihilominus agetur in partes & procedetur in contumaciam? Rem dubiam, & quæ in utramque partem argumentis non levibus disceptari queat, ego definire non audeo; relinquo id potiùs experientiæ & eruditioni doctiorum, Inprimis DD. Cameralium, quorum, in hoc genere controversiarum, sententias, lubens meas facio. Interim, in tumultuaria hac scriptione, damnare nequeo, qui senserit, satius esse decernere citationem ad reassumendum: quia impedietur hac ratione, ne lædantur hæredes, qui à Procuratore, sæpe in innumeras causas distracto, aliquando vix admoneri potuerunt, & alioquin justas habent, processum qui agitabatur, ignorandi causas: confer *resolut. ad dubia Camer. dub. 57.* apud **Rosenkorb.** 2. quia correctoria jura, inprimis odiosa, strictè sunt interpretãda, *c. odia de R. I. in 6.* jura autem, quæ negant citationem ad reassumendum, defuncto principali, & contra hæredes in contumaciam procedunt, sunt correctoria Recess. Deput. de Anno 1600. *d.* §. sunt odiosa, respectu eorum, contra quos in contumaciam proceditur, ergo strictè

accipienda, nec ultra casus non expressos extendenda. 3. Quia hac ratione plerumque efficietur, ut magis congruè concipiantur sententiæ, quod desiderat recessus cognitis hæredum nominibus. facit 4. & illud, quod hodie in continenti, & valde summariè, adeóque ferè semper ex probabili causa, post decretum 11. & 12. Januarii An. 1660. in Camera publicatum, citationes ad reassumendum decernantur.

XXV. De morte Procuratoris, an & illa Citationi huic locum facit, tempus est nonnihil admonere. Dn. Berlich. *concl. 27. num. 27.* illud negat, ac consentientes Fabrum ac Guidonem Papæ adducit: quem sequitur Dn. Carpz. *in resp. 24. n. 36.* & in Proc. sæpe *alleg. tit. & art. n. 37.* qui hoc casu, ne quidem reassumendam litem autumat: addit has rationes; quia processus reassumitur solùm ab illis qui defuncti hæreditatem se adiisse declaratum cupiunt, ergo ab hæredibus litigantium solis, 2. quia litis reassumptio ex sola observantia contra jus commune est introducta, qualia quæ sunt, ea strictissimè sunt accipienda, & ideo subsistendum hic in persona actoris vel rei. 3. Quia Procurator non fit Dn. Litis. Sed hæ rationes id à me nondum impetrant. quod enim dicitur, solos hæredes litigantium processum reassumere, mera est petitio principii, falso fundamento, litis reassumptionem esse speciem hæreditatis aditionis, subnixa: & agnoscit contrarium ipse Dn. Carpz. *in I. P. F. p. 1. c. 13. d. 10.* ubi successores in universitate, si ejus major pars, quæ Syndicum constituerat, defuncta sit, ad reassumendam litem citari vult, quos tamen hæredes nemo dixerit: & secundum argtum, ab observantia desumptum, pro nobis stat: aliter enim observari, & definitum etiam jure nostro, & autoritate DD. esse, consequentiis non obscuris mox planum faciemus & 3. non esse procuratorem, post litem contestatam, verùm ejus dominum, jam antè confutavimus. Guido Papæ autem de praxi solùm Gratianopolitana id asserit, & Faber ab eo dissidet *alleg. loco n. 8.* aliumque Procuratorem requirit, litis autem reassumptionem non excludit. Quare hic non sine causa, aliter ac Dn. Carpz. & Berl. DD. commun. sentiunt: *Johannes Forsterus in Procesś. jud. Camer.* (qui liber deinceps, nullo mutato verbo, sub nomine corporis Juris Cameralis Fabritii prodiit) *tit. 34. p. 974.* Denais *voc. Citat. ad reassu-*

mendum §. *1.* Roding. *Pand. Cam. lib. 3. tit. 4. n. 35.* Rutger Ruland. *de Comm. lib. 2. c. 5. n. 4.* Et nituntur illi, Memoriali de *Anno 1575.* §. wann ein Procurat. quam ſententiam probat etiam Receſs. Deput. *de Anno 1600.* §. wird aber einer in cauſa jam pendente. Ut autem tota res meliùs pateat, in hac controverſia, vel de reaſſumptione proceſſus ſolùm, an ea, eveniente Procuratoris morte, ſit neceſſaria; vel etiam de Citatione ad reaſſumendum quæritur. Reaſſumptionem proceſſus, eveniente morte Procuratoris, ac extincto ita ejus mandato, omnino neceſſariam, (niſi quòd receſſu ultimo quædam mutata ſunt, de quibus deinceps) exiſtimamas: ratione tamen citationis ad reaſſumendum, diſtinguendæ videntur quæſtiones, an hoc caſu Citatio ad reaſſumendum locum habeat? & an abſolutè neceſſaria ſit? Prius affirmare non dubito, d. §. wird ſich aber einer / & receſs. de Anno 1654. §. als auch weiter? ibi, biß ſie durch neue citationes ad reaſſumendam darzu gezwungen: at ſimplicis neceſſitatis tamen non eſt hujusmodi Citatio; ſed, ſi confeſtim poſt mortem Procuratoris primi, ſecundus conſtituatur, ante impetratam citationem, isque ſpeciali mandato ad hanc reaſſũptionem inſtruatur, quod omnino requiritur vide Finckelth. *O. 110.* Barſchamp. *th. pract. c. 5.* §. *3. v. 98. &c.* Gemein Beſcheid vom 13. Decembr. 1659. §. 3. is proceſſum, etiam ſine Citatione, reaſſumit, quod ita in Camera obtinuiſſe, colligere eſt d. §. als auch weiter zum fünfften *receſs. de Anno 1654.* ubi Dominos Camerales, coactos, propter moram non conſtituentium Procuratores, eò adigere partes, per Citationes ad reaſſumendũ, dicitur: confer d. §. *Receſs. Deput. & Forst. d. l.* qui notat, ſi Citatio ad reaſſumendum emanaſſet, & antequam parti adverſæ reddita fuerit, eadem compareat, tum impetrantem, Citatioem ad completionem actorum reproducere, & expenſas ſuo tempore reddẽdas reſervare. Nunquam autem opus eſt, eveniente licèt Procuratoris morte, Citatione hac, ſi pars duos Procuratores communes apud acta habeat: in hoc enim caſu, licèt unusquisque ſuas ſpeciales habeat cauſas, tamen ſuperſtes, mortuo uno, ad inſtantiam partis adverſæ tenetur copiam communis mandati apponere, nec Citatio hæc decernitur: quia propter ſuperſtitis alterius Procuratoris generale mandatum, pars adhuc

censetur præsens: & ita in causa **Brandenburg** contra **Nürnberg**/ 21. August. Anno 1533. pronunciatum, testatur Ruland *de Comiß. lib. 2. c. 5. n. 6.*

XXVI. Et hæc, quæ de Procuratorum morte admonuimus, eam locum facere Citationi nostræ, alibi obtinent: in Camera tamen per ultimum Imper. recess. in causis post eum introductis, & introducendis, & hæc mutationi obnoxia facta sunt: ibi enim per §. 101. recess. hodie substituitur Procuratori alius, qui, eveniente casu mortis primi Procuratoris, processum continuat, adeòque hoc casu, sublata penitus est ad reassumendum Citatio, quod & observat, merito suo celeberrimus Dn. **Lauterbach**/ *in Prælect. ad Tit. d. Procurat. n. 8. circa fin.* Obtinet ergo, ibi solùm, in causis antiquis, ac ante recess. Imper, introductis; quæ tamen magnam causarum partem in Imperiali Camera faciunt, 2. in novis, quando de rato saltim cavit Procurator, & decedit, tum enim nullum habet substitutum, quæ causa est impeditæ hoc casu Citationis: 3. quando substitutus mortuus est ante mortem primi Procuratoris. Quamvis enim, quid hoc casu observandum, indigitet ipse recess. Imper. §. **als auch weiter** / hoc tamen, non petente plerumque parte adversa, & negligente ea, cujus substitutus fato functus est, nec exigente judice, sæpe usu venire potest. Possunt fortassis etiam plura locum Citationi ad reassumendum, existente Procuratoris morte, facere, sed de iis modò cogitare non licet, & ipse rerum usus hujusmodi quædam, advertenti in Camera offeret. **Mors tutoris vel curatoris**, secundum Berlich. *conclus. 27. p. 1. n. 26.* quem sequitur Dn. Carpz. *in Proceß. alleg. loc. n. 42.* & Resp. *24. num. 42. & 43.* reassumptionem processus novam, ac Citationem ad reassumendum, non exigit, de quo negotio altera de hoc argumento disp. quando de iis, qui citandi sunt ad reassumendam litem agemus, DEO dante, plura dicemus.

XXVII. Egimus ita de morte naturali, nunc, an in hac materia **mors civilis** etiam aliquid efficiat? breviter adjiciemus: qua intereunt homines maximam capitis diminutionem passi, præcipuè deportati. Cùm autem in deportationis locum, quæ moribus nostris in pluribus locis sublata est, Dn. H. Stam, *de Serv. Pers. lib. 1. tit. 3. c. 1. n. 18.*

n. 18. ibique alleg. plures, successerit bannum Imperiale, *Herm. Stam. ibid. n. 22.* & cap. *seq. per tot.* confer & Gail. *de PP. lib. 2. n. 19.* an, si is, qui actor vel reus est, morte civili ex hujusmodi judicio eximatur, reassumptione processus, & Citatione ad eam, opus sit, quæri potest: quod negare malo. Hoc enim casu, omnes illius actiones, &, quæ ad modum actionis competunt, exceptiones, omne jus, quod in alios habuit, quàm diu in banno vivit, perdit. Ord. Cam. *p. 2. art. 9.* neque id in alios transit. Qui autem banno plectitur, ille vel absolvitur deinceps à banno & restituitur, vel in banno permanet: priori casu, si restituatur ad actionem, nec ipsius causa, quia priorem processum ipse probavit, nec adversarii, de quo idem dici potest, (nisi fortè earum, de quibus præced. thesibus egimus, causarum aliqua intercesserit,) opus est Citatione ad Reassumendum, sin maneat in banno, tum quidem ipso in judicio ultra agere prohibetur: & filii, ad quos nihil ex hujusmodi parentis, bonis quæ tempore banni possidet, & actionibus quas habet, pervenit, reassumere litem non poterunt, quæ extincta est per crimen patris, ab unn todt / ut habent verba Ord. Cam. *d. tit.* Si tamen bañitus, qui actionem habebat ad feudum, quod antiquum ex pacto & providentia est, propter delictum adversus tertium, non etiam dominum, commissum, proscribatur, agnatis repetentibus hanc actionem, fortassis citationi huic locus conceditur. Id in foro nostro non attinet quærere, an, si opposità Excommunicationis exceptione, aut à judicio alioquin, secundùm *cap. 12. extr. de Excep.* excommunicatus à judice rejectus sit, Citatio ad reassumendum requiratur? licèt enim à judiciis alienum eum esse velint jura Canonica, repugnat tamen in nostris ditionibus fori usus, & permissum est excommunicato, per ordinationes Ecclesiasticas, liberè contrahere, contractus autem obligationis, hæc actionis mater est, quod ipsum prolixiùs, Deo añuente, expediemus, libello de pœna hæres. *c. 3.*

XXVIII. Præter mortem, causæ etiam abdicatio, facit citationi huic, eaque cùm duplex sit, Principalis & Procuratoris, utraque aliquando apta nata est hunc effectum producere. Et, propter principalis abdicationem, interdum ad reassumendum

voca-

vocatos liberos ejus, liquet ex præjudicio Camerali apud Barth. de Anno 1522. *19. Mart. lit. h.* ubi citantur ad reassumendum, liberi matris, quæ processum abdicando reliquerat. Quomodo tamen id fieri possit, ut abdicante Principali succedant alii, & per consequens, mutatâ personâ litigante, processus citatione ad reassumendum opus habeat, dispiciamus; cùm is cedere potiùs, quàm contendere velle videatur, & suarum rerum unusquisque sit moderator & arbiter *l. 21. C. Mandati.* Sed regula illa limitatur, ubi arbitrium hoc, propter jus aliorum quæsitum, impeditur, vid. Grot. *d. I. B. & P. lib. 2. c. 7. n. 26.* Ita, si quis de feudo antiquo, & ex pacto & providentia, cum alio agitet controversiam, ipse abdicando eam, in judicium deductam, non impedit, quò minus propter jus quæsitum succedant liberi: saltim enim pro iis abdicare non potest, Grot. *d. l.* & alioquin prohibita est feudi alienatio. *2. F. c. 1. de proh. feud. alien. per Loth.* & *2. F. c. 1. de proh. feud. alien. per Frider.* Vult. de Feud. *lib. 1. c. 10. num. 57.* Godd. *disp. Feud. 8. th. 6.* paria autem, vel saltem non multùm diversa sunt, alienare feudum, vel actionem ad feudum competentem *arg. l. 52. ff. de adq. rer, d. & l. 15. ff. de R. I.* qua remissa, ejus alienatio sequitur. Hæc ergo actio, utpote inalienabilis, transit hoc casu ad filios alienantis, vel agnatos, qui vi ac potestate primæ investituræ, propinquius jus habituri essent, confer Vult. de feudis. *lib. 1, c. 11. n. 155. & ibi alleg.* iique videntur, inprimis, si petant, ad reassumendam processum citandi. Quamvis enim hæredibus, hoc casu etiam revocatoriæ actiones competant, de quibus consule Godd. *disp. feud. 10. th. 5.* Rosenth. *de feud. c. 9. concl. fin.* meliùs tamen est intacta jura servare, quàm post vulneratam causam remedia quærere *l. fin. C. in quib. caus. rest. in int.* quod idem dicendum putamus, si ea sit, in judicium vocatæ & abdicatæ actionis ratio, ut liberis legitima, ea remissione, vel tollatur, vel minuatur, non existentibus aliis bonis: tum enim, propter interesse quod habent, & ii ad reassumendam litem citandi esse videntur. Quamvis enim & illis alia competere remedia possunt, ac inter ea aliquando querela inofficiosæ donationis. *tot. tit. C. de inoff. don. Nov. 92.* illa tamen subsidiaria saltem est *l. 4. l. 6. C. d. tit.* Dn. Lauterbach *differt. de inoffic. donat. th. 5.* ubi vid. *pl.* & hic quoque obti-

obtinet, quod in *l. ult. C. in quibus cauſ. reſtit. in integ.* monet Juſtinian.

XXIX. Alia ab hac eſt, **abdicatio Procurat.** quæ itidem Citationi ad reſſumendum locum facit. Quamvis autem ultimo Imperii receſſu per ſubſtitutionem alterius Procuratoris, hoc in Camera itidem mutatum ſit. obtinet tamen hodieque, cùm ſimpliciter in aliis judiciis, ubi ſubſtituti tales non ſunt, tum in Camera, in cauſſis antiquis, ubi ſubſtitutus deeſt, neque exhibitum novum Procuratorium 2. in Novis, ubi poſt cautionem, ante tamen impetratum vel exhibitum mandatum, decedit: ac generaliter in omnibus, ubi mandatum, quale id poſt receſſum Impérii noviſſ. in Camera requiritur, exhibitum non eſt: etiam, ubi mortuo vel abdicante Procuratore ſubſtituto, ſequitur demum abdicatio primi Procuratoris. Abdicationes autem Procuratorum: ex variis cauſis evenire poſſunt, & omnibus illis, ex quibus Procuratores eſſe deſinunt. Aliquando autem, etiam ratione certarum cauſarum fiunt, durante quamvis in aliis, officio Procuratorio: utpote ſi conſtet procuratori, malam eſſe ſui Principalis cauſam. Quod enim patroni cauſarum, jure Juſtinianeo jurant, *l. 14. §. 1. C. de judic.* ſi inveniant, quòd improba ſit, vel penitus deſperata cauſa, & ex mendacibus allegationibus compoſita, ſe ab ea receſſuros, id Sacramentum hodieque in Camera præſtant Procuratores, vid. *recent. form. Iuram. illorum ad ſingul. cauſ.* **Abdicationem tutoris vel curatoris**, non facere locum, conſtituto in ejus locum alio tutore, vel ſuccedente minore, jam majore facto, Citationi ad reaſſumendum, ſcribit poſt Berlich, Dn. Carpz. *Proc. tit. 6. art. 5. n. 42. & ſeqq. & in Reſp. 24. n. 4.* & præjudiciis firmat. de quo pluribus agere, quia temporis anguſtiâ modò prohibemur, alterâ de hac Citatione Exercitatione, quæ reliqua ſiut, exequemur.

Quia plura etiam his, quæ hactenus notavimus, de Citatione hac ſuperſunt, Exercitationem hanc dividere, ac expeditis, Diſputatione noſtra pro Loco, iis, quæ explicant, *quid ſit ad reaſſumendum Citatio, quæ ejus origo prima, quid noſtra ætate circa eam uſu obtineat, quæ intro-*

ducendæ illius causa, quis decernat, ac quo casu ei locus sit, remittimus reliqua, *ad quos decernatur, in quibus causis, quid necessariò circa eam petendam observandum, ac, quæ eam in judicio desiderandi, quæ decernendi, recentiores in Camera formulæ sint, quis effectus, quid simile, quid adversi habeat, in aliam dissertationem ejusdem argumenti.*

COROLLARIA.

I.

EAm solùm, inter jus Naturæ & Gentium differentiam esse, autumat ingeniosus Hobbeus, Elem. de cive cap. 14. n. 4. quòd leges, quas loquentes de hominum singulorum officio, Naturales dicimus, applicatæ totis civitatibus, nationibus, sive gentibus, vocentur jus gentium. Quæ sententia, quamvis ab antiquorum nonnullorum ICtorum mente aliena non sit, & Frantzkio etiam in Exercitationibus persuasa olim fuerit, hodieque celeberrimis ac longè doctissimis viris non displiceat, firmo tamen talo, quod & tandem in Comm. ad Pandectas agnoscit Frantzkius, non consistit.

II.

Leges universales positivæ, in Imperio nostro, non feruntur, nisi accedente suffragio Imperii Statuum: inter quos, civitatibus Imperii liberis non votum solùm deliberativum, sed decisivum, quoque competit. Secundum eas autem, in Camera, non semper confestim duobus post publicationem mensibus, (quod ex Novell. 66. juri communi congruum esse arbitrantur Interpp.) jus redditur; Sed, antea & insinuatio Recessuum: quibus illæ continentur, à Moguntino Electore, præcedit, & Decretum Commune, ut vocant, quo Litigantes, Advocati & Procuratores, de earum observantia admonentur: quod circa Recessum de anno 1654. in quintum mensem dilatum est.

III.

JCtorum ac Facultatum Iuridicarum, Consiliis ac Responsis, nihil autoritatis adimit Recessus Imperii de anno 1654. §. Zu dermahliger gründlicher Abhelffung. *Et certus error est, quod nuper nonnemo scripsit, & ex dicto §. probare contendit, consilia* sollen weder *in rese-*

referendo, noch *vocando,* noch *circa factum attendirt* werden / *id enim de postremo saltem asseritur. Cæterum, quod ad jus pertinet, magnam eorum haberi rationem, ex eodem §. liquidò demonstrari potest. Quamvis Dn. Referens, ac reliqui Imperialis Cameræ Assessores necessariò sequi, sententiam in Consilio probatam, non teneantur.*

IV.

Justinus Imp. Analphabetos. Iustinianus literarum exactè peritus fuit quod utrumque, in Analectis, quæ beneficio debemus Nicolai Alemanni Bibliothecæ Vaticanæ Præfecti, tradit Procopius. Indè descripsit, ut plura alia Suidas: Sed pro Iustino, Iustinianum substituit ineptus descriptoris error, qui ante edita Analesta, plures & eruditos quoque, suspensos tenuit. Quem librum, ut genuinum esse Procopii fœtum, quicquid in contrarium moliantur nonnulli, doctissimis viris & inter eos Cl. Vossio facilè accedo; ita non dubito, fictis ad invidiam criminibus, traduci ibi aliquando immerentem Iustinianum.

V.

Statuta opificum honesta. & de rebus ad opificium pertinentibus, jure Civili, confirmatione Magistratus non indigere, verius existimamus; secus tamen est, de hodiernis moribus si Wesembecio, Sneidevvino, Carpzovio, Richtero, Mævio, credimus.

VI.

Privilegia solùm favorabilia agnoscit magni nominis ICtus, Disp. secunda Syntagm. thes. 27. *Sed contra Latini sermonis & Romani juris usum.*

DE

JUDICIO ROTHWILENSI

Vom

Käyserlichen Hoff-Gericht zu Rothweil/

Dissertatio.

PRudenter Celeberrimus JCtus David Mævius supremi Dicasterii Wismariensis Vice Præses, in *Dedicatione Commentarii* in *Jus Lubecense*, *Nata* ait, *& destinata Vitæ Civili Jurisprudentia, frustra & præposterè imò perniciosè colitur, cùm ad Scholam magis & opiniones, quàm vitam & praxin, hominum Naturæ & ingeniis congruam aptatur.* Nec aliter ferè ipse Imperator, procœmio Institutionum §. 3. operam dandam LL. Studiosis, monet, ut *tam aures, quàm animi ipsorum nihil inutile, nihilque perperam positum, sed quod in ipsis rerum argumentis obtineat*, accipiant. Fecit ea res, ut dum disserendi argumentum, quod hodieque usum habeat, dispicio, mecumque perpendo *Iudicii Rothwilensis* non exiguam in magna Germaniæ parte esse authoritatem, nec tamen quicquam exacti de eo literis hactenus proditum extare, ut animum inducerem,

cerem, theses nonnullas de amplissimo illo Dicasterio in chartam conjicere: quæ si tibi non ubique se probaverint, *Amice Lector*, scias inter negotia alia, & itineris curam, temporis mihi, quod illis conscribendis impendere potuerim, non nimium superfuisse: quod sanè legitimæ, ut existimo, excusationis loco, in re difficili, etiamsi omnia acu non attigerim, apud æquum Censorem esse poterit.

CAP. I.

I.

JUdicia habuit Germania jam olim antiquissimis temporibus plurima, quæ describere instituti modò nostri non est, & non defuere illis temporibus dicendis decora ingenia. Fortassis tamen non inutilè erit, antequam ad id, de quo agere instituimus, *Rothwilense Judicium*, perveniamus, paucissimis etiam attingere, quæ præter hoc exercebantur superiori seculo Judicia, quale erat *Regimentum*, & *Judicium Westphalicum*, aut quæ sunt hodieque, *Aulicum* nempe, & *Camerale*.

II. *Regimentum*, Imperii *Senatus quidem erat Maximiliani* I. *tempore anno 1500. in locum annorum conventuum constitutus*. Membris viginti constabat, eique præerat vel Imperator, vel Comes aut Baro Imperii, tanquam Vicarius. Imperatori aut Vicario accedebat Electorum aliquis, cujus esset decreta Regimenti subscribere. Potestas autem & Facultas ei erat amplissima, etiam Juris per Imperium Romano-Germanicum dicundi. Ordnung des Regiments tit: von den zwentzigen. Ubi Imperator illi concedit: Vollnkommenen Gewalt/ Macht und Befehl in allen und jeden Unsern / als Römischen Königs/ und des Reichs-Sachen Recht/ Fried/ und ihrer beeden Vollziehung und Handhabung/ auch Widerstand gegen den Unglaubigen und andern Anfechtern der Christenheit des Reichs/ und was an den Frieden / Rechten / ihrer Handhabung/

und den Widerstand obgemeldt hanget / oder darzu dienstlich oder erschießlich seyn mag / antreffend. Unde fortassis haud absurdè notat Caspar Leopoldus dissert: de *Concurrentia Iurisdictionis in Imperio Romano-Germanico quæst. 8. circa finem: Concurrentem habuisse Iurisdictionem cum Aulico Imperatoris Consilio* dem Reichshoffraht. (quale nempe illud eo tempore erat) & *Camerâ, in Iuris ac Iustitiæ administratione, ac querelarum cognitione.* Limnæus tamen Juris publici *lib. 9. cap. 4. num. 29.* quoties litibus illud se immiscere voluit, semper Ordines Imperii ei contradixisse scribit, quod unde ipse acceperit, hactenus quidem nobis non constat, nisi quòd apud Seilerum in sententiis Cameralibus jam 20. Aprilis 1509. fol. 39. sit exemplum, ubi Camera imperii Spirensis cognoscit de Nullitate Processus Regiminis Cæsarei Noribergensis. Illud expeditum est, conquestum Imperatorem Carolum V. *Tametsi de ordinum omnium voluntate atque Consilio Senatus fuerit institutus Imperii superioribus annis, tamen non fuisse præstitam illi quæ debuit obedientiam*, apud Sleidanum *l. 7. Comment. de Statu Religionis & Reipublicæ.* & Anno 1524. in Comitiis Norimbergensibus Senatui huic impositum, Judiciales causas ad ordinaria Judicia alia remittere. R. A. zu Nürnberg de Anno 1524. §. Fürder soll unser Statthalter. Deinceps etiam Senatus hic paucorum annorũ ætatem habuit. Postremum ejus vestigiũ quod hactenus reperire potuerimus, illud est, quòd apud Sleidanum circa initia anni 1530. literas ad Argentinenses misisse dicatur. Ast anno 1531. die 24. Martii jam desierat esse, quod docet Reformatio des Käyserlichen Kammer-Gerichts auffgerichtet zu Speyer. Anno 1531. §. Dieweil das Regiment gefallen.

III. De *Iudicio Westphalico* res admodum impedita videtur. Est autem illud quod Imperii Recessus vocant das heimliche Gericht. Reformation Käyser Friederichs zu Franckfurt am Mayn. de Anno 1442. §. Von dem heimlichen Gericht / & Reformation König Maximilians die Frey-Schöpffen und das heimliche Gericht zu Westphalen betreffend / zu Wormbs / Anno 1495. aliis das Vehem-Gericht / ac interdum der Freystuhl. Ejus Judices appellari Barisellos ex Zasio scribit Lampadius, de Republ. Romano Germanica,

cap. 17. §. 2. *eosq; quamlibet orbis arborem pro territorio* habere: *ex privilegio enim eis indultum, ut ubivis locorum deprehensos facinorosos sine proprio tribunali coerceant, secundùm Zasium ad l. 3. de Iurisd. n. 30.* Addit tamen, *monere Sichardum in l. 1. n. 17. C. d. hæredum institut. certis limitibus circumscriptam esse eorum Iurisdictionem perinde ut Iudicii Rothwilani.* Johann. Bœmus, *lib. 3. de moribus Gentium cap. 18.* postquam quædam de Authore ejus præmisisset, Judicibus his potestatem datam, ait, ut *quamprimum dejerasse aliquem comperissent, aut fregisse fidem, aut aliud aliquod scelus perpetrasse, mox illum, ubi comprehendi posset, pro arbitrio necarent, nulla citatione aut expurgatione prævia. Terruit,* pergit porrò, *ea res Westphalos, ac demum in fide continuit, cùm sæpe in nemoribus & proceres & mediocres viri laqueo suspensi invenirentur, nulla accusatione prius audita. Quærentibus tamen causam constabat fidem fregisse aut magnum aliquod scelus commisisse. Id Iudicium ad nostram usque ætatem perdurat, vocaturq; vetitum. Qui ei præsunt, Scabini vocantur, quibus tanta est præsumptio, ut etiam per totam Germaniam Iurisdictionem suam extendi velint. Secretos ritus habent, & arcana quædam instituta, quibus malefactores judicant, ea nondum quisquam repertus est, qui vel pretio vel metu revelaverit. Ipsorum quoque Scabinorum major pars occulta est, qui per provincias discurrentes criminosos notant, & inserentes judicio accusant, probantq; ut eis mos est: damnati libro inscribuntur & junioribus Scabinis committitur excutio.* Hæc iste, quæ ex collatione patet, eum paucis verbis mutatis, accepisse, ut solet mutuari sua aliunde, ex Æneæ Sylvii Europâ *c. 49.*

IV. Plerique Scriptorum ad Carolum M. originem referunt. *Carolus M.* verba sunt Æneæ Sylvii, tum Cardinalis, sed qui mox ad Pontificiam Dignitatem, assumpto Pii nomine, evectus est, in *Europâ cap. 49. multa cum Westphalis prælia gessit, eosque magnis afflixit cladibus, coegitque Christi Religionem amplecti relicto Idolorum cultu. Quam cùm sæpius abnegassent, nec jusjurandum adverterent, ut metu pœnæ rebellionem compesceret, occultos instituit judices, quibus potestatem dedit ut quamprimum dejerasse aliquem comperissent, aut fidem fregisse, aut aliud aliquod flagitium commisisse, mox illum supplicio afficerent, ubi primùm comprehendi posset, nullâ citatione præviâ aut defensione præmissâ.*

Idem

Idem sentiunt accurati scriptores Paulus Æmilius *lib. 2. & 3. Historiæ Francorum.* Cranzius *lib 2. Saxoniæ cap. 21.* Chytræus *lib. 3. Saxoniæ.* Lindenbrugh. *in Chronico Caroli M. pag. 219.* Werlichius in der Augspurgischen / & Pomarius in der Sächsischen Chronick. nec videtur improbare Lampadius *d. l.* Sed huic receptæ hactenus sententiæ dicam scribit Johannes Gryphiander JCtus libro de *Weichbildis Saxonicis cap. 54. num. 5. & seqq.* ubi tempore Friderici III. Imperatoris, & circa annum 1458. hæc judicia irrepsisse, autumat, & verisimile esse, Scabinos eorum, ut dignitatem sui judicii ex antiquitate commendarent, eoque prætextu crudelitatem palliarent, originis Carolinæ opinionem & famam credulo vulgo impressisse, cùm ea sit falsissima. Argumentis nititur istis: 1. quòd de Carolo M. attestetur Eginhardus, ob omni crudelitate adeò abhorruisse, ut nunquam ei vel minima injustæ crudelitatis nota à quoquam sit objecta. Occultum autem hoc Judicium iniquissimum simul & crudelissimum esse 2. quòd Carolus M. ex singulari favore universam Saxoniam libertate donaverit, quod pugnat cum singulari odio, quo volunt illum dissentientes, occulta Judicia ad opprimendos Saxones constituisse. Nobis non satis securum videtur, à probata consensu tot melioris notæ autorum opinione, ex istis quidem rationibus recedere, inprimis cùm Recessus Imperii ad Carolum M. autorem non uno loco referant hoc judicium: quod miramur non observasse Gryphiandrum virum non vulgaris alioquin eruditionis. Ita enim legitur in Reformation Käyser Friedrichs des dritten zu Franckfurt am Mayn/ Anno 1442. auffgerichtet tit. Von heimlichen Gerichten §. 1. Daß es damit dieselbe nicht anders halten/ dann wie es von Anfang durch Käyser Carl den Grossen unsern Vorfahren am Reich ꝛc. geordnet und gesetzet ist. Et repetitur in constitutione inscripta: Reformation König Maximilians die Frey-Schöpfen und das heimlich Gericht zu Westphalen betreffend zu Wormbs Anno 1495. auffgerichtet. §. Item Von den heimlichen Gericht wegen. Id perquam manifestum est, non potuisse demum nasci circa annum 1458. Judicium, cui jam ætate Sigismundi à Theodorico Archiepiscopo Coloniensi viginti annis antea, præscripta esset Reformatio, quod docent Constitutiones Imperiales adductæ lau-

laudatis antea locis. atque edidit Marquardus Freherus Johannis de Francofurdia tractatum contra Scabinos occulti Judicii, quem constat inclaruisse Anno 1430. ut eo quidem tempore jam insignes judicii hujus abusus fuisse, appareat, nec alium institutorum Scabinorum autorem, quàm Carolum M. & Pontificem jam istâ ætate commemoratum.

V. Constituebant Judicium hoc, Judex der Frey-Graff / & Assessores appellati die Schöpffen / vide Wehnerum voce Westphalisch Frey-Gericht / ubi hos etiam Stul-Herrn appellatos scribit; sed hoc vocabulo alium quàm Assessorem, & quidem Principem vel Dominum istius Judicii innui in Reformatione Maximiliani Imperatoris §. Es soll auch kein Frey-Graff / liquet. Assessores olim erant vitæ & morum probitate insignes; sepe deinceps sordidæ conditionis, quique in album hujusmodi Scabinorum describebantur, *qui passim per cæteras Germaniæ Regiones, ut collibitum fuit, quovis licentiùs quàm boni ferre possent, furti perfidiaq; alligarent, indemnatos necarent laqueo, & suspendio infamarent*, ut conqueritur Aventinus *lib. 4. Annalium Bojorum pag. 264. edit. Nicolai Cisneri.* Potestatem illorum magnam fuisse, nec exiguis terminis circumscriptam, indè efficit Besoldus *Thesauro Practico voce* Westphalisch Gericht / quòd in multis privilegiis Statuum reperiantur exemptiones ab hoc Judicio: adde quæ ex Zasio & Sichardo antè cum Lampadio notavimus. Præcipuè tamen territorium quod Visurgi & Rheno includitur, eorum Jurisdictionem sensit; Ita n. Wehnerus d. l. Es ist sonderlich / ait, gehalten worden zwischen der Weser und Rhein. Crudelitati ejus probandæ, præter testimonium Aventini, vel id sufficit, quod tot Reformationibus ejus opus fuit, & vocem Saxonicam, qua vocatur das Vehem-Gericht / indè deducat Wernerus Rolewinck: *lib. 2. de laud. antiq. Saxonum cap. 6.* quasi accepta ejus fama Saxones dicere soliti fuerint, We my / væ mihi, ita nempe animo consternati: quæ notatio licèt haud dubiè vana sit, ostendit tamen ejus rigorem. Sanè quòd absentes non citati, non auditi, ad mortem condemnabantur, & cum ratione & melioribus legibus pugnat. vid. *l. 11. ff. de pœnis l. 8. de quæstionibus l. ult. C. de probat.* Idque justam reprehendendi causam præstitit Johanni de Francofordiâ. Atque

que jactatum indè superiori seculo hominum sermonibus, illic reos primùm in furcam tolli, postea de illorum delictis & innocentia demum inquiri solere, quod commemorat Rechlinger *de Monarchia thes. 121.* Fecit ea res, ut tandem Sigismundus Imperator de remedio cogitaret, gliscentibus eo tempore inprimis his abusibus. Is ergò opera Theodorici Archi-Episcopi Coloniensis Anno 1439. ejus judicii Reformationem illam componi voluit, quæ excitat, ab ipso confirmata, apud Goldastum in Reichs-Satzungen / *Tom. 1. fol. 163.* Nobis argumentum ejus breviter hic exhibere suffecerit. Constituit ergò hæc saltem delicta deinceps, cùm de pluribus jus dicere vellent Scabini hi, pertinere ad Westphalicum Judicium, *Si laicus Christianus masculus à fide Christiana deficeret: Si quis consecrata templa & cœmiteria combureret aut spoliaret; Si quis manifestæ proditionis reus esset; Si quis Puerperis stuprum aut vim inferret; Si quis furto, rapinæ, homicidiis, seditioni & incendio operam daret; Si quis contra Magistratum graviter delinqueret, judicio autem se sistere detrectaret.* Addidit judices & Scabinos admitti debere saltem eos, qui legitimè nati & delictorum hujusmodi dijudicandorum periti essent.

VI. Cùm adulto jam malo nec ista quidem medicina sufficeret, Fridericus III. Imperator, Anno 1442. observari modum Judicandi qualis à Carolo M. & deinceps Sigismundo præscriptus est, in hoc judicio constituit, Constitutione inscriptâ, Reformation Käyser Friedrich des dritten zu Franckfurt am Mayn / tit. Von den heimlichen Gerichten. Inprimis sancit, ut ex idoneis & honestis Judicibus Judicia hæc constituantur, nemoque nisi ex causis eò pertinentibus, ac qui alibi æquo Jure uti nolit, eò evocetur. Si verò alicujus Dominus vel superior attestetur, esse eò evocati, coram se, vel aliis receptis Judiciis conveniendi copiam, ipseque ea de re idoneè caverit: tum citatione abolitâ causam quo oportet remittendam, secus si fiat, Processum ipso jure nullum fore constituit, ac Dominum illius Judicii, den Stuhlherren / in decem marcas auri puri fisco Cæsareo condemnandum, Judicem, den Frey-Grafen / ab officio removendum, Accusatorem hujusmodi citationes obtinentem gravissimis ideo pœnis ac etiam supplico afficiendum, vult. Adjecit Maximilianus Imperator Anno 1495. Constitutione

tutione inscriptâ **Reformation König Maximilians die Frey-Schöpffen/und das heimlich Gericht zu Westphalen betreffend/ zu Wormbs** Anno 1495. illud, ut, si quis contra has Imperii Constitutiones sententiâ à Scabinis hujusmodi pronuntiatâ utatur ad detrimentum Condemnati, is incidat in pœnam fractæ Pacis. Sed & executionem Sententiæ, nisi quæ probabitur, ea ratione, quam legitimam habent Constitutiones Imperii lata, nemini integrum esse vult suscipere: quòd si qui tentaverint, his velut pacem publicam violantibus resisti, adjectâ pœnarum comminatione, quæ Friderici III. Reformationi insertæ leguntur. Adde Denais: *Iuris Cameralis tit. 161.*

VII. De illius abolitione apud eos, qui de hoc Judicio scripserunt, nihil se reperire potuisse scribit nuperrimè Jacobus Blum: *Process. Camerali tit. 30. §. 42.* Videamus tamen annon rem expeditam dare possimus, advocatis in subsidium tum Imperii nostri constitutionibus, tum Historiâ Germanicâ, ac sententiis etiam in Camera latis: In collectione Sententiarum Cameralium Seileri extat sententia lata 18. Decembris Anni 1495. ejusdem qui initium Cameræ Imperiali dedit, quâ decernitur Westphalici Judicii sententiam nullam executionem mereri. Sed id haud dubiè intelligendum de hujusmodi Sententia, quæ legibus Imperii, & Reformationibus Sigismundi, Friderici III. & Maximiliani Imperatorum, non congruebat. Cæteroquin eodem anno approbata adhuc erant hujusmodi Judicia, & sublati saltem abusus Reformatione Maximiliani. Sequenti seculo Engelbertus Werlichius Chronico Augustano *part. 2. cap. 1. fol. 16.* scribit quæ subjicimus. **Das Westphalische Gericht hat biß zu Käyser** Maximiliani I. **Zeit durch gantz Teutschland gewähret. Da es aber nachmals in Mißbrauch geriethe/ und eine Tyranney darauß wurde / begunte man es das verbottene Westphalische Gericht zu heissen/und ist eben durch gemeldten Käyser Maximilian mit einem offentlichen** Decret **im Jahr Christi** 1512. **auff dem Reichs-Tag zu Cöln gäntzlich abgeschafft worden.** Quod si ita est, ut nobis quidem valde probabile videtur, mirum, nullum ejus legis in Recessibus Imperii esse vestigium, certo indicio supinæ negligentiæ illius, qui codicem Recessuum & constitutionũ Imperii adeò

 im-

imperfectum nobis dedit. Interim ut fidem habeamus Werlichio, persuademur sententia Cameræ Imperialis apud Seilerum 9. Februarii Añi 1512. ubi Processus Westphalici, ut vetiti, irriti pronunciantur. & 12. Decembris anni 1515. pronuntiatum est de Processibus Westphalicis abolendis. Rediisse tamen Scabinos hos ad pristinum morem ac jus dixisse adhuc anno 1555. de causis non nullis certò colligi posse videtur ex ordinatione Camerali *part. 2. art. 20.* ubi disponitur de causis Fiscalibus; Item alß der heimlichen Gericht und Frey-Schöpffen zu Westphalen halben / in etlichen Reichs-Abschieden / sondere Constitutiones, Wie es derhalben gehalten werden soll / auffgerichtet / auch mit zehen Marck Goldes und andern pœnen verpoenet seyn / soll der Käyserliche Fiscal jederzeit so wider dieselben wissentlich gehandelt / die verwürckte pœn, so zum halben Theil dem Käyserlichen Fisco zugehörig / einzuziehen schuldig seyn. Hodie Judicii hujus Westphalici, ne in ipsa quidem Westphalia requirentibus luculenta aliqua vestigia, nisi quòd in Ordinat: Provinciali Episcopatus Monasteriensis *part.3. tit.3.* ejus adhuc mentio est, se offerunt, nec ideo plura addimus, nisi quod nupertimè *Loccenius in Lexico Iuris Sueo Gothici* vocem Femt vel Fämt Ostrogothis significare antiquissima lingua judicium observat. Unde aliquis non ineptè collegerit esse, quòd hoc judicium Saxonibus Fehmet appellatum fuisse Rolvinckius observavit: atque isto etiam argumento inter alia colligi posse videtur ejus antiquitas.

VIII. Inter judicia quæ hodieque Germania agnoscit, *Judicium Aulicum* præcipuo loco est, quicquid etiam contra sentire videatur Hippolythus à Lapide *de Ratione status part 1. c. 10. pag. 152. vers. Nam communiter.* Et responderunt dissentientibus Stamlerus de Reservatis. §. 36. n. 12. *& Dn. Tabor in Dissert: de Execut. Rei Judicatæ th. 48.* adde Dillingenses in *Compositione Pacis*; quamvis horum non omnia in ista etiam Disputatione nostra facere velimus. Judicii hujus originem non ab ætate Ferdinandi. I. sed à tempore memoriam hominum excedente repetit Ferdinandus III. Imperator. Judieem supremum habet Imperatorem. Præter hunc Præsidem & Assessores, non computato Præside, Septendecim, ex Ordinationis definitione, quamvis nostra

stra ætate plures receptos fuisse dubio vacet. Illi pars Equestris ordinis sunt, pars Juris peritia & Cæsaris approbatione hunc locum obtinuerunt, omnes vel Pontificiam vel Lutheranam Religionem professi, nisi quòd horum saltem sex hactenus admittere voluerit Imperator. Pertinent huc causæ omnes, de quibus Camera pronuntiare potest, ita ut præventioni locus sit: præter has autem & aliæ ad quas Cameræ Jurisdictio non extenditur, quales sunt Statuum Imperii causæ Criminales. Limn. *Annot. ad Capitul. Matthiæ Imp. ad art. 23.* ad verba **vor niemand anders**/ Si Electorum aliquis actor vel reus sit in Causa novorum teloniorum *dict. art. 23. Capit. Matthiæ* ibique *Limnæus. art 22. Capit. Ferd. II. art. 25. Capit. Ferd. III. art. 24. Capit. Ferd. IV. & Leopoldi.* quod an etiam ad vetera telonia ita extendi possit, ut nec de iis Camera Jus dicere queat, & ad casus in quibus à Mandato incipere licet? (qui exprimuntur *part. 2. tit. 23. Ord. Cameralis*) nuperrimè graviter disceptatum scimus inter Serenissimum Electorem Palatinum, & Fratres d'Annoni, quorum merces, ob fraudatum vectigal, sine sententia declaratoria fisco addictæ fuerant. Causæ Italicæ huc etiam pertinent, ut & quæ Feuda Regalia concernunt, Concessiones, interpretationes nonnullæ, ac Confirmationes Privilegiorum, Lites de sessione vel præcedentia Statuum Vid. Limn. *Tom. I. addit. ad. l. 4. c. 9. n. 103.* Locus ordinarius Vienna, ac processus hodie ratio illa observanda, quam præscribunt Judicii Aulici & Cameræ ordinatio. Sententias in hoc Judicio latas, ut executioni, si ullâ ratione fieri possit, mandentur, summa cura annititur Imperator, manifestis ætatis nostræ in causa **Liechtenstein** contra **Ost Frießland/ Bischoff Münster** contra **Münster** & **Chur Maintz** contra **Erfordt** & aliarum causarum judiciis. Cætera quæ huc spectant, repeti possunt ex dissertatione Juris publici *de Iudicio Aulico* nuper in Academia hac habitâ.

IX. De *Iudicio Cameræ* constituendo, occasione inprimis pacis publicæ conservandæ, jam ante annum 1495. deliberatum, quin imò si Barthio *tom. 1. sentent. Cameralium in præf. vers. ne autem*, & Notatori ad Roding. *Pandectas Camerales tit. 2. num. 2.* credimus, jam antiquiori tempore exercebatur quandoque Judicium Imperii sub nomine **des Kam̃er-Gerichts**/ quamvis non semper nec continuò, sed

certis tantummodo temporibus, & quidem in Comitiis plerumque celebraretur. At anno deinceps 1495. Maximilianus unà cum Imperii Ordinibus Iudicium hoc Francofurti ad Mœnum constituit 31. Octobris, quo Juramentum ipsi Maximiliano Imperatori præstiterunt primi Assessores. Primus Senatus (Audientiam vulgò vocant) habitus est. 3. Novembris, vide *Barth. d. l.* & Autorem Anonymum in *Annotatis de Personis Cameralibus ad annum 1495.* Francofutto, deinde Wormatiam, hinc Noribergam, tunc Augustam Vindelicorum, Ratisbonam, ac Eslingam quoque, tandem anno 1527. Spiram deferri cœpit, qui locus illi ut perpetuus assignatus Recessu Augustano anni 1530. §. **Dazu meynen und wollen wir / daß nun hinfür unser Kammer-Gericht stets zu Speyer / bleiblich seyn und gehalten/und sonst nirgend anders wohin verändert werden soll/es geschehe dann mit Unsern auch Churfürsten / Fürsten und Stände Wissen.** Causam quare locus certus assignatus sit Cameræ exponit ipse Imperator, quòd viri idonei & eruditi propter frequentes mutationes refugerent operam suam impendere Judicio huic, **R. A. zu Augspurg** / anno 1530. §. Item **daß**. Quia tamen de hoc loco, ut nimis remoto, inferioris Saxoniæ Status ac alii conquesti reperiuntur, & quod belli tempore ei securitas penè omnis, utpote non admodum munito, desit, factum est, ut in conventu Osnabrugensi ac Monasteriensi de Judicio hoc ad alium universis Imperii Statibus commodiorem locum transferendum deliberatum sit. Estque res illa, quòd expediri tum non potuerit, rejecta in proxima Comitia. At in Recessu Comitiorum anni 1654. §. 161. **Als auch bey allgemeinen** / legitur, quòd Ordines Imperii, dum eâ de re deliberant in Comitiis, repererint, eam fieri hactenus non posse: **daß** / ipsa verba sunt, **berührte** translation **noch zur Zeit nicht thunlich.**

X. Plurima & rariora, ac vulgò eruditorum incomperta fortassis, essent, quæ de Judicio hoc augustissimo literis mandare possemus. Sed quando instituti nostri ratio id modò non patitur, sufficiat admonuisse, pleraque qua ad hoc Judicium spectant contineri ordinatione Camerali, **in der Kammer-Gerichts-Ordnung.** Est autem illa non una. Prima quæ hodieque extat in volumine Recessuum

Im-

Imperii vulgato, est anni 1495. Secunda est anni 1496. quam in volumine Recessuum Moguntino frustra requirat aliquis. Reperitur autem apud Goldastum Reichssatzungen / *pag. 209. & seqq.* Secutæ aliæ, donec Carolus V. anno 1548. novam ordinationem componi jussit R. A. zu Augspurg §. Und nachdem wir. eam deinceps autem anno 1555. promulgavit, estque illa, qua in Imperio hactenus utimur. Accesserunt mox per Recessus Imperii circa Cameralia negotia, non exiguæ mutationes, quibusdam per Deputationum & Visitationum Recessus in melius correctis, remotis aliis, nonnullis explicatis per communia decreta Gemeine Bescheid / & Cameræ consulta. Quæ ne aberrarent ampliùs dispersa à corpore Cameralis Ordinationis, Rudolphus II. Judici Cameræ & Assessoribus id negotii dedit, ut omnia in unum, novæ otdinationis titulo colligerent, quæ deinceps Imperatoris & Statuum consensu probata, typis describenda traderetur, R. A. de anno 1598. §. Wir sind auch 69. & seqq. Est verò id etiam ab aliis præstitum, & conscripta Ordinatio talis, quæ hodieque extat nomine eines Concepts der Käyserlichen Kammer-Gerichts-Ordnung / quæ tempore Matthiæ Imperatoris Anno 1613. etiam eidem ac Ordinibus Imperii oblata, nondum tamen hactenus confirmata est. Interim brevi, additis quæ deinceps accesserunt, exspectamus novam & perfectiorem Cameræ Ordinationem, quòd Recessu ultimo Anni 1654. §. 128. disposita sint ea de re quæ subjimus, daß Anno 1613. begrieffenes / und unter währendem Reichs-Tag vorgebrachtes / von uns und den Ständen biß anhero noch nicht zur Vollnkommenheit gebrachtes Concept der Neuen-Cammer-Gerichts-Ordnung / soll bey nechstkünfftiger Visitation von den Visitatoribus mit Zuziehung und Vernehmung der Assessoren, wie auch etlicher erfahrner Cammer-Gerichts Procuratorn und Advocaten, berahtschlaget / revidiret, zugleich alles das jenige was allhie verglichen und verordnet eingetragen / und das gantze Werck Præparatoriè mit gutachten also eingerichtet werden / daß man es auff nechstkünfftigen Prorogirten Reichs-Tag völlig erledigen könne. Ac præstitit hic bono publico jam nuper egregiam operam Jacobus Blumius, editione nova des

Con-

Concepts der Cammer-Gerichts-Ordnung / cui illa ferè omnia quæ requirit Imperator & Status, adjecit. Ejusdem collectione edita habemus communia decreta, die gemeine Bescheide / antehac admodum desiderata, & ad praxin Cameræ rectè intelligendam apprimè tamen facientia. Hæc hactenns de superioris & hujus seculi Judiciis Germaniæ, præter Rothwilense illud, de quo inprimis agere destinavimus, aliis.

CAP. II.

I.

Rothwilense Iudicium, de quo agere instituimus, Germanis interdum das Rothweilische Hoff-Gericht / vid. Wehn. & Speidelium voce Rothweilisch Hoff-Gericht: plerumq; das Käyserliche Hoff-Gericht zu Rothweil / appellatur, vid. der Römische Käys. Majestät Hoff-Gerichts-Ordnung zu Rothweil. Des Käysers und des Heiligen Reichs-Hoff-Gericht zu Rothweil. in diplom. Maximil. apud Gylmannum *Symph. tom. 6. c. 8. §. 2. f. 187.* Vocatur etiam des Käysers Stuhl zu Rothweil / aliquando der freye Stuhl zu Rothweil / R. A. zu Worms anno 1521. Est etiam ubi simpliciter dicatur das Rothweilische Gericht / R. A. zu Regenspurg. anni 1532. Sortitur autem id nominis ab urbe Rothwila, loco, ubi haberi consuevit, civitate Imperiali ultra Danubium, ad sinistram Nicri partem, non procul ab utriusque fluvii fontibus sita; quamvis etiam Ulmæ alioquin Judicium hoc fuisse referat Felix Faber *lib. 22. de Suevia cap. 4. pag. 258.* Est autem *Rothwila*, vel ut Walafridus Strabo Abbas Augiensis de *Miraculis Beati Galli Confessoris lib. 2. cap. 8.* apud Goldastum *tom. 1. Scriptorum rerum Alamannicarum* appellat, *Rotenwila*, non Erytropolis, ut imperitè reddidit Henricus Glareanus, rectè eo nomine castigatus à Melchiore Heiminsfeldio Goldasto in *annotationibus ad tom. 2. Scriptorum Rerum Alamannicarum, pag. 5. in fine*, sed Bulevopolis Raathstadt. quasi βυλευτήριον τῆς βασιλείας, Rota, Raath / quæ hodie Camera. Hinc decisiones Rotæ hodie Italis frequentatæ, & Rotuli Rodel / ex quibus sententiæ Judicum recitabantur, Ciceroni *in Verrem lib. 3. tabulæ publicæ, periculaq; Magistratuum.*

De-

II. Descriptionem Judicii hujus apud Autores Jurispublici frustra aliquis requisiverit, si excipias Paurmeisterum, & qui ex illo suam desumpsit Justum Sinoldt cognomento Schützen *Collegii Publ. vol. 2. Disp. 2. th. ult. lit. a.* Paurmeisterus *de Iurisdictione Imperii Romani lib. 2. c. 7.* Rothwilense Judicium describendum putat, *Collegium Iudicum, qui loco Cæsaris in districtu Rothwilano Iurisdictionem exercent.* Sed ista descriptio, præterquam quòd ex Assessoribus Judices facit, qualis ibi non est nisi unus Comes à Sultz, & qui vice ipsius fungitur, rem non explicat: cùm qui quærit, quid sit Judicium Rothwilense, perinde ignoret, vel ignorare possit, quis sit districtus, vel quod territorium in quo Jus dicunt Judices Rothwilenses. Adeóque Circulum in definiendo vel describendo committere videtur, qui Judicium Rothwilense per territorium Rothwilensis Judicii describit, cùm territorium illud idem sit, cum eo, in quo Judicium hoc Jurisdictionem exercet. Putamus commodiùs describi: *Collegium Iudicis & Assessorum, qui Rothvvilæ, loco Cæsaris, per certas Germaniæ provincias, Iurisdictionem exercent.*

III. Joachimus Vindianus, Consul Sanct Gallensis, vir antiquitatis omnis peritissimus, *de Collegiis Monasteriisque Germaniæ veteribus lib. 1. pag. 35.* postquam de Missis Francorum veterum eorumque potestate nonnulla dixisset, quódque illis licuerit, aliorum Ordinum dicta factaque cognoscere, & ad Imperatorem referre, si quid in leges, vel instituta, vel à Duce, vel Comite, vel Episcopo, vel Abbate commissum fuisset, ac aliquoties singulis annis causis cognoscendis præsidere: addit. *Quorum omnium hodie certa vestigia extant in Iudicio illo publico apud Rothvvilam, cui ferè Comes præsidet, sed finibus tamen Iurisdictionis latiùs quàm veteri pro more, prorogatis. Pauciorem enim in numerum contractis veteribus cognitionibus, limites conventuum proferri fuit necesse, quum paucis jam in locis ageretur, quod pluribus antea fuisset actum.* In locum ergo Missorum in Imperio nostro illos successisse voluit, de quorum officio nonnulla notavit, Hermannus Conringius *Disputatione de Iudiciis Reipubl. Germanicæ.* Goldastus eam antiquitatem hujus Judicii esse autumat, ut 700. annis fuisse ante Cameram Spirensem pronunciare non vereatur, in *notis ad Char-*

tam Ernusti Cancellarii Ludovici Imperatoris. Id sibi isto argumento persuadet, quia Chartæ huic, quæ continet memoriam beneficii Ludovici Regis, quo is ad preces Purucharti (legendum haud dubiè Burchardi) Comitis, servum quendam manu mittit, adjicitur, id factum *anno 906. indict. 8. anno Regni H. Ludovici, in Rothvvila, feliciter.* Chartam illam exhibet Goldastus *tom. 2. scriptorum Alamannicorum part. 1. num. 6.* & ante illum Franciscus Guilimannus *rerum Helveticarum lib. 2. cap. 11. pag. 239.* Sed Regias manumissiones servorum in Cameris solùm aut Curiis Regiis factas, non probavit, nec probare unquam poterit Goldastus, quod rectissimè observat autor Anonymus (qui creditur esse Daniel Heiderus Reipubl. Lindaviensis Syndicus) **der gründlichen Außführung der Reichs-Stadt Lindau/ die unversehens abgelöste Reichs-Pfandschafften betreffend** p. 566. Docere illud Goldastum poterat, quem ipse edidit Joachimus Vadianus *lib. 2.* tractatus *de Collegiis pag.* 77. ubi lege Francorum Ripuaria, duplicem manumissionem esse monet, alteram quæ domini & ejus vicarii consensu coram Rege fiebat, alteram quæ locum habebat in Ecclesia, præsente Episcopo, vel Presbyteris & Diaconis, in populi conspectu, quo celebrior esset facti memoria. Quibus addit tertium modum, sequioris ævi, quo facultas illa etiam privatim ad Dominos relata est.

IV. Non relinquitur autem magnus ambigendi locus de tempore & causa instituti Dicasterii istius, cùm supersint authentica, quæ id luculenter ostendant, documenta: Res autem ita se habet: Conradus Sueviæ Dux, dissidentibus post Henrici V. fata circa Electionem Imperatoris Electoribus, à pluribus eorum electus, cùm reliqui in Lotharium Saxonem consensissent, gravia cum Lothario bella gessit. Cùm armis prævaluisset Lotharius, se contulit in arcem Hochbergensem, urbi Rothvvilensi vicinam. Comes arcis, cùm videret fieri non posse, ut arx ista persequentis Conradum Imperatoris Lotharii impetum sustineret, Conrado suasit, ut in urbem Rothvvilensem fortiorem se conferret, neque esse quòd de Civium Rothvvilensium fide dubitaret. Ejus Consilium secutus Conradus, in urbem pervenit: oppugnati ideo Rothvvilenses à Lothario, obsessionem stre-

strenuè per annum & quod excurrit, tolerarunt: sed & deinceps ipsi auxilia præstiterunt. Wehner. *Comment. ad. Ord. Rothvvil. in præf.* Fuit ista causa quare gratitudinis ergò, cùm Imperio deinceps tranquillè præesset Imperator iste, anno 1146. reliquis privilegiis Civitatis etiam Aulicum illud Judicium addiderit. Mandatarii Comitis de Sultz & Civitatis Rothvvilensis id hunc in modum in Comitiis Imperii anno 1653. Statibus Imperii exponunt. Zuforderst / ajunt, geben viel unterschiedliche Käyserliche Freyheits Brieff / so theils Original vorhanden / und auff Begehren fürzulegen / zuerkennen / alß vor 500. Jahren / zwischen weiland Königen Conrad dem dritten dieses Namens / und Hertzog Lothario von Sachsen / im Reich schwere Krieg geführet / endlich nach langer Belägerung der Stadt Rothweil / allda selbsten Fried gemacht / und das Römische Reich wieder im voriger Ruhstandt gesetzet worden; Und dann seeligst gedachter König Conrad / die Käyserliche Regierung angetretten / haben Seine Käyserl. Maytt. der Stadt Rothweil / um ihrer bewiesenen standhafften Treu und erlittenen überauß grossen Schadens und ruin, pro recompensa, ex singulari Cæsarea gratia, dero Eygenthumlichen Käyserlichen Hoff-Gericht / um so ansehnlicher Verdiensten und mehr andern Ehehafften Ursachen willen / diese besondere Gnad / loco remunerationis gethan / und berührt Hoff-Gericht in ermeldte Stadt Rothweil ewiglich daselbsten zu bleiben / (sunt formalia fundationis) ursprünglich erhebt / transferirt und verordnet. Et Originalis Institutionis sub Imperatore Conrado III. de anno 1146. hæc verba iidem recensent. Nachdem Käyser Conrad der dritte / allen seinen Widerwärtigen durch Hülff deren von Rothweil glücklich obgesieget / hat er deren von Rothweil ihme bewiesenen getreuen Diensten nicht vergessen wollen / sondern dieweil sie von seinet wegen / nicht allein Ihr Gut / sondern auch ihr Leib und Leben dargestreckt / auch ihr Blut vergossen haben / darum er ihnen und allen ihren Nachkommen zu ewigen Gedächtniß der vorgeschriebenen Gutthat / für sich und alle ihre Nachkommen Römischer Käyser und Königen eine solche Gab und Freyheit gegeben / also

daß vielernandt Käyserlicher Hoff-Gericht / bey ihnen zu Rothweil ewiglich seyn und bleiben / und das nechst und würdigst Gericht seyn solt / nach dem Hoff-Gericht / das ein Römischer Käyser / oder König in seinem Käyserlichen oder Königlichen Hoff hätte / als wann es noch an dem Käyserlichen Hoff gehalten würde. Unde patet error Matthiæ Stephani *de Iurisd. lib. 2. part. 1. c. 3.* Limnæi *Iurispublici lib. 9. cap. 3. n. 2.* Beckeri *in Synopsi Iurispublici c. 4. pag. 114.* Speidelii *in Speculo, voce* Rothweilisch Hoff-Gericht / & aliorum, qui originem ejus in sequentem annum 1147. remittunt, inducti fortè in errorem, quòd eo anno ordinatio Judicii hujus prima promulgata sit. Imperatores deinde alii, Carolus IV. Rupertus, Sigismundus, Albertus Secundus, Fridericus III. Maximilianus I. Carolus V. Maximilianus II. Matthias, Ferdinandus II. & III. hæc Privilegia confirmarunt, idque adjectis clausulis in præteritum & futurum cassatoriis, derogatoriis, & irritantibus: vid: kurtzen Begriff zu handhab der Römischen Käyserlichen Majestät Uhralten Käyserlichen Hoff-Gerichts zu Rothweil.

V. Dicasterium hoc, solius Cæsaris, non etiam Imperii universi esse, neminc quòd sciam dissentiente, uno ore tradunt Publici Juris scriptores, qui de eo aliquid attingunt, Wehnerus *in observat. voce* Rothweilisch Hoff-Gericht. Speidelius *in speculo ibidem*, Becker *Synopsi Iuris publici cap. 4. num. 9.* Limnæus *Tom. 1. addit. ad Ius publicum ad lib. 9. cap. 3. num. 8.* Schutz *Collegii publici de Statu Rei Romanæ vol. 2. disp. 2. th. 8. lit. a.* Caspar Leipold *de concurrentia Iurisdictionis in Imperio Romano-Germanico. quæst. 8. in princ.* Unde etiam esse judicant, quòd Ordo Processus Judicio huic præscriptus, dicatur in ipsa Inscriptione, der Römischen Käyserlichen Majestät Hoff-Gerichts Ordnung zu Rothweil. & in Recessu Wormatiensi Anni 1521. Judicium hoc vocetur, Unser (Imperatoris) Stuhl zu Rothweil. adde Memoriale exhibitum in Comitiis Anno 1653. à Comitis de Sultz & Rothwilensium mandatariis, upud Limnæum *tom. 1. addit. ad lib. 9. cap. 3. in fine.* Ubi ajunt, mehr berührt uhralt Käyserlich Hoff-Gericht / gehört jeweilß regienden Römischen Käysern Eigenthumlich und allein zu / und nicht zugleich toti Imperio. Et

sunt

sunt in eam sententiam in Reformatione Maximiliani *part. 2. tit. 5. in princ.* manifesta verba, quibus asserit Maximilianus: **daß das Hoff-Gericht zu Rothweil Uns als Römischen Käyser ohne Mittel zuständig.** Unde in Instrumento Pacis Cæsareo-Suecico art. 5. §. 20. vocatur, *Curia Imperialis Rothvvilæ.* Atque ideo soli Cæsari à Comitibus Sultzensibus servitia feudalia deberi vult Wehnerus *d. l.* ac Imperatorem solum formam & ordinem Judicio præscribere docet *Reform. Maximiliani part. 1. tit. 1.* §. **und nachdem.** *versic.* **und nach Gelegenheit.** *& part. 3. tit. ult.* §. *ult.* isque solus Judicem confirmat, *Reformat. tit. 1. in princ.* Stephan. *de Iurisd. lib. 2. part. 1. cap. 3. n. 23.* quemadmodum & solus illud condidit, & fundavit, Rechlinger, *in discursu de Monarchia th. 110.* ac excessus Personarum Judicii solus corrigit, illudque visitat, *Reform. part. 3. tit. 20.* **R. A. zu Speyer.** Anni 1570. §. **Nachdem** 72. Leipold. *de concurrentia quæst. 8. in princ.* & Stephani *d. l.* Unde facilè liquet erroneum esse, quod scribit Becker *in Synopsi Iuris Publici. cap. 4. n. 9.* à Cameræ visitatoribus Judicium hoc visitari. Quamvis enim negari nequeat, Recessu Ratisbonensi anni 1532. tit. **Rothweilisch Gericht betreffend**/ constitutum, Reformationem Judicii hujus Judici & Assessoribus Rothwilensibus mandatam, Visitatoribus Cameræ deinceps, ut emendetur, transmittendam esse; id tamen peculiari Cæsaris consensu & mandato, ad preces Statuum Imperii factum, manifestò apparet ex verbis quæ ibi leguntur: **Haben uns Chur-Fürsten/ Fürsten und Stände gebeten/** & deinceps, **Welchen** Visitatorn **wir hiemit genugsamen Gewalt gegeben/** quomodo & interpretatur Paurmeister de *Iurisdict. lib. 2. cap. 7. num. 8.* & Speidelius in Speculo *voce* **Rothweilisch Hoff-Gericht.** Intelligendum tamen, quod diximus, solius Imperatoris esse hoc Judicium, eo ferè modo, quo propria sunt & aliis Principibus in territoriis suis Judicia: & ut discrimen appareat inter hoc Judicium, & Cameræ, quod est ab Imperatore & Ordinibus constitutum, & ab utrisque Assessores accipit, & nomine tam Imperatoris quàm Imperii judicat: cæteroquin, ipse Imperator in *Reformat. part. 1. tit. 1. ait.* **Das Hoff-Gericht und Hoff-Richter Ampt zu Rothweil von uns**/ Imperatore, **und dem heiligen Reich zu Lehen-Ruhren.** & expedi-

pedi-

peditum est appellari posse ab hoc Judicio ad Cameram, Capit. Leopoldi Imp. art. 18. R. A. zu Speyer. 1570. §. und nachdem 72. qua de re pluribus deinceps agemus. Sed & non rarò in Comitiis generalibus, & Conventibus Imperii aliis de hoc Judicio, deliberatum & definitum aliquid fuit. vid R. A. zu Regenspurg / Anno 1532. tit. Rothweilisch Gericht betreffend. R. A. zu Speyer. 1570. §. und nachdem 72. Instrum. Pacis Cæsareo Suecic. §. 5. *sect. 20. vers. Visitatio Consilii*, in fine. Et Comes de Sultz aliquid amplius matriculæ inferre propter munus Judicis, quod Jure feudi habet, dicitur, Im kurtzen Begrieff zu handhab der Römischen Käyserlichen Majestät uhralten Käyserlichen Hoff-Gerichts zu Rothweil / §. 5. Unde non immeritò aliquis dubitaverit, an rectè scripserit Wehnerus, quo alioquin nemo JCtorum nostrorum, qui quidem literis aliquid prodiderunt, exactius Judicii hujus naturam compertam habuisse videtur, Comitem Sultzensem soli Cæsari debere servitia feudalia, siquidem illa loquendi ratione excludere voluerit Imperium.

VI. Judex vel Præses Judicii Rothwilensis perpetuus est Comes Sultzensis, Ein Graff von Sultz. cui hodieque ista dignitas in feudum conceditur, die Graffen von Sultz / tragen um treuer Verdienste willen / im Namen und an Statt jedes regierenden Römischen Käysers / das Hoff-Richter oder Præsidenten Ampt / und haben solches zu immerwährenden Lehen / wie solches die Gräffliche Sültzische Lehen-Brieff / von einem Käyser auff den andern ihres mehrern außführlichen Inhalts bezeugen. Unde concludunt eidem Deputati, im kurtzen Bericht zu Handhabung des Hoff-Gerichts *num. 4.* Jurisdictionem in feudum concessam absque feloniæ culpâ, nec diminui nec adimi posse, ex Rosenthalio & allegatis *cap. 10. concl. 11. num. 1. 9. & 12.* tanto magis, quòd eo nomine, ut ex actis matriculæ constare volunt, aliquid solvat in publicos Imperii usus. Assessores ejus olim duodecim nobiles, militari & equestri dignitate, creabantur, *Wehner, Comment. ad Reform. Rothwill. in proœm. lit. f.* Deinceps tredecim ex arbitrio Senatus Rothwilensis, ex ordine eorum lecti, erant, *Paurmeister. de Jurisd. lib. 2. cap. 7.* Reformatione tamen Maximiliani II. effectum est, ut licèt & hodie ex Senatu

natu isto eligi possint, antequam tamen à Judice & reliquis Assessoribus examinati sint, non recipiantur, *dict. Reform. tit. 1. §. fin.*

VII. Jurisdictionem Rothwilensium hujusmodi Judicum per totam Germaniam latissimam, sed circumscriptivè, non realiter territorio inesse, dicit quidem Zasius *in l. Iusdicentis 1. ff. de Iurisdictione*: Res tamen aliter se habet, nec ad universum Imperium, quemadmodum Judicii Aulici, & Cameræ Imperialis, sed ejus partem (Maximilianus I. in privilegio 1496. Rothwilensibus concesso vocat Circulum, einen Circkel/) pertinet, in qua Aulam Cæsaream repræsentat. Unde esse volunt, quod non simpliciter das Käyserliche Hoff Gericht/ sed das Käyserliche Hoff-Gericht zu Rohtweil/ dicitur, Wehner. in observ. Pract. voce Rothweilisch Hoff-Gericht/ & qui ex illo, quæ de Judicio hoc natavit, pleraque desumpsit, Paurmeister de *Iurisd. lib. 2. cap. 7.* Quid territorio illo contineatur, recensetur in Maximiliani I. Confirmatione Privilegii Rothwilensis in initio, & Maximiliani. II. Reform: Rothwilensi. Incipit autem Von Rothweil bis an die Fürst/ und an das Gebirge innerhalb Ober Elsaß/ und hie dißhalben dem Gebirg am Rhein ab/ und ab biß Cölln/ und nicht für ab/ und hie disseit halb dem Rhein/ wieder herauff gen Franckfurt und als weit Francken-Land gehet/ bis an den Thüringer Wald/ und in Francken und Schweinfelden (fortasis Schwanfeldt in Franconia) bis an das Bayerland/ und hie dißhalb Bäyern/ Enther biß gen Augspurg/ an den Lech/ und nicht über den Lech/ und vor dem Gebirg enther/ was vor dem Gebirg ligt in Schwaben zu biß gen Chur/ und was in demselben Strich und Craiß umher ligt/ biß gen Appen Zell/ gen Schweitzgen/ gen Lucern und gen Bern/ und gen Freyburg in Jichtlandt/ und denselben Craiß umher biß gen Welschen Neuenburg/ und dannen einher bis gen Bruntrut/ gen Mümpelgart/ und nicht füro/ und daselbst widerherein biß an den Fürst/ und an das Gebirg innerhalben Ober Elsaß/ und an alle End/ so zwischen den vorgeschriebenen Kraißen von einem an den andern ligend/ weit/ lang/ breit/ als sie dann solchen Circkel dermassen neben andern alten Geschichten/ in des gemelten Hoff-Gerichts zu Rothweil Gerichts und Rechts Buch geschrieben.

Unde

Unde non difficulter colligitur a Jurisdictione hac, si verba Privilegii & Reformationis sequamur, non eximendum circulum Austriacum, quod nonnulli faciunt, nec Franconicum, (cujus nullam tamen mentionem facit Sconbornerus, sed Circulis, Austriaco, Suevico, & Rhenano, Jurisdictionem ejus circumscribit, *Polit. lib. 5. cap. 21.*) Meminimus tamen commemorasse nobis vicinos Rothvvilensium urbi ICtos, usu & moribus obtinuisse, ut vel nullæ causæ, vel rarissimè ex Circulo Austriaco ad Tribunal Rothvvilense deferantur, cujus fortassis ista est, quòd Viennæ, propinquiori & ipsis commodiori loco, Judicium Aulicum der Reichs-Hoff-Raht / habeatur, ad quod alioquin appellari potest à Rothvvilensium sententiis. Ad reliquos autem Circulos, præter *Austriacum, Suevicum, Rhenanum, & Franconicum*, ac in specie, ad Bavaricum, Saxonicum utrumque, Westphalicum, ac Burgundicum, Jurisdictio Rothvvilensium non extenditur, *dicta Reform. part. 2. tit. 2.* Quin & illud liquidum est, nec hos quidem Circulos integros, sed partes tantùm eorum complecti. vid. post Wehnerum in observ. *voce* Rothweilisch Hoff-Gericht / & Paurmeister. *de Iurisd. Imperii Romani lib. 2. cap. 7. num. 12.* Caspar Leypold. *de concurrentia Iurisdictionis quæst. 8.*

VIII. In isto districtu Dicasterium hoc ordinariam habet Jurisdictionem, Reform. Rothvvil. *part. 2. tit. 5. in princ.* ibi. über alle die so in obbestimmten Unsers Käyserlichen Hoff-Gerichts Bezirck gesessen / ordinariam Jurisdictionem empfangen / und dieselbe in allen und jeden Sachen gegen männiglich exercirt. & ibi Wehner. Autor. *decis. seu præjudiciorum Cam: Imperialis, qui supplementi loco adjectus tomo tertio Symphorem: Gylmanni, voce* Rothweilisch Gericht. Paurmeister *d. l. num. 13.* Stephani *num. 23.* Cumque Magistratibus ordinariis ita concurrit, ut si speciali privilegio tuti non sint, vel se justo tempore ad jus administrandum non offerant, aut exemptiones ac privilegia non legitimè allegent, Judicium hoc prævenire Ordinarios loci, vel in subsidium etiam cumulativè, ut vocant, Jurisdictionem exercere possit, *Autor decis. d. l.* Wehner *in notis dict. part. 2. tit. 1. fol. 71. & seqq.* vide inprimis Deputatos Comitis de Sultz & Rothvvilensium ad Comitia anni 1653. ubi ajunt in Memoriali §. Zuforderst: daß es

mit

mit ordentlichem Gerichts Zwang/ ansehnlichen Bezirck/ und sonderlichen Freyheiten/ alsognädigst versehen/ und begabt/ daß dasselbige Ordinariam & concurrentem Jurisdictionem mit und gegen allen Ständen/ und Obrigkeiten/ so in diesem Bezirck gesessen/ in allen und jeden Sachen/ ohne Eintrag oder Hinderung männigliches/ habe. Cæterùm an etiam cum Judicio Aulico dem Käyserlichen Reichs-Hoff-Raht/ aut Camerâ, concurrentem Jurisdictionem habeat? paulò exactius nobis dispiciendum est. Illud omni dubio vacat, utrumque quod nominavimus, Imperiale Judicium, & de causis appellationum, à Curiis inferioribus, in districtu Rothvvilano cognoscere, cùm ad utrumque illud ab hujusmodi Curiis appellari possit, adeóque isto respectu illis concurrentiam cum Rothvvilensi judicio, aliquis fortassis tribuerit, quod & facit apud Arumæum *tom. I. Discurs: de Iure publico.* Leypold. *de concurrentiâ quæst. 8. Sic autem Camera, ait, cum Iudicio Aulico Rothvvilano in ejus districtu, quoad appellationes ab inferioribus Curiis concurrit, ut ea quodammodo quoque superior sit, ut ab hoc ad illam tam ab interlocutoriis quàm definitivis appellari possit; Recess: Imperii. Anno 70. Spira.* §. Und demnach dann vorkommen. *Gylman: tom. 3. Symph. fol. 470. num. 7. Ord. 2. tit. 1. Et Camera in possessione sit inhibendi Rothvvilensibus Gylman. dict. tom. 3. fol. 309. Gail. 1. obs. 40. num. 4. & obs. 130. num. 8. non quidem indistinctè, in omnibus gravaminibus.* Quæ ipsa, propter concurrentem Judicii Aulici, cum Camerâ Jurisdictionem, etiam de illo, ex mente Leypoldi dicenda fuerint. Unde porrò necessaria consequentia, ex mente Leypoldi, deducitur, etiam Judicium Rothvvilense, in causis saltem aliquibus, concurrere cum Judicio Aulico, & Camera. Concurrentia enim illa, ut vocant, mutuum respectum & relationem inducit, ratione concurrentium Judicum, cùm tam hic cum isto, quàm iste vice versa cum hoc concurrat. Est enim concurrentia Jurisdictionis, ut ipse Leypoldus describit, *in princ. dissert. de concurrentia Iurisdictionis in Imperio Romano-Germanico: publica cognoscendi de causis potestas, pluribus, ac cuilibet in solidum, ac ut singulis competens, vi cujus unus à parte actrice primum aditus, alterum concurrentem, citatione reo insinuatâ, deque ejus executione Iudici seu ejus Actuario relatione factâ, atque ab eo ad acta relata*

lata, præveniendo, solus, excluso altero, causam cognoscere, definire, ac executioni tradere potest, nec alter post legitimam præventionem, citra vitium turbationis, ullo modo, nisi datâ prævenientis negligentiâ, se ulterius de causa præventa, intromittere valet. Atque ipsos Rothvvilenses Judices aliquando prætendisse, se concurrentem cum Judicio Aulico & Camera Jurisdictionem habere, idque vigore cujusdam privilegii, apud Gylmannum legere est, Symphor. *tom 2. part. 3. tit. 15. ad suppl. quintam. pag. 283.* Verùm enim verò, cùm constet Imperatorem causas Rothvvila avocare posse, Wehner *in notis ad Reform. tit. 4. fol. 87.* & Camera non obstantibus privilegiis Rothvvilensis Tribunalis, quæ ipsi olim opponebantur, in possessione decernendi processus maneat; rectiùs, concurrere cum duobus his superioribus Judiciis, Tribunal Rothvvilense, negamus: ejusque sententiæ Wehnerum in notis ad Reform: Rothvvil. *part. 2. tit. 5. fol. 104.* & Gylmannum *Symph. tom. 2. part. 3. tit. 15.* adstipulatores habemus.

IX. Exercetur Jurisdictio Judicii hujus in Personas ejus districtu comprehensas, nullo Status vel coditionis discrimine, sive Principes, Comites, Barones, Nobiles, Civitates, Cives, aut Rustici sint: tam mares. quàm fœminas: Reform; Rothvvil. *part. 2. tit. 5.* ibique *Wehnerus.* Nec interest, Christiani sint, an Judæi. Reform. Rothvvil. *dict. tit. 5. §. 17.* nisi speciale privilegium, vel consuetudinem, præscriptionem, ordinationem, pactum, vel transactionem, aliquis, quâ eximatur, ostendat Eximuntur autem hujusmodi privilegiis *Electores*, Bullæ Aureæ cap. 11. excepto solo casu denegatæ Justitiæ, *dict. cap. 11.* & Wehner Comment. in Reform. *fol. 87. & fol. 108. Domus Austriaca: vid. Privil. Caroli V. quod apud. Gylmann: legitur tom. 6. Symphor. pag. 26. & seqq. Episcopus Argentinensis*, ejusque subditi, Wehner *fol. 48. Episcopus Bambergensis*, Gylman: *Symph. tom. 6. cap. 2. p. 41. secundùm edit Francof: anni 1630. Dux Iuliacensis*, apud eundem Gylmannum *Symph. tom. 6. pag. 88.* ubi id ad subditos & officiales, privilegio anni 1580. expressè extendi, additur. *Dux Lotharingiæ*, is enim privilegio Imperatorio etiam à Cameræ Imperialis Judicio exemptus est, Mynsing. 5. *observat. 58. num. 1.* & mandatū est Judici & Assessoribus Cameræ, & Judicii Rothvvilensis, ne Duci Lotharingiæ, contra factam inter Imperium & ipsum transa-

ctio-

ctionem, molesti sint. Cæteroquin enim & Princeps Imperii est, & membrum Circuli Rhenani, ut apparet ex R. A. zu Nürnberg / 1523. ac Imperium ejusque Jurisdictionem eatenus agnoscit, ut ad usus publicos pecuniam conferat, Constitutionibus de Pace publica obnoxius sit, ac feudi jure ditiones ab Imperio habeat, Gylman. *Symph. tom. 6. cap. 2. pag. 34. Comites Palatini Bipontini ac Comites Veldentiæ* Gylm. *dict. tom. pag. 94. Principes Wurtenbergenses*, eorumque subditi, Gylman. *d. l. cap. 6. pag. 94.* Atque qui perlustrare diligenter voluerit privilegia Statuum, in quibus recensendis multus est toto isto tomo tertio, Gylmannus, vel potiùs Matthias Wehnerus, qui isto volumine tomos quinque, quos collegerat Adrianus Gylmannus, auxit, is reperiet, etiam Ordinem Equitum Sancti Johannis, die Johanniter Herren und Ritter / Ordinem Teutonicum, den Teutschen Orden / Abbatem Sancti Blasii im Schwartzwald / das Gottes-Hauß und Probstey zum heiligen Creutz zu Augspurg. Comites de Castell / Comites zu Nieder Eysenburg / und Grensau. Barones de Freundsberg / die Herren Fugger. Comites de Hanau & Liechtenberg. Comites Mompelgartenses, cum Dominiis Horburg und Reichenweiler. Comites de hohen Zollern / Frey-Herrn von Justingen. Comites von Leiningen und Tageburg. Comites von Manderschied zu Blanckenheimb. Comites zu Schwartzenburg / Herren zu hohen Landsberg. Comites von Sultz / & Barones von Schwende / ab hoc Judicio exemptos esse. Illud mirari subit, quare Knipschildt *de Iuribus & privilegiis Civit. Imp. lib. 2. cap. 33. num. 249.* inter exemptos ab hac Jurisdictione nominet Ducem Brabantiæ, cùm constet illum ad horum quatuor Circulorum aliquem non pertinere.

X. Ex *Civitatibus* Exemptione à Judicio hoc gaudent, *Norimberga, Augusta Vindelicorum, Eslinga, Fridburgum, Gelnhausen*, Halla Suevorum, Landau, Memminga, Reutlinga, Oppenheim, Svveinfurt, Argentoratum, Ulma Suevorum, ejusque ditiones Helfenstein, Geislingen, & Albeck, ut & Winsheimium; quas collegit ex dicto *tomo sexto Symphor:* Knipschild. *de Iuribus & Privilegiis Civitatum Imperialium, lib. 2. cap. 33. num. 250.* Addit ipse Aquisgranum, Aach; sed errore haud dubiè insigni, cùm ista Civitas Imperii itidem ad quatuor Circulorum

aliquem, in quibus Jus dicit Rothvvilense Judicium, non pertineat. Nobiles privilegio à Jurisdictione hac immunes istos recenset Wehnerus in notis ad Reform. Rothvvil. *part. 2. tit. 4. fol. 81.* Wallard/ Zinerdt Westernach/ Fleckenstein/ Grumbach/ Nippenburg zu Schwiebertingen und Grundsheim/ Rechberg/ Rahtsambhausen/ zuun Stein-Schönburg/ Stoltzingen/ Speth: quibus addi possunt, die von Closen/ die Thumben von Neuburg/ Werdnau/ Renichingen/ & haud dubiè alii, quibus hoc beneficium datum nobis nondum innotescere potuit. Atque hinc, propter tantam exemptorum multitudinem, quorum tamen alii aliis magis exempti sunt, videtur illud natum, quod in Comitiis anni 1653. in Memoriali suo, Rothvvilenses ajunt, daß alle und jede Stände des außgezeichneten Bezircks mit exemptiv Freyheiten versehen. Helvetii, jam antehac, pacto à Jurisdictione Rothvvilensi excepti sunt, Wehner. *in notis ad Reformat. Rothvvilens. part. 2. tit. 1. fol. 73.*

XI. Qui ita exempti sunt, interdum tamen foro suo renuntiant. Quod si subditi faciant, an eo Domino præjudicium afferant? quæsitum est, in causa Burgermeister und Raht der Stadt M. contra I. &c. pro interesse, auch Schultheiß und Gericht zu S. Reos & Appellantes. Argumenta quibus utraque pars causam suam defendit, reperire est apud Gylmannum *tom. 1. Symph. part. 2. tit. IV. Vot. 6.* ubi pro Domino sententiam dicit Referens, quòd Privilegium exemptionis contineat non solùm favorem exempti, sed & favorem ipsius superioris, quo casu expediti Juris est Renunciationem in præjudicium tertii fieri non posse. Exemptionis tamen Privilegium non ad omnes causas spectat, sed excipiuntur nonnullæ, quæ vocantur Ehehafften. Wehner. *Reform. fol. 105.* describit Ehehafften/ quòd sint, *casus reservati Rothwilensibus in suo judicio ventilandi, quos ad avocationem Statuum privilegiatorum non remittunt.* quorum dijudicatio, non impediente exemptionis privilegio, nihilominus ad Judicium Rothwilense pertinet; Das Hoff-Gericht/ scribunt in sæpe allegato Memoriali Rothvvilenses, ist à prima fundatione privilegirt, daß die von Römischen Käysern und Königen den Ständen mittheilende exemptiones, auff die Ehehaffts-Fälle nicht exten-

tendirt / noch verstanden werden sollen / massen solche erste fundation und Privilegium, von allen hernach gefolgten Römischen Käysern / und Königen / etiam cum clausulis cassatoriis, derogatoriis, & irritantibus, allergnädigst confirmirt, adde *Wehner. in Observ. Practicis voce* Ehehafften: ubi scribit, diese Ehehafften zu Rothweil werden / ungeachtet wider dasselbe außgebrachte Freyheiten / gerechtfertiget / erörtert / und auff abfordern nicht remittirt, noch gewiesen / vide *Reform. Rothvvil. part. 2. tit. 5. in princ. fol. 28. B.* Privilegium *Maximiliani I. de anno 1496.* Gylman. *Symph. tom. 4. part. 1. vot. 35.* ubi additur, etiamsi privilegium exemptionis in genere omnes causas, quæ vel corpus vel bona subditorum concernunt, includat, illud tamen per speciale posterius, Rothvvilensibus anno 1496. cum generali clausula derogandi concessum, restringi ad cæteras causas, quæ nomine Ehehafften veniunt, quod adductis *Iuris & DD.* locis Referens ibi probare contendit. Qui verò casus sint, qui nomine Ehehafften veniunt, sequenti capite pluribus exponitur. Hic saltem illam addimus quæstionem: *an privilegia etiam contra* Ehehafften *concedi possint, ac eximi aliqui ex iis, qui territorio isto in quo Ius dicit Rothvvilense Dicasterium, continentur, ut ne quidem in causis* Ehehafften *concernentibus, ibi conveniri queant?* Rothvvilenses existimare videntur hujusmodi privilegia concedi non posse. Ita enim loquuntur in Memoriali, cujus sæpe mentionem fecimus: Die Acta Visitationis und darauff cum privilegio Cæsareo ins Reich publicirt Reformirte Ordnung / geben gar klar und laut zuerkennen / daß die Exemptiones Statuum à Dicasterio, nonnisi salvis casibus reservatis, vulgò Ehehafften / zu verstehen: Sintemahl alle und jede Stände des außgezeichneten Bezircks / mit exemptions Freyheiten versehen / hingegen aber das Hoff-Gericht à prima fundatione privilegirt, daß die von Römischen Käysern und Königen / etiam cum clausulis, cassatoriis, derogatoriis & irritantibus, allergnädigst confirmirt, auch theils dero darwider gegebenen Freyheiten / auff erfolgte bessere information und Bericht der Sachen / von selbsten revocirt, und cassirt worden. Wie in specie, Carolus IV. & Fridericus III. Imperatores gethan. Et videtur

hæc ſententia probari Privilegio *Maximiliani I. quod extat apud Gylmannum tom. 6. Symph. cap. 8. & Limnæum lib. 9. cap. 3. §. Item ſo möchte* & Reformat. Rothvvilenſi *part. 2. tit. 5. in princ.* Accedit quòd jam indè ab An.1401. duplici Jure,Privilegii,& Feudi,hoc Judicium conceſſum ſir Comitibus de Sultz, & Rothvvilenſibus, ut oſtendit Correferens apud Gylmannum *tom. 2. Symph. part. 2. vot 3. n. 20.* Privilegium autem remuneratorium, conceſſum ſubdito, absque cauſa Princeps revocare non poſſit, Gabriel *lib. 3. de Iure quæſito non tollendo concl. 7. num. 2* quod etiam de eo, quo Jurisdictio conceditur, verum exiſtimat Referens apud Gylmannum *num. 3.* ſaltem eatenus,ut digna compenſatio ſubdito danda vel facienda ſit. Gabriel *ibid consl. 2. n. 25.* Id verò dubio omni vacat,Feudalem conceſſionem ſine cauſa revocari non poſſe, *1. F. 21.* Docet tamen experientia,exceptos eſſe etiam, ab his cauſis, aliquos, & recenſet Wehnerus,qui privilegio etiam contra Ehehafften tuti ſint, *Electores, Domum Auſtriacam; excepta tamen cauſa denegatæ juſtitiæ, & Epiſcopum Argentinenſem ejusque ſubditos:* quibus Speidelius voce Rothweiliſch Hoff-Gericht adjungit etiam *Ducem Wurtembergenſem.* Domini Camerales non ſatis de hac quæſtione convenire videntur. Apud Gylmannum *tom. 2. part. 2. vot. 3.* Correferens, *memini, ait, in cauſa Epiſcopi Argentinenſis, me Referente diſputatum, ubi niſi antiquius fuiſſet Privilegium Epiſcopi contra* Ehehafften/ *noviſſimo privilegio Maximiliani, quod Rothvvilenſibus de derat, ne nimirum valeant privilegia in futurùm contra* Ehehafften/ *ſuccubuiſſet Epiſcopus.* Aſt apud Johannem Meichſnerum *lib. 1. Noviſſimarum Deciſ. Cameræ Imperialis deciſ. 20. n. 5.* Referens, *ex privilegiis*, ait, *appellantis à Carolo IV. Imperatore conceſſis, & ab hoc moderno confirmatis & auctis, expreſſè conſtat, Imperatores voluiſſe etiam in cauſis* der Ehehafften *derogare privilegio Rothvvilenſi, ne Epiſcopi ſubditi ullatenus ibi conveniri poſſint, cùm etiam expreſſam mentionem faciat Curiæ Rothvvilanæ, ejusque privilegiorum ſpecificè reſervatorum. Cùm ergo de Imperatoris privilegium hoc concedentis mente conſtet, quæ in privilegiis potisſimum conſideranda, Rom. conſ. 29. cap. quanto. de Privileg.* ipſe concludit, *Poſterius Privilegium derogare priori, ſiquidem ejus ſpeciatim mentio fiat,*

Rom.

Rom. cons.327. Cast. vol. 1. cons.357. n. 1. & ideo, *per Episcopi privilegia, priori Rothvvilensi esse derogatum.* Nos licèt malimus hanc controversiam aliorum decisioni relinquere, si tamen quid sentiamus exponendum fuerit, posteriori subscribimus. Imperator enim, in Jurisdictionalibus, ex legitima causa, non suo solùm, sed & aliorum Imperatorum privilegio derogare potest, vid. Grammaticum *decis. 46. n.2.& 3.* Gabriel *l.3. de Iure quæsito concl.6.n.22.& concl.7.n.7.* Gylmannum *tom. 4. Symph. part. 1. vot.33.* Atque hoc fieri posse, excepto tamen casu denegatæ justitiæ, pluribus docet Wehnerus *in notis ad Reform. part. 2. tit. 5.* Rechlinger *in discursu de Monarchia th. 114.* Speidelius voce Rothweilisch Hoffgericht.

CAP. III.

I.

AD Dicasterium hoc referuntur causæ territorii, quo definitur Jurisdictio illius. Unde *part. 2. tit. 5.* Reformationis Rothvvilensis dicitur: Daß solches über alle die / so in obbestimmten Unsers Käyserl. Hoffgerichts Gezirck gesessen/ordinariam Jurisdictionem empfangen / und dieselbe in allen und jeden Sachen gegen männiglichen exercirt, Stephani *de Iurisdict. lib. 2. cap.3. part. 1. n. 23.* in fine, & Tobias Paurmeister *de Iurisdict. lib. 2. cap. 7. n. 13.* Quod tamen, ut omni ferè concessa jurisdictione tralatitium est, intelligitur, nisi ipsis verbis Privilegiorum ac Ordinationis, vel aliis legibus, consuetudine, ac præscriptione legitima, causæ quædam reperiantur exceptæ, Paurmeister d. l. adde VVehnerum *in notit ad Reform. part. 2. tit. 1. fol. 27.* Unde consequens est, non solùm eò spectare illas, quæ sunt Jurisdictionis quam contentiosam appellat Marcianus JCtus in *l. 2. ff. de officio Proconsulis*, quæque in invitos redditur, sed etiam quæ tantùm in volentes, & secundùm voluntatem eorum exercetur, quamque ibidem voluntariam nominat. vid. Reform. Rothvvilens. *part. 2. tit. 6.* & ibi VVehnerum in notis. Paurmeister *d. cap. 7. n. 10.* nec civiles solùm, sed & Criminales arg Reform. Rothvv. *part. 2. tit. 5. §. 13.* Rothweil alt Hoffgerichts Ordnung *part. 5. tit. 2.* Sunt qui præter voluntariam & contentiosam, tertiam Jurisdictionem com-

comminiſcantur, ipſi mixtam vocant, qua ita Jus reddit Magiſtratus, ut aliquid officii ſui extra litem & Judicium contentioſum, in cauſis, non ſemper à voluntate eorum quibus Jus additur dependentibus, diſponat, ad quam referunt Tutoris conſtitutionem, edictalis bonorum poſſeſſionis dationem, interpoſitionem decreti circa transactionem de alimentis teſtamento relictis, de alienatione prædiorum minoris, ac in manumiſſione quæ fit à minore 20. annis, & arrogatione demum Impuberis: vid. *Donell. 17. Comment. 8.* & Suthold *Diſſert. de Iurisd. aphoriſ. 332.* ſed iſtam quidem mixtam Jurisdictionem & Marcianus ignorat, & meliores JCti rectè rejiciunt, nèque eſt quod adeò de eâ hic multum ſolliciti ſimus.

II. Atque ita huc rectè referuntur cauſæ civiles contentioſæ Jurisdictionis, velut I. *hæreditatum*, ratione quarum etiam Nobiles immediatos ibi conveniri poſſe teſtatur Wehnerus *in notis part. 2. tit. 5. fol. 127.* Knipſchildt *de Iuribus & privilegiis Civitatum Imperialium lib. 2. cap. 33. n. 234.* 2. *Debitorum*, Schuldſachen / in quibus Nobiles tam mediati quàm immediati, & alii Status ibi etiam conveniuntur, niſi privilegium obſtet, Reform. Rothvvil. *part. 2. tit. 5. §. 24.* & ibi VVehner. Auctor. deciſ. ſive præjudiciorum Cameralium *apud Gylmannum Symph. 3. verbo Civitas Imperialis. fol. 75. in fine. Penſionum & Cenſuum*, VVehner. *in notis part. 2. tit. 5. in fine fol. 133.* Meichſner. *tom 3. deciſ. 17.* Gylmann. *Symphor. tom 5. voto 4. in princ. Decimarum*, Gylman. *dict. tom. 5. voto 5.* VVehner. *in notis ad part. 2. tit. 5. fol. 133. Pignorationum*, Meichſner. *tom. 2. lib. 1. deciſ. fol. 855. Arreſti*, Gylman. *tom 5. vot. 1. fol. 1. Turbationum & Spolij*, Reform. *part. 2. tit. 5. §. 25. & 26.* & ibi VVehner. *Cauſæ turbatæ vel mutatæ religionis*, propter quas etiam Fiſcalis agere poteſt. VVehner. *d. l. fol. 133.* Deinde huc quoque pertinent actus voluntariæ Jurisdictionis, quales ſunt, *Adoptio, Emancipatio, Manumiſſio, Donationum ac Teſtamentorum Inſinuatio & oblatio, Renunciatio, pacta dotalia, Edictalis bonorum poſſeſſio, quæ ſine cauſæ cognitione, ſine lite & contentione, volenti & petenti datur.* Sed & huc referuntur, *tranſactiones ſuper alimentis in teſtamento relictis, Arrogationes Impuberum, prædiorum, quæ minorum ſunt, alienationes, Vniones prolium, & Inſinuationes hypothecarum, rerum immobilium.* Reform.

form. Rothvvil. *part. 2. tit. 6. & ibi VVehnerus.* Quinimo etiam *causæ Criminales* hic judicantur, Reform. Rothvv. *part. 2. tit. 5. §. 13.* Paurmeister *d. l. n. 13.* ut sunt, *homicidia, latrocinia, incendia, furta, diffidationes* vid. **Rothweilisch alte Hoffgerichts Ordnung** *part. 6. tit. 2.* De causis quoque fractæ Pacis, non tantùm in Curia Rothvvilensi agitur; sed etiam violatores Pacis publicæ, in bannum declarari possunt. Reform. Rothvvil. *dictâ part. 2. tit. 5. §. 13.* & ibi *VVehnerus*, Knipschild *d. l. n. 242.*

III. Et in his quidem contentiosæ Jurisdictionis Civilibus & Criminalibus causis, illi qui exemptionem non ostendunt, ibi conveniuntur. Cæteroquin causæ istæ eò non pertinent, nisi fortasse causarum reservatarum, **der Ehehafften**/ aliqua sit, aut privilegio exemptionis aliquis renuntiaverit, *arg. l. penult. C. de pactis.* Si tamen specialiter & disertè hoc fecerit; generalis enim renuntiatio non sufficit; nec subditus sit, qui sine Domini consensu, fori privilegio renuntiaverit, vid. Wehner. *d. l. fol. 28.* & Reinking *in enarrat. l. fin. tit. 3. lib. 2. C. n. 33. & seq.* Exemptiones verò hæ, ut evocationi causarum locum faciant, requiritur I. ut privilegia exemptionum Judicio Rothvvilensi à privilegiatis exhibeantur, vel authentica, vel eorum exempla, quæ fidem mereri possint, Privileg. *Maximil. in Princ.* d. Reform. *part. 2. tit. 4. & ibi VVehner. in notis.* Meichsner *tom. 3. Decis. Cam. 31. n. 27. fol. 996. & seqq.* nisi fortassis antea exhibita sint, & Judicii Annalibus inserta, aut alioquin Judicibus his manifesta, VVehner *dict. Privil. Maximiliani* I. Meichsner *d. l.* Unde Electorum Privilegia, utpote Bullæ Aureæ inserta, & minimè incomperta, insinuatione non egent. *dict. privil. Maxim.* vid. Reform. *d. l.* Leypold. *de concurrentia Iurisdictionis quæst. 8.* Antiqua ordinatio etiam id requirebat, ut privilegium Imperator, qui Imperio tempore litis motæ præerat, confirmasset, *part. 3. tit. 1.* id quod etiam observat VVehner. *in not. d. tit. 4. in princ. fol. 79.* sed cùm privilegia morte concedentis non extinguantur, *arg. cap. fin. X. de precario, & cap. 7. de officio & potestate Iudicis delegati in 6to.* Enenckel *tr. de Privilegiis l. 3. c. 2. n. 4. & seqq.* pronum indè est colligere, confirmationem Successoris, non necessitatis, sed consilii & utilitatis esse. Enenckel. *lib. 3.*

c. IX. Surdus *Conſ. 419. n. 6.* Buxtorfius *ad Bullam Auream th. 57. lit. D.* Verior eſt tertia obſervatio VVehneri, requiri ut avocatio fiat juſto & legitimo tempore, & quidem ante, non poſt litis conteſtationem, VVehner *part. 2. tit. 5. §. 1. fol. 109.* Præterea receptum eſt, ut Dominus non tantùm juſtitiam offerat, & adminiſtret, ſed etiam ſalvum conductum. ſicheres Geleith/ actori concedat, Refor. *Rothvv. part. 2. d. tit. 4.* non tamen ut juſtitiæ eo ipſo illum eximat, ſed ſaltem contra vim ſecurum præſtet, *arg.* R. A. zu Speyer *de anno* 1670. §. Wir wollen auch 72. Denaiſ. *juris Cameral. tit. Salvus Conductus. 176. n. 5.* Formulas ſalvi Conductus, & Avocationum, addere inſtituti noſtri non eſt, & leguntnr illæ apud VVehner. *fol. 88. & 98.*

IV. Hæc exemptionis tamen privilegia, etiamſi illis inſerantur verba, um was Sachen das wäre / non comprehendunt caſus reſervatos, die Ehehafften. Meichſner. *tom. 3. deciſ. 31. num. 4. fol. 992.* Gylman. *tom. 4. part. 1. vot. 37. fol. 312.* De quibus hoc loco paulò diligentiùs nobis diſſerendum eſt. Vocabulum autem Ehehafften/ ex eorum numero eſt, quæ plura ſignificant. Jure Saxonico ſunt legitima impedimenta, redliche Urſachen/ Ehehaffte Noht/ quæ excuſant à contumacia. Jure enim Saxonum, quando quis citatus non comparet, & contumax declaratur, non ſtatim cauſa cecidiſſe pronuntiatur, ſed clauſula additur, ſi, ſe legitimè impeditum, non probaverit, poſt alios Benedict. Carpzov. *in Iurisprud. Forenſ. part. 1. Conſtit. 9. definit. 3. 4. & 5.* ſunt hujusmodi præcipuè quatuor genera, *Captivitas, Ægritudo, Peregrinatio, Expeditio Publica, & Servitium Imperii,* quamvis his accedant & alia, velut *Exceptio loci non tuti, vis fluminis, tempeſtatis &c.* vid. Carpz. *d. l. defin. 7.* Et hoc ſenſu etiam in veteri Ordin. Rothvv. *part. 9. tit. 3. 4. & 5. fol. 270. & ſeqq.* uſurpatur, ubi, Ehehafften ſunt, Kranckheit / Gefängniß / Belagerung in einem Schloß. &c. Aſt alio etiam ſenſu in Judicio Rothvvilenſi ſunt caſus reſervati, & Privilegiati, qui ad avocationem Statuum exemptorum non remittuntur. Enatæ occaſione hujusmodi cauſarum graves ſæpe in Imperio ſunt querelæ, extendentibus vocabuli ſignificationem Judicibus Rothvvilenſibus. vid. adhuc nuper *Capit. Leopoldi Imp. art. 18.* ibi. die eine zeitlang wider die alte Hoff- und

Land-

Landgerichts-Ordnung extendirte Ehehafftsfälle. restringentibus contrà Judicio illi sub hac conditione obnoxiis. Idcirco constitutum est Recessu Comitiorum Spirensium anno 1570. §. 72. daß niemand wider habende eximirende privilegien / da ihnen (Rothvvilensibus) dieselben einmahl insinuirt, oder sonsten bewust seyn/ citirt, und sonderlich das Wort Ehehafft / weiters / in specie was-serley Sachen darunter begrieffen / declarirt werden soll. Quod & factum deinceps anno 1571. quo Commissarii Imperatoris, Henricus Comes à Furstenberg & Dr. Johannes Nervius, jussu Imperatoris, institutâ visitatione, & perceptis gravaminibus Statuum, & privilegiis Judicii hujus, ordinationem antiquam renovarunt, quam & anno 1572. perfecerunt, ac publicarunt. (Rudingerus 2. *Observ. Iuris Cameralis, Observ*, 10. publicationem malè in sequentem annum refert.) In ista nova Reformatione Ordinationis Rothvvilensis, casus reservatos, die Ehehafften *part. 2. cap. 5.* peculiariter annotarunt; Atque in Camera decisum deinceps, nullos casus pro reservatis, Ehehafften/ habendos, nisi qui in ista expresi habentur, quomodo judicatum in causa Auspurg contra Standen. Gylmann. vel potiùs *Author. decis. Camer. apud eundem tom. 3. Symphor.* verbo Ehehafften/ VVehnerus *in Observ. Practicis* voce Ehehafften/ Johannes Rudinger. 2. *Observ.* 10. Ante istam definitionem peti poterant casus hi ex privilegio Maximiliani I. anni 1496. Rothvvilensibus concesso, ubi tamen non nisi 14. qui primo loco in Reformatione exprimuntur, recensentur, & inprimis ex transactione Duci VVurtembergensis, & Judicii Rothvvilensis, cujus inscriptio, Hertzog Ulrich zu Würtemberg pro Interesse und Gemeine zu Wachlingen / contra Conrad Mocker / & ibi enim, quæ sint Ehehafften perspicuè enumerari, sensisse Dnn. Camerales, non difficulter aliquis ex Autore *decisionum vel præjudiciorum Cameralium p. 114.* collegerit.

V. Enumerantur illæ Reformat. *part. 2. tit. 5.* ita, ut singulis sectionibus ejus tituli, singuli casus contineantur, ad 28. usque. Nam §. 29. deinde monentur Procuratores, & litigantes, ne in allegatione der Ehehafften / fraudem committant, & indè sumptus & disputationes inanes excitent: §. 30. verò, Electoribus Jura & Privilegia se-

cundùm Auream Bullam reservantur. Sunt autem casus isti, 1. *Si quis in bannum declaratus sit, idque manifestis probationibus liquidem sit.* Welcher ein offener verschriebener Aechter / oder ein Banniger ist / und solches mit genugsahmen Brieffen oder Uhrkunden auff ihn bracht / oder sonst kündlich gemacht wird. 2. *Si quis ratione litis, cujus ergò in judicium vocatus est, beneficio exemptionis, quo gaudere alioquin poterat, literis sigillo suo probatis, renuntiaverit.* 3. *Si factâ remissione, Actori intra legitimum tempus jus non reddatur, vel salvus conductus denegetur, aut non transmittatur, aut transmissus violetur, aut Reus sententiæ parere nolit.* 4. *Si quis proscriptos contra prohibitionem Rothvvilensis Judicij recipiat, nec dimittere velit; nisi eosdem recipiendi facultas ex privilegio Imperatorio ei sit.* 5. *Si res in hoc Dicasterio judicata sit.* 6. *Si contra* Ehehafften *aliquis deliquerit*, ejus dijudicatio spectat ad Judicium hoc. 7. *Si quis injuriis Iudicium Rothvvilense, ac Personas, quæ id constituunt, afficiat, aut contra ejus privilegia & jura consuetudine & usu valida, aliquid tentet.* 8. *Si quis Nuntios Iudicii Rothvvilensis Decreta & Citationes exequentes, violet.* 9. *Si quis illis qui in Curia Rothvvilensi lites suas prosequntur vim inferat, illos capiat, vel à lite desistere cogat.* 10. *Si alicui, contra proscriptum, in alterius territorio deprehensum, Iustitiam imploranti, ea denegetur.* 11. *Si quis per fraudem contra ordinationem, & receptum morem Iudicii Rothvvilensis, egerit.* 12. *Si de injuriis gravioribus agatur, modò tamen non civilis actio eo nomine intentetur*, tunc enim non sunt Ehehafften / quomodo decisum in Camerâ in causa Straßburg contra Rothweil anno 1538. 7. Februarii, & in causis Bischoff zu Straßburg / contra Hoffman. Augspurg contra Juden Johensi. Item Augspurg / contra Jnnich / Juden zu Nürnberg; ac ita conclusum frequenti Senatu 15. Januarii 1564. 13. *Si quis alterum homicidii, latrocinii, incendii, furti, fractæ Pacis, rapinæ vel diffidationis reum agat.* 14. *Si Iudicium Provinciale, quod Circulo Rothvvilensi comprehenditur, jurisdictionis suæ terminos excedat.* 15. *Si quis contumaciæ causa proscriptus, à banno eâ conditione liberatus sit, ut adversario coram judicio Rothvvilensi respondeat.* 16. *Causæ Fiscales quæ contra judicium Rothvvilense &* Ehehafften *faciunt.* 16. *Si contra Iudæum actio instituta sit.* 17. *Si Iudex Ecclesiasticus,*

Iudi-

Iudicii Rothvvilensis opem, ad banni executionem, imploret. 18. *Si is cui concredita executio eam facere detrectet.* 19. *Si judicio Rothvvilensi ab Imperatoribus Romanis injuncta sit Protectio & conservatio Privilegii aliquibus concessi, illique conservatorium exhibeant, & sibi contra Privilegium molestiam inferri conquerantur.* 20. *Si inter Nobiles immediatos Imperii de hæreditate controversia sit.* 21. *Si causa sit denegatæ vel protractæ Iustitiæ.* 22 *Si quis stipulatâ manu, aut addito Iurejurando coram Magistratu, ejusque locum tenente, solutionem promiserit, nec tamen quod promisit præstare velit.* 23. *Si quis coram Iudicio hoc debitum confiteatur, ac solutionem promittat, eaque promissio acceptata in Iudicii acta referatur, promissis tamen deinde stare nolit.* 24. *Vox* gewaltsam *inter* Ehehafften *eo casu solùm computatur, si quis ab alio, ejusque subditis, aut ministris, ipso jubente, violenter, destinato consilio, vel dolo malo, vel ratione corporis, vel bonorum, lædatur.* 25 *Si quis per vim possessione suâ privetur.* 26. *Si possessor bonorum controversorum per Edictum (in Reformatione vocatur* Beleutung) *citetur, & remissio, absque nominatione possessoris bonorum, petatur.* 27. *Si agatur de expensis litis aut pro Salario, mercede, vel Taxa Cancellariæ Iudicii Rothvvilensis, aut Advocatorum.* Contra hos casus reservatos tamen, ut antea monuimus, excepto casu denegatæ justitiæ, privilegia impetrari possunt, & impetrarunt etiam nonnulli, quos nominavimus. Causæ Privilegia Imperialia concernentes, si de ipsorum substantia controversia sit, vel Jus Principis contingant, huc non pertinent, Wehner. *in notis ad Reform. part. 2. tit. 4. fol. 85. inf.* & *fol. 126.* Autor decis. Cameralium apud *Gylmannum Symphor. tom. 3. verbo* Rothweilisch Gericht *in fine,* ut nec causæ *Matrimoniales, & Spirituales aliæ,* quod tamen ad quem modum intelligendum sit, explicatur *th. 17. Exercitationis Iurispulici de Iudicio Aulico, hic habitæ.* Causæ Feudales, de quibus Pares Curiæ judicant, rectè itidem excipiuntur *arg. 2. F. 20. & 2. F. 39.* Cùmque etiam de Jure ac legibus ferendis, deque Ordine Judiciorum, nihil Collegio huic reperiatur permissum Reformatione Maximiliani, id totum Cæsari meritò reservatum censetur, Stephan. *de Iurisdict. lib. 2. part. 1. cap. 3. n. 23.* & Speidelius in *Speculo d. l.* Quinimo hoc expresse sancitur *Reformat. Maximil. II. part. 3. tit. ult. §. fin.*

CAP. IV.

I.

MOnuimus jam antea, Dicasterium hoc concessum Rothvvilensibus, ut fidem illorum remuneraretur Imperator Conradus. Atque ideò id penes eos perpetuò esse, voluerunt Imperatores. Sie seyn / verba sunt Privilegii Maximiliani I; von Weyl. König Ruprechten / und Käyser Siegmunden / Unsern Vorfahren am Reich / nach Inhalt besonder gemächt: und Freyheit-Brieffe / die sie durch glaubliche Urkund und vidimus fürbrachten / löblichen versehen und begnadet / daß Unser und des Reichs Hoffgericht / ewiglich bey ihnen zu Rothweil bleiben / und sie wie vor alter herkommen sey / halten. Idque confirmat illis ibidem: so lang Bürgermeister / Raht und Bürger zu Rothweil / und ihre Nachkommen daselbst / als getreue gehorsame Unterthanen bey uns / unsern Nachkommen Röm. Käysern und Königen und dem Heil. Reich Gehorsame halten: Constituit quidem Imperator Conradus etiam ut habent verba fundationis, esse hoc Tribunal post Aulicum Imperatoris Judicium, dignitate proximum, daß es das nechst und würdigst Gericht seyn solt nach dem Hoff-Gericht / das ein Römischer Käyser oder König in seinem Käyserl. oder Königl. Hoff hätte / als wann es noch an dem Käyserl. Hoff gehalten würde. Et Rothvvilenses anno 1496. in literis supplicibus illud appellant, das Oberste Gericht in Teutschland. Sed rectè notat VVehnerus in Observat: Practicis. voce Rothweilisch Hoffgericht huic præcellentiæ Maximilianum Imperatorem derogasse, & Cameram Spirensem ei præposuisse, ita ut hodie post aulam Cæsaris, proximus locus Cameræ, & tertius Dicasterio Rothvvilensi debeatur. vid. procem Maximil. ad Reform. Rothvvilensem. Sanè Cameræ Judicium in Ord. Camerali *part. 1. tit. 3. in princ.* vocatur das oberst und letzt Gericht im Reich / & nuper in R. A. zu Regenspurg *anni 1654.* ab Imperatore & Statibus appellatur, Unser höchstes Gericht: §. Als auch / 161.

II. Or-

II. Ordinationes, secundùm quas Rothvvilenses Jus reddunt, duæ editæ sunt, quæ quidem nobis innotuerunt, Una, quæ hodie vocatur Antiqua **Rohtweilisch alt Hoff-Gerichts Ordnung.** Altera, quæ recentior est, & inscribitur Reformatio Rothvvilensis. Posterior illa hodieque in usu est, tempore Maximiliani II. (cùm id desiderassent Ordines Imperii in Comitiis anni 1570.) anno 1572. per Commissarios Imperatoris, Henricum Comitem Furstenbergium & Dr. Johannem Nervium, ex antiqua Ordinatione maximam partem, additis tamen quæ deesse, & explicatis quæ obscura videbantur, confecta, ac in Imperio promulgata. Eam pro norma habent Judex & Assessores Rothvvilenses, idque se facturos solenni juramento promittunt, Vid. Memoriale Deputatorum §. **Solch frey Uhralt** &c. Extant in illam Commentarii Pauli Matthiæ VVehneri, quibus quanta sit in ipsa etiam Imperiali Aula autoritas, eo argumento colligere est, quod Besoldus Thesauro Practico, voce **Rothweilisch Gericht /** commemorat, cùm nostra ætate S. Cæsarea Majestas, certis quibusdam personis, Reformationem hujus Dicasterii commisisset, jussisse ea Commentaria quasi loco manudictionis ipsis esse debere.

III. De Processu Tribunalis illius extat, publica in Recessu Imperii Spirensi anni 1570. querela §. **Und nachdem** 72. ubi reprehenditur, **daß kein ordentlicher Proceß daselbst mehrertheils gehalten werde.** Aliis tamen Processus Rothvvilensis, longè promptior ac brevior Cameræ Processu est, Reform. Rothvvilensi *in proœm*: quamvis stylus ejus in plerisque cum usitata Cameræ procedendi ratione conveniat. Leypoldt de *concurrentia Jurisdictionis cap. 8.* Explicatur autem ferè omnis processus illius modus, in ipsa Ordinatione, quæ causa est, ut hic sufficiat tanto parcius, quæ eo spectant, & saltem præcipua capita, attigisse. Causæ huc deferuntur, vel in prima, ut vocant, vel secunda instantia, quod Practici barbarè appellant, *deferri per viam simplicis querelæ*, vel *per viam Appellationis.* Potest enim à Tribunalibus inferioribus ad Curiam Rothvvilensem appellari, Simlerus in *descriptione Helvetiæ fol. 124.* VVehner in *notis ad Reform. part. 3. tit. 17. fol. 185. in fine.* Reconventiones etiam, si ante litis contestationem

nem

nem instituantur, locum habent: Reform. Rothvvil. *part. 3. tit. 12.* Ruland. *de Commiss. part. 4. lib. 8. cap. 7. n. 16.* ubi monet etiam reconventioni post litis contestationem aliquando locum esse, *Ord. Cam. part. 3. tit. 3.* VVehner. *ad d. tit. 12. fol. 171.*

IV. De vocatione ejusque modo jam præcedente capite quædam delibavimus. Hic illud saltem addimus, si Privilegiati Rothvvilam citentur, ac ibi conveniantur, illos ibi privilegium exemptionis opponere, sin autem eorum subditi, Jus avocandi habere, & remissionem petere, Reform. Rothvvil. *part. 2. tit. 4.* & ibi VVehner *fol. 79. vers. & qui ita.* Subditi ergo Ordinum Imperii privilegio munitorum, citati comparere debent, saltem ut privilegii mentionem faciant. *arg. l. 2. & ibi. Dd. ff. de in Ius vocando,* Dn. Mylerus *in addit. ad Rumelin. A. B. part. 2. Dissert. 1. concl. 6.* Diversa tamen ratio est, qua Electores & alii Status subditos suos avocant: Illi per schedulas apertas, quòd privilegia illorum, utpote Bullæ Aureæ inserta, manifesta sint; hi verò solenniori ritu, ac literis, quibus privilegia, vel authentica, vel eorum descriptiones fide dignæ, includuntur: promittunt autem, se actori & salvum conductum lubentes concedere, & jus ac justitiam, intra sex septimanas & tres dies administrare velle, nisi aliud prolixius temporis spatium privilegium illis indulgeat: Reform. Rothvv. *part. 3. tit. 1.* Leypoldt de *concurrentia Iurisd. cap. 8.* An autem avocationi locus sit vel secus? Rothvvilense Tribunal cognoscit. Reform: Rothvvil: *part. 2. tit. 4. vers.* da aber deß Kläger. Quòd si justo tempore non sit facta avocatio, illa denegatur, ac parte, post trinam citationem, nihilominus contumace existente, sequitur demum contumaciæ declaratio, & præmisso edicto (Reformatio vocat Beſcutung) decernuntur Achts und Anleit-Brieff/ & Processus Executoriales, erlangt Recht und Schirm-Brieff: vide, post Gylmannum & Meichsnerum, Leypoldt *d. l.* Post banni declarationem, insinuatio privilegiorum, & avocatio frustra, ad effectum impediendi Jurisdictionem Rothvvilensem, in illa quidem causa, in qua decretum bannum est, fieri solet: Gylmannn. *tom. 4. Symph. part. 1. vot. 35. n. 12.* ubi additur sententia Dnn. Cameralium *in causa T. contra Episc. C.* Quòd si remissio desiderata inique denegetur, ad Cameram provocari potest,

est, ubi facta simul fide maturæ insinuationis Privilegii, inhibitio adversus Rothvvilense Judicium decernitur. Ord. Rothvvil. *part. 2. tit. 4.* Leypoldt *d. l.* cujus illam ibi rationem addit, sed ex Autore non satis idoneo, quòd Rothwilani faciles sint ad pronuntiandum se competentes, quod suo loco relinquimus. Sententiæ verbis paucissimis concipiuntur: vid. apud Meichsnerum sententiam latam 15. Aprilis Anno 72. ubi remissionem propterea negant, quòd casus reservatus sit. **Dieweil die Sach** / verba sententiæ sunt, Injuri, **und also sonderbare Ehehafften betreffen thut / so weiset man sie nicht.** Si à sententia non appelletur, ea transit in rem judicatam, & Executioni mandatur: Reform. Rothvvil. *part. 2. tit. 19. & part. 3. tit. 18.* quæ committi consuevit Statibus Imperii, & aliis quoque qui obsequium Judicio debent: Author. *decis. vel præjudiciorum Cameræ, verbo sententia interlocutoria.* Wehner. *ad d. Reform. part. 2. tit. 5. §. 19.* nisi justæ causæ sint, quæ excusent eum cui commendatur executio, utpote, si ei in quem facienda est executio, viribus æqualis non sit: *Ord. Cam. part. 3. tit. 48.* §. **und also** / aut si sententia nulla sit, *arg. l. 4. §. 6. ff. de Re Judicata.* Qui in bannum à Judicibus his declaratur, is ne quidem ab ipso Imperatore, invito Actore absolvi potest; vid. privilegium Maximil. de año 1496. ibi, **Wer auch an demselben Unserm und des Reichs Hoffgericht geachtet worden / daß sie weder wir / noch unser Nachkommen Römische Käyser / oder Könige / von derselben Acht nicht** absolviren / **oder deren erledigen sollen / dann mit des Klägers Willen.**

V. Appellatur à Judicio Rothvvilensi ad Cameram, **R A. zu Speyer** *de anno 1570.* §. **und nachdem uns fürkommen** 72. ibi, **daher auch viel** Appellationes **an unser Käyserl. Cammer-Gericht erwachsen / auch die** Process **und Urthell vielmahl** cassirt **werden.** Reform. Rothvvil. *part. 3. tit. 17.* Et Capit. Leopold. Imp. *art. 18.* ubi ista leguntur: **einem jeden** gravir**ten soll frey stehen / von mehrerwehntem Hoffgericht / entweder** ad aulam Cæsaream, **oder ans Käyserl. und des Reichs Cammer-Gericht zu Speyer / ohne einige unsere Widerrede oder Hinderung zu** appelliren / Gail. 1. *Observ. 40. n. 4.* ubi, *quotidie ad Cameram à Judicio Rothvvilensi appellari,*

 scri-

ſcribit. vide ejus exempla apud Meichſnerum *lib. 1. deciſ. Cam. Deciſ. 20.* Gylmannum *Symph. tom. 2. part. 2. vot. 3.* adde Wehner. *tom. 6. Symph. apud Gylmannum cap. 8. n. 2.* & paſſim. Et Camera Imperialis eſt in poſſeſſione inhibendi contra Judices Rothvvilenſes, ac ſæpe inhibitio decernitur, ne ad executionem & viam facti irreparabilem procedant: Wehner. *in notis ad Reform. Rothvvil. part. 1. tit. 1. fol. 4. in fin.* Author Deciſ. Cam. apud. Gylmannum *tom. 3. verbo* Rothweil. Quòd ſi hæc appellatio à ſententia definitiva ejusque vim habente, interponatur, etiamſi Camerales inhibitionem non decreverint, Rothvvilenſe tamen Judicium ultra non procedit: dict. *tit. 17. §. penult.* Blumius *Proceſſ. Camerali tit. 45. n. 15.* In appellationibus autem à ſimplici interlocutoria interpoſitis procedere permittitur, usque donec inhibitionis decretum inſinuetur *d. tit.* & Blumius *d. l.* Nec ad Cameram ſolùm, ſed propter concurrentem ejus cum Judicio Aulico, dem Reichs Hoffraht / jurisdictionem, etiam ad illud à Judicio hoc appellatur, Blumius *d. l. n. 22.* quod & diſertè confirmat *art. 18.* Capit. Leopoldi Imp. Imò ad hoc ſolum, propter denegatam vel protractam Juſtitiam, nullitatem admiſſam, & Judicis recuſationem, pertinere cognitionem, quòd Imperator, quoad appellationem, in quâ Camera cum eo concurrit, ſaltem ſuo juri renuntiaverit, renuntiatio autem ſtricti juris ſit, ſtrictamque interpretationem recipiat, exiſtimat Wehner. in Obſervat. voce Rothweiliſch Hoff-Gericht / quem ſequitur Blumius *Proceſſu Camerali tit. 45. n. 22.* De Sigillo, quo Tribunal hoc utitur, tempore Interregni, Vicariatus vulgò vocant, vid. Hoppingk. *de Iure Sigill. cap. 5. n. 58.*

VI. Supereſt, ut deſinamus circa ea quæ de Abolitione Dicaſterii hujus acta in Imperio ſunt. Frequentes fuiſſe Ordinum Imperii contra Tribunal hoc querelas, jam antea monuimus, quòd inprimis prætextu der Ehehafften eò vocarentur cauſæ quæ minimè pertinerent; ſed & huic malo medelam afferre tentaſſe Maximilianum II. Imperatorem, Nova Reformatione Ordinationis antiquæ edita; & tum quidem viſum negotium hoc eſſe compoſitum, explicato vocabulo illo. Cæterùm non multò pòſt repetitæ Statuum querelæ, ac affectum adeò eſt, ut inſererentur Capitulationi Matthiæ Imperatoris,

ris, quod hactenus factum non erat, *art. 16*, quæ addimus. Nachdem die Chur-Fürsten des Reichs &c. nicht allein in krafft der gülden Bull/ sondern auch durch andere hohe Privilegia, vor allen frembden/ zufoderst aber dem Rothweilischen Gericht/ so wol für sich/ als ihre Unterthanen / und Zugewandten gefreyet seyn: Nichts desto weniger aber durch desselben Hoffgerichts-Proceß/ je zuweilen dero Unterthanen molestirt werden / wollen in alle weg versehen/ daß solches bey gedachtem Hoffgericht abgestellt/ und dahinfüro eines oder andern der Chur-Fürsten Unterthanen und Zugewandten mit dergleichen Process fernere molestation geschehe / daß sie nicht allein die Proceß nicht annehmen sollen/ sondern auch die Chur-Fürsten/ die jenige/ so über Verwarnung/ der insinuation solcher Proceß nicht müssig gehen wollen/ mit straffen ansehen mögen und sollen. Item repetit. Capit. *Ferdinandi II. art. 14. & Ferdinandi III. art. 17.* Atque ista gravamina in Comitiis Ratisbonensibus anni 1641. §. übrige übergebene Memorialia, ibi, als in specie das Käyserl. Hoff-Gericht zu Rothweil &c. repetita constat. Instrumento deinde Pacis Cæs. Suecico ista constituta sunt *circa finem art. 5. §. 20. Denique, cùm etiam de abolendis curia Imperiali Rothvvilæ, Judiciis Provincialibus Sueviæ, & aliis hinc indè per imperium hactenus usitatis, mentio injecta fuerit, resque hæc gravioris visa sit momenti, de his quoque ulterior deliberatio ad proxima Comitia remissa esto.* Et est ejus rei etiam mentio in Capit. Ferdinandi IV. *art. 15.* verba sunt. Als auch von Chur-Fürsten/ Fürsten und Ständen schon von langen Jahren hero / so wol wider das Käyserl. Hoff-Gericht zu Rothweil/ als das Weingartische und andere Landgerichte in Schwaben allerhand grosse Beschwerd vorkommen/ auff unterschiedlichen hiebevorigen Reichs Conventen angebracht und geklagt / dahero auch im Frieden-schluß deren absolution halber allbereit Veranlassung geschehen/ so wollen wir/ auff den Fall / auff den jetzt instehenden Reichstag (als dahin es im ermeldten Friedenschluß verwiesen) kein beständiger Schluß darinnen gefaßt/ oder von der itzigen Käyserl. Mayt. und Lübd. die Besserung nicht verschaffet werden solte / künfftig un-

unfehlbarlich daran seyn / daß solchen der Ständen Beschwerden / würcklich auß dem Grund abgeholffen werde / unterdessen aber der Chur-Fürsten und ihrer Unterthanen von alters hergebrachte Exemption, von vorberührten Rothweilischen Gericht / bey ihren Kräfften / in alle wege erhalten / und dawider nicht turbiren noch beschweren lassen.

VII. Cæterùm cùm istis Comitiis, anno 1651. in consessu Principum ante electionem Regis Romanorum, urgeretur abolitio Judicii Rothvvilensis, eoque nomine res collegio Electorali commendaretur, Comes Sultzensis, & Senatus Rothvvilensis, per Deputatos suos peculiari libello, ipsi, Memoriale vocant, Ordinibus exposuerunt, in Instrumento Pacis Cæsareo Suecico art. 8. §. Tam in universalibus &c. *Liberis Imperii Civitatibus non minùs quàm cæteris Statibus manere intacta privilegia, Regalia, Iura*: nec existimandum ideo, modò de causa exactè constitisset, Paciscentes & Imperii Ordines, Comiti Stultzensi, aut Civitati Rothvvilensi propter benemerita concessa privilegia, & donationes, adempturos, inprimis quòd eo nomine Matriculæ Imperiali quid amplius, tam Comes quàm Civitas inferat, ac ille in Feudum etiam perpetuum, dignitatem Judicis ac Præsidis acceperit: & pugnare demum cum naturali ratione, si Imperator dum sua Statibus Jura confirmat, propriorum jacturam faciat: quod fieri ajunt, si judicium hoc, utpote Imperatoris proprium, intercidat. Addunt, se magna religione observare Reformationem ultimam, nec juris dicendi facultatem, de causis quæ ibi non exprimuntur, sibi vindicare. vid. Memoriale illud apud Limnæum *in addit tom. 2. ad lib. 9. cap. 3. in f.* & Speidelium voce Rothweilisch Hoff-Gericht. Post illa tempora ibi Jus ad hunc usque diem dicitur. Anno tamen 1658. mense Aprili, Status Imperii in monitis ad Capitulationem Leopoldi art. 15. inseri petunt ista. Es sollen nunmehr und ins künfftig Chur-Fürsten / und Stände / sampt dero Angehörigen / des Käyserl. Hoff-Gerichts zu Rothweil / wie auch des Weingartischen und andere Land-Gericht in Schwaben / befreyet / ermeldte judicia auffgehoben / auch Churfürsten und Stände sampt den ihrigen zu parirn nicht schuldig seyn. Et Status Evangelici ad eundem

arti-

articulum desiderant, daß diesem beschwerlichen Wesen / vermittelst desselben gäntzlicher abolition, würcklich und auß dem Grund abgeholffen werde. Indè est quod Leopoldi Imp. Capit. *art. 18.* postquam nonnulla ad eum modum, quo illa in Ferd. IV. Capitulatione leguntur, repetiisset, porrò in hanc sententiam pergit; wir wollen inmittelst / biß solchen der Ständen Beschwerden würcklich auß dem Grund abgeholffen / und von der abolition erst berührter Hoff- und Landgerichten auff den nechsten Reichs-Tag ein gewisses statuirt werde / offenbarlich daran seyn / daß die eine zeithero wider die alte Hoff- und Landgerichts-Ordnung extendirte Ehehafftsfälle abgethan / und die dabey sich befindende excessus und abusus, zu welcher Erkündigung Wir ohn interessirte Reichsstände ehest Deputiren wollen / förderlichst auffgehebt / sonderlich aber Chur-Fürsten und Stände bey ihren dawider erlangten Exemptions Privilegien / ohngeachtet solche cassirt zu seyn / vorgewendet werden möchte / handgehabet werden. In illis, quæ hodieque durant comitiis, nobis non innotuit aliquid amplius de abolitione illius actum, nisi quod in scripto, quod sub nomine der Erinnerungen nach welchen die jetzige Käyserl. Capitulation, zu einer gewissen und beständigen Wahl Capitulation nach Einhalt des Friedenschlußes / einzurichten / extat in Diarii Europæi parte II. ad mensem Februarium anni 1664. Capitulationis articulum 18. Versiculum So wollen Wir. ita concipiendum existimant, Autores Monitorum: Es sollen Chur-Fürsten und Stände sampt dero Angehörigen / oberwehnten Käyserl. Hoff-Gerichts zu Rothweil / wie auch des Weingartischen und andere Land-Gericht in Schwaben befreyet / ermeldte Justitien auffgehoben / auch Chur-Fürsten und Stände sampt den ihrigen zu pariren nicht schuldig seyn. Id tandem adjicimus, intercedere Rothvvilensibus solenne cum Helvetiis fœdus, sancitum Anno 1463. & renovatum Anno 1519. quo promittunt Helvetii, si judicium illud, excepto casu, quo Rothvvilenses ob denegatum Jus & Justitiam eo se indignos reddiderint, illis aliquis auferre conetur, quòd ipsi eosdem contra omnes injurias & impetus quorumcunque defendere velint, vid. Wehner. *in princ. Comment.*

ad Ord. Rothvvil. Unde, an abolitio iſta penitus in expedito ſit? Prudentiorum Judicio relinquimus. Atque iſta nunc quidem de Dicaſterio iſto ſufficiant.

COROLLARIA.

I.

PRocuratorem in alterius animam jurare poſſe ſtatuimus.

II.

Iuramentum etiam ſine verbis præſtitum efficacem inducit obligationem.

III.

Iuramenta de actu & negotio quoad jus poſitivum invalido præſtita, ipſum negotium & actum validum atque obligatorium haud reddunt.

IV.

Morte creditoris cui aliquid jurato promiſſum obligatio juris jurandi non exſtinguitur; ſed ille qui juravit, ſi non aliud fuerit actum nec promiſſi natura aliud ſuadeat, etiam jurisjurandi religione tenetur promiſſum illius hæredibus præſtare.

V.

Iuramenta quamvis vi metuque ſint extorta, ipſo Iure tamen non ſunt planè nulla.

VI.

Iuramentum latroni pro vita redimenda præſtitum potiùs ſervandum quàm negligendum eſſe putamus.

DE

DE

POTESTATE PRINCIPIS, LEGE REGIA ET JURISDICTIONE

Positiones Inaugurales.

I.

HEnricus VII. Rom. Imperator in *Extravag.* quas nonnulli *XI. collat.* appellant, *tit. I.* vel ut est in aliquibus Codicibus *XIX. Quomodo in læsæ Majestatis crimine procedatur*, præceptum D. Pauli in *epist. ad Rom. cap. 13. Omnis anima sit subjecta potestati supereminenti*; de Romanorum Principe intelligendum esse pronunciat; *divina*, ait, *præcepta, quibus jubetur, quòd omnis anima Romanorum Principi sit subjecta:* Equidem non immeritò, si de iis, qui in Romano vivebant Imperio, intelligas. Ast tantum abesse statuimus, ut dictum Apostoli ad solum Romanorum Imperium sit restringendum, ut potiùs subjectionem & obedientiam quibuscunque legitimis Magistratibus, iis præsertim qui Majestate coruscant, exhibendam, eo ipso commendatam velit.

II. In definienda autem Majestate notandum est, ne ex vocabulis & externis titulis de summa potestate faciamus judicium. vid. Grot. de *J. B. & P. lib. 1. cap. 3. n. 10.* multi enim titulum ipsum non sustinent, potestate tamen summâ gaudent: alii verò appellatione Majestatis decorati sunt, cùm nihilominus summa potestas penes populum resideat: quod non animadvertit Bodinus *l. 1. c. 8. de Rep.* quando ait: *Imperatores Romani summam ab initio potestatem non habuerunt, sed Principes tantùm appellabantur, & in rep. omnium primi, quæ reip. forma Principa-*

cipatus, non Monarchia, appellatur. Error, inquam, est, nec consideravit Bodinus, quòd Princeps Augustus initio sui imperii, ad tuendam potestatem Regiam, & declinandam invidiam, nomen Principis assumserit, quem hac in re imitati sunt successores, quamvis interea summam & absolutam obtinuerint potestatem. Quanto rectiùs Grotius *dict. loco: Romani*, ait, *Impp. postquam palam & sine ulla dissimulatione regnum liberrimum tenuerunt, Principes tamen vocabantur*, adde Dn. Bœclerum *ibid. p. 237.*

III. Est porrò Majestas unum è vocabulis Latinis, cui nullum in tota lingua Græca par est, aut quod ex æquo ei respondet, nam quòd interdum σεμνότητος interdum μεγαλειότητος vocibus utuntur, id vim vocis Latinæ non exprimit, rectè observante Dn Bœclero in Collegio MSSto Politico *cap. de Imperio.* Festus putat, Majestatem à magnitudine dictam esse, sed Casaubon. *in notis ad Trebell. Poll.* vult vocem illam descendere à comparativo majus, quòd majorem dignitatis amplitudinem importet in imperante. Grot. *lib. 1. c. 3. n. 21. de I. B. & P.* vocat dignitatem & imperii reverentiam. Cic. *lib. 4. c. 25.* ad Heren. Majestatem reip. nuncupat, *in qua continetur dignitas & amplitudo civitatis.*

IV. Possunt autem duo in Majestate considerari. I. *AMPLITUDO DIGNITATIS ET SPLENDORIS*, uti & Cic. *l. 2. de Orat.* Majestatem appellat *dignitatem & amplitudinem populi Rom.* II. *SUMMA POTESTAS.* Nam cùm illa reip. Majestas omnes suas rationes à summo imperio habeat suspensas, factum est, ut eâdem appellatione Majestatis summa quoque potestas comprehendatur. Hinc certum est, Majestatem non tantùm denotare *Splendorem*, sed etiam *potestatis & imperii eminentiam.*

V. Et quidem priori sensu, Majestas est *opinio quædam reverenda de Imperantis virtutibus.* Dicitur 1. quòd sit *opinio*, omnium siquidem hominum præclara facta, ampla quædam & excellens opinio, promovet, quæ eo major habetur, quo superior est is, qui præclarè agit: cùm autem in Imperante omnia sint excellentiora, hinc opinio de ejus virtutibus erit major, & ad remp. utilior: quare quæ in *privatis* dicitur *gloria & autoritas*, illa in *Imperantibus* vocatur *Majestas*, graviore & magnifi-

gnificentiore vocabulo. 2. Additur, quòd ſit opinio ***reverenda***, hoc eſt, cum quadam veneratione conjuncta, quæ ut efficiatur in Imperante, ſuperioritas ſeu eminentia requiritur; natura ſiquidem poſtulat, ut id quod dignius eſt & ſuperius, imperet. Unde conſtat, imperia nulla in re inſignium hominum vix quidem diuturna ac propria: cauſa eſt, quòd ita Imperantes non videantur ſubditis digniores. 3, Opinio iſthæc in ſubditis excitari debet; nam quamvis virtutes in Principe reperiantur, ſi illæ tamen ſubditis ignotæ ſint, utique illæ imperium non firmant, nec ſummam ei conciliant dignitatem. 4. Adjicitur, de *Virtutibus Imperantium*. Enim verò in illis virtutibus conſiſtit demum illa dignitas quæ in Imperante requiuntur, hæ autem cùm non ſint vulgares, opinio de illis non poteſt non eſſe reverenda, & cum quadam admiratione conjuncta. Verùm dicat aliquis, varias de rebus hominum eſſe opiniones, aliter enim de illis ſapientes, aliter vulgus hominum judicat, quandoquidem nonnulli humanitatem, alii ſeveritatem & auſteritatem, alii clementiam, alias alii in imperante requirunt qualitates. Quia verò diverſæ repe riuntur opiniones de Imperantium dignitate, difficillimum utiq; videtur, eas apud omnes in admiratione eſſe, & ab iisdem amari Reſp. illam eſſe veram & propriè dictam Majeſtatem, quæ de Imperantium virtutibus, ſapientum, vel plerorumque hominum animis inſita eſt, unde etiam ex illorum judiciis unicè illa eſt æſtimanda, ſpretâ vulgi, ſi ab his diſcrepet, ſententiâ.

VI. Parari Majeſtatem ex virtutibus Imperantium dictum eſt. Sed quia Virtutes in duplici ſunt differentia, quarum nonnullæ excitant admirationem, nonnullæ verò pariunt amorem; ideo addendum hic eſt, Majeſtatem ex illis potiſſimum virtutibus parari, quæ magis admirationem quàm amorem producunt: quandoquidem opinio de rebus arduis homines efficit verendos, & poſtea amabiles, quòd amor, niſi livor impediat, admirationem ſequatur. Virtutes quibus admiratio & cultus magis quàm amor conciliatur, ſunt fortitudo, prudentia, magnificentia &c: Virtutes, quæ amorem pariunt. ſunt manſuetudo, temperantia, Virtutes homileticæ & cumprimis juſtitia, tam in decernendis præmiis & pœnis, quàm in contractibus.

Quodsi justitia & reliquæ humaniores virtutes cum gravioribus virtutibus conjungantur, tum ex grata illa mixtura in animis subditorum summa reverentia oritur.

VII. Augent hanc opinionem apud vulgus ea, quæ virtutum speciem præ se ferunt, cùm inter veras tamen virtutes non censeantur: qualia sunt, 1. Corporis statura robusta & procera. 2. Morum gravitas. 3. Divitiarum abundantia, & subditorum multitudo. 4. Vocis & sermonis magnificentia. 5. Prosperitas fortunæ in rebus expediundis, præcipuè arduis & bellicis. 6. Raritas conspectus, ne Rex aut Princeps suis sæpe se conspiciendum præbeat subditis. 7. Ministrorum quoad officia obeunda dignitas & splendor. 8. Comitatus speciosus &c. De ista sola ac separata ab altera, quæ potestatem significat, non agit Ulpianus d. l. 1. sed de altera illa, quam per imperium & potestatem exprimit.

VIII. Definitur autem, illo sensu, quo potestatem denotat, quòd sit *summa & libera potestas administrandi societatem civilem ad finem propositum.* I. Dicitur, quòd sit *potestas*, quâ voce nihil aliud significatur, quàm imperium ac licentia, vel etiam arbitrium & jus statuendi. II. Potestas illa est *summa*, & talis, quæ post Deum in terris non agnoscit superiorem, cujus actus, ut Grotii verbis utar *d. lib. 1. c. 3. n. 1.* alterius juri non subsunt, ita ut alterius (præter ipsum qui summâ potestate utitur) humanæ voluntatis arbitrio irriti possint reddi. III. Est potestas *libera*. Intelligitur autem per potestatem liberam non licentia agendi pro lubitu, etiam ea, quæ nemo perpetrat, sed quisque tanquam turpia condemnat, quam sententiam Miltonus in *defensione pro populo Anglicano, cap. 2.* & qui illum tuetur Johannes Philippi, per injuriam, vel certè imperitiam insignem, Claudio Salmasio defensionis Regiæ autori, tribuunt; Verùm legibus soluta potestas intuitu humanæ potestatis superioris, quòd scil. à nemine ipsi præscribi possint leges, aut pro imperio ad hoc vel illud possit cogi cum effectu puniendi nisi paruerit. Ipse Salmasius cap. 2. defensionis *Hoc interest*, ait, *bonos inter & malos reges, quòd boni quod possunt nolunt, mali verò volunt ut possunt, quicquid licet non statim honestum est.* Et paucis interpositis *in responsione ad Miltonum*, (opere posthumo,

humo, & imperfecto, cujus anno M. DC. LX, post restitutum Angliæ Regem Londini typis quædam exempla edita sunt) *Quod libet*, ait, *illi licet respectu hominum, in quos imperium habet, non respectu Dei, quo solo minor est, & quem solum habet Iudicem & ultorem scelerum, quæ est commissurus.* IV. Additur *administrandi civitatem*, ubi tria sunt notanda. 1. Quòd hæc potestas sit universalis, perpetua, & incommunicabilis. 2. Quòd illa sese extendat ad omnes tam Clericos quàm cæteros homines. 3. Quòd subditorum res seu bona summæ potestati subjiciantur. V. Indicatur causa, ob quam hæc summa potestas sit constituta, nempe *ob finem propositum*, salutem scilicet & felicitatem omnium promiscuè civium seu subditorum.

IX. Majestatem istam lege Regiâ à populo Romano in Principem translatam Ulpiano nostro in *l. 1. in pr. ff. de Constit. Princip.* credimus, ibi *cum lege Regia quæ de imperio ejus lata est populus ei & in eum omne suum imperium & potestatem conferat.* Nec illud Ulpianus solùm dixit, sed repetiit Justinianus §. *6. Inst. de I. N. G. & C.* & *l. 1. §. 7. C. de Vet. jur. enucl.* idem Imp. *cùm enim* scribit, *lege antiqua, quæ Regia nuncupabatur, omne jus omnisque potestas populi Romani in Imperatoriam translata sunt potestatem.* & *l. 3. C. de Testam.* vocatur *lex Imperii*, quæ solennibus juris Imperatorem solvit; & in *l. ult. §. pen. C. de Caduc. tollend.* Augustum Privilegium: eamque esse judicant Dd. quæ appellatur lex Augusti in *l. 14. ff. de Manumiss.* Fecit ejus mentionem quoque Dio Cassius *lib. 53.* ubi Augustum legibus solutum commemorat, ὡς αὐτὰ λατῖνα ῥήματα λέγει, ut ipsa Latina verba sonant, quod frustra aliò quàm ad legis alicujus verba refertur. Meminit & Theophilus in paraphrasi, qui vocem νόμυ ῥεγίυ, ut solet in verbis emphasin habentibus, retinuit, & extant hodie Romæ in Capitolio æneæ tabulæ (Bodinus per errorem putat tabulam esse marmoream *lib. 1. c. 8. de Rep.*) incisa verba legis Regiæ, quomodo illa Justus Eccardus (Schookius malè aliquando Paulum appellat) & Curtius Pichena non viderunt solùm, sed & descripserunt, iste quidem in tractatu *de lege Regia*, hic verò *in notis ad lib. 4. Historiarum Taciti n. 3. p. 217. & seq.*

X. Verba illius legis, ut quidem ista tabula eam exhibet, & Curtius Pichena descripsit, ista sunt.

Fœdusve. cum. quibus. volet. facere. liceat. ita. uti. licuit. divo. Aug. Ti. Iulio. Cæſari. Aug. Tiberioque Claudio. Cæſari. Aug. Germanico.

Vtique. ei. Senatum. habere. relationem. facere. remittere. Senatus. conſulta. per. relationem. diſceſſionemque. facere. liceat. ita. uti. licuit. divo. Aug. Ti. Iulio. Cæſari. Aug. Ti. Claudio. Cæſari. Aug. Germanico.

Vtique. cum. ex. voluntate. auctoritateve. juſſu. mandatuve. ejus. præſenteve. eo. Senatus. habebitur. omnium. rerum. jus. perinde. habeatur. ſervetur. ac. ſi. è. lege. Senatus. edictus. eſſet. habereturque.

Vtique. quos. magiſtratum. poteſtatem. imperium. curationemve. cujus. rei. petentes. Senatui. populoque. Romano. commendaverit. quibusve. ſuffragationem. ſuam. dederit. promiſerit. eorum. Comitiis. quibusque. extra. ordinem. ratio. habeatur.

Vtique. ei, fines. pomerij proferre. promovere. cum, ex. Republica. cenſebit. eſſe. liceat. uti. licuit. Ti. Claud. Cæſari. Aug. Germanico.

Vtique. quæcunque. ex uſu. Reipublicæ. majeſtate. divinarum. humanarum. publicarum. privatarumque. rerum. eſſe. cenſebit. ei. agere. facere. jus. poteſtasque. ſit. ita. uti. divo. Aug. Tiberioque. Claudio. Cæſari. Aug. Germanico. fuit.

Vtique. quibus legibus. plebeis. ſcitis. ſcriptum. fuit. ne. divus. Aug. Tiberiusve. Iulius. Cæſar. Aug. Tiberiusque. Claudius. Cæſar. Aug. Germanicus. tenerentur. iis. legibus. plebeisve. ſcitis. Imp. Cæſar. Veſpaſianus. ſolutus. ſit. quæque. ex. quaque. lege. rogatione. divum. Aug. Tiberiumve. Iulium. Cæſarem. Aug. Tiberiumve. Glaudium. Cæſarem. Aug. Germanicum. facere. oportuit. ea. omnia. Imp. Cæſari. Veſpaſiano. Aug. facere. liceat.

Vtique. quæ. ante. hanc. legem. rogatam. acta. geſta. decreta. Imperata. ab. Imperatore. Cæſare. Veſpaſiano. Aug. juſſu. mandatuve. ejus. a. quoque. ſunt. ea perinde. juſta. rataque. ſint. ac. ſi. populi. plebisve. juſſu. acta. eſſent.

Sanctio.

Si. quis. hujusce. legis. ergò. adverſus. leges. rogationes. plebisve. ſcita. Senatusve. conſulta. fecit. fecerit. ſive. quod. eum. ex. lege. rogatione. plebisve. ſcito. Senatusve. conſulto. facere. oportebit. non fecerit. hujus. legis. ergo. id. ei. ne fraudi. eſto. neve. quid. ob. eam. rem. populo. dare. debe-

debeto. neve. cui. de. ea. re. actio. neve. judicatio. esto. neve. quis. de. re. ea. apud. se. agi. sinito.

XI. Non defuerunt quidem jam olim, qui legem illam nullam fuisse existimarent. Inter illos Paurmeist. *lib. 1. de Iurisd. Imp. Rom. c. 5. n. 3.* Ludovicus de Mayerne Turquet *lib. 2. Monarchiæ Aristo Democraticæ p. 43.* Et Marius Salmonius *de Principatu lib. 6. p. 120.* quibus tamen abundè satisfecerunt Viri Antiquitatis periti & Jurispublici Scriptores Lansius *de Lege Regia*, Matthias Stephani, Bacchovius, Limnæus, prolixè integro Tractatu Justus Eccardus. Tentavit tamen nostra ætate denuò aliquid contra Legem Regiam Martinus Schookius *Tractatu de Quadruplici lege Regia*, quo *sect. 3.* evincere nititur, esse eam Triboniani commentum, & cap. XXI. etiam paradoxon defendere conatur, *Nullum Principem ante Iustinianum vel somniasse omne Imperium & Potestatem Senatus Populique Romani in se translatum esse.* Id se conficere ait argumentis & generalibus & specialibus. Generale tamen non nisi unum est, idque satis lepidum. Ait enim insolens non esse falsas inscriptiones pro veris substitui, & Scaligerum scripsisse, quendam Hadriani nummum habere se pro commento Impostorum, & Berneccerum impugnare quandam inscriptionem inventam Emeritæ in Hispania: Sed, an indè colligitur. E. falsa est etiam hæc tabula? Respondeat sibi ipsi Schookius eod. capite p. 158. *Fateor*, ait ibi, *non quidem sequi, aliquæ inscriptiones sunt supposititiæ, ergo ejusdem furfuris haberi debet Fragmentum vulgò pro lege Regia ostentari solitum.* Quale ergo argumentum illud quod ipse nihil probare fatetur? Viderunt Romæ Viri Antiquitatis peritissimi monumentum, ac pro genuino non ipsi habuerunt solùm, sed ut agnosceret quoque, & ex templo S. Johannis Lateranensis in Capitolium transferri curaret, autores fuerunt Gregorio XIII. Pontifici, quæque illi objecit Schookius, ea magnorum in Historia errorum planè convicit Gerhardus Coccejus Academiæ Gröningensis Professor *ad tit. de O. I. & Const. Princ.* Ad Ulpiani verò & Justiniani illa nihil regerit, nisi ea non esse nisi à manu Triboniani, non tamen probat: sicut nec hoc, locum Dionis non de Augusto accipiendum, sed de omnibus loqui Imperatoribus, quod tanto magis pro lege Regia

facit. Denique Dioni, qui Palatinus fuerit, fidem non esse adhibendam, satis ridiculè concludit. Hinc de libello illo Dn. Bœclerus in notis ad Grotium *l. 1. c. 3. p. 234. In tanta*, ait, *luce rerum repertus est mirus legis Regiæ disceptator, qui nec Phrasin veterum Græcam Latinamve intelligens, & rerum scenam, qualis fuit sub priscis Cæsaribus, vanissimis commentis invertens, nuper ludos faceret ad infamiam seculi pertinentes.* Hactenus Bœclerus.

XII. JCti nostri haud malè ad duo præcipua capita reduci posse existimant legem Regiam. Unum faciunt, *Quòd facere possit quæ existimat esse ex usu Reipublicæ*: Alterum: *Quòd legibus ipse sit solutus*: quæ duo ad Regnum propriè dictum, & in principali significatione, requiruntur. Recenset quidem Aristoteles *lib. 3. polit. cap. 10. & 11.* (juxta quasdam editiones sunt cap. 14. & 15.) quinque regnorum species, sed cæteræ illius vocis acceptiones non sunt perinde propriæ ut illa, ὅταν ἦ πάντων κύριος εἷς ὤν. *quando omnium dominus fuerit unus existens*: addit Aristoteles ad instar ejus potestatis quam paterfamilias in procuratione domus suæ gerit. Vid. Piccartum *Commentario in Polit. Arist. lib. 3. cap. 15. & Claud. Salmasium defens. Regiâ cap. 2.* Si Miltono credimus, Regnum Laconicum maximè propriâ significatione Aristoteli Regnum est: sed illam istius sive imperitiam, sive malitiam abundè castigavit incomparabilis Salmasius *in Respons. ad Miltonum ad cap. 2. p. 143. & seqq. aliquot*, ac jam ante eum vindicaverat Aristotelem Jacobus Scallerus *Dissertatione ad quædam Miltoni loca, parte posteriori th. 1. & seqq.* peccatque Miltonus manifestâ compositionis & divisionis fallaciâ. Perinde inepta sunt, quæ eodem loco apud Miltonum leguntur, ubi dubitat, an alicubi gentium aut aliquo tempore παμβασιλεία obtinuerit.

XIII. Regnum verò propriè & absolutè ita dictum, est, *Summum & absolutum unius imperium in communem & publicam subditorum salutem directum.* Dico 1. Quòd sit *imperium unius*: In regno enim ab uno capite omnia dependent, docentque Politici, regnum inter duos vel plures non esse dividendum: Arduum quippe est, ut Tacit. *lib. 4. c. 4. Annal.* ait, *eodem loco potentiam & concordiam stare.* 2. Dicitur, *summum* Imperium, quia in illa rep. Imperio Regis nihil est majus aut supe-

ſuperius, ſed ipſe Rex ſupremâ gaudet poteſtate in omnes ſubditos; quod etiam indicat Ariſt. *lib.3. cap. 11. Polit.* adducto jam antè loco. 3. *Abſolutum* Imperium & legibus non alligatum: Rex enim in ſuo Regno legibus eſt ſolutus, qui ipſe ſubditis præſcribit leges, juxta quas vitam ſuam componere debeant, ut deinceps pluribus oſtendetur. 4. Modus & finis imperii Regii, ut ſic inſtituatur gubernatio publica, quo omnia tendant ad ſalutem ſubditorum. Et hoc illuſtratur exemplo patrisfamilias, uti enim is 1. Rex eſt in ſua domo. 2 Omnia dirigit ad familiæ ſuæ utilitatem. 3. Abſolutè imperat, & pro lubitu ſuo res domeſticas acquirere & alienare poteſt. 4. Quod fieri vel omitti velit præcipit, cum comminatione ſe transgreſſores ſui præcepti puniturum: Ita etiam Rex eſt 1. tanquam paterfamilias in ſuo regno & civitate. 2. Omnia dirigit ad ſalutem & emolumentum ſubditorum. 3. Abſolutè imperat, nec legibus eſt adſtrictus: ſed 4. ſuis ſubditis præſcribit leges cum comminatione vindictæ & ſupplicii, ſi legibus iſtis non ſint obedientes. Vid. Salmaſium *Defenſ. Regiâ cap. 2. & 8.* & Johannem Vorſtium *de ſumma poteſtate civitatem gubernandi, quam unus habet, diſſert. 1.* Alexandram Jrvinum Scotum, *de Iure Regni.*

XIV. Ex jam dictis patet duas dari Regni hujus conditiones. *Prima* conſiſtit in ſumma & ſoluta legibus poteſtate: Populus enim omne ſuum jus & imperium in ipſum contulit: Non datur autem majus imperium in Rep. quàm quod penes populum erat: Quod ſi igitur populus illud imperium ſibi competens conferat in Regem, ſequitur, Regem ſummum & abſolutum imperium conſequi. Dicis, (quo Junius Brutus argumento utitur, qui vero ſuo nomine eſt Hubertus Languetus; Grotius Morneium eſſe putabat in Apologetico contra Rivetum, alii, ſed ineptè, Theod. Bezam,) hoc pacto populus eſſet major Rege, juxta illud, Conſtituens eſt major Conſtituto. Reſp. Quòd Conſtitutio ſit duplex. 1. Eſt conſtitutio in caput alterius, cùm quis alteri Præfectum vel Gubernatorem conſtituit, ut ſi Dux exercitui conſtituat Præfectum, vel Rex in quadem Regni parte Vicarium conſtituat, vel etiam genti devictæ, & in ſuam clientelam receptæ Gubernatorem adjungat: quo modo verum eſt, quod dicitur, Conſtituens eſt major Conſtituto: ratio eſt, quia ibi Conſtitutus induit natu-

naturam ministri. 2. Est constitutio in caput proprium, seu ipsius constituentis, nempe cùm constituens sibi aliquem elegit, cujus imperio & potestati se submittat; quo sensu dictum illud admitti non potest, ita enim Constituens non est major Constituto, sed Constitutus est major Constituente: ratio est, quia Constitutus non ministri sed domini imperantis personam induit. Vid. Hugo Grotius *de J. B. & P. lib. 1. c. 3. n. 8.* & ibi Johannes à Felde *in Annotatis*. Cùm ergo populus Regem constituit, ejus imperio se totum submittit cum effectu obligationis ad obedientiam. 3. Accipit dominium irrevocabile, imperium enim, quod Rex consequitur, est perpetuum, licèt contra jusjurandum agat, vel etiam malè administret imperium; Nam perjurii vindicta soli Deo committenda est: malaque administratio, cùm actus civiles occultam sæpe habeant disceptationem, non est sufficiens & apta causa ad deponendum Regem. Quapropter erronea & falsissima illa doctrina, quâ docetur, regna, quæ à populi concessione ortum habent, esse revocabilia. 4. Accipit Rex imperium universale in omnes suos subditos, nemo enim est in toto territorio quin Regi sit subjectus, quod & indicat ratio nominis, quia Rex accipit summum regimen; Jam summum dicitur, quo nihil par est: Sequitur ergo, omnes qui sunt in regno, Regi subjectos esse. *Secunda* conditio consistit in fine, ut Rex in administratione publica pro fine habeat omnium civium salutem: Regis enim est, non tam suam quàm subditorum utilitatem quærere.

XV. Hæc regni propriè ita dicti conditiones, quales illæ lege Regiâ continentur, si ullibi terrarum sanè in Potentissimo Daniæ Regno hodie obtinent: Postquam enim in Augustissimum & Gloriosissimum Regem FRIDERICUM III. Patriæ Patrem Optimum, Jure Hæreditario ad Posteros omnes totamque Familiam & Domum Regiam pertinente, *vigilias, laborem, prudentiam, Fortissimi Principis diu admiratus Daniæ Populus*, summam & absolutissimam potestatem Monarchicam, soli Deo obnoxiam, nullisque humanis legibus limitatam contulit, omnia Majestatis jura Sacræ suæ Majestati optimo jure competere, tam exteri quàm indigenæ, extra omnem controversiæ aleam positum esse, haud quaquam ambigunt, ita ut

HIC

HIC & AUGUSTI EJUS POSTERI ſolio Regio inſidentes, faxit Deus ſemper & in omne ævum feliciter verè ſint ſummi Principes, qui poſt Deum in terris non agnoſcunt ſuperiorem, quorum libera poteſtas nullo alterius mortalis arbitrio reſtricta, aut vi cogente impedita, ſuſpenſa, aut obnoxia, à quibus pendent omnia, quæ in iſta Republica ſunt & fiunt, ſupra quos, contra quos, & absque quibus in iſto regno nihil geri poteſt. Hinc rectè Academia Hafnienſis in rei illius memoriam de Daniæ populo ſcribit:

Appellat Monarcham
Hoc deeſſe ſuæ felicitati exiſtimans
Vt Romanos imitatus
Omne ſuum Ius Omnemque Poteſtatem
In Hunc ſolum conferret
Et Romanos ſupergreſſus
Inter Tanti Principis Hereditaria Bona
Suam quoque numeraret Patriam.

Extat Illuſtris Academiæ Gratulatio Diarii Europæi *part. 6. p. 3.* & Mercurii Belgici *part. 11. pag. 152.*

XVI. Cùm Lege Regiâ facere Principem poſſe, quæ exiſtimet eſſe ex uſu Reip. dixerimus, conſequentiâ indè colligitur, habere illum poteſtatem leges ferendi, idque non uno loco Juris noſtri aſſeritur. Leges condere ſoli Imperatori conceſſum eſt, & leges interpretari ſolo dignum imperio eſſe oportet, Juſtiniani *l. ult. C. de Legib. & Conſt. Princip.* verba ſunt. Unde patet, ſummum Principem poſſe legem univerſis ac ſingulis civibus dare liberè, ſine neceſſario ullius ſive æqualium ſive ſuperiorum conſenſu: Quia enim poteſtatem legum ferendarum habet, ſuperiorem non agnoſcit, neque poteſt habere æquales, cùm totum jus ferendi leges ſibi vendicet vi ſupremæ poteſtatis. Finis enim Civitatis obtineri nequit, niſi jubere vel prohibere ſummæ poteſtati liceat, quæ vel ad conſtituendam vel moderandam civitatem pertinent. Bene Bodinus *de Rep. lib. 6. c. 8.* in eam rem, *Præcipuum Majeſtatis caput eſto, legem univerſis & ſingulis civibus dare poſſe.* Neque eſt, quòd quis dicat, poſſe inferiores ſtatuta ſeu leges condere *arg. l. 9. ff. de Iuſt. & I.* Illæ enim leges non ſine permiſſu

superioris fiunt, nec ejus potestati quicquam detrahunt. Huc pertinet concessio privilegiorum. Est verò juxta Cic. *de finib.* privilegium, quo per legem de privato latam juri communi derogatur: Juri autem communi nemo derogare potest nisi summus Princeps. Proinde *quæ Princeps alicui ob merita indulsit, vel si quam pœnam irrogavit, vel si cui sine exemplo subvenit, personam non egreditur.* §. *6. Inst. de I. N. G. &c. l. 7. C. de Precib. Imp. offer. l. 31. ff. de pœn.* Referuntur & huc Induciæ quinquennales, quas Princeps concedit, juxta *l. fin. C. qui bonis ced. poss.* Securitas quam tribuit iis qui à fisco per Venditionem aut donationem, vel alium titulum accipiunt rem aliquam, sive experiantur, sive conveniantur §. *fin. Inst. de Vsucap.* quod subdurum videtur, cùm *id quod meum est, sine facto meo ad alium transire nequeat. l. 11. ff. de R. I.* Nec duritiem hanc planè emollire videri possit, quod mox subjicitur. *Adversus autem sacratissimum ærarium usque ad quadriennium, liceat iis intendere, qui pro dominio vel hypotheca earum rerum, quæ alienatæ sunt, putaverint sibi quasdam competere actiones*, cùm potentior iis adversarius hac ratione obtrudatur, adeóque durior litigandi conditio fiat. Verùm utut subdurum videatur, tamen ita lex scripta est *l. 12. ff. qui & à quibus manum.* Soliusque Principis est mitigare legis rigorem *l. 1. & ult. C. de Legib.* uti factum in *l. 32. C. de Adult.* Videsis de Jure isto præ cæteris Arnisæum *tract. de Majest. lib. 2. cap. 3.*

XVII. Secundum Majestatis jus ponitur in *Magistratibus creandis: & judiciis exercendis ac adornandis:* Nam quia Majestas est fons omnis Jurisdictionis, *Feud. 2. c. un. Quæ sint Regal.* unde fluunt dignitates & refluunt, *Bald. in l. un. C. ad. Leg. Iul. de ambit.* certè Magistratus & judiciorum exercitia ab illa trahunt originem. Sic Julius Cæsar, postquam sum̃um sibi in Rep. Rom. acquisierat imperium, Senatum supplevit, Patricios collegit, Magistratuum numerũ ampliavit. Hinc Majestati competit Jus extremæ provocationis, quod ita ei proprium est, ut ab eo avelli sine illius imminutione non possit: Majestas enim consistit in imperio summo, quod in subditos habet, illud autem imperium æstimatur à legibus & jurisdictione, unde qui putant ab inferioribus Magistratibus sibi justitiam vel denegari, vel minùs rectè administrari,

ri, provocare ad supremam curiam possunt, ad impetrandum jus melius. Vid. Arnis. *de Majestate lib. 2. cap. 4.*

XVIII. *Imperium* quoque circa *sacra*, quod accuratiores Philosophi non dubitant, pro parte Juris Nomothetici habere, summæ potestati negari non potest. Sine divinarum enim rerum curatione aliquâ, Respublica salva esse nequit. Quæ autem talia, illorum curatio pertinet ad Reip. Rectorem vel Principem. Non negare possunt autem, etiam abjectissimæ impietatis homines, cultu divino justitiam, qua carere Respublica nequit, præcipuè conservari. Hugo Grotius erudito libro *de Iure summarum potestatum circa sacra cap. 1.* variis argumentis ex sacris literis, ab universitate materiæ, à naturali ratione, ex universitate finis, confessione Philosophorum, consensu gentium & Christianorum, qui primis seculis vivebant, id conficit; adde Lampadium *de Rep. Romano-Germanica p. 1. §. 16. & seqq. ad 30. usque*, & ibi Conringii notas, Nicolaum Vedelium de *Episcopatu Constantini*, Seldenum passim libris *de synedriis veterum Ebræorum.* Nec de ea re temere quisquam ambigit. Major difficultas est, quantum liceat summo Principi circa sacra ordinare: sequor illos, qui existimant de quibus, non est interdictum à Deo aliquid constituere, & necessitatis ac decori ratio postulat, ut aliquid circa ea ordinetur, illa summæ potestatis constitutionibus posse circumscribi, sive pertineant ad bona sacra, sive etiam ad personas sacras Chrysostomus (apud Grotium *dict. cap. 1.*) *in Epist. ad Romanos ad 13. caput. Etiamsi*, ait, *Apostolus sit, etiamsi Evangelista, etiamsi Propheta.* Et Bernhardus in *Epistola ad Archiepiscopum*: *Si omnis, & vestra, quis vos excepit ab universitate?* Suntque hujus sententiæ etiam in Jure nostro argumenta *t. t. C. de SS. Eccles. t. t. de summa Trin. Nov. 58. 131. & 132.* Ad functiones tamen Ecclesiasticas, vel munerum sacerdotalium exercitium, hæc potestas, quâ talis, non est extentenda. Vide Hug. Grot. *de Imperio summarum potestatum circa sacra cap. 2.* De Jure quoque belli & pacis, quòd & illud indubitatò penes supremum Principem sit, præter sæpius laudatum Hugonem Grotium, videre licet succinctè at nervosè differentem Thomam Hobbes tractatu quem inscripsit *le corps politique* Gallicè edito, & diverso ab eo de Cive *part. 2.*

cap. 1. n. 8. Atque ista breviter, ut intelligi possit, quid sit illud, de quo loquitur Ulpianus, *imperium & potestas in Principem translata*: qui prolixiùs explicata videre cupit, adeat Arnisæum & Grasvvinckelium de Juribus hisce, & cæteris, quæ eò pertinent, fusiùs agentes.

XIX. Unum penè oblitus eram, quod dixi, Majestatem legibus esse solutam, non ad omnes, cujuscunque sint generis, pertinere: Cùm enim quædam divinæ, quædam humanæ, harumque aliæ naturales, aliæ positivæ, sive civiles, operæ pretium fuerit paucis dispicere, de quibus & quâ ratione, sive quoad vim directivam regula hæc sit accipienda. De postremis civilibus scil. meris, affirmo regulam simpliciter esse intelligendam, iisque neque quoad vim directivam neque coactivam Principem teneri. Præest enim legibus *arg. l. 9. ff. ad l. Rhod. de jact.* non igitur subest *arg. l. 7. ff. de R. I. &* §. *13. Instit. de Excus. Tut. & Curat.* Et cùm Majestas in summa potestate consistat, sequitur, ut ipsa sit legibus soluta. Quis enim Principem legibus civilibus potest constringere, qui potestatem ferendi leges habet? Et si legibus teneretur, dicendum foret, id de suis aut aliorum Principum legibus; non de suis, quia nemo quisquam sibi imperare potest, *l. pen. ff. de Recept. qui arb. recep.* nec de aliorum, quia par in parem non habet imperium *l. 13.* §. *4. ff. ad SC. Trebell.* Quod tamen intelligendum est de eo Principe, qui privilegium Augusti habet, & summam absolutamque potestatem. Nam ubi Princeps certis legibus obstrictus est, res aliter se habet. Ubi & hoc notandum, quòd summi Principis Majestatis vis non imminuatur, etiam si ille subditis suis juret, se justè imperaturum, & contra data privilegia nihil facturum, cùm hoc videatur è pacto saltem proficisci, ut Populus de Principis voluntate eò minùs dubitet. Bodin. *l. 1. c. 8. de Rep.* refert de Gallorum Rege, quòd jurare teneatur in hunc modum: Juro per Deum Omnipotentem, & promitto, me justè regnaturum, æquitatem & misericordiam facturum. add. Grotium *de I. B. & P. lib. 1. cap. 3. th.* ibique Commentatores.

XX. Naturæ verò ac divinis legibus non æquè Princeps est solutus ac civilibus: Populus enim Principem legibus solvit: Ast nemo plus juris in alium transferre potest, quàm ipse habet. *l. 54. ff. de R. J.* Jus autem

tem naturæ non fuit in potestate populi: Ergo nec eo Principem solvere potuit. Idemque asserimus de Jure divino, statuentes, quoad vim coactivam humanam, Principem quidem iis æquè ac civilibus esse solutum, cùm non habeat superiorem in his terris, à quo puniatur, neque possit quisquam judicare eum, qui summam habet judicandi potestatem, nec alterius judicio est subjectus: Quapropter & Rex David cædis simul & adulterii reus, in solum Deum se peccasse enunciat. *Psalm.* 51. Ast quoad vim directivam, cùm jus divinum & naturale omnibus omnino hominibus sint posita actionum regula, norma, & directrix, eum hisce teneri indubitatò inferre licet.

XXI. Hinc etiam sequitur, Principem nemini posse suum auferre *l. 4.* C. *de Emanc. lib. arg. l. ult. in pr. ff. de Natal. restit. l. 2. §. 16. Ne quid in loco publ.* Bodin. *de Rep. lib. 1. c. 8.* Ab hoc excipiunt Interpp. nisi justam auferendi causam Princeps habeat, pretiumque rei solvere paratus sit. *l. 13. §. 1. ff. commun. præd. l. 2. C. pro quib. caus. serv. pro præm. libert. accip.* quo casu jure supereminentis dominii id ipsi licere volunt: de quo vid. Bœcler. *disput. peculiari*, & nuper Hornium *in Politicis capite integro.*

XXII. Conventionibus quoque tam privatis quàm publicis, inter quas & sunt fœdera cum vicinis inita, Princeps est obligatus. Bodinus *de Rep. citato c. 8.* Nec simpliciter probandum dictum cujusdam Electoris dicere soliti. In omnibus fœderibus seu inter confœderatos illos esse loco & conditione deteriore, qui fœdera servarent, licèt enim per accidens fiat interdum, ut illi qui sanctissimè & religiosissimè fœdera colunt, & servant, maximè decipiantur, pereant, & jacturam gravissimam faciant, tamen per se talis effectus ex fœderum observatione non oritur.

XXIII. Quæ sequuntur apud Ulpianum: *Quodcunque igitur Imperator per Epistolam & subscriptionem statuit, vel cognoscens decrevit, vel de plano interlocutus est, &c.* innuunt Majestati quoque competere summam tam in causis civilibus quàm criminalibus jus dicendi potestatem. Nec ipsos Imperatores tæduit, eam in civilibus præsertim causis pro tribunali exercere. *arg. l. 26. ff. de Prob. l. ult. in pr. C. de Ll. l. 3. ff. de His quæ in test. del.* & Sueton. *in August. c. 33. Ipse dixit jus assiduè, & in noctem nonnunquam.*

XXIV. Defertur autem & tribuitur aliquando potestas jus dicendi aliis, veluti Magistratibus, ac tum præcipuè & propriè vocatur Jurisdictio: quam vocem Romani plerumque pro potestate de civilibus & pecuniariis causis jus reddendi usurparunt, & cognitioni criminum opposuerunt. *l.3.ff. de Iurisd.* Unde jus dicens, pro Prætore aut Magistratu, qui de causis civilibus jus dicens, sumitur §. *1. Inst. de Oblig.* §. *3. J. de Act.* Hinc licèt mandatâ à Proconsule legato jurisdictione, officium ad eum totum jurisdicundi transeat. *l. 1.* §. 4. *ff. de susp. tut.* non tamen transit merum imperium. *l. 6. &. 11. ff. de off. Procons.* Cæterùm si ex vi & proprietate vocis rem definiamus, meritò jus animadvertendi in facinorosos jurisdictio criminalis appellari potest. *arg. l. 2.* §. *23. ff. de O. J. l. 1. in pr. de Off. ejus cui mand.*

XXV. Jurisdictio igitur hoc sensu alia est criminalis, alia civilis: *Omnia judicia*, ait, Orator in *Orat. pro Cæcinn. aut distrahendorum judiciorum aut maleficiorum puniendorum causa reperta sunt.* Jurisdictio criminalis est merum imperium, quod Germani vocant Halsgericht/ & describitur potestas gladii aut alterius gravioris coercitionis animadvertendi in facinorosos homines, *l. 3. ff. de Jurisd. l. 6.* §. *pr. ff. de Off. præsid. l. 6. de Off. procons. l. 8.* §. *1. ff. de pæn. l. 70. ff. de R. J.* Dicitur *merum* non quia liberum, & in arbitrio jus dicentis residet, quam potissimum irroget, ut voluit Alciat. *l. 215. ff. de V. S.* Sed quia purum per se, nec permixtum jurisdictioni civili, quæ mixto imperio inest *d. l. 3. ff. de Iurisd.* Unde controversia exoritur, An merum imperium in sola executione consistat? Ajunt multi, cognitionem à mero imperio omnino separatam, esse, quos sequitur Treutl. *vol. 1. disp. 3. th. 3. lit. c.* Pessimè, sic enim solus carnifex mero imperio gauderet: & cognitionem & judicationem sub mero imperio contineri evidenter probatur ex *l. 6. in pr. ff. de Off. procons. & l. un. C. eod. l. 1. ff. de off. ejus cui mand. est jurisd.* Paurm. *1. de Iurisd. c. 11. n. 1.* Bachov. *in Comment. ad h. t. c. de mer. imp. n. 2.* Fransk. *ad h. t. n. 54. & 55.*

XXVI. Proprium & Princeps objectum meri imperii est homo facinorosus, licèt interdum quoque in animal brutum ad abolendam rei memoriam extendatur, si sit delictum hominis annexum, ut si mulier corpus suum miscuerit cum bestia, *Levit 20. 16.* Si bos cornu feriерit

rit hominem ut moriatur, lapidibus obruitur. *Exod. 21. 28.* Animadtitur quoque nonnunquam propter exemplum in corpus exanime seu cadaver, ut illud non sepeliatur, nisi fuerit petitum & permissum, *l. 1. ff. de Cadav. punit. l. 20. ff. de Accus.* Ast, si accusatio criminis non sit inchoata vivo delinquente, extinguitur morte *l. 6. ff. de Pub. jud. l. ult. C. si reus vel accus.* Cadavera quoque ad anatomiam concedi solent Medicis, qui λείψανα hominis non sine funerali processu alicubi sepeliunt: Imò in Academia Leydensi Professoribus Medicinæ petentibus tempore hyemali dari debent. Ordinat. Halland. *placit. 18. 1593.*

XXVII. Meri imperii gradus Bartolus sex facit: Sed si examinentur, non omnes huc pertinent; nam potestas legum ferendarum, quam primo loco collocavit, non est meri imperii, sed annumeratur Regalibus majoribus, quæ Principi in signum eminentiæ reservantur *l. ult. C. de LL.* mutilatio membri pœna capitalis non est, & morti totius compositi mutilatio membri opponitur *Nov. 134. c. 13.* Matth. *de Crimin. ad tit. de Pœn. n. 12.* Suth. *dissert. de Iurisd. aphor. 397.* Modica coercitio & mulctæ dictio per se ad mixtum imperium pertinent. *l. ult. §. 1. ff. de Off. ejus mand.* Concinniùs alii tres constituunt gradus meri imperii, atque ad primum referunt pœnas, quibus mors naturalis vel ultimum supplicium irrogatur. Ad 2. quæ vitam civilem adimunt, eamque vel libertatem, ut est damnatio in metallum, vel opus metalli *l. 8. & 17. in pr. ff. de Pœn.* vel solam civitatem, ut interdictio aquæ & ignis, in cujus locum successit deportatio *l. 2. §. 1. ff. de Pœn. l. 3. ff. ad l. Iul. pecul. l. 5. § fin. ff. de Extraord. cognit.* quod ex lege Augusti originem traxisse verisimile est, qui attestante Dione *lib. 56.* primus constituit, μηδένα πυρὸς καὶ ὕδατος εἰρχθέντα ἐν ἠπείρῳ διατρίβειν vid. Bachov. *in Not. ad Treutl. vol. 2. Disp. 31. th. 4. l. c.* Ad 3. Coercitiones leviores, ut est relegatio, membri mutilatio, fustigatio, *l. 7. ff. de Pœn.* Disputari etiam solet, An condemnatio ad perpetuos carceres ad merum imperium pertineat: sed disputatio est otiosa Jure Civ. quo carcer diligentioris custodiæ causa recipitur *l. 6. §. 7. ff. de injust. rupt.* nec ad puniendos sed continendos homines habetur *l. 8. §. 9. ff. de pœn.* Et condemnatio ad perpetuos carceres prohibetur *l. 35. ff. & l. 6. C. eod.* Aliud receptum est Jure Can. *c. 12. de Hæret. c. 3. de Pœn. in 6.* quod sequuntur mores hodierni.

erni. Gudelin. *6. de Iur. Noviſſ. c. 16. v. reliquæ.* Zypræus *ad tit. de cuſtod. reorum.* A. Matthæi *ad d. tit. de pœn. n. 13.* Vinn. *in tr. de Iurisdict. c. 1. n. 6.*

XXVIII. Merum imperium competit ei, cui nominatim id conceſſit lex, vel SCtum, vel Princeps *l. 1. in pr. & §. 1. ff. de Off. ejus cui mand.* Exerceturque non tantùm in loco delicti & domicilii, ſed etiam ubicunque reus criminis repertus fuerit, ut fruſtra exceptionem fori opponat *l. 1. C. Ubi de crimin.* ibique Vultej. *l. 3. ff. de Off. præſid.* quod ideo legibus ſancitum, ne crimina maneant impunita; imò ſi quis reus graviorum criminum latuerit, quæ enumerantur *Nov. 134. cap. 4.* & *reus reliquerit provinciam illam, in qua crimina deliquit, ſi cognoſcatur quòd in alia provincia degit; jubemus provinciæ illius Iudicem, in qua peccati quid hujusmodi contigerit, epiſtolâ publicâ uti ad provinciæ illius Iudicem in qua delinquens perſona degit, ſi verò Iudex aut aliquis officii ejus, propter lucrum hujusmodi perſonam non comprehendat, aut prehendens non transmittat, & hoc agens convincatur, ſpoliatus cingulo exilio tradatur.* quæ verba Juſtiniani ſunt *Nov. 134. c. 5.* unde Doctores noſtri, jam iſta ætate cognitas fuiſſe literas, quæ hodie vocantur **Steckbrieffe** / colligunt, quarum uſus receptus eſt hodie ubique terrarum. Vid. Carpzov. *Practic. Criminal. p. 3. quæſt. 112. n. 34.* Wehner. *in lib. ſervat. pract. voce* **Steckbrieffe.** Autorem **des peinlichen** inquiſitions **Proceßes** *tit. 15. p. 230.* ibi: **Wann über allen angewandten Fleiß durch Steckbrieffe und ſonſten nicht zur hafft bracht werden mag/** & *tit. 2. artic. 3. 38.* **Wann der** delinquent **außgetreten und in flüchten/ alſo daß er weder durch Steckbrieff** &c. Bruneman *de inquiſitionis proceſſu c. 8. memb. n. 11.* Quod ſi ergo Magiſtratus loci ubi delictum perpetratum eſt ſub ἀντιγράφῳ per literas reverſales reum ad ſe remitti petat, ut petitioni deferatur, non ſolùm urbanitatis & honeſtatis eſt, ut multi volunt, ſed Jure Civili etiam neceſſitatis *l. 3. §. fin. ff. de Accuſ. Nov. 134. Auth. qua in provincia C. ubi de Crimin.* Bacchov. *in not. ad Treutl. vol. 1. diſp. 3. th. 8. lit. f.* In praxi tamen hæ remiſſiones ſunt urbanitatis, non neceſſitatis, juxta vulgatum, ubi te invenio, ibi te judicio. Andr. Gail. *de Pac. publ. c. 16. n. 30. & ſeqq.*

& seqq. Rittershuſ. *in exposit. Nov. p. q. c. 10. n. 67.* Weſenb. *in Parat. ad tit. de Accuſat. n. 8.* Gudelin. *4. de jur. noviſſ. c. 2.*

XXIX. Merum imperiũ ab iis, quibus ſpecialiter conceſſum eſt, mandari nequit, niſi in judicio publico de vi ex cauſa abſentiæ juſtæ & neceſſariæ *l. 1. ff. de Off. ejus cui mand.* Moribus hodiernis poteſtatem gladii eſſe partem ordinariæ jurisdictionis, & per vicarios exerceri, adeóque mandari poſſe, ſententia eſt Gudelini 5. *de. Iure noviſſ. c. 13. in fin.* Weſemb. *in par. ff. ad h. t. n. 11.* quod notius eſſe quàm ut probatione indigeat, aſſerit Paurmeiſter *1. de Iurisdict. c. 24. n. 22.* Id tamen in controverſiam, nec contemnendis argumendis trahitur, imò negatur, à Bacchov. *in Not. ad Treutl. diſp. 23. th. 1. lit. c. & in Comment. ad h. t. c. de mer. imp. n. 4. & 5.* Frantzkio *ad tit. de Iurisd. n. 56. & seqq.* Vinnio *de Iurisd. cap. 3. n. 7.*

XXX. Jurisdictio civilis ordinaria, voce iſtâ auguſtiùs acceptâ eſt *poteſtas de cauſis civilibus ac privatis cognoſcendi, judicandi & judicati exequendi jure Magiſtratus competens arg. d. l. 1. de Off. ejus cui. l. 215. de v. ſ.* hoc eſt, in quantum ſeu quatenus eſt Magiſtratus, ut inhæreat hæc jurisdictio Magiſtratui, & ne quidem minores magiſtratus ſine jurisdictione inveniantur; quod explicat Georg. Fransk. *in Comment. Pand. ad h. t. n. 24. & 25.*

XXXI. Jurisdictio alia eſt propria *quæ ſuo jure competit*, alia non propria quæ *alieno beneficio exercetur l. 5. & 6. ff. de Iurisdict.* Propria, quam exercet Magiſtratus ſuo jure *l. 1. in pr. ff. de Off. ejus cui. l. 5. ff. h. t.* Non propria eſt vel *Mandata vel Prorogata.* Mandata, quando à Magiſtratu Exercitium jurisdictionis tertio commiſſum eſt, ut partibus ejus fungatur *d. l. 5.* Mandatarius igitur Jurisdictionis Magiſtratus non eſt, ſed ejus vicarius, quod ſolidè oſtendit *Vultej. 1. de Iudic. c. 4. n. 33. & seqq.* attamen non tantùm de cauſa cognoſcit, & pronunciat, verùm etiam judicatum exequitur *l. 1. §. fin. & l. ult. ff. de Off. ejus cui* Bacchov. *in Comment. Pand. ad h. t. C. de mand. Iurisdict. n. 5.* Canoniſtæ nonnulli & Pragmatici pro propria & mandata ſubſtituerunt jurisdictionem ordinariam & delegatam ad *tit. Extra de Off. deleg. & de Off. Ordin.* Minùs rectè: vid. Paurmeiſt. *l. 1. de Iurisdict. cap. 10. n. 17.* Hilligerum *ad Donellum lib. 17. cap. 8. lit. A. & M.* & Frantzkium *ad hunc tit. n. 39.*

XXXII. Jurisdictio interdum extenditur & ampliatur ad personas, res sive causas, in quas, & de quibus, Jurisdictio aliàs non competit, atque tunc dicitur prorogari, *l. 2. §. 2. ff. de Iudic.* Quamvis enim privati jurisdictionem novam conferre non possint *l. 3. C. de Iurisdict.* rectè tamen se subjiciunt magistratui, cujus jurisdictioni subjecti non erant *l. 18. ff. de Iurisdict.* vide Cail. *1. Obs. 40. n. 2. & seqq.* Prorogandi modos Dd. commenti sunt quatuor, de *loco ad locum*, de *tempore ad tempus*, de *causa ad causam*, de *persona ad personam.* Maranth. *de Ord. jud. p. 4. dist. 12. n. 3.* Rosbach. *1. de Processs. jud. tit. 2. n. 36.* Malè: accuratè id ostendente Vinnio in *tr. de Iurisd.* Quippe quoad primam speciem, si per eam hoc intelligatur, quòd vi prorogationis etiam extra territorium jurisdicundi potestas acquiratur, id Neg. per *l. ff. de Off. Præsid. l. ult. de Off. præf. urb. l. ult. ff. de Iurisd.* è quibus patet magistratus omnes extra fines sui territorii privatos esse: privato autem, ut modò dictum, tribui jurisdictio consensu litigantium non potest, *l. 1. ff. de Iud. l. 3. C. de Iurisd.* Ad hæc jurisdictio ex consensu partium semel prorogata etiam in invitos exercetur, id quod in alieno territorio fieri non posse liquidò constat: nullus enim judex sibi jurisdictionem adimet, alterique tribuet. Nec repugnat *c. 11. §. in nullo. de Rescript. in 6.* cùm illic sermo sit de delegato Pontificis, quem tanquam delegatum Principis etiam alibi jus dicere posse, in aprico est. Non magis admittendum, si intelligatur posse ita jurisdictionem judicis prorogari, ut quolibet loco in suo territorio jus dicat; quæ enim causæ cognitionem & decretum desiderant, ea omnia pro tribunali expedire oportet, atque in eo loco ubi salvâ publicâ Majestate, servatoque more majorum jus reddi solet *l. pen. ff. de Iust. & I. l. 4. C. de Dilat*, quæ res privatorum pactis mutari non potest, *l. 27. ff. de R. I.* neque effici ut quod alibi judicatum decretumve est authoritatem judicati habeat *arg. l. 4. C. Quomod. & quand. jud.* Quoad *alteram* speciem de tempore ad tempus, nec illam veteribus cognitam fuisse credimus. Textum *l. 2. ff. de Iudic.* quod attinet, loquitur ille de prorogango tempore, intra quod judex datus, qui nudam duntaxat notionem habet, non jurisdictionem *l. 5. ff. de Re. jud.* jussus est litem sibi commissam dirimere; cùm autem tempus hoc favore litigan-

gantium intelligatur adjectum, rationis eſt, ut eorundem expreſſo conſenſu etiam prorogari poſſit, utique ſi & ipſe judex ad tempus datus conſentiat, utrumque enim in hac ſpecie prorogationis deſideratur *d. l. 2. §. 2.* ne videlicet & ipſe judex ſine conſenſu ſuo à privatis oneretur munere judicandi. Ex quibus perſpicuum eſt, neque prorogationis de tempore ad tempus ullum uſum eſſe; extra ſpeciem quæ *d. l. 2. §. 2.* proponitur, quæ propriè eò non pertinet. *Tertiam* de cauſa ad cauſam veteribus notam fuiſſe patet ex *l. 74. §. 1. ff. de Iud. l. 28. ad Muncip.* Verùm cum grano ſalis hæc accipienda, neceſſe enim eſt ut cauſæ ſint ejuſdem naturæ, nec genere ſummo tantùm conveniant: Sic qui civilibus duntaxat præeſt, is ex prorogatione de criminalibus cognoſcere non poteſt *l. 1. C. ubi cauſ. fiſcal.* neque qui criminalibus tantùm, vi prorogationis de re pecuniaria jus dicere *l. 61 ff. de Iudic.* Sed nec ejus, cui certarum cauſarum criminalium cognitio conceſſa eſt, audientia ad alias cauſas, licèt ejuſdem generis prorogari poteſt §. *1. I. de Fideic. hæred.* quoniam in cauſis, quæ aliis exercendæ mandari non poſſunt, nec locus eſſe poteſt prorogationi.

XXXIII. Supereſt *quarta* ſpecies prorogationis communiſſima de perſona ad perſonam, eaque eſt vel expreſſa vel tacita: Expreſſa inducitur ex conſenſu litigantium expreſſo ut nonnulli putant cum Coraſio *lib. 4. Miſcell. cap. 5.* ſolâ judicis aditione, etiamſi lis nec dum conteſtata ſit, aliis præterea requirentibus ut, Judex in quem partes conſenſerunt, ſit aditus. Cujac. *in explic. l. 18. ff. de Iurisd. ad Africanum.* Moribus tamen paſſim receptis à placito ſemel prorogatæ juriſdictionis reſilire non licet, teſte Lamb. Goris *in Adverſ. tract. 4. §. 2.* Cæterùm in multis locis Praxis recepit non aliter eum qui ſe ſubmiſit alterius juriſdictioni poſſe conveniri, quàm ſi ibi inveniatur, & citatio ipſi inſinuata fuerit. Sand. *1. deciſ. tit. def. 3.* Tacita prorogatio fit per litis conteſtationem *l. 4. C. h. t.* præſcriptio fori inter exordia litis omiſſa, pòſt fruſtra opponitur. *l. pen. & ult. C. de Except.* Hic Dd. communiter exordia litis ſumunt pro ingreſſu litis, ut ſi alia exceptio dilatoria primò objecta fuerit, præſcriptio fori amplius opponi non poſſit, adeóque exceptionem fori declinatoriam in objectione dilatoriarum primum locum obtinere contendunt, ne aliàs in

judicem consensum, ejusque jurisdictio etiam ante litem contestatam prorogata videatur. Marant. de *ord. Iud. p. 4. dist. 12. num. 6.* Gail. 1. *Obs. 33. n. 11.* Sunt qui ad hanc referunt illam prorogationem quæ fit Autoritate legis per actionem contra aliquem institutam; Hic enim tenetur excipere Reconventionem coram eodem judice contra se motam, ut lites tantò citiùs terminentur, ac ut, cujus in agendo actor observat arbitrium, eum habere & contra se judicem in eodem negotio non dedignetur *l. 14. & Auth. consequenter C. de sent. & interloc. omn. jud. Nov. 96. c. 2.* alii & plerique vocant legalem & necessariam.

XXXIV. Jurisdictionis autem vocabulum, quando illa in contentiosam & voluntariam dividi solet, latiùs est accipiendum, uti *in l. 2. C. de off. ejus qui vic. alic. jud. §. 4. Inst. de Attil. tut.* Et quamvis terminus jurisdictionis Voluntariæ in nullo alio juris nostri textu reperiatur, sufficit tamen ad hanc jurisdictionem probandam hoc unicum Marciani JCti Responsum Imperatoriâ autoritate confirmatum. Vocabulum levissimæ culpæ etiam tantùm in unico juris textu reperitur, nimirum in *l. 44. ff. ad. L. Aquil.* quis autem propterea dubitaverit levissimam dari culpam? Est autem contentiosa quæ exercetur in invitos *l. 83. ff. de V. O.* Suthold. *dissert. de jurisd. aphor.* 328. & quâ jus redditur invicem contradicentibus & invitis. Vult. *de jud. lib. 3. cap. 1. n. 1. & seqq.* quæque regulariter in jure nostro vocabulo jurisdictionis simpliciter posito denotatur *l. 4. de Off. Procons. junct. l. 2 pr. eod. l. 3. in fin. l. fin. & tot. tit. ff. de jurisd.* Vultej. *tr. de jurisd. ad l. 1. C. de jurisd. omn. jud. n. 2.* Voluntaria est, quæ expeditur inter volentes citra disceptationem & telam judiciorum, quâ hodie restringuntur legis actiones: *dd. ll. 2. & 3. ff. de Off. Procons. l. 4. ff. de Adopt. l. 1. C. eod. l. 1. C. de Emancip. lib.* nam quatenus olim ex legibus 12 tabul. legis actiones compositæ fuerunt, quibus homines inter se disceptarent juxta *l. 2. §. 6. ff. de O. I.* referendæ sunt ad jurisdictionem contentiosam.

XXXV. Voluntariam jurisdictionem Dd. distinguunt in duas species, quarum una exercetur sine causæ cognitione, altera cum causæ cognitione. Illa Magistratus nihil aliud facit, quàm ut inquirat,

rat, an partibus ita placuerit, & quæ sit illarum voluntas? quo audito & cognito illud approbat, eidemque suam authoritatem addit; atque sic quod jure ita facere liceat, jus reddit seu dicit, quod jus est. Id quod hoc regulariter obtinet in adoptionibus emancipationibus & manumissionibus, in quibus satis est, ut copiam sui præbeat Magistratus & quasi autoritatem præstet atque accommodet, ac apud se illa fieri patiatur, citra causæ cognitionem & decretum *l. 2. ff. de Adopt. l. fin. C. de Emancip.* §. *6. Inst. quib. mod. jus patr. potest solv.* Altera species prævia causæ cognitione, & interdum etiam interveniente decreto exercetur, ut in arrogatione præsertim impuberis. *l. 2. C. de Adopt. l. 15.* §. *2. l. 17. & seq. ff. de Adopt.* quæ licèt olim tantùm Principis autoritate fiebat; hodie tamen coram Magistratu rectè perficitur, Georg Schultz *in synops. Inst. tit. de Adopt. lit. a.* Item in manumissione à minore 20. annis facta § *4. Inst. qui ex quib. manum. non poss. l. un.* §. *1. ff. de off. Consul.* In emancipatione filii arrogati impub. §. *3. Inst. de Adopt.*

XXXVI. Dictam distinctionem improbat Suthold. *dissert. de Jurisd. aph. 331.* existimans ea, quæ ad posterius genus referuntur, non esse propriè jurisdictionis, & nusquam illis nomen Legis Actionis tribui. Alii inter contentiosam & voluntariam jurisdictionem expressè hanc constituunt differentiam, quòd illa requirat causæ cognitionem, hæc verò nullam. Bald. *in l. 3. in 1. lect. ff. de Adopt, in 3. quæst. num. 9. vers. quia in insinuatione.* Carpzov. *lib. 4. respons. 31. num. 22. ubi generaliter* scribit: *Contentiosæ verò sunt jurisdictionis, quæ causæ cognitionem requirunt.* Verùm causæ cognitionem naturæ jurisdictionis voluntariæ non contrariam esse, ipsemet Carpzov. concedit, & Baldi sententiam rejicit in noviss. suo tractatu *de process. tit. 2. art. 1.* § *3. n. 31.* ubi scribit: *At nec hæc differentia sua constat vigore, cùm nec actus voluntariæ jurisdictionis expertes penitus sit cognitionis.* Nam generaliter & indistinctè adoptio, emancipatio, & manumissio, quæ fit vindictâ, inter actus voluntariæ jurisdictionis numerantur *l. 2. ff. de Off. procons.* Quòd autem etiam in hisce interdum causæ cognitio sit necessaria, in præced. thesi ex §. *3. Inst. de Adopt.* & §. *4. Inst. qui & ex quib. caus. manum.* & aliis juris textibus osten-

stendimus. Licèt enim in hisce & similibus intercedat aliqua causæ cognitio, an scilicet id, quod partes petunt, juri conveniat, & partibus expediat, &c. quia tamen inter partes nulla est contentio & contractio, sed hisce quoque in casibus volentibus & consentientibus jus redditur. *l. 8. pr. ibid. & inter consentientes arbitrari. ff. de Transact.* proinde meritò & rectissimè hæc quoque jurisdictio, quâ dicta negotia expediuntur, Voluntaria dicitur. Cùm ipsa Sutholdi definitio, quam *d. dissert aph. 328.* tradit, nimirum, quòd *voluntaria jurisdictio* sit *quæ redditur inter volentes tantùm*, huic quoque speciei competat. Cui autem competit definitio, ei etiam competit definitum.

XXXVII. Nec dictis adversatur, quòd exempla secundæ speciei non sint propriè jurisdictionis. Etenim suprà dictum est in hac jurisdictionis divisione in Voluntariam & Contentiosam, Vocabulum jurisdictionis non strictè accipi, ita ut illam tantùm denotet, quæ jure Magistratus competit; sed latè, ut etiam ea contineat, quæ ex speciali legis concessione veniunt. Unde non est consequens, quæcunque non sunt jurisdictionis strictè ita dictæ, & jure Magistratus competentia, illa non pertinent ad Voluntariam jurisdictionem. Huic propositioni si aliqua vis inesset, nec manumissio, nec adoptio, & emancipatio, ad jurisdictionem Voluntariam pertinerent: quas tamen ipse Suthold. indistinctè ad Voluntariam jurisdictionem refert *d. dissert. aph. 330.* Cùm docente ipso Sutholdo, etiam hæ actiones non omnibus Magistratibus jure Magistratus, sed quibusdam ex speciali legis concessione competant, *d. dissert. aph. 132.* ac per consequens non semper sint jurisdictionis in specie sic dictæ *arg. l. 6. §. 2. ff. de Tutel.* Suth. *d. diss. aph. 124. 125. 126.* Denique non obstat, quòd exemplis secundæ speciei nomen legis actionis non tribuatur: Etenim nec emancipatio, adoptio, vel manumissio, in jure Legis Actiones expresse appellantur, sed ipsa Jurisdictio Voluntaria Magistratibus data & concessa Legis Actio vocatur *in l. 1. ff. de Off. jurid. l. 4. ff. de Adopt. l. 1. C. eod. l. 2 §. 3. de Off. Procons.*

XXXVIII. Cùm verò nostris moribus Jurisdictio voluntaria non minùs ac contentiosa civilis, jure Magistratus competat, nulli dubitamus, quin hodie illa omnibus municipalibus Magistratibus competat,

petat, etiamsi inferiorem & bassam tantùm habeant jurisdictionem: Vid. Carpzov. *part. 3. Constit. 3. defin. 13. num. 5. & defin. 21. num. 10. & seqq.* Non tamen omnibus omninò quibus aliqua jurisdictionis contentiosæ species competit, statim plena concedenda erit legis actio, sive voluntaria jurisdictio. Etenim licèt approbata opificum Collegia, puta fabrorum, sutorum, pistorum, &c. multis in locis aliquam jurisdictionis speciem habeant. Vultejus in *l. ult. C. de Iurisd. num. 18. & 20.* Carpz. *p. 2. Constit. 6. def. 9. num. 6.* attamen adoptio, emancipatio, testamentorum & donationum insinuatio, ac similes voluntariæ jurisdictionis actus, coram illis fieri non possunt. Illorum enim Jurisdictio ad causas, quæ ipsa collegia & artem ac professionem illorum concernunt, est restricta & limitata, nec ad alias causas extendenda. Vultej. *d. loco num. 19. 26.*

XXXIX. A jurisdictione non distingui mixtum Imperium, asseruit Cujac. 21. *Observ. c. 30.* malè. Nam si mixto Imperio inest jurisdictio *l. 3. ff. de I. dict.* si illi cohæret *l. 1. ff. de Off. ejus cui.* si mandatâ jurisdictione privato Mandatum quoque videtur imperium, quod non est merum *l. fin. §. 1. ff. eod.* si quædam sunt nec jurisdictionis nec mixti imperii *l. 6. §. 2. ff. de Tutel.* facilè inducitur distinctum esse mixtum imperium à simplici jurisdictione; Differentia autem consistit in eo, quòd jurisdictio exerceatur sine modica coërcitione *l. 3. C. de Edict. D. Hadr. toll.* sed mixtum imperium sit modica coërcitio: sine qua jurisdictio sæpe nulla est *d. l. ult. ff. de Officio ejus*, h. e. talis coërcitio quæ jurisdictioni defendendæ, expediendæ, explicandæ, exequendæ, deservit, quomodo conceditur quibuscunque Magistratibus, exceptis Duum Viris jurisdictionem suam defendere judicio pœnali *l. un. ff. si quis jus dic. non obtemp. vid. Matth. Steph. 1. de Iurisdict. c. 6. n. 57. & seqq.* tot igitur sunt exempla mixti imperii, quot modi coërcendi in judiciis civilibus, & privatis, veluti mulctæ dictio, pignoris captio, corporis prehensio *l. 9. §. fin. ff. ad l. Iul. pec.* missio in bon. possessionem ejus, qui non obtemperavit jus dicenti *l. 4. §. 2. ff. Damn. inf.* manus militaris *68. ff. de R. V. l. pr. ff. Ne vis fiat ei qui in possess. missus*, & similia, quæ enumerat Suth. *de Iurisd. aph. 323.*

XL. Conferebatur Jurisdictio stante Rep. à populo, sed translato in

in Principes imperio, à solo Principe in quo statuitur origo omnium jurisdictionum, omnes enim ex eo fluere dicuntur, omniumque Magistratuum creatio ad Principem pertinet. Hinc Modestinus Jurisconsultus, *ad curam Principis*, inquit, *pertinet Magistratuum creatio non ad populi favorem l. un. pr. ff. ad L. Iul. de Ambitu.* Atque ita Princeps jurisdictionem propriam, quam ipse non habuit, transfert in alium, ad exemplum Domini plenæ proprietatis, qui licèt usumfructum formalem non habeat, cedere tamen eundem potest *l. 63. ff. de Vsufr.* Ille autem penes quem est Majestas constituit Magistratus, & illis jurisdictionem concedit, non tantùm per se & immediatè, sed interdum aliis quoque hoc jus Magistratus constituendi & jurisdictionem concedendi communicat. Sic hodie in nostro Imperio postquam Principes, Comites & alii Imperii Status jurisdictionem perpetuam propriam & in hæredes transmissibilem, unâ cum jure territoriali & annexis Regalibus acceperunt, ipsi quoque in suis provinciis Magistratus creant, iisque jurisdictionem omnem concedunt, Reinking. *de R. S. & E. lib. 1. Class. 5. c. 4. num. 104. & seqq.*

XLI. Conceditur autem jure Justinianeo potestas jus dicendi & reddendi Magistratibus duplici modo: primo in genere, & eo ipso dum Magistratus creantur, ex ordinaria illius officii natura, cui, vel ex prima constitutione, vel majorum more hæc vel illa jurisdictionis species cohæret; sine alia speciali concessione; Hillig. *in Donell. Enucl. lib. 17. c. 8. lit. O.* Nemo enim, uti thesi 30. diximus, potest esse Magistratus, qui non habeat aliquam jurisdictionis speciem. Scipio Gentil. *lib. 2. de Iurisd. cap. 1.* Ad hoc siquidem constituti sunt Magistratus, ut populo jus reddant. *l. 2. §. 13. ff. de O. I.* Vinnius *in Iurisprudentia contracta lib. 3. cap. 4. lit. e.* Unde etiam hæc jure Magistratus competere dicitur, ac in specie & simpliciter jurisdictio *l. 1. in pr. de Off. ejus cui* vel ordinaria jurisdictio vocatur, Vinnius *de Iurisd. cap. 6. pr. & §. §. seqq.* Secundo conceditur certis in causis jus dicendi & reddendi potestas specialiter lege vel constitutione, ita ut ordinario hujus vel illius Magistratus officio de novo illa accedat, illudque augeat; quæ nisi nominatim tributa esset Magistratui illi non competeret; & hæc jure Justinianeo jurisdictioni

ctioni strictè sic dictæ opponitur *l. 6. §. 2. ff. de Tutel.* & quibusdam Dd. extraordinaria *arg. l. 7. §. fin. ff. de Off. Proconf.* ab aliis verò legalis vel adscititia vocatur. Stephan. *de Iurisd. lib. 1. c. 4. & num. 2.* Hahn. *ad ff. de Iurisd. n. 5.* Illud controvertitur, An jurisdictio præscriptione quoque acquiratur? Dd. comm. quos sequitur Rosbach *tit. 2. n. 41.* contendunt, jurisdictionem acquiri præscriptione instar rei immobilis, cum territorio decem annis inter præsentes, & viginti inter absentes, citra territorium 30. vel 40. annis. Sed decisio hujus quæstionis variis distinctionibus indiget. vid. post Suthold. *de Iurisdict. Aphtio.* Vinnium *de Iurisd. c. fin. n. 8.*

XLII. Moribus nostris jurisdictionem plerumque in altam, mediam, & bassam distingui tradit Mæstertius de jurisdictione *quæst. ult.* In Germania tamen receptior illa, quâ dividitur in altam Ober peinliche Gerichte & bassam Erb oder Niedergerichte / vid. Carpzov. *de Processu tit. 2. art. 1. n. 63.* Controversia tamen non mediocris inter Doctores Practicos est, quæ ad unam vel alteram pertineant, vid. Manzium *Decad. X. centuriæ Decisionum Palatinarum*, ubi quærit, ad quam jurisdictionem spectet Encæniorum protectio Kirchweischütz / Molendinorum Inspectio die Mühlbeschauw / Injuriæ reales & verbales Scheltwort / rauffen / Beulen / Bluttrunst / pœna cippi des Stocks. &c. Distinguitur quoque in personalem, quæ personæ ratione officii tribuitur, ac exstinguitur cum ejus vita cui concessa est, & Patrimonialem, quæ est in Patrimonio alicujus & ad successores ejus trarsmittitur.

XLIII. Jurisdicto propria solvitur morte ejus qui eam exercet, & hoc vel omnimodo si sit simplex magistratus, vel ut jurisdictio, quæ in inviduo est, finiatur, licèt transmittatur in hæredes. Quod tamen restringendum est ad jurisdictionem Patrimonialem illam, de qua diximus. Morte Principis jurisdictio propria non finitur, *arg. l. 6. ff. h. t.* Jurisdictio prorogata extinguitur sublatâ jurisdictione ejus, cujus erat prorogata *arg. d. l. 6. l. 1. C. eod. junct. l. 1. ff. de Iudic.* Jurisdictio mandata exspirat morte mandatarii, & mandantis, antequam res ab eo, cui mandata est jurisdictio, geri cœpit *d. l. 6. ff. de Iurisd.*

XLIV. Vindicatur Jurisdictio utili Confessoriâ actione *l. 9. §. 2.*

ff. de damno infecto Carpzov. *p. l. 1. Resp. 78. n. 3.* Patrimonialis eisdem mediis quibus & alia jura Patrimonialia defenditur: veluti interdictis, vid. *cap. 9. X. de probat.* Wesenbec. *tit. unde vi, n. 9.* vel remedio *can. redintegranda caus. 3. quæst. 1.* Et hæc hactenus, ut Disputationis loco esse possint, sufficiant; plura enim addere eaque accuratiora, temporis, &, quod urget, itineris ratio prohibet.

COROLLARIA.

I.

PRomissorium Iuramentum Iure Can. obligationem producit.

II.

Iuramentum, quod quis præstitit dolo inductus, non obligat.

III.

An Clerici feuda constituere possint? D.

IV.

An Filii naturales per subsequens matrimonium legitimati in feudis succedant? D.

V.

Partus undecimestres non promiscuè illegitimi sunt pronunciandi.

VI.

B. F. possessor, fructus naturales solâ perceptione non facit suos.

NO-

NOMENCLATOR SCRIPTORUM IN JURA FEUDALIA.

A.

DE Afflictis (Matthæus) vulgò Juris Utriusque Monarcha, Patricius Neapolitanus ac Consiliarius regius *Commentaria in tres* (ita ipse dividenda Feudalia Jura putavit) *libros Feudorum* scripsit, ordine ad singula commentatur capita, pleniùs quàm quisquam ante ipsum alius, sed & meliùs, quòd illorum, qui ante ipsum de Feudis scripsere, operæ suam adjunxerit; Unde ferè quicquid apud illos legitur, hoc in suos Commentarios retulit. Scripsit præterea etiam Decisiones.

Alvarottus (Jacobus) Patavinus, *Lecturas* scripsit *in Usus Feudorum* approbatas à Collegiô Patavinô. Fuerunt autem Alvarotti duo, quorum utrique nomen fuit Jacobo, ac uterque etiam eorum Patavii docuit, è quibus senior, qui anno 1439. vixit, Lecturæ hujus Autor est. Præceptores habuit in Jure Civili Salicetum, in Canonico Zabarellam Franciscum. Triginta annos in Collegio JCtorum Patavii dixit, sed 16. tamen annorum saltem meminit, quibus continuò prælegerit, incertum Patavii, an alibi. Id constat, cùm Commentarios hos conscriberet, Moralium fuisse Professorem Patavinum, cujus rei in principio meminit, Commentatus est ad singulos textus. Typis descriptus est primùm Lugd. anno 1530. Cæterùm cùm ista satis mendosa esset editio, Francofurti per Hieron. Feyerabend an. 1570.

 alia

alia curata est, cui restituendæ operam impendit Erasmus Musculus & Johannes Fichardus. vid. Præf. Typographi.

Amicangelus (Josua) filius patris cognominis *Quæstiones Feudales* edidit & Tractatum adjecit de Officiis Regalibus in fol. Neapoli, an. 1652. Inscriptæ Philippo IV. Regi Hispaniarum. Quæstiones habet novendecim plerumque ad Praxin regni Neapolitani exactas. Plura ejusdem Auctoris in præfatione ad Lectorem promittit filius, sed quæ lucem, quod sciam, publicam desiderant adhuc.

Anonymus. Commentarius aliquis prodiit in lucem elegantioribus characteribus Lugduni in fol. anno 1552. apud Joh. Pidierium cum Notis Andreæ Barbatiæ siculi & eleganti ut vocatur Disputatione Joh. de Anania. Historiam vitæ ejus ex parte habes apud Forsterum in Historiâ Juris Civilis Romani lib. 3.

Antonius (Gothofredus) J. U. D. ac olim in Academia Marburgensi Institutionum primùm, deinde etiam Pandectarum Professor, demùm in Giessensi Academiâ Professor Primarius & Academiæ Cancellarius *Disputationes Feudales 15.* in lucem emisit, ac Dn. Ludovico seniori & Dn. Mauritio Landgraviis Hassiæ sacras voluit. In dedicatione ipse conscriptas illas ait ab Adolescentibus Jurium studiosissimis, à se verò, ut unoquoque tempore otium fuit, interpolatas & revisas. Eas olim Argentorati legit Dn. Joh. Ottho Tabor, & quæ in iis continentur ad textus Juris Feudalis digessit. Cujus operis ipsius penes me est exemplar Mscriptum.

ab Arcedura (Janus) Auctor non ignobilis *Conclusiones Feudales* edidit. Liber est satis rarus & doctus. Non pauca etiam accuratiùs quàm alii ad veram Juris rationem revocat & examinat.

de Ardizone (Jacobus) Veronensis scripsit *in Ius Feudale Summam vel Epitomen.* Prodiit primùm typis excusa in Civitate Astensi anno 1518. in fol. ex Bibliotheca Scarampi junioris. Huic palmam inter Summistas tribuit Arthurus Duck. Et eam summam Jacobinus de sancto Georgio vocat laudabilem in princ. tractatus de Homagiis; tractat jus Feudale non ea methodo, quam observat Jus FF. & libri ejus ac antiqui Interpretes commentando ad singula capita, sed diversâ ac magis methodicâ ratione, stilus nonnihil est barbarus. Postea

ea à mendis purgata summa hæc à Joh. Havichorstio in urbe Coloniensi in octavo, anno 1562.

Arumæi (Dominici) extant *Disputationes Feudales* in quarto, Jenæ anno 1613. non inutiles, nec propter Arumæi famam inter obscuras numerandæ. Prodierunt hoc titulo: Dominici Arumæi Disputationes in Pandectas & Codicem in Consuetudines Feudales & in Institutiones cum commentatione *ad l. 2. C. de rescind. vendit.*

B.

Balzaranus (Petrus) Italus, integro & prolixo opere in Feuda scripsit. Titulus libri: *Interpretationes ad Feuda.* Typis descriptus est Venetiis in fol. Anno 1596.

Baro (Eguinarius) JCtus Galliæ non incelebris operam quoque suam *Commentationi Feudorum* ac quidem ad singulos titulos eadem cum Cujacio & Hotomanno methodo impendit. Extat Coloniæ typis descriptus anno 1563.

Beatus (Georgius) *Decisiones Controversarum quæstionum quarundam Feudalium*, Criminalium, Matrimonialium, & Judicialium Decisiones novâ & hactenus non visâ methodo, rationibus dubitandi tàm pro affirmativâ quàm pro negativâ sententiâ & contrariorum solutione invicem sibi oppositis, nervosè & solidè illustratæ. Inscriptus est Hieron. Megisero Professori tum Lipsiensi, & editus Geræ ad Elystium in quarto, anno 1608.

de Bellis (Gabrielis) extant de Feudis nonnulla titulo eo, qui sequitur: Illustrissimi ac Magnifici Dn. D. Gabrielis de Bellis Domini Roatsii LL. Comitis & in Academiâ Avenionensi quondam Antecessoris celeberrimi opera posthuma, ubi continentur *Tractatus de Feudis*, de Jure sacro, de delictis in genere, & in specie de Crimine læsæ Majestatis, sicariis item atque veneficiis, de usufructu. Prodierunt operâ Hectoris de Bellis, Domini Noassii & Nobilis Avenionensis filii Auctoris Lagduni anno 1646. Immensæ sunt laudes, quibus illum Ludovicus Crosetus, ejusdem Academiæ Professor Primarius, in elogio, quod præmisit, comendavit, ut omnibus suæ ætatis JCtis præferre velle videatur, sed multum dedisse effectui in collegam olim suum, ipsum opus facilè ostendit. Et securè nimis hisce Italorum laudibus

vix aliquis fidem adhibuerit, apud quos nihil insoliti, in cœlum ferre aliquos etiam nihil tale commeritos. Hinc Stephanus Molia Carmelita, & Michael Micard Franciscanus, Theologi Parisienses in Approbatione operis vocant eum Causidicum Avenionensem. Id mirabile, quod per quinquaginta tres annos Cathedræ præfuit. Natus est anno 1559. in stuporem seculi & posteritatis exemplum. Corpore namque & animi dotibus adeò præstitit, ut in eo concinnando natura visa sit ostendisse quod posset, ac veluti cujusdam gloriam quæsivisse maternam, in Gymnasio & foro primus semper tenuisse idem Crosetus memorat. Usui est ejus opera Legatis Pontificiis contra Reformatos Sancti Fallesii, qui locus quoque est Diæceseos Cavallicensis ejiciendos. Consiliarius fuit inquisitionis, quod sanctum officium Pontificii appellant.

de Belviso (Jacobus) è primis est Juris Feudalis Scriptoribus. In Editione Lugdunensi de anno 1511. vocatur Utriusque Juris famosissimus Monarcha. Scripsit *summam Authenticorum, consuetudines & usus Feudales elucidantem*, ut verba ejus habent. Doctor fuit Bononiensis. De eo Catonis Sachii JCti celeberrimi suâ ætate & Itali hoc judicium fuisse scribit in præfat. Nicolaus Beraldus: ex antiquis nulli cum illo comparari posse. Scripsit ad usus feudorum nomine Collationis X. stilo inculto & magnâ historiæ veteris imperitiâ, sed judicio tamen, quod negari nequit, egregio. Vixit seculo 13. ut conjecturat Forsterus de Historia Juris Civ. Romani *lib.3*. Arthurus Duck ei supremum locum tribuit inter Commentatores *lib.1.c.6.n.13*. Ipse octies librum Feudorum legit, ideóque maximæ inter Feudistas habetur autoritatis, teste Maranta *part.3*. de Judiciorum *num. 84*. & ex eo Rittershusio in Prolegom. *p.15*.

Bitschius (Caspar) in Academiâ Argentoratensi nostro seculo celeberrimus LL. Professer, quod Obrechtus consuetâ nostra ætate methodo fecerat, id in Feudis veteribus usitatâ methodo præstare aggressus est, ac demandatâ sibi Feudalis Juris Professione ad singula ejus capita Auditoribus suis elegantem dictavit commentarium. In plurimis Cujacii vestigia præmit. Eò inprimis laudandus, quòd negle-

glectum seculo nostro priscum Commentandi in Feuda morem unus ex Germanis JCtis quod sciam renovaverit.

Blanchus (Joh.) Inter antiquos est Author *Epitomes Feudorum*, quam ex Mscriptis Codicibus, imperfectis tamen & mutilis, restitutis qui desiderari videbantur locis, operâ Henrici Kerckmanni Coloniæ in octavo, anno 1564. edidetunt Johannes Kirchman & Wernerus Richerus. vix tamen laudem meretur illa in alienis scriptis libertas pro suo arbitratu substituendi integras sententias, quod fecisse Kerckmannum in illius editione monet typographus. Antiquum esse de cetero Authorem hunc satis constat, & constat vel indè, quòd à muribus & tineis magna parte corrosa fuisse memorat exemplaria, quibus usus ipse fuit. Editor Advocatus & Civis fuit Marsiligensis.

de Bella Pertica (Petrus) ad antiquos scriptores Feudales pertinet, Cujus extat *Tractatus de Feudis* Coloniæ in octavo editus exiguus, sed magno olim in pretio habitus. in Mscto exemplari adscriptus erat ipsi titulus Monarchæ utriusque Juris.

Bocerus (Henricus) Antecessor Academiæ Tubingensis, quamvis continuum unum Tractatum, quo totum Jus Feudorum complexus sit, non ediderit, extant tamen ejus *Disputationes Feudales* inter classes quibus medullam juris hujus contineri dubio vacat, sed & *Tractatus suos singulares* ita scripsit, ut redacti in unum loco *prolixi Commentarii Feudalis* esse possint. Edidit enim anno 1608. Tractatum de Investiturâ feudi. Anno 1611. Typis Cellianis in octavo Tubingæ de substantiâ, naturâ & accidente Feudi. Anno 1612. Tractatum Quæstionum Controversarum de Jure succedendi in Feudum continentem centum & tres quæstiones utilissimas & cottidianas. Anno 1615. Tract. de Jure & Commodo Senioris sive Domini itemque vasalli duos item libros edidit. Et tractatum de Diffidationibus anno 1617. Tract. de Jure Collectarum. Anno 1628. quæstiones quatuor admodum perplexas ad modum amittendi feudum pertinentes. An. 1626. Tractatus singulares septem de modis amittendi feudum. Jam ante, qui huc etiam spectat, ediderat, Anno 1591. Tractatum de Jure Belli & Duelli, qui auctus anno 1616. & excusus fuit. Anno 1608. Tractatum

tum de Regalibus & Resolutionem Quæstionis Illustris de fructibus rei alienæ, quam quis bonâ vel malâ fide possedit.

Borcholt (Joh.) Luneburgensis & in Illustri Juliâ professor *Commentaria in Consuetudines Feudorum* edidit cum singulari explicatione capitis unici, quæ sint Regalia. Is olim in Rostochiensi deinceps sub initium Academiæ Helmstadiensis in Juliam evocatus ad profitendas Pandectas, privatis collegiis & diebus extraordinariis Feudalis Juris Explicationem addidit. Inscripsit Henrico Julio, Episcopo Halberstadiensi ac Duci Brunsvicensi & Luneburgensi Rectori tum Magnifico Academiæ Juliæ, quem monet ut librum perlegat ac inde sibi peritiam Juris Feudalis paret post comparatam jam historiarum cognitionem non vulgarem Librum anno 1580. primùm in quarto, deinceps ex secunda recognitione correctiorem edidit.

Bronchorst (Everhardus) composuit post libros ἐναντιοφανῶν, seu Controversarum Juris quæstionum & legum in speciem pugnantium conciliationes, etiam *Methodum Feudalem*, Professor tum in Academiâ Lugduno-Batava. Scripsit librum anno 1613. Inscripsit autem Transisulanæ ordinibus & trium primariarum ejusdem Provinciæ Civitatum Consulibus & Senatoribus. Opus carmine laudarunt inter alios Hugo Grotius, Daniel Heinsius. Petrus Scriverius. Cùm superioribus annis desideraretur, iterum edidit Methodum hanc illustratam notis & moribus Cyprianus Regnerus Oosterga Zwollensis. Notæ magnam partem ex Arumæo, Sandio Gudelino & Grœnewegen depromptæ sunt magis ad Galliæ & Belgii consuetudines, quàm ea quæ apud nos recepta sunt accommodatæ.

C.

Caccialupizi (Joh. Baptistæ) Sancto Severinatis extat non integer quidem in *Universum Ius feudale Commentârius* sed repetitio tamen in cap. 11. de Feudi Cognitione. Ea in octavo Coloniæ anno 1571. edita est unà cum observationibus nonnullis practicis in Imperiali Camerâ & aliis Judiciis collectis & observatis.

Camerarius (Bartholomæus) Beneventanus anno 1558. in folio Romæ edidit *repetitionem Legis Imperialem de Prohibitâ feudi alienatione* per Federicum, ac inscripsit Paulo IV. Pontifici Maxumo, cujus exer-

exercitus eo tempore, quo Roma obsidebatur, fuerat Generalis Commissarius, ac deinceps etiam rei annonariæ Præfectus. Conscripserat præter hos septem alios de Feudis libros, jam olim suos his addere destinaverat, si satis ipsi fuisset concessum otii, sed mortuo eo, antequam edidisset, nullibi quod quidem sciam extant. Editus etiam hic liber est Basileæ anno 1366. à Simone Schardio, cujus hoc de illo est judicium in eleganti quam præfixit præfatione: De aliis, ait, quæ eruditissimè acerrimoque judicio Autor illustrat, quid dicam? Sanè quæ de extensione legum, de necessario consensu in alienatione feudorum & de feudis ex pacto & providentia disputantur, vix apud ullum hujus Juris interpretem tantâ eruditione, copiâ judiciique gravitate explicatâ invenientur. Ac utinam quos septem libros præter hanc repetitionem de FF. composuerat, eos per carcerem (cui eum Pius IV. ad Pontificatum evectus tradiderat ad Cardinalium quorundam suggestionem, quos tempore obsidionis Romanæ sub Paulo IV. in præfecturâ annonæ offenderat) ei publicare licuisset, vix absolutius eruditius ac gravius scriptum in hac Juris parte habituri essemus.

Carpzovius (Benedictus) in Academiâ Lipsiensi Successor Finckelthusii, *Iuris Feudalis Synopsin* publicis Disputationibus exhibuit. Extant in volumine Disputationum Historico-Politico-Juridicarum. Additur singulis Semidecas quæstionum ex Aureâ Bullâ Caroli IV. Imperatoris. Eum librum jam olim ante 30. annos in Wittebergensi Academia conscripserat Carpzovius, quod ipse in præfatione profitetur. Edidit quoque *de Oneribus Feudalibus Vasalli*, sive debitis in foro Saxonico ex Feudo solvendis Semicenturiam Positionum Juridicarum Lipsiæ in quarto, apud Timotheum Nitschium Anno 1654.

Clari (Julii) Patricii Alexandrini, JCti longè clarissimi, Philippi Hispaniarum Regis in Provinciâ Mediolanensi Supremi Consiliarii ac Regentis extat *de Feudis* paragraphus vel veriùs Liber. destinaverat ipse ingenti opere explicare receptas in Jure Sententias, quod &, cùm Mantuæ ageret, ad finem deduxit, sed cùm ultimam manum postremâ curâ ei imponere vellet, evocatus Mediolanum negotiis ita

obrui cœpit, ut quod destinaverat, perficere non potuerit, Edidit tamen partes ejus operis (totum enim nunquam prodiit) quas hodie habemus cum Inscriptione: Julii Clari Receptarum Sententiarum opera omnia. Prodierunt tandem Francofurti in folio cum notis Hieronymi Gracharii, Manfredi, Goveani, & Johannis Guiotii, Johannis Baptistæ Bajardi & Joh. Harprechti prima Editio Paragraphorum ex opere hoc facta est anno 1559. ut ex Præfatione Clari ad Antonium Nervactum Episcopum Atrebasensem colligere est. Ex primo & secundo libro, quales ipse conscripserat, nihil omnino, ex tertio sola materia de Testamentis, vel Paragraphus Testamentorum lucem hactenus vidit, ex libro tertio §. *Donatio*, *Emphyteusis*, *feudum*, ex quarto nihil, quintus, qui *Criminalia* exequitur, totus editus est. Sunt autem, quos ille paragraphos appellat, quod & ipse in præfatione fatetur, veriùs libri integri de iis, quorum nomen præferunt, materiis conscripti. Opus est accuratum, nihil enim de se edere destinaverat, nisi sedulò expensum, & postquam iteratò textus singulos & Authores ipse inspexisset, speciminis loco emiserat librum hunc vel paragraphum de Feudis, primum solum ediderat, quod in præfatione commemorat. Qui laudatus ab eruditis provocavit ipsius Industriam, ut & reliquos, qui quidem extant, ederet.

Contius (Antonius) Professor olim & JCtus celeberrimus in Academiâ Bituricensi *ad tit. 20. lib. 3. decretalium tredecim capitibus de Feudis egit*, Eas Lectiones, cùm antea editæ non essent, sub nomine *Methodi Feudalis*, primùm Spiræ Nemetum edidit 1595. in octavo Bernardus Albinus unà cum Duareni Commentario de Feudis & Matthiæ Wesembecii, qui tamen jam antè prodierant. Libellus est exiguus, & quo utiliores hodie legi possunt.

Corvinus (Arnoldus) à Belderen, dum adhuc Leydæ degeret, præter Digesta & Jus Canonicum & alia quæ ibi edidit, *Iure* quoque *Feudali* strictim per *Aphorismos* explicato innotescere voluit. Prodiit anno 1655. In libros distinxint quatuor, capita 39.

Cragius (Thomas) in Angliâ *Ius Feudale* tribus libris jam tempore Regis Jacobi complexus erat, sed lucem tamen non vidit, nisi post fata Authoris, editus à Roberto Burneto per neptem ex filiâ progenero

nero anno 1655. Londini, impensis Societatis Stationanorum. Authori editor exquisitam eruditionem, Græcæ autem & Latinæ Linguarum eam peritiam tribuit, qui quemvis sui seculi æquaverit. Atque ipsum à Rege Jacobo ideò designatum equitem absentiâ voluntariâ effecisse, ut Rex, quem ipsi honorem illum præsenti conferre non posset, ediceret habendum nihilominus ab omnibus pro Equite, quem tamen ille Titulum nunquam admiserit, quòd honores mundanos sperneret. Familiaris fuit Cambdeni, cum quo frequens literarum ipsi intercessit commercium. Justinianum Scoticum eum vocat Editor, qui primus Scoticum jus confusum antè in certum redegerit ordinem, sub nomine enim *trium librorum de Feudis* totum Jus Scoticum complexus est, Æstimari meretur vel eo nomine, quòd multa omnibus Scriptoribus nostris Feudorum hactenus ignota ipse primus nostros homines docuerit circa Feudorum antiquos titus, quorum extant in Angliâ hodie vestigia, Primus etiam ignotas multas FF. divisiones nostros homines docuit. Cragium hunc *comitate ingenii, facundia forensi, literaturaq; præstantem* vocat Robertus Jonstonus *l. 12. Rer. Britann. ad A. 1604.* cùm *apologiæ ejus pro Patriâ*, hoc est Scotia, meminisset.

de Cratis (Martinus) Laudensis extat sub Titulo *Aureæ ac per utilis Lecturæ* D. ac Juris Interpretis Consummatissimi D. Martini de Cratis in Lucroso & præ cæteris practicabili opere Feudorum. Commentatur ad singulos textus, & impressus est Tridini anno 1516. operâ ipsius, sed melior longè illa est Editio, quæ Basileæ est curata in octavo, 1564. Ipse agnoscit tres libros Feudorum, aliâ tamen ratione quàm Hottomannus. Secundus enim finitur cũ tit. 22. 2. F. De Milite Vasallo qui contumax est. Alia commemorat Forsterus *in Historia*.

Cujacius (Jacobus) anno 1566. in fol. edidit Jus Feudale hac Inscriptione: *de Feudis libri 5.* quorum primus est Gerhardi Nigri, secundus & tertius Oberti de Orto JCtorum Mediolanensium, quartus ex variis & incertis Auctoribus antiquis, quintus Impp. Constitutiones, quæ ad Feuda pertinent, complectitur, Aucti, Emendati atque etiam explicati studio & diligentiâ Jacobi Cujacii: Prodierunt Lugduni apud Davidium Sennetonium in Præfatione ad Thomam Re-

digerum, hoc anno, ait, habitationem ei tanquam matronæ elegantronæ elegantiori paravi, epulasque, quibus exciperetur conquisitiores. Primus liber ipsius tit. 31. ac eadem ferè capita alicubi sub aliis Inscriptionibus & distinctionibus continet, quæ editio hactenus ante Cujacium recepta. Secundus incipit ab eodem cum nostris editionibus capitulo & cap. continet 22. ultimum enim ejus est, sub alia tamen Inscriptione, id quod in nostra vulgata & ipsius Editione est 22. & utrobique incipit: Dominus vocat militem. Tertius liber apud Cujacium duo saltem capita, quæ sunt in nostris exemplaribus cap. 23. & 24. 2. F. Quartus continet Capita reliqua ordinaria constitutionibus Impp. exceptis usque 73. & deinceps. extraordinaria. Quintus Constitutiones Imperatorias conjunctim exhibet. In singula hæc ejusdem Cujacii Commentarius additur, qui & in operum Cujacii collectione extat. Hoc opus Cujacii in octavo edidit etiam Joh. Calvinus Juris in Academia Heidelbergensi Professor cum collectione suâ, ubi aliorum nonnullorum sententias interdum cum Cujaciana componit ac Sextum librum ex Jure Canonico addit, Titulum libro fecit Jurisprudentiam Feudalem.

Curtius (Franciscinus) quem Curtium Juniorem vocat in Editione suâ Coloniensi de anno 1570. Johannes Havichorstius Monasteriensis. Tycinensis fuit Professor, quod ex dedicatione libri ejus patet. Scripsit Tractatum Feudalem, cujus prima Editio curata Tridini, quod oppidum esse dicitur Illustrissimi & Invictissimi Guilielmi Marchionis Montisferrati Anno 1518. quo tempore vixisse videtur. Huic libro Titulus est: *Fertilis Tractatus Feudalis noviter editus* per J. U. D. D. Franciscinum Curtium, in quo principales materiæ Feudorum cumulantur cum quibusdam elegantissimis Consiliis in causis arduis per ea confectis. Ab hoc titulo non solùm sed & à libro ipso in locis non paucis discrepat editio Coloniensis, cui notæ accesserunt Havichorstii. In ipso initio veteris edit: optavi jamdudum fratres cordatissimi, legitur in altera pro fratres cordatissimi habetur studiosi Adolescentes.

D.

Duareni (Francisci) extat *in Feuda Commentarius*, quem Albinus edidit

edidit cum summis rerum & sententiarum mutuisque testimoniis ad singula Capita adjectis à Johanne Havichorstio Monasteriensi.

E.

Von Einsiedel (Conradus) edidit Tractatum de Juribus ad Imperatoris Romani Teutonici Majestatem pertinentibus vel Regalibus aptâ Methodo concinnatum ac multarum elegantium Quæstionum decisionibus variarumque Legum illustrationibus adornatum. Typis descriptus est liber Halæ Saxon. in octavo, anno 1619. ac sacer nuncupatus Johanni Georgio Electori Saxoniæ. Agebat Einsidelius tum annum ætatis vigesimum primum. Unde satis apparet multum ipsi defuisse ad eam peritiam, quâ instructus operi huic de Regalibus scil. se accinxerat Sixtinus, utitur interim Sixtino non rarò, Methodum sequi Bocerianam & res docet, & ipse in præfatione fatetur.

Eiseneck (Emeranus) Ratisponensis LL. Candidatus etiam in Academiâ Salanâ anno 1600. Consuetudines Feudales *decem Disputationibus* complexus est, quas in usum privati exercitii studiosis examinandas præbuit. Eæ extant in 4. editæ Typis Tobiæ Steinmanni adscriptis ubique Respondentium nominibus.

F.

Fochinæus (Andreas) Foroliviensis, Ingolstadiensi primùm in Academia, ubi ipsum Præceptorem se habuisse Vultejus scribit, deinceps in Pisanâ Juris Cæsarei Professor Ordinarius, præter Consilia, quæ ab ipso conscripta edita in manibus JCtorum versantur, etiam *Controversiarum Iuris libros decem* scripsit, tot enim in ultimis Editionibus habentur, cùm in primâ Ingolstadiensi sunt pauciores. *Libro septimo aliquot capitibus* prolixè agit de Feudis, eorumque controversias non ineptè disceptat.

Finckelthaus (Sigismundus) J. U. D. & Professor in Academiâ Lipsiensi Ordinarius & Curiæ Provincialis Consistoriique Assessor *Vndecim Disputationibus* Jus Feudale in Academia Lipsiensi publicè ventilandum exhibuit, scopum ipse quem proposuit sibi, indicat in Epistola Dedicatoriâ ad Electorem Joh. Georgium. Quantum in me fuit, ait, ibi textus Juris Feudalis enodare & eorundem rationes

investigare, nec non Interpretum effictas opiniones, in hisce controversiis olim in Academia hac publicè propositis diluere atque in hac Cura secunda uberiùs ob oculos ponere volui. Interim magnum ipsius est studium singularium opinionum & sæpissimè sanè discedit à sententia aliorum JCtorum Feudistarum, plerumque sine idoneâ ratione, ut securè eo quidem circa initia studii hujus juventus meo judicio uti non possit; cùm deessent exempla, eum iterum Disputationibus publicis examinatum D. Henricus Hahnius Helmstadii edi curavit anno 1655. ab ipso autem Finckelthusio Lipsiæ anno 1630. typis traditus fuerat.

Frantzkius (Georgius) *Tractatum novum & plenum de Laudemio* in quarto edidit, materiâ utili & quotidianâ antehac nullibi ordinatè traditâ, nunc verò summâ curâ ex DD. scriptis eruta & in certum corpus atque juris rationem revocatâ, nec non plus minus centum Sexaginta summorum Tribunalium præjudiciis & scabinatuum Decisionibus illustrata, Auctore Georgio Franskio JCto, Comite Palatino, Cancellario & Consistorii PræsideGothano. Causa scribendi Operis illa Franskio fuit, quòd materiæ, quamvis quotidianæ & difficilis à nemine hactenus Commentarium integrum impetrare potuisset: sed & altera in Præfatione ad Lectorem ipsi commemorata, quòd vulgò ab hominibus nonnullis parùm eruditis falsò traduceretur, quasi antiquas solùm leges neglecto usu morum nostrorum sectaretur, conscripsit librum Advocatus adhuc & Doctor Juris, nondum publicis illis, quæ deinde accesserant muneribus auctus. Constat capitibus 25. De iisdem Laudemiis scripserat tamen jam antè Amædæus de Ponte Præses Ducatus Montisferrati & Franciscus Salsona in Lucernâ Laudemiorum, & Argentorati egerant de eâdem materiâ Georgius Zabler & Adamus Halterman Disputationibus Inauguralibus, sed & Henricus Schall anno 1638. de eodem argumento Inaugurali Exercitatione disseruit.

G.

Galappus (Julii Cæsar) *Methodos juris feudalis* edidit fol. Neapoli MDCXXX.

Gemelii (Joh.) *Compendium Iuris Feudalis* adhuc inter ea referendum est, quæ priori seculo prodierunt. Prima enim Editio anno 1598.

Am-

Ambergæ curata est modò Anno 1657. Sleusingæ in octavo prodiit. Ipse Cancellarius olim fuit Hennebergicus, Liber est exiguus & in undecim partes distributus, de cætero non magnæ rei & qui accuratam lectionem vix meretur.

Giphanii (Huberti) Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliarii ac Professoris in Altdorphina Academiâ Norici duo extant Tractatus Feudales, Unus inscriptus: *Antinomia Iuris Feudalis*, hoc est Disputationes undecim ex prælectionibus ipsius desumptæ. Id opus ex ipsius Lectionibus Conradus Olemannus in eum qui extat ordinem redegit. Alterum opus Feudale sub nomine *Tractatus Feudalis* lucem vidit ab ipso Giphanio editum. Liber est elegantiæ ac judicii præ illo majoris. Sunt autem conjunctim tractatus hi editi in quarto. 1606.

Glossatores. Glossas in Feuda scripserunt Bulgarus Pileus Ugolinus, Vincentius, Jacobus Gotfredi filius aliique v. Forster & Fichardus *de vitis ICtorum*, Pancirolla *lib. 1. variarũ lectionum juris c. 90.* Sed Jacobus Colombinus eorum ultimus omnes superavit, & post eum secundùm Jasonem *in præludia Feudorum* nemo glossas in feuda scribere tentavit. Summas scripserunt Adofredus Jacobus de Arena Hostiensis, Rebuffus.

Gœddeus (Joh.) de Feudis Disputationes undecim publicam lucem adspicere voluit in Academiâ Marburgensi. Breves illæ sunt sed eruditæ, & quæ copiam rerum & authorum contineant paucis paginis & quidem meliorum.

Gothofredi (Dionysii) extant notæ tum in corpore reliquo ab ipso tum seorsim cum Jurisprudentia Feudali à Calvino editæ.

à Grœnewegen (Simon) von der Made / J. U. D. & Patriæ Delpho. Batavæ reipublicæ à secretis Tractatum scripsit de Legibus abrogatis & inusitatis in Hollandiâ Vicinisq; Regionibus, circa finẽ etiam ad FF. consuetudines commentatur & recentiorum nonnullorum circa mores mutatas observata industria, addo etiam Judicio plus quàm vulgari exhibet. Prodiit primùm Lugduni Batavorum in quarto apud Franciscum Magardum & Davidem Lopez de Haro anno 1649. Est idem Autor, qui scripsit etiam notas ad Introductionem Hugonis Grotii Jurisprudentiæ Belgicæ.

Groti-

Grotius (Hugo) in *Introductione ad Iurisprudentiam Hollandicam lib. 2. c. 41. 42. 43. & lib. 3. c. 25.* breviter Feudorum Jura applicat ad Hollandicos mores. Notas addidit Latino ſermone Simon Grœnewegen. Librum Belgicè & ad filios ſuos Grotius ſcripſit. Editus eſt cum R. Hogerbetii Introductione in Proceſſum Hollandiæ Curiarum Delphis in quarto.

Gudelini (Petri) Anteceſſoris in Academiâ Lovanienſi *de Iure Feudorum* Commenrarius in Partes 6. diſtributus extat, aliquoties, primùm verò in quarto Lovanii Anno 1624. à Philippo & Petro Paulo Gudelinis Authoris filiis editus. Addit Belgii & Franciæ mores. Ex ipſius Adverſariis filii notant, maximum eo tempore, quo feuda legit, fuiſſe Auditorum concurſum, adeò ut multitudo auditorum tanta fuerit, quantam ſchola capere potuerit. Elogia ipſius & operum Index extant in Bibliotheca Belgica Valerii Andreæ Deſſelii JCti & in Academia eadem Collegæ Gudelini, quem deſcribere nolo.

H.

Hannetonii (Guilhelmi) *quatuor* extant *de Iure Feudorum libri*, conſcripti diverſa methodo ab ea quâ aliàs uſi collectores. Edidit Coloniæ in octavo Joh. Havichorſt Anno 1565. ex variis Mſtis Codicibus. Ejus de opere, cui multam ipſe operam impendit, hoc eſt Judicium in præfatione: quæ variè, ait, diffuséque à veteribus ut Oberto, Gerhardo Belviſio ut Iſernia ut Alvarotto Jacobino cæteriſque ejus farinæ authoribus multis locis tradita ſunt, ea Hannetonius incredibili ſtudio & labore collecta ſingulari prudentia & naturali ac perpetua Conſecutione colligata diſpoſuit, verbis quantum fieri potuit apertis & ſententiis congruo ſermonis genere obſcuratis antea rebus lucem attulit: magiſque magnam atque uberem quàm difficilem & obſcuram de beneficiis artem confecit.

Hattyſeri (Liborii) *Analyſis Iuris Feudalis* extat. Huic Compendio artificioſam methodum, perſpicuitatem & facilitatem admirandam tribuit editor, ſed ubique hiare libellum, ac ſæpe non meliorem ſententiam eligere, ei facilè conſtabit, qui illum cum melioris notæ aliis, Struvio, Ludwello, Vultejo & ſimilibus conferendi operam ſumpſerit.

Heigii

Heigii (Petri) Stralsundensis *Quæstiones Illustres Iuris tam Civilis quàm Saxonici*, non pauca feudalia & quidem eleganter ac doctè disputata continent. Is olim Professor Wittebergensis, deinceps Assessor Provincialis, mox summi Appellationum Judicii ac demum in Consiliariorum aulicorum ordinem allectus magnâ eruditionis & integritatis famâ, vixit annos saltem, quod dolendum 40. Est & ipsi Franskio inter tres eruditissimos Saxonici Juris Scriptores. Prodiit post fata Authoris sui Wittebergæ in quarto 1601. curante editionem Ludovico Person JCto & in Academia Wittebergensi Codicis Professore.

Hotomannus (Franciscus) Gallus ac vir eruditissimus *Commentationem de Feudis edidit tripartitam.* Prima *Disputationem de Iure Feudali*, secunda *Commentarium in usus Feudorum*, tertia *Dictionarium Verborum Feudalium* continet. Inscripsit omnes Caspari à Seidliz Nobili Silesio tum inter Gallos versanti, quem propter ingenium æstimabat. Opus est inprimis doctum. Ipse Æmulus Cujacii & certabat uterque sibi conciliare Germanos, unde præcipua Gallorum eruditis fama.

Hunnius (Helfricus Ulricus) anno 1616. Giessæ apud Casparum Chemlinum in quarto edi fecit *Tractatum Feudalem*, quo 15. capp. Universum Feudorum Jus complectitur. Eum ipse Wittebergæ quadriennio antè studiosæ Juventuti prælegerat, sed quòd mendosè aliquando describeretur, voluit prodire in publicum. Inter opera Hunniana aliis nonnullis præferri meretur, quamvis & in illo ἀκρίβειαν aliquando meritò aliquis desiderat.

I.

Intriglioli (Nicolai) *de Feudis Tractatus* prodiit Anno 1595. inscriptus Dn. Don Henrico Cauzmani Comiti Olivarri Proregi Regni Siciliæ, cùm in Cutinensi Gymnasio vespertinis horis jura Civilia interpretaretur, & judex esset Magnæ Regiæ Curiæ. Tractatus omnium, ut habet inscriptio, qui adhuc editi sunt, in hâc materiâ utilissimus.

Isernia (Andreas) nomen assumpsit à Civitate Isernia (Indè tamen non existimat Nardus ipsum fuisse nothum, quòd & JCtus Paulus se Patavinum dixerit, & Ulpianus Beritiensem, Bartholus de Saxo fer-

rato, Oldradus ex Claude, Bartholomæus ex Capuâ, Andreas ex Bareto, Lucas ex Rennâ Regni Neapolitani urbe sibi nomen sumserint, ut illustrarent nempe famam Urbis suæ) Vixit post annum 1280. usque ad annum 1353. quo tempore à Comite quodam Teutonico Conrado de Cottis cum sociis aliquibus, cùm ex arce regiâ Neapolitana tardâ noctis horâ domum redire vellet, ad portum Petrucium occisus est, cum insultatione barbarâ: Tu mihi tuâ sententia mea ademisti bona, & ego meis armis tibi vitam adimo. Scripsit Tractatus plures, quorum meminit Nardus in vita ejus præfixâ *operi Feudali*, sed qui perierant omnes, exceptis tribus Tractatibus de ritibus regiæ Cameræ Summariæ, quem inscripsit librum, Rituum clohanarum Commentaria in Constitutiones Regni Neapolitani & in Jus Feudorum. Testimonia de Scripto hoc Feudali JCtorum hæc sunt (1.) Jasonis *in l. gallus §. etiamsi parente col. 6. de lib. & posth. in l. si quis pro emptore colum. 1. in fine primæ quæst. Bar. ff. de Vsucapionibus ait*: Andream fuisse Magnum Feudistam, demonstrareque scripta ejus Theologum sanæ doctrinæ extitisse, & inter Feudistas sic præ cæteris claruisse, vel ipso Baldo minimè excepto, ut & principatum in eo scribendi genere nemo non ei libenter adscribat, & asserat, posse de eo dici quod Pythagorici suo Præceptori Pythagoræ honoris causa tribuebant: Ille sc. dixit. *Et in in prælud. Feud. n. 23.* Iserniam fuisse summum Feudistam, & qui Feuda illustravit, & ob id meritò Doctorem Illustrem appellari.

2. Afflicti *in l. regni dilationes col. 5.* ei magnam deberi reverentiam ait, patremque Feudarum appellari *in Tit. Imp. Loth. n. 2.* affirmatque insuper esse, magnæ illum in Regno Neapolitano authoritatis, dicereque aliquid contra ejus opiniones, non secus esse ac ponere os in cœlum. Consiliarium eum fuisse Caroli II. à latere & Collegam Nicolai Frecciæ; consuevisse Regem iis scribere hâc formâ: Discretis Viris Nicolao Frecciæ, & Andreæ de Isernia, Consiliariis nostris dilectis: cùm verò pessimè habitus esset hic author, tum à descriptoribus, tum ab editoribus hactenus ita ut germanus Anthoris sensus ne à Doctissimis quidem JCtis colligi posset, continuo & indefesso novem annorum labore textum ejus restituit, & notis suis adjectis edidit,

dit, ac Antonio Penno Cardinali Granoelæ inſcripſit, additâ vitæ Iſerniæ deſcriptione, (unde pleraque noſtra deſumpſimus, quæ quidem de Autore hoc monuimus) Nardus Liparatns J. U. D. editus eſt tandem etiam in Germaniâ Francofurti apud hæredes Wechelios, anno 1598.

L.

Von Leeuwen (Simon) Advocatus Lugduni Batavorum ipſe edi, curavit *Cenſuram Theoretico-Practicam*, i. e. Totius Juris Civilis Romani uſuque recepti & Practici Methodica collatio, quâ non tantùm ipſa Juris Romani fundamenta ad rationis & veritatis cenſuram Methodicè reducuntur: Sed & ad uſum practicum transferuntur, interjectis Conſtitutionibus, Deciſionibus, moribus & ſtatutis non tantùm generalioribus, verùm etiam particularibus cujusque ferè Chriſtianorum. Gentis Regionis & Provinciæ Authore Simon von Leeuwen. Prodiit in quarto, anno 1662. de Feudis agit lib. 2. c. 19. usque ad 24. Totum opus ſe intra anni ſpatium abſolviſſe ſcribit.

Locamerus (Georg. David) Profeſſor Argentoratenſis Diſputationibus publicis olim *Quæſtiones Feudales* nonnullas breviter & nervosè examinavit. Extant collectæ & in octavo editæ ſuppletis tamen alicubi lacunis ex aliis ſcriptis anno 1659. Argentorati apud Fridericum Spoor.

Loffredus (Sigismundus) *Periphraſin* ſcripſit *Feudalem*, quâ ſingula Capita explicat. Poſterior eſt Matthia de Afflictis, quem interdum refutat. Eo ſæpe utitur Antonius Monachus, qui & nonnunquam Afflictum aliquando ab ipſo afflictum tuetur.

Loriottus (Petrus) in Lipſienſi Academiâ *Tractatum Feudalem* eâ methodo dictavit, ut ad verba quædam nonnullorum Capitum Commentarii vice ſint, non tamen omnia Capita explicat. Is poſt fata ipſius primùm anno 1566. Coloniæ in octavo prodiit apud Birckannum ex Bibliotheca Alberti Bodhorſt, Monaſterienſis Juris Utriusque Licentiati.

Ludwell (Wilhelmus) JCtus, Conſiliarius Reip. & Profeſſor Academiæ Noricæ, Jura Feudalia Altdorfii docuit, ac deinceps etiam tùm *Synopſeos Iuris Feudalis*, tùm etiam *Tractatuum Feudalium* editione

de Divisionibus Feudorum, de *Successione Feudali*, & de *Renovatione Investituræ*, illustravit, viginti jam annis Feudalia Jura docuerat, cùm synopsin ederet, quis ipsi scopus fuerit, ipse explicat in præfatione: In id unicè incubui, ait, ut perspicuè, distinctè & breviter omnia explicarem. Et sanè Collector est, in quo nec diligentiam nec judicium desideres, antiquorum inprimis. Nam recentiorum qui intra hos triginta annos editi sunt, vix quenquam legit, ut utile fuerit addi ipsi Schulzium ac Struvium, quorum præcipua est circa recentiora hæc cura.

M.

Magnus (Jason) etiam in Feuda edidit Commentaria, vixit circa annum 1500. mortuus anno 1519.

Mæstertius (Jacobus) Lugduni Batavorum tum Professor de jure feudali disputationes nonnullas edidit Lugduni in quarto. Sunt breves illæ & non inelegante stylo conscriptæ. At novis sæpe sententiis, nec tamen rationibus semper melioribus studet.

Melandri (Cottonis) extant *Loci communes Iuris Feudalis Controversiarum*. Conscripserat ille id primùm loco Inauguralis Disputationis in Academia Marburgensi, viginti trium annorum Juvenis, deinceps tamen etiam multarum accessione allegationum illud auctum edidit Lichæ in octavo, apud Conradum Hebenium & Wolphgangum Kezelium anno 1601.

Melonus (Johannes) *Thesaurum Iuris Feudalis Civilis & Criminalis* novum edidit Germanicè in fol. Norimbergæ anno 1629. qui recusus deinceps fuit anno 1645. Germanicè illum appellat **Eine neue Gerichtliche und Grund-veste Schatzkammer des gemeinen Lehen Käyserl. und Malefitz Rechtens.** Ipse Juris se Lecentiatum & Consiliarium Palatinum ac Secretarium admissionis inferioris ac Syndicum Neoburgensis Civitatis ad Danubium appellat.

Molinæus (Carolus) Parisiensis in supremo Parisiorum Senatu & amplissimâ Curiâ Franciæ olim Advocatus ac in Academiâ Tubingensi quoque per temporis aliquot intervalla, exul tum è patria, Professor, Commentaria Analytica in Consuetudines Parienses edidit. *Eorum parte primâ* agit *de Feudis*, nec pauca in eam rem nec inutilia disputat. Fuit in eo acre ingenium, sed sua tantùm æstimans, alieno-

rum

rum verò maximús obtrectator, cujus rei præter alia argumenta sunt quædam à Besoldo, etiam in volumine primo Consiliorum nostrorum observata.

Monachus (Antonius) ICtus, ut in libri Inscriptione vocatur acutissimus Taurinensis Collegiatus Publicus, olim Juris Interpres, Causarum Patronus, Notarum Tuccalis Florentinæ & Bononiensis auditor, mox Niccensis ac demum Pedemontanæ Regiæ Celsitudinis Sabaudiæ Senator & Consiliarius, Tractatum edidit *de Recta Feudorum Interpretatione*, quo difficiliores Juris Feudalis loci & quæstiones hactenus inter innumeras Interpretum prolixitates & dissidia involutæ ad veram Germanamque lucem revocantur & definiuntur, Practicarum quàm maximè Observationum rerumque in supremis Tribunalibus judicatarum authoritate confirmatum, novas etiam & acutas de variis Investiturarum stipulationum Formulis, de Fructibus ac de Melioramentis explicationes complectentem, tam in scholis quàm in foro versantibus utilem, jam pridem summopere exceptatum, à nemine adhuc attentatum, congruâ nunc primùm methodo editum & illustratum. Prodiit cum Magnifico hoc Elegio Augustæ Taurinorum in folio, anno 1635. ac inscriptus est victori Amedeo Sabaudiæ Duci. Ipse in præfatione commeminit, se quinque ac triginta annorum, continuato ut vocat incessanter curciculo, publicè jura profitendo vel consulendo simul & patrocinando, vel in supremis Tribunalibus judicando operam impendisse, atque semper omni illo tempore animadvertisse in nobilissima Feudorum disciplinam summam præ cæteris confusionem, quæ causa fuerit, quare & ipse aggredi curam restituendi illius voluerit, cùm animo volveret audivisse se, ait, internam quandam vocem quasi cohortantem, Tu hanc viam aggredere ad textum Tit. An Agnatus vel filius &c. accede ipsum quasi Thesei filium apprehende & tene, & intrò ingredere, ad imimam usque penetra, veram rationem concipe, cape, & attende quid tibi (suggerebat vox) si eam assequare, de veris congruisque textuum & feudalium sensibus contigerit hæsitandum. (quod sanè phantasticum aliquid sapit) Hinc exordio sumpto à cap. 45. 2. F. primâ parte Textus Feudales illos, qui hactenus ratione carere videban-

bantur, cum ratione congruere, ostendere nititur: In secundâ parte agit de Feudorum acquisitione. In tertia de Retentione, in quartâ de Fine, in quinta de Accessoriis Feudi fructibus, ædificiis & meliorationibus agit. Autoribus usus est bonis & multis, stylus obscurior Scholasticorum more formatus.

Montanus (Joh. Ferrarius) in Usus Feudorum collectanea quodammodo Methodica Tyronibus in Juris Disciplina versantibus non inutilia (Titulo enim hoc liber extat) edidit. Quibus etiam nonnulla de homagio, operis & præstationibus subditorum accesserunt quotidie usu venientia cum ejusdem in Tit. Codicis de Jure Emphyteutico succinctâ & dilucidâ tractatione. Prodiit in folio Francofurti apud Eginolphum anno 1554. ac inscriptus est Viro Celeberrimo Johanni Fichardo Advocato tum Francofurtensi. Hi commentarii etiam Lugduni apud Gryphum editi extant in octavo, A. 1555.

Moralistæ etiam aliquid de Feudis nostra ætate commenti sunt, eamque partem esse voluerunt tractatuum suorum de justitia. Uberius de iis egerunt Molina *part. 2. disp. 472. & seq.* Castro Palao *de justit. & jure Disp. X. ad finem.* Emanuel Saa, Laymann, Lugo vix quicquam præter definitionem habent.

Mozzius (Petrus Nicolaus) Mauratensis, JCtus præclarissimus, *Tractatum novum de Feudis*, edidit. Prodiit in octavo Coloniæ Agrippinæ 1581. Inscriptus est Alexandro Ferreto Cardinali de Monte Acto S. R. E. vice Cancellario, additur ei Tractatus Jacobutii de Franchis Consiliarii regii, qui inscribitur: *Præludia in Usus Feudorum.* De ejus ætate mihi certi aliquid non constat, videtur tamen esse scriptor mediæ ætatis.

N.

Neostadius (Cornelius) Dominus in Sevenhoven, supremæ Hollandiæ, Zelandiæ West-frisiæque Senator primarius, Academiæque Lundunensis in Batavis Curator *Observationum feudisticarum Decadem unam*, & de *feud. juris scripti Hollandiaque West-frisiaque successione* Libellum edidit capitibus septem constantem. Prima editio Ordinibus Bataviæ inscripta comparuit anno MDCII. altera anno MDCXLIII.

Niel-

Niellius (Joh.) Vesaliensis in Academiâ Marburgensi claruit ac duobus præcipuè operibus & Disputationibus nonnullis præter Controversias Juris Justinianei ad libros Institutionum accomodatas & 36. Disputationibus enucleatas. *& Controversias Iuris Feudalis Disputationibus undecim enucleatas* famam invenit. Utrumque Integrum post mortem demum ipsius editum est, Et postremùm quidem, cujus & causa nobis commemorandus est quidem, à Patre ipsius Carolo Niellio, qui præfatione illa deflet præmatura filii sui fata: Ingenio fuit promptissimo, quod satis certis argumentis probant opera, quæ admodum juvenis scripsit cùm annum ageret 18. Conscripsit Gallicæ linguæ Elementa, demum Consilio Regneri Sixtini, quem Præceptorem habuit in Academiâ Marburgensi, privatô exercitio studiosis defendendas dedit has, quas diximus, Disputationes. Ipse ex nimia studiorum assiduitate exhausto corpusculo morbum contraxit, quo anno Salvatoris nostri 1597. mense Januario, cùm ætatis suæ 26. vix attigisset, magno damno melioris Jurisprudentiæ rebus humanis exemptus est. Conscripsit ille nonnullas Disputationes etiam inter Treutlerianas, & defendit etiam ex iisdem aliquas.

O.

Obrechtus (Georgius) JCtus, Aulæ Cæsareæ Comes, Inclutæ Reipl. Argentinensis Consiliarius, & in Academia illa Codicis Professor, Tractatum & ipse Feudalem conscripsit in X. libros digestum, in quibus quicquid passim apud Juris interpretes de Jure Feudorum sparsim reperitur methodo perspicuâ & mirâ brevitate continetur. Nec tamen prodiit liber iste nisi post fata Autoris, productus in lucem operâ Johannis Thomæ Obrechti JCti & Comitis Palatini Cæsarei filii Autoris. Tractatum hunc eximium vocat Caspar Bitschius in procemio ad Commentar. suum in Feuda, filius autem Autoris in Præfatione scribere non veretur. Licèt de Feudorum placitis multi celebrati nominis viri non paucos felices & accuratos admodum adornaverint Tractatus, in quibus Universam Feudalis Juris scientiam explicarint, tamen inter eos omnes & singulos nullum tantâ methodi luce, quanta hunc Tractatum conscriptum extare. Inscriptus est à filio Friderico V. Comiti Palatino & Electori, cui pater

ter etiam illum destinaverat. Antea vivo adhuc Obrechto Joh. Jacobus Portius Francofurtensis anno 1606. ediderat Tractatum Feudalem, cui per imposturam, quòd valde eo tempore desiderarentur opera Obrechti, & inter alia etiam hic Tractatus, præfixerat Obrechti nomen. Quos nunquam pro suis Obrechtus agnovit, quia nec stylum, nec Methodum, nec quicquam habuisse Obrechtiani filius in dict. præfat. tradit, & in rebus qui spurium hunc fœtum edidit, sæpe dissentire à Patre suo notat. Extat quoque Georgii Obrechti Disputatio de Feudi vulgatâ distinctione in hæreditarium & ex pacto seu providentia habita Argentorati Anno 1588.

P.

Pancirollus (Suido) *Tractatum Feudalem* in Patavina Academia Auditoribus nonnullis suis Germanis dictavit, qui hactenus ineditus quidem & MSStus est in Bibliotheca Giessensi. Legi illum totum, sed non tanti visus fuit, quem describere operæ pretium esset. Extemporanearum enim lectionum loco non accurati Commentarii illum habuisse Pancirollum satis legenti constabit,

Pinellus, Lusitanus ac in Conimbricensi Academia Professor præter alia quæ edidit, etiam *de bonis maternis* Tractatum edidit, & Sebastiano I. Regi Lusitaniæ inscripsit. Is in Germania Francofurti in octavo, anno 1573. recusus est. Ejus libri *tertiâ parte quæstiones nonnullas feudales* attingit.

Pistoris (Hartmannus) in Seuselitz JCtus Simonis filius, *Quæstionum Iuris tam Romani quàm Saxonici libros duos* edidit in quarto, Lipsiæ anno 1579 & 1582. Utrumque Augusto Electori Saxoniæ inscripsit, in cujus supremo, quod Dresdæ est, Appellationum Judicio erat tum Assessor ac Consiliarius, cùm antea munus Scabini Lipsiensis ac Assessoris in Judicio Provinciali cum laude sustinuisset. Filius ipsius Simon Ulricus Pistoris duos alios deinceps libros, tertium & quartum, post fata Patris Jenæ anno 1609. edidit ex MSStis parentis non perinde tamen digestos nec ad editionem adhuc ab autore paratos libros. Illorum secundo totus est in Resolutione quæstionum Feudalium. Et sunt quædam in tertio etiam libro ejusdem argumenti. Rationem Instituti sui & occasionem scripti ipse commemorat in Dedica-

dicatoriâ ad Augustum Electorem Epistolâ, quæ quam exhibere prolixum nimis sit. Eum inter tres illos scriptores accuratos Saxonicos, qui non accuratiùs saltim sententias suas textibus rationibus ve juris comuniunt, sed & hypothsin non raró ad thesin revocant, & sumpta ex negotio accuratè occasione materiam illam, ad quam id, tanquam ad locum communem pertinet, in genere resolvant, primo loco nominat.

Plebst (Joh. Jacobus) JCtus & Illustris Collegii Tubingensis Professor Feudalis edidit Disputationes Feudales.

Pruckmanni (Friderici) extat hoc Titulo liber: *Paragraphus Soluta Potestas, Tractatus de Regalibus, in quo quid Princeps ratione legum, contractuum & ultimarum voluntatum præ aliis jure possit accuratissimè tractatur*, Autore Friderico Pruckmann U.J.D. Typis editus est in 8. Wittebergæ anno 1592. & inscriptus Nicolao Crellio Cancellario Saxonico ei, qui propter conatus nonnullos Religioni adversos deinceps supplicio affectus est.

à Puteo (Paris) librum edidit de Reintegratione Feudorum hoc titulo: Excellentissimi JCti Paridis à Puteo U. J. Monarchæ Partehnopæi Regii Consiliarii & Auditoris olim Regis Ferdinandi Secundi in Regno Neapolitano. Tractatus insignis de Reintegratione Feudorum, de finibus, & modo decidendi Quæstiones confinium territoriorum, de verborum significatione. Opus quo quicquid Judicibus & Advocatis est necessarium in feudis concluditur.

R.

de la Ratha Casertæ (Camillus) Comes Neapolitanus, olim in sacro Consilio Advocatus primarius, ac in Magno Consilio Regio Judex, *Theatrum Feudale* in duodecim partes & septingentas sexaginta dilucidationes distinctum, ac tomis duobus constans conscripsit. Prodiit opus in folio in Neapolitanâ urbe anno hujus seculi 37. Magnâ diligentiâ ex Autoribus Italis & Germanis collegit libros hos, sed judicio ut videtur exiguo, sæpe enim, ubi in diversa eunt Dd. ipse opiniones omnes adversantes recenset, & pugnantibus tamen sententiis omnibus vel plerisque adscribit eas esse communes; quod fieri non posse omnes facilè vident.

Ravennas (Petrus) Italus, U.J.D. & Eques auratus, Maximiliani I. tempore *in Consuetudines Feudorum Compendium*, ut vocat typographus editor, scripsit. Commentarium tamen potiùs vel Interpretationem, quomodo ipse inscripsisse videtur Ravennas, dicere debuisset. Est enim ipso Jure Feudali longè prolixior & singula capita eo quo in Collectione habentur ordine explicat. Inscripsit Maximiliano I. Imperatori, quem Christianissimũ Cæs. Augustum vocat. Prodiit & cum præludiis Coloniæ in octavo, anno 1567. ac quidem si fidem Editori adhibere licet primùm. Legi Ravennam & doctum reperi.

Raynaudi (Johannis) *Comprehensorii Feudalis* mentio fit in Catalogo Bibliothecæ Ultrajectinæ atque typis descriptum additur anno 1421: haud dubio mendo tamen, cùm nondum eo tempore inventa fuerit ars typographica.

de Reyger (Arnoldus) à Gladebeck JCtus & Consiliarius Electoris Brandeburgici, edidit librum unum Disputationum sive Diatribarum Consuetudinum Feudalium, in quo totum jus Feudale certo ordine & methodo breviter ex Disputationibus est conclusum. Habitæ illæ sunt in Academiâ Salanâ, ubi Professoris adhuc munere fungebatur. Typis descriptæ Magdeburgi in quarto, anno 1603.

Reusnerus (Jeremias) JCtus, ac primarius tandem in Academiâ Wittebergensi Juris Professor (Ordinarium vocant) & Feudalis Juris Professor, innotuit inprimis *Methodo Iuris Feudalis Communis & Saxonici*, unà cum integro textu Saxonico justo ordine connexo. Inscripsit Librum post prælium felix ad Lipsiam Gustavo Adolpho Regi Succiæ anno 1632. Wittebergæ in octavo. Constat Disputationibus duodecim. Præmisit operi Epitomen vel Sciagraphiam potiùs Juris Feudalis. Liber est non contemnendus.

Rittershusius (Conradus) JCtus, Consiliarius & Antecessor Noricus *Partitiones Iuris Feudalis* in duos libros distributas edidit Altdorfii in anno 1603. Inscripsit Henrico Julio Postulato Episcopo Halberstadiensi, Duci Brunsvicensi & Luneburgensi. Multa ipse ex Historia: & Gunther. Ligurino interdum ad Jus Feudale illustrandum confert, methodo usus quoque eximiâ, quâ colloquentes producit Discipulos

pulos & Præceptorem. Præter Partitiones ejusdem Autoris *Synopsis Iuris Feudalis* octo Disputationibus olim proposita extat. Edita cum Editione Argentoratensi Partitionum anno 1659.

Ritterus (Justus) Corbachianus Waldeccus J. U. D. Clarissimus *Institutionum Feudalium methodicè conscriptarum* cum Exegesi necessariâ libros quatuor scripsit. Prodiit in lucem Cassellis ex Officina typographica Mauritiana in quarto, anno 1612. Autor aliquando ab aliorum Feudistarum communi sententia ita recedit, ut propriam sibi eligat, indicio ingenii non vulgaris, quo plùs quàm usu rerum valuisse videtur.

à Rosenthal (Henricus) in Gallia & Italia, dum peregrinas Regiones lustrat, *Synopsin Iuris Feudalis* Juvenis adhuc edidit, ac Lugduni typis describi fecit. Extat ea in quarto seorsim. Cùm avidè à Juris Studiosis excepta esset hæc Synopsis, quanquā à Typographo multis mendis adspersa, Cœpit ipse de alio prolixiori opere Feudali cogitare. Conquisitis ergò omnibus Feudistarum, quæ nancisci potuit operibus, ad suum usque tempus, (vixit autem circa ultima seculi præcedentis) contulit se ad Johannem Nervium, Consiliarium tum Reip. Argentoratensis olim Cameræ Assessorem, ut ipsius consilio & operâ in ea re juvaretur. Præcipua enim huic viro in Germania illo tempore laus erat circa Practica. Is postquam fato humanis rebus exemptus esset, ipse Spiram concessit, ut Tractatum suum recentioribus Cameræ Præjudiciis locupletaret. Ipse de opere suo in præfat. ad Lectorem omnia, ait, quæ apud quenquam Auctorum in hunc usque diem in lucem editorum, modò scripta ejus nancisci potuerim, ad feudorum materiam & castra pertinentia conglomerare ac in unum quasi corpus comportare proposui. Absolutum opus in filio Rudolfo II. Imperatori inscripsit anno 1597. Editus est non semel, postremùm quod sciam Francofurti typis Weihelianis anno 1624. Opus ut spissum & maximæ diligentiæ, ita non æqualis judicii aut eruditionis cum Vulteji Tractatu aut Schraderi, quorum uterque in Academiis diu jura professus erat, cùm Rosenthalius nullam unquam cathedram nactus fuerit.

Rudingerus (Johannes) J. U. D. primùm quidem *difficillimas Iuris Feudalis Controversias* in utramque partem Resolutas & summâ diligentiâ enucleatas, qui libri Titulus est, edidit Argentorati in octavo apud Zetznerum anno 1608. Accessit deinceps liber secundus anno 1610. Deinceps anno 1612. *Methodum universi Iuris Feudalis succinctam & compendiosmm* ordine & utilitate typis describendam dedit, cui adjecit Lexicon Feudale. Autor est, qui inter meliores computari nostro judicio non meretur.

S.

A Sande (Fridericus) JCtus, Ducatus Geldriæ & Comitatus Zutphaniæ quondam Consiliarius & Fisci Patronus. Urbis Anheimensis Consul ac scholæ Gelro Velavicæ Curator scripsit *Commentarium in Geltdiæ & Zutphaniæ Consuetudines Feudalis cum Collectione Iurium & Consuetudinum, quæ in Geldriæ vicinis ditionibus obtinent, omnibus in Foro feudali versantibus tum Paribus tum Causarum Patronis apprimè utilem &* necessarium. Editus est in quarto Arnheimii tertiâ vice, postremùm Anno 1674. Johannis & Friderici Fratrum opera omnia prodierunt Antwerpiæ in folio. Consuetudines hæ Geldricæ valdè discerpant à Longobardicis, unde rectè Johannes à Sande Epistolâ dedicatotiâ ad ordines Ducatus Geldriæ, & Comitatus Zutphaniæ, Geldri, ait, suas consuetudines habuêre peculiares à moribus Longobardicis multum differentes, ut forum nostrum ingressuris frequenter sint dediscenda, quæ in scholis ex illa Longobardici Juris farragine didicerunt, quæ causa edendi operis hujus & quod institutum Auctoris fuerit, frater ipsius Johannes, qui post fata Friderici edidit, prolixè in præfatione commemorat.

De Sancto Georgio (Jacobinus) edidit Tractatum, qui inscribitur: *Aureus & in practicâ perutilis totus & singularis Ttractatus Feudorum* per clarissimum Monarcham Dn. Jacobinum de Sancto Georgio, Juris utriusque Doctorem & Interpretem Consummatissimum in Taurinensi Gymnasio editus per modum Investituræ. Quæ posteriora verba hoc volunt, Præmissum esse huic Tractatui Investituram, & eam deinceps ejusque singula verba & phrases explicari in

dicto

dicto Tractatu. Prodiit Tridini anno 1520. & subjicitur Tractatus ejusdem de Homagiis.

De Sancto Georgio (Johannes Antonius) Ecclesiæ Dn. Ambrosii Mediolanensis Præpositus & Cardinalis deinceps Alexandrinus Apostolicæ Sedis Referendarius & Sacri Palatii auditor fuit. Eum JCtum Consummatissimum ejusque *Lecturam auream & rarissimam* appellat, prima ejus Tridini anno 1511. per Johannem de Ferrariis & Gerhardum de Zeris curata editio. Prælegit Tractatum hunc in Ticinensi Academiâ, quem deinceps expolivit manuque propriâ limatum rogatus dedit typis describendum Tridini, ut ubi concepta primò fuerat Lectura, ibi etiam prodiret in lucem, ut legitur in dicta Lecturâ in fine. Unde fortassis aliquis collegerit Tridinum esse eandem cum Civitate Ticinensi. Cæterùm deinceps anno 1534. secundâ Editione Lugduni prodiit summariis passim illustrata & aucta hæc editio, & tertia ibidem itidem curata apud hæredes Jacobi Suntæ anno 1548. quam secuta demum Francofurtensis anno 1598.

Schoneri (Johannis) Waltershovensis I. U. D. & Consiliarii Palatini *Libros Disputationum Feudalium* duos habemus. Elegans opus ac diligentiâ non vulgari conscriptum, quod ostendunt Auctores, quos adducit, & quorum authoritate ad absolvendum opus usum se esse scribit. Sacrum id esse voluit Friderico IV. Electori, ad quem ex Misnia confugerat, quòd Partes Crellianas & Religionem Reformatam secutus periculum sibi metueret, post fata Christiani Electoris Saxoniæ. Ab Electore ergò receptus Feudale Jus studiosis in Academia Heidelbergensi proposuit, idque legendo & disputando non negligenter tractavit. Unde nati libri, quos anno 1597. Francofurti typis describendos tradidit hæredibus Weichelianis in quarto, Anglis JCtis familiarem hunc Autorem ex Thoma Cragio apparet.

Schraderi (Ludolphi) Brunovicensis JCti celeberrimi Maximiliani II. & Rudolphi, Electorum quoque Brandeburgensium Joachimi II. & Johannis Georgii ac aliorum Germaniæ Principum Consiliarii in Academia Francofurtensi ad Oderam LL. Professoris Ordinarii ac Primarii, eodem, quo Henrici à Rosenthal opera, tempore, lucem vidit *Tractatus Feudalis*. Eum ipse in partes divisit 10. Scri-

ptum eſt ex accuratiſſimis, quod autori plus quàm viginti annorum labore conſtitit, ceu commemorat in præfatione Johannes Brandis Hildeshemenſis qui edidit. Deſtinaverat id ipſe Schraderus ſub incudem iterum vocare, ſed dum in eo eſt, fato fungitur, ac cum Bibliotheca ſua (cùm ipſi filii deeſſent) affini ſuo, quem nominavimus, hanc curam edendi tum hujus tum aliorum operum ipſius reliquit. Docuerat ipſe Schraderus per 30. annos in Bononienſi, Wittebergenſi & Francofurtanâ Academiis magno applauſu eruditorum. Illuſtria ſunt de opere hoc teſtimonia, quæ præfigi curavit affinis, Hartmanni Piſtoris, Joachimi à Beuſt, Eberhardi à Weihen, Hermanni Vulteji, Bauthii Treutleri, & planè inter Practicos nobis à Vultejo ſecundus eſſe videtur.

Scultz (Georgius) Leorino Sileſius U. J. D. & Facultatis Juridicæ in Academiâ Wittebergenſi Aſſeſſor inter alia, quibus profuit Jurisprudentiæ noſtræ *Synopſin* etiam exhibuit *Iuris Feudalis*, quo hodie utimur in Imperio Romano-Germanico. Ex optimis Juris Interpretibus & inſignioribus Practicis collectam, nec non Facultatum Juridicarum Scabinatuum & Judiciorum maximè Saxonicorum ſententiis, reſponſis & decretis illuſtratam. Præcipuam ſibi fuiſſe praxeos rationem eo in libro ipſe fatetur. Praxi, ait, potiùs, quantum quidem mihi adhuc de eâ conſtat, quæ obtineant, quàm quæ in ſcholis ſubtiliùs diſputari poſſunt, oſtendere placuit. Prodiit primùm anno 1630. in 12. Wittebergæ, recuſus modò Jenæ in octavo.

Schütz (Johann Helvicus) minor J. U D. Conſiliari. & Profeſſor Gieſſ. poſtea Judicii Cæſarei Aulici Conſiliarius, & demum Cancellarius Cellenſis *Tractatum* quoque *Feudalem MSStum* hactenus atque ineditum in Academiâ Gieſſenâ Diſcipulis ſuis dictavit. Conſtat Capitibus 12. Atque recentiora nonnulla attingit, inprimis illa quæ Klockius ſparſim ad doctrinam hanc ſpectantia libris ſuis inſeruit.

Schenk (Fridericus) Liber Baro à Tautenberg, ac ob eruditionem in Jure electus in Cameræ Imperialis Præſidem, *in Feuda commentatus eſt*, diſtinguit ipſe Feuda in tres libros ſecutus Alvarottum. Ob dignitatem Viri non modico in pretio fuit olim, & eſt hodieque liber ille impreſſus Coloniæ in octavo, anno 1600. cum Franciſco Sonsbecio & Udalrico Zaſio in octavo.

Sipen-

Sipenſtein (Guilielmum) *de Feudis* Heidelbergæ prodiiſſe anno 1584. invenio, ſed videre nondum contigit.

Sixtini (Regneri) JCti, Profeſſoris primùm Marburgenſis, dein Conſiliarii Maritii Haſſiæ Landgravii *Tractatus de Regalibus* extat. Is de materiâ hac olim Auditoribus ſuis in Marburgenſi Academia aliquid dictaverat, non tamen eo animo, ut in publicum ederetur. Cùm autem ſæpe & mendosè, ut fieri conſuevit, illa ederentur, in aliis quoque Academiis theſes indè conficerentur, ac publicè diſputarenrur, demum etiam vitioſiſſimè ac imperfectè & inſcio omnino Autore ederentur, ipſe illum correctum, multis modis auctum, & in duos libros diſtinctum Caſſellis primùm anno 1604. edidit, ac Mauritio Landgravio inſcripſit. Primo libro generaliter agit de Regalibus, altero commentatur ad Conſtitutionem Friderici I. *In Cap. unico quæ ſint Regalia.* Ex iis, quos vidi ipſe & legi, optimus eſt, & accuratiori præ reliquis cura conſcriptus, ut primus videatur dignum in hac materia feciſſe operæ pretium.

Sneidwini (Johannis) *Epitome* extat *in Vſus Feudorum* non tamen integra, ipſe enim eam abſolvere morte prohibitus eſt. Deſtinaverat libro partes novem. Aſt cùm in ſexta parte verſaretur, mortem oppetiit. Deſunt ergò ſeptima pars, qua agere deſtinaverat de Alienatione Feudi, octava de Feudi amiſſione, & nona de Controverſiis Feudalibus. Praxin inprimis & uſum opere illo ſpectavit, quod in præfatione etiam monent filii, qui poſt fata patris poſthumi hujus fœtus eam quæ extabat partem Jenæ in quarto edi curarunt, præmiſſa ad Saxoniæ Duces præfatione.

Snobelii (Joachimi) Profeſſoris Roſtochienſis *Exercitationes Feudales undecim* Roſtochii primùm, deinceps Jenæ repetitâ editione typis deſcriptæ ſunt. Brevitate ſua & illæ, inprimis conjunctâ, interdum cum uſu etiam erudito, & quòd hauſtæ ſint ex melioribus Feudiſtarum ſcriptis, etiam erudito Lectori diſplicere non poſſunt. Prodiit poſtrema editio in quarto, anno 1658.

Sonsbecii (Franciſci) Swolani *Tractatus* eodem, quo Zaſii ſcripta, tempore prodiit. Liber eſt elegans & ingenioſus. De eo illud extat Bronchorſtii *in Epiſtola Dedicatoriâ methodo Feudali* præmiſſa judicium: Inter cæteros Doctores nullum exactiùs vel ſubtiliùs Feudorum Jura Commentariis illuſtraſſe.

Stru-

Struvius (Georg. Adamus) Professor in Academiâ Jenensi Facultatis Juridicæ Senior, Judicii Provincialis & Scabinatus Assessor *Syntagma Iuris Feudalis* in lucem emisit, quo solida, ut habet Titulus, hujus juris fundamenta traduntur, textus perspicuè explicantur, Controversiæ nervosè resolvuntur, & quid usu obtineat, monetur. Ipse in Præfatione ad Lectorem deprehensurum ait Lectorem & agniturum se in plurimis non egisse actum, sed in id potissimùm intendisse ingenii nervos, ut quod in aliis fortè aliquis desiderare posset id ipse suppleret, & profectò ita res est, multa ipse babet, quæ alibi frustra quæras. (Mihi hæc proposita fuit meta, ut ad solida Principia & certa fundamenta JusFeudale revocarem, textus ipsos perspicuè exponerem, & quid juribus novissimis mutatum sit, quidve Usu observetur, monerem: additis nonnullibi notabilioribus à JCtorum Collegiis de propositis casibus latis sententiis & redditis responsis.) Constat Capitibus 16. Ac est inter Scriptores Feudorum optimos haud dubiè reponendus.

Suevus (Gothofredus) in Academia Wittebergensi Professor Jus Feudale docuit, & quæ docuerat publicè *Disputationibus* deinceps *aliquot* complexus Studiosæ Juventutis cedere in usum exercitii Disputatorii voluit. Extant illæ primùm Anno 1654. Deinceps anno 1658. auctiores editæ. Hunc ipse olim Præceptorem etiam habui in Jure Feudali, ac defendi ipso Præside in prima Editione Exercitationem quartam, de rebus quæ in Feudum dari possunt, Brevis est, perspicuus, & elegans, nec inter postremos numerandus. Addit & ipse, ad Carpzovii ut puto Exemplum, *Corollaria* quædam ad seriem Bullæ Aureæ disposita.

T.

Tilenius scripsit *Paratitla Institutionum Feudalium*. Ejus meminit Finckelthaus in præfatione ad Lectorem præmissâ Tractatui Ipsius feudali inscripto: *Controversiæ Feudales* Illustres undecim olim Disputationibus in Lipsiensi Academia propositæ.

Tractatus. Francofurti in Folio prodierunt *Tractatus de Feudis variorum* anno 1589. Nempe olim superiori seculo non rarò Francofurti unius materiæ celebriores sctiptores uno volumine typis describebantur. Utili tum Jurisprudentiæ tum Historiæ ac Literaturæ etiam melio-

ri

ti Instituto: ita simul habemus editos Criminales Scriptores, plures Autores de dote, Poetas Græcos omnes Historicos Latinos alios.

Commentator aliquis prodiit in lucem elegantioribus characteribus Lugduni in folio anno 1552. apud Johannem Pidierum cum notis Andreæ Barbatiæ siculi & eleganti, ut vocatur, Disputatione Johannis de Anania. Historiam vitæ ejus ex parte habet apud Forsterum in Historia Juris Civilis Romani, lib. 3.

In Academia Coloniensi anno 1593. prodiit *Fasciculus thesium* ex toto Juris Civilis Corpore depromptarum & publicè in celeberrimo laudatissimoque Coloniensi, Juridicæ Facultatis collegio disputando examinatarum & excussarum. In Fine Fasciculi *Disputationes* extant etiam *Feudales*, quibus breviter Jus Feudale explicatur. Lugduni Batavorum seculi hujus anno 13. Secundâ vice recusum in publicum adspexit *Breviarium Iuris Feudalis 12. Disputationibus succinctè comprehensum*, quas olim ex autoritate & Consensu Ordinis Juridicæ Facultatis totiusque Senatus Academici in celeberrimo Batavoram Lycæo disquirendas exercitii gratiâ proposuerunt & sine Præside disputarunt sex nobiles & Eruditissimi LL. Candidati, quorum nomina singulis disputationibus adscripta sunt. Edidit simul Johannes Patius typographus Academiæ in quarto.

V.

de Ubaldis (Baldus) Perusinus antea Bononiensis tum Ticinensis Academiæ Professor, quo illũ ob eruditionis præ reliquis suâ ætate JCtis præcipuam famam evocaverat Johannes Galeatius Mediolanensium Dux Anno 1393. *in Usus Feudorum Commentaria* scripsit. Hunc enim annum publicati hujus Tractatus disertè commemorat Msctum ejus Antiquum, quod in Bibliotheca stipendii Martiniani Tubingensis superest. Sequitur eundem cum Feudorum collectoribus ordinem & ad singula capita.

Vigelius (Nicolaus) de Dreisa Hessorum JCtus, *Iuris Feudalis tum controversi quàm certi librum unum* edidit Basileæ in octavo, anno 1576. eumque Maximiliano II. Romanorum Imperatori inscripsit. Præmisit hanc operam speciminis loco iis operibus, quibus Jus Civile & Cano-

nonicum novâ Methodo illustrare nitebatur. Complexus est Libro non solùm quæ Jure Feudali, sed etiam quæ ab Interpp. ipsius tradita sunt, Ita ut distinguat necessaria ab iis quæ probabilitatem habent, controversa à certis, ut ipse loquitur *in præfat*.

Vilanchus (Johannes) de Marsilia *Summam super Usibus Feudorum* composuit. Typis excusa est in Civitate Astensi anno 1578. in folio, ac deinceps multis vocibus & orationibus, quæ passim deficiebant in textu truncato & mutilo, emendata & restituta studio Henrici Kerckman Legum Candidati anno 1564. in octavo.

Vultejus (Hermannus) Hassus, ac in Academiâ Marburgensi Professor, *Libros de Feudis eorundemque Iure duos* edidit. Inscripsit illos primùm Principi Mauritio Hassiæ Land Gravio anno 1595. cùm jura professus esset annos quindecim. Subinde deinceps accesserunt quædam ita ut editio quinta, quæ ultima edita fuit, adeò aucta prodierit Francofurti apud Johannem Bernerum & Henricum Heinen, ut planè nova videri possit. Produxit nempe diu ætatem Vultejus, cùm per quinquaginta ampliùs annos in Conjugio vixerit, atque adjecit indè ex penu autorum aliorum, Rosenthalii etiam & Schraderi observatis, non pauca libris hisce. In libris his judicium, industria, eruditio viri omnia eximia sunt. Quæ causa, quare in Camera præcipua ejus sententiæ in Causis Feudalibus habeatur ratio. Neque dubitem illi inter Practicos primum tribuere locum. Ejus Commentarium de Feudis accuratum nominat Hubertus Giphanius Consiliarius Imperatoris literis illis, quibus commendat Rittershusii Partitiones. Eodem anno 1595. quo prima prodiit Editio Tractatus hujus, Abbati Hersfeldensi Joachimo inscripsit Exegesin Feudalem, quâ brevissimè Feudorum Jura non addito textu nec Interpretum Nominibus exequitur.

W.

Wesembecius (Matthæus) Tractatum *de Feudis* ipse Wittebergæ anno 1584. ætatis 53. edidit. Eum, cùm olim in Academia Wittebergensi prælectionibus absolveret, & ipso inscio & invito typographus publicaverat, quod docet Præfatio, quâ illum Christiano Saxoniæ Duci inscribit. Tractatus est non contemnendus. In hunc Tractatum Conradus Pleifius, J. U. D. Illustrium Notarum librum singularem

Fran-

Francofurti apud Zachariam Palthenium edidit anno 1611. in octavo, quem horis subcisivis ex præcipuis Feudorum Auctoribus se congessisse,& ad utilitatem tam in scholis quàm in foro versantium se edidisse ait.

Wurmserus (Johannes) Academiæ Tubingensis Professor Tractatum edidit anno 1657. *de Feudis Impropriis*, quam libro Inscriptionem esse voluit. Cæterùm agit circa initia de Divisionibus Feudorum in Universum ac etiam de Definitione continet quædam ab aliis non perinde observata, ac dignus est qui legatur propter Autores etiam recentiores, quorum sententias, quæ huc pertinent, quæstionibus singulis unà cum rationibus adscripsit. Ultimus hic Wurmseri fœctus lucem vidit Tubingæ editus in octavo, Inscriptus est Eberhardo Würtembergiæ Duci, cujus voluntate scriptus erat.

Z.

Zasius (Hudalricus) Professor tum adhuc Triburgensis *in Feuda tractatum* edidit, qui seorsim extat & adjunctus quoque est *Schenckio* in editione Coloniensi. Ejus magna Authoritas, fuit enim ipse deinceps Imperatoris & Imperii Vice-Cancellarius.

Zœsius Amersfortius JCtus,& in Lovaniensi Academia Professor Ordinarius, Juris Feudalis Analyticam Expositionem edidit. Brevis ea est & succincta, constat capitulis 17. Inscriptio Tractatus est: *Prælectiones Feudales* Lovanii extra ordinem anno 1623. habitæ. Editæ sunt cum Gudelino Coloniæ in octavo, anno 1663. & Lovanii hoc anno.

Zobelli *Institutiones Iuris Feudalis* in quarto. Continent Juris Saxonici Feudalis præcipua, ac fuerunt eo nemine olim in pretio, nunc recentioribus Struvii, Finckelthusii, Carpzovii, Suevi laboribus haud immeritò palmam cedunt.

POSITIONUM JURIS FEUDALIS CONTROVERSI DECADES XVI.

B. L. S.

QUas hîc cernis Theſes, Lector Benevole, ut iterum typis permitteret, difficulter adduci potuit Autor. Cujus, cùm facilè alioquin cultoribus & amicis honeſta petentibus, quæ rogant, indulgere conſueverit, eam præcipuè cauſam eſſe reor, quòd, cùm aliorum virorum doctorum labores pro merito æſtimet, ſua, quibus orbis tamen eruditi applauſum impetravit, ſcripta infra illorum dignitatem deſpiciat. Quod niſi mecum ex amicis aliquot, ferè importunis admonitionibus, moleſtos habuiſſet, etiam impediviſſet, quod tam ſerò permiſit. Cùm tamen ex uſu Juriſprudentiæ Feudalis eſſe exiſtimarem, diu divenditis exemplaribus, libellum exiguæ molis, ſed magni uſus, non diutiùs fruſtra à Juris Feudalis Studioſis deſiderari, inprimis cum editis libris ejus mentionẽ honorificam fieri obſervaſſem, me potiſſimũ impellente, ut Typographo traderetur, annuit, adjectâ tamen conditione, ut in me reci-

reciperem onus explicandi ipsius consilii, cùm primum illum in Tubingensi Academia conscriberet, quod lectionibus publicis, interdum quoque domi suæ, cùm aliis, tum mihi etiam, exposuerat. Cùm ergo in Celeberrima Tubingensi jus tum Feudale doceret, ac commissam sibi spartam ornare animum induxisset, inter tot Commentatores ac Scriptores juris hujus, superesse tamen abundè ajebat, quibus ipse etiam aliique prodesse huic Jurisprudentiæ parti possent. Eorum unum erat, textus locis pluribus, hodieque manifestò corrupti restitutio; alterum, earum sententiarum, ubi hodieque scriptores in diversa eunt, collectio, si accederet post maturam expensionem argumentorum, quæ utrinque afferuntur, judicium, ac saltem præcipua, quæ animum in istam sententiam traxisset, ratio, ac usus nostri præterea temporis. Insuper, quod ex ætate prioribus, Matthæus de Afflictis, pro sui temporis & loci ratione, non ineptè præstiterat, ut ad singula capita juris Feudalis daret Commentarium, id à quodam suscipi muneris, collatis in eam rem hoc erudito ævo recentiorum scriptis, mirificè optabat, ac, si deesset alius, ipse tale quid animo volvebat. Quòd præterea is, qui hodie est, ordo capitum juris Feudalis, ad leges exactas methodi parùm congruat, destinaverat edere è membranaceo, qui unus hodie superest, codice, Antonii Mericutii de Prato Veteri collectionem novam, jussu Collegii Bononiensis factam, & Sigis-

mundo ac Friderico Imperatoribus, ut deinceps loco ejus quo nunc utimur esset, oblatam, quam alii etiam ab Imperatore approbatam ajunt. Cúmque multum in omni doctrinæ genere conducat, scire, quibus autoribus proficere possis, de scriptoribus juris Feudalis, integro libro agere animum induxerat. Quinimo postremum illud jam absolvisse eum, mecum, quotquot ipsum Tubingæ docentem audivimus, norunt. Consueverat enim, cùm lectiones juris feudalis inciperet, per plures septimanas, de Libris & Scriptoribus juris illius, quotquot ad illius notitiam pervenerant, quorum immensus, ac propemodum incredibilis erat numerus, pluribus agere, & qui fuissent illi, quos libros, qua occasione, conscripsissent, ubi lucem vidissent, addito etiam, de illis quos legisset, suo, de aliis, aliorum judicio, exponere. Nec parùm ista tractantem se adjutum fatebatur commoditate loci, ubi, præter eximiam, quam ipse habebat, librorum suppellectilem, Bibliothecas reperisset, libris feudalibus instructas plures. Inter illas erat ista Martiniani Stipendii, cujus dominum, eo ipso tempore, quo typographicæ artis inventione multum incrementi bonis literis accessit, vixisse constat. Fuerat autem præterea, juris Canonici & Feudalis studiosissimus, & haud perfunctoriè, quicquid isto seculo ejus argumenti lucem viderat, conquisiverat. Erat ibi tum quoque, estque, ut arbitror, hodieque Grempiana, instructissima Bibliotheca,

quæ

quæ Bibliothecæ universitatis partem facit maximam, cujus possessor, Feudales libros ab initio seculi sequentis non negligenter coëmerat. Quæ his deerant, Boceri (qui diu Tubingæ jus Feudale docuerat) Bibliotheca suppeditabat. Ipse demum operam dabat, ut eorum, quæ postea edita erant, nihil facile desideraret. Sumptibus equidem nullis aut industriæ pepercit, ut recentiores quosvis, & si qui deessent, ex antiquioribus sibi pararet; Nam ex Angliâ etiam, & Sicilia, ac urbe Neapolitana, allatos huic fini libros, Auditores tum illius vidimus. De restituendo quoque textu multum, non cogitasse modò, sed etiam laborasse, novi. Et vidi fasciculum Chartarum, quo ipse tres ex Martiniana Bibliothecâ acceptos antiquos, ac editorum primos Codices, unum Basileensem, secundum Venetum, tertium, si rectè memini, Lugdunensem, omnes pluribus ante M. D. annis typis descriptos, MStum unum, quem ipse habebat, membranaceum, cum eo quem Gothofredus edidit textu, contulerat, abesseque tum MSto, tum ab antiquis editionibus, aliquot centenis locis, Gothofredi textum, repererat, aliquando etiam iis, in quibus controversiæ celebris cardo vertitur. De editione Mericutii omitto aliquid addere iis, quæ ipse in Dissertatione de libris juris communis legi voluit, nisi quòd suspicer nondum editi operis illam esse causam, quòd Commentario vestitum, quàm nudum, in luminis auras prodire maluerit; quæ res tamen otium

desi-

desiderat, quo non abundare, Illustres Cameræ Imperialis Assessores, omnes facilè intelligunt. Sed ista quidem de cæteris, quæ circa jus Feudale vel cogitavit, vel perfecit, sufficiant: ad has, quæ nunc tertiùm eduntur, Positiones revertor. Paucis illæ, quod vides, paginis absolvuntur, facilè tamen, quanto labore authori constiterint, intelliget, qui vel unicam exercitationem perlegerit. Nam & scriptores Feudales, recentiores præcipuè, ad singulas controversias, omnes, quos habere potuit, excussisse, quod diligentiæ haud vulgaris: & accuratè expensis rationibus, sententiam dixisse, quod judicii exacti, & ea quæ nunc inter Dd. ad certitudinem aliquam redacta sunt, à dubiis & controversis separasse, quod utriusque est, ipsæ Positiones ostendunt. Ratio autem ipsius instituti, cùm hoc aggrederetur, ista erat; primò quidem controversiæ, non cujuscunque, sed quæ duraret adhuc, Doctoribus recentioribus quibusdam hanc, aliis aliam sententiam probantibus, statum, cum cura & perspicuè proponere, (qua parte, utinam non sæpe, interdum de industria, quò disputationi, ut ajunt, ansa detur, in isto genere Exercitationum peccatum esset, etiam à peritis hujus juris scriptoribus, non sine discipulorum damno) deinceps lectis diligenter autoribus, eorum, qui uni aut alteri addicti essent sententiæ, nomina adscribere. Quo loco dubitare aliquis de consilio autoris nostri possit, cur non rationes etiam addiderit omnes, quas

apud

apud scriptores reperit: Iterum, cur capitum aut thesium numeros adducere supersederit: quod ille utrumque, industriâ & studio omittendum putavit. Præterquam enim, quòd rationes istas, & numeros, jam tum Auditores ex lectionibus ipsius publicis excepissent, illa quoque, quæ facilè apud authores adductos cuivis reperire integrum esset, iterum describere, in isto inprimis quod sibi justis ex causis proposuerat brevitatis studio, non magni judicii esse existimavit, cujus potiorem semper in scriptis suis rationem illum habuisse, constat. Atque adeò, qui rationes omnes videre desiderat, is sibi abùndè satisfecerit, excusso uno vel altero eorum, qui hic nominantur, scriptorum. Nec difficile fuerit reperire ipsum adducti autoris locum cùm plerumque Exercitationis inscriptio eadem sit, cum Autoris allegato Capite; & si discrepet, illud innuatur. Præterea id Autori nostro studium fuit, ut cui ipse sententiæ standum esse existimaret, adjiceret; ac ne quis temere unam alteri prælatam putet, rationem præcipuam, quâ ducitur, plerumque, ac saltem non semper ipse indicat, quemadmodum & illud, quæ sententia textui conveniat, quam consuetudo probet, vel Camera Imperialis, aut JCtorum Collegia sequantur. Illud quoque non putavi prætermittendum, quod commemorantem aliquando audivi, falli eum, qui existimaverit, ex his positionibus addisci posse Jus Feudale, quod id ne in mentem quidem venerit

nerit earum Autori, cùm illas in chartam conjiceret. Quare Juris Feudalis ſtudioſis ſuadebat, Ludwellum, Snobelium, Vultejum, alium quendam, id in univerſum methodicè tractantem, initio legerent, eumque in ſuccum, quod dicitur, & ſanguinem verterent: illos deinde, qui quæ præcipuæ inter noſtri ævi JCtos controverſiæ ſuperſunt, intelligere compendio deſiderarent, poſſe, ſi vellent has poſitiones, addere. Duas Decurias adjicere animo deſtinarat, quarum alterius argumentum elegerat *Debita feudalia*, unius enim quale eſſe voluerit, non rectè memini, quódque illas exſpectaret typographus, dilata eſt non nihil editio; ſed cùm interim ſpes illa decollavit, evocato à S. C. Majeſtate ad ſupremam Cameræ Imperialis curiam, Dn. Autore boni conſulere decet iſta. Scio interim Carpzovium illum Diſſertatione de *Oneribus Vaſalli Feudalis*, & Struvium, circa iſtius generis controverſias, reliquis prætuliſſe. Hæc habui, Lector Benevole, quæ te admonerem: Id unum rogans, ut ſi prolixiore Te, quàm par erat ſermone, compellatum exiſtimes, id affectu meo, erga Authorem, optimè de me olim meritum Præceptorem, & publici boni ſtudio, excuſatum habere velis.

F. P. L. E.

Poſitio-

POSITIONUM JURIS FEUDALIS CONTROVERSI DECAS I.

De Definitione, Origine & Libris Feudorum.

I.

FEudum (quod à fide, non aliunde appellatum esse judicamus) rectè describi posse videtur. Quòd sit, *Vsusfructus quidam, rei, vel Naturâ, vel Iuris intellectu, immobilis, concessus ex benevolentia Domini, sub lege mutuæ fidelitatis, & obsequii illius, cui datur.*

II. Minus rectè ergò aliqui, vel per contractum cum Rittershusio, vel per beneficium cum Finckelthusio definiunt, vel fidei, solùm in persona Vasalli, in descriptionibus suis, mentionem faciunt.

III. Usus fructus tamen Feudalis & Personalis plurimùm differunt, ut rectissimè observat Dn. Struvius.

IV. Feudorum prima origo, nec à Prima Monarchia cum Niellio, nec à Romanorum clientelis cum Zasio, aut hominibus cum Cujacio, vel agris limitaneis cum Taurello, nec à Gallis antiquioribus cum Connano, aut tempore Caroli Magni cum Thoma Franzio, neque à Longobardis cum plerisque, aut Germanicis gentibus cum recentioribus nonnullis, rectè repeti potest. Quando enim de Origine rei quæstio est, prima ejus investigantur initia. Ut Feuda autem, uno eodemque momento, nullo intercedente temporis intervallo, apud diversas, & plures gentes, cœperint, fidem omnino superat.

rat. Rectiùs dixissent, Feudorum originem ex Germania repetendam; id enim verum fuerit, si ostendatur, aliquem Germaniæ populum primum cœpisse Feudis uti.

V. Feuda, etiam Asiatici populi, Japponenses, ut, post Molinam, nuperrimè, Præses Negotiorum Belgicorum in Japponiâ Franciscus Caron, in descriptione vera regni Japponensis, & Siamenses, ut Director Negotiorum Belgicorum Schoutenius, in Belgica regni illius descriptione, docuerunt, hodieque habent, & habuerunt pridem. An autem antè Asiatici, an Europæi populi, Feuda possederint? propter Historiæ Asiaticæ, inprimis in Europa, defectum, hactenus vix sciri posse, existimamus.

VI. Inter Europæas tamen gentes, prima Feudorum nobis hactenus observata mentio, est in Historia Francorum. Locus est apud Aimonium *lib. 1. Ann. cap. 14. Cùm Clodovæus regnum suum ad Sequanam usque, ac postmodum Ligerim, ampliasset, Milodunum castrum, eidem Aureliano, cum totius Ducatis Regionis, Iure beneficii concessit.* adde *Greg. Turonensem lib. 3. c. 21.* & inprimis Alteserra libro *de Origine Feudorum.*

VII. Feudalia Jura non solùm sunt, vel fuerunt, Longobardica illa, quæ libris Feudorum, (qui hodie in Corpore Juris extant) continentur, quod vulgò creditur; sed sua olim Anglis, Burgundionibus, Vandalis, Alemannis, Francis, Saxonibus, de Feudis pecularia Jura fuere, & sunt etiam hodieque nonnullis aliis gentibus. De eo tamen, an Gothis olim Feuda, & peculiaria Feudorum jura, fuerint? quod Hugo Grotius, Heigius, Hotomannus existimant, non immeritò dubitamus.

VIII. Libri Feudorum, (qui quicquid in contrarium asserat in Notis ad Capitul. Caroli V. Limnæus) plenam in Germania Juris authoritatem habent, ac in multis Europæ locis, etiam aliquando iis, ubi Jus commune nostrum non receptum est, observantur (rectè notante nuper Thoma Cragio Anglo) non rectè autores habere dicuntur, vel solum Obertum, quæ Molinæi, Wesembecii, & Marantæ est sententia; vel Obertum & Gerhardum Nigrum simul; quamvis eam communem & inveteratam sententiam, ex Schradero & Hanneto-

netone, dicat Riccius. Sed nec separatim Gerhardus solius libri primi, Obertus secundi, &, qui eum, juxta non nullorum computationem, excipit, tertii, autores (quod placuit Cujacio, Borcholto, Gifanio) certis argumentis demonstrari possunt.

IX. Unum solum librum Feudorum, sub nomine decimæ collationis, Odofredus, & antiquissima editio Feudorum quæ est Tubingæ in Bibliotheca Stipendii Martiniani, duos Glossa & Dd. communiter, Alvarottus tres, Cujacius quinque agnoscit. Antonius Mericutius, de Prato veteri, novam collectionem Bononiensem, (quam tantopere expetunt eruditi, & cujus, unicum quod quidem hodie superest MSS. exemplum, in Bibliotheca nostra, pulcherrimè in Membrana descriptum, servamus,) in sex libros distinguit. Nobis ut melior & commodior, cum Dn. Bitschio, videtur Cujacii, optima autem Mericutii distinctio; ita tamen, adhuc in Scholis & Judiciis, plerumque servari glossæ distinctionem in duos libros, agnoscimus, quam & retinuit Gothofredus, subjectis tamen è Cujacio, quæ in ea desiderantur, capitulis.

X. Capitula Extraordinaria, quæ à Cujacio restituta credimus, habentur quidem etiam in collectione Mericutii nostri, sed illis subjicitur, quod addimus. *Constitutiones illæ extravagantes & decreta, quamvis in nulla compilatione ponantur, sparsim tamen collecta in summa sua posuit Dn. Iac. Ardiz. & Iacobus Alph. in lectura sua Feudorum, in fine posuit.* Unde patet, verum esse, quod hactenus plerique Feudalis Juris Doctores tuentur, quicquid etiam in adversum disputet Cujacius, summus cætera Juris Consultus, Juris autoritatem capitula illa hodie non habere. Addere possumus autem Cujacianis illis, extraordinaria hujusmodi capita, plus quàm decem, hactenus incognita, ac quæ Cujacius non viderat, ex Mericutio nostro.

DECAS II.

De

Divisionibus Feudorum.

I.

NOn rectè distingui Feuda, in propria & impropria, cum Hotomanno, Rittershusius autumat. Nos, ut communem, ita veram hanc distinctionem arbitramur, quam cum antiquis ac mediæ ætatis Feudistis, etiam recentiores, Magnif. Dn. Schutz, Ludwellus, Struvius, Schultzius, Carpzovius, Gotfrid. Suevus, Finkelthusius, Reusnerus, Vultejus, Obrechtus, Hattyserus, Rudingerus, Bronchorst, Camillus de la Ratha Casertæ Comes Neapolitanus, & Thomas Cragius Anglus, amplectuntur.

II. Feudum Nobile esse, quod nobilitat eum cui conceditur, vel cui nobilitandi vis inest, negant Vultejus, Obrechtus, Niellius, Ludvvel, Dn. Struvius, Dn. Carpzovius, Dn. Snobelius, Schultz, Suevus, Reusnerus, qui & hanc negantem sententiam receptiorem esse ait. At contra asserunt veteres ferè omnes ad 2. F. 10. & ex recentioribus, Cragius, Gothofredus Antonii, Finckelthusius, Bitschius: cum quibus & faciunt, Gailius, Schenkius Baro, Cujacius, Antonius Contius, Rosenthal, Menochius, Sonsbecius, Borcholt, Zasius, & Rudingerus. Nos, ut minimè dubiamus, refelli experientiâ, & ipsorum primæ sententiæ patronorum testimoniis, quod Reusnerus dixit; ita pro postremâ, quæ magis cum textibus Juris Feudalis convenit, nec rationi adversatur, pugnabimus.

III. Feuda Regalia, Fahnlehen/ (quæ, utut olim per vexilla, moribus nostris, in Imperio, per ensem conferuntur, testante experientiâ Aulæ Imperatoriæ, & monentibus jam Dn. Schutzio, Limnæo, Besoldo) Jure Feudali, quale id in libris Feudorum descriptum extat, inter alia, à non Regalibus, etiam illo differunt, quod dividi non possint 2. F. 55. quam differentiam moribus nostris sublatam, ajunt Gailius, Scurfius, Borcholt, Rosenthal, Hotomannus, Christoph. Besol-

ſoldus, Ritterus, Georg Schultz, Guilhelmus, Antonii, ac ab ipſo adducti plurimi. Nos, ut certiſſimum habemus, dividi multa Feuda Regalia; ita generalem ejusmodi conſuetudinem non extare, exiſtimamus. Quod videmus etiam probari Johan. Georgio Beſoldo, qui Chriſtophori frater fuit, inter Tubing. *Conſ. 148. n. 17.* & plurimis adductis à Cothmanno *vol. 5. Reſp. 1.* ac poſt Bocerum, etiam Ludwello, Neoſtadio, & Grœnewegen. Ut adeò, ſecundùm doctrinam Henningi Gœden, hæc conſuetudo, alleganti probanda ſit.

IV. Feudum Antiquum, ſtrictè dictum, veteres id appellant, quod eſt acquiſitum ab alioquo Majorum ultra abavum: idque à paterno diverſum eſſe volunt: in quam ſententiam 27. Doctores adducit nuperrimè Camillus de La Ratha Caſertæ Comes, eaque probatur, præter ab ipſo adductos, etiam Weſenbecio, Borcholto, Sneidwino, Roſenthalio. Verior tamen eſt ſententia Dn. Schutzii, Ludwelli, Struvii, ac recentiorum communiter, qui nullam Jure Feudali agnoſcunt inter Paternum & Antiquum Feudum diſtinctionem.

V. Feudum Eccleſiaſticum, non ex perſonis dantis vel concedentis, ut nempe ab Eccleſia vel clerico concedatur, quod Hattyſerus; neque à perſona accipientis, quod Zaſius, Schraderus, Roſenthal volunt, appellari judicamus; neque cum Bocero, Giphanio, Carpzovio, requirimus neceſſariò, ut in re Eccleſiaſtica, & à perſona Eccleſiaſtica conſtituatur; Sed diviſionem Feudi Eccleſiaſtici, & ſecularis, cum Vultejo, Ludwello, Struvio, Suevo, Finckelthuſio, à materia, vel objecto deſumptam putamus: ut ſeculare ſit, quod in re profana, Eccleſiàſticum quod in Ecccleſiaſtica conſtituitur.

VI. Feudum Fœmininum eſſe improprium (quæ communiſſima hactenus eſt ſententia) nihil dubitamus. Quamvis noſtra ætate id à celeberrimo quodam JCto in dubium aliquod rationibus eſſe vocatum ſciamus.

VII. Mixtum Feudum, de quo primo Maſculus & Fœmina ſimul ſunt inveſtiti, non agnoſcunt quidem, ut diverſum quid ac diſtinctum à Maſculino & Fœminino Feudo, Carpzovius, Arumæus, Schutzius. Nobis non immeritò aliud videtur, cum Niellio, Hartmanno Piſtoris, Ludwello, & Dn. Struvio.

VIII. Di-

VIII. Distinctio Feudi in Hæreditarium & ex Pacto & Providentia, in Jure Feudali quidem nullibi expressis verbis legitur; ei tamen planè contraria, quod Fachinæus, Hartmannus Pistoris, Carpzovius, existimant, non est; sed meritò etiam hoc Jure à Dn. Struvio toleratur. In praxi autem receptissimam esse, nec ab ea temerè recedendum, passim monent Doctores. In Hollandia tamen, & aliis Provinciis, ubi Feuda ad formam allodialium bonorum redacta sunt, nullum esse distinctionis hujus usum; sed feuda, secundùm communem, Jure civili præscriptum succedendi ordinem, ad hæredes transire, tradit Cyprianus Regnerus ab Osterga in Not. ad cap. 1. Meth. Feud. Everhardi Bronchorst. sub lit. r.

IX. Feudum ex pacto & providentia, rectè, cum Vultejo, Gothofredo Antonio, Dn. Struvio, Suevo, ac aliis describi posse arbitramur: In quo succeditur Jure sanguinis, secundùm dispositionem Juris Feudalis. Hæreditarium, in quo succeditur Jure Hæreditario, non ex Providentia Juris Feudalis, sed ex Juris communis dispositione, Quamvis eas descriptiones minimè admittat Ludwellus.

X. Distinctionem Feudi, in *Ligium* & *non Ligium*, Jure Feudali vix defendi posse, putat quidem, cum *Hotomanno*, *Vultejus*, *Gifanius*, *Suevus*, *Finckelthusius*, ac alii quidam Doctores, consuetudinum Feudalium non vulgariter periti. Quia tamen Imp. Lotharius 2. *F.* 52. disertè scribit: *Quidam miles beneficia à duobus Dominis, prout solitum est, acquisivit, qui decedens, duos reliquit filios, qui paterna beneficia inter se dividentes, alter eorum, Domino suo, pro beneficio quod ad eum pervenit, fidelitatem, nullo anteposito*, (atque tale feudum dicunt Doctores Ligium,) *sicut pater fecerat, fecit. Alter verò frater, pro suo beneficio, alteri Domino suo, similiter, quia nullum alium Dominum habere videbatur, nullo anteposito fidelitatem fecit.* & cap. 2. F. 7. excipitur in nonnullis Feudis, *Imperator, vel Rex*, & in 2. F. 28. in fine, etiam *antiquior dominus.* adeòque res ipsa, quæ his notionibus exprimitur, in ipsis Juris Feudalis ordinariis Capitulis legitur: In extraordinariis autem 2. *F.* 99. legimus etiam vocem Feudi Ligii. *Si quis*, (ait ibi autor Capituli) *investitus de Feudo Ligio, pro quo contra omnes Fidelitatem domino debet*;) ideo non dubitamus, hanc distinctionem, ut genuinam, & juri quoque feudali cognitam, agnoscere. Atque probant illam DD.

com-

communiter, teste Ludwello, qui & pro ea adducit *Baldum*, *Alvarottum*, *Rebuffum*, *Duarenum*, *Jac. de Georgio*, *Borcholt*: *Sonsbecium*, *Rosenthal.* Quibus addi possunt, *Zabarella*, *Wesenbecius*, *Mozzius*, *Sneidvvinus*; *Klingius*, *Montanus*, *Chassanæus*, *Clarus*, *Schroderus*, *è recentioribus*, *Dn. Schutz in MSS. lectionibus ad Ius Feudale*, *Scultz*, *Autores Breviarii Iuris Feudalis*, *Lugduni Batavorum anno 1612. editi*, *Camillus de La Ratha Casertæ Comes*, *Dn. Snobelius*, *Thomas Cragius Anglus*, cujus tamen Assertum, [*omne Feudum Regale esse Ligium, & contra non Regale non Ligium*, nostrum non facimus.) Quod objicere aliquis posset, vasallum contra omnes excepto Imperatore solo, fidelitatem promittere, & per accidens saltem evenire, ut antiquior Dominus excipiatur, id potiùs nostram opinionem confirmat, ut rectè ostendit, *p. 89. Tractatum Feudalium*, Ludwellus. Et cap. 99. 2. *F.* extraordinarium quidem est; nihil vetat autem, etiam extraordinariis uti, ad declarationem, aut confirmationem eorum, quæ in ordinariis dubium movent. Objicere aliquis etiam posset, (quod circa caput 52. 2. Feud. notavit in MSS. Commentariis Bitschius) illius capituli §. *2. Satis bene*: esse supposititiam. Sed id quidem, quâ specie veri asseri possit, cùm in antiquissimis MSS. collectionibus, & editis omnibus, ac etiam Mericutii nostri membranis, extet, non videmus.

DECAS III.

De

Divisionibus, Substantialibus, Naturalibus, & Accidentalibus Feudi.

I.

FAlluntur, quotquot omnes Feudorum distinctiones se collegisse, vel colligere posse, existimant. Nec Rebuffum, qui 20, Alvarottum, qui 22, Johannem Thomam de Marinis, qui centum & decem divisionibus rem efficere tentavit, excipimus. Quod satis docent, ignotæ omnibus his, Feudorum species Belgicæ, Sandæo, Neapolita-

næ, Camillo de La Ratha, Gallicæ & Anglicæ, Thomæ Cragio commemoratæ.

II. Prædia appellata Belgarum nonnullis Sonnen-Lehn / quorum mentio est apud Fridericum à Sande in *Commentario ad Consuetudines Geldriæ & Zutphaniæ Feudales*, & apud Henricum Salmuth in *Responso Iuris pro matrim. Principis cum Virgine nobili*, nec ipsa, nec jus, quod in illis possessori vel Domino competit, Feuda rectè appellantur; nec ideò ad certam Feudorum speciem rectè revocantur.

III. Non omnia Anglorum & Gallorum Feuda, quæ nominibus à nostris differunt, re etiam discrepant. Quod enim *Cragio Blancum* est, ab eo, quod nostris *Francum* dicitur, quod *Burgale* ipsi appellant, à *Plebejo* nostro, nihil discrepat; sed & distinctio inter *Conquæstum Feudum* & *Hæreditatem*, eadem est cum nostra in *Feudum Antiquum* & *Novum*. Illa verò, in *Militare* & *Socagium*, eadem est cum illa, *quando pro feudo præstantur servitia militaria*, vel, *alia à militaribus*. Diversa tamen est ratio Feudi ipsis dicti ad *Manum Mortuam*, & Feudorum, quæ vocant *Magnam Serendriam*, *Parvam Serendriam*. *Corvagium*, *Scutagium*, tum *quæ talliata* illis & *simplicia*, Neapolitanis *Feuda Thenasiæ*, Gallis *Feuda Eleemosynaria* dicuntur. Ea enim, ad formam nostratium Feudorum aliquam specialem, non facilè quis revocaverit.

IV. Quid sit Feudum *in Curte*, quid *Feudum extra Curtem*, variè discrepant Dd. Nos (licèt aliter sentiant, nec ipsi tamen inter se concordes, Cujacius, Schenck Baro, Camillus de la Ratha, Vultejus, Borcholt, Niellius, & nuperrimè Dn. Struvius,) ut communiorem, ita veriorem judicamus eorum sententiam, qui Feudum *in Curte* definiunt, *quod Vasallus in Domini territorio*. Extra Curtē *quod in prædiis, quæ in alieno territorio habet Dominus, possidet*: quam videmus probari Antecessoribus nostris, Bocero, Wurmsero, & post veteres plurimos, è recentioribus Dnn. Schutzio, Schulzio, Rittershusio, Finckelthusio, Gudelino, Hunnio, Reusnero, Ludwello, Carpzovio.

V. Feudum Ecclesiasticum, à Seculari, non differt ea ratione, quòd in eo etiam fœminæ succedant, quicquid existimet Garzon *Tractat. de fœm. ad feud. recipiend.* Knichen, & Menochius. Sed illæ,

læ,si in hujusmodi feudo succedunt,non ex natura ejus,verùm ex pacto, privilegio, statuto, vel consuetudine, succedunt,ut rectè, inter alios, Finckelthusius, Suevus,Gotfrid Antonius, Wernerus Thummermuth, Carpzovius,Schultzius, observant. Unde cum priorum sententia pugnare experientiam, bene monent, Rosenthal, Nicolaus Everhardus, & Fichardus. Sed & illud discrimen Feudi Ecclesiastici & Secularis, quòd in Seculari juramentum fidelitatis præstetur,in Ecclestastico non item, quamvis Obrechto & Mæstertio probatum, meritò tamen ab aliis rejicitur. Quin nec postrema etiam illa Mæstertii differentia, quando pro feudo Eccleſiſtico libellum perpetuum pro media parte dari non posse,in Seculari posse,judicat, momenti alicujus est.

VI. Essentia & Natura, Methaphysicis quidem Scriptoribus etiam, & inter eos Principi eorum Suarezio, idem significant. Et in jure Civili,ac Feudali,*Substantia*, *Essentia*,*Natura*, nihil aliquando diversum denotant. Unde Substantialia, (quæ alii vocant Essentialia Feudi,à Naturalibus nihil differre volunt,Cujacius,Gyphanius,Borcholt, Contius, Duarenus. Verior tamen est Boceri,Zasii, Corasii, Peckii,Mozzii,Schraderi,Rittershusii,Ludwelli,Struvii, Bronchorstii,& aliorum,hæc in Feudis rectè distinguentium,sententia.

VII. Quid sint *Substantialia*,quid *Naturalia*,quid *Accidentalia* feudi, Dd. immanè quantum discrepant; Atq; integris tractatibus ea de re actum est à Feudistis. Nemo autem negotiũ majori acumine, brevitate ac veritate, expedivisse videtur Dn. Georgio Adamo Struvio, quando ea quæ de feudo prædicantur ut genus, ut differentia, vel ut proprium,*Substantialia* esse ait: quæ ut accidens, *Accidentalia* generaliter dicta. E quibus illa,quæ ex essentia quodammodo fluere videntur,ac juris authoritate in feudo ita sunt,ut nisi aliter convenerit,semper adsint,*Naturalia*; reliqua, quæ ex conventione Domini & Vasalli accedunt, *Accidentalia strictè dicta*, rectè judicat.

VIII. Ad Substantialia ergò tria illa referimus, ut *non plena proprietas,sed Usufructus feudalis alicui sit in feudo constitutus*, ut 2. id *factum sit in re immobili*; licèt id ad substantialia minimè pertinere putent Bocerus & Carpzovius; ut 3. fiat *sub obligatione fidei mutuæ inter*

Dominum & Vasallum. Neque solam fidem de Substantia feudi esse, quod Bocero; neque inter substantialia etiam computari debere juramentum fidelitatis, quod Johanni Gemmelio Cancellario Hennenbergico placuit, cum veritate congruere existimamus.

IX. Substantialia hæc à feudo nullo abesse possunt; si absint, feudum, nisi æquivocè tale, esse non potest.

X. Ad Naturalia, (nonnullis naturalia externa appellata, ad discrimen substantialium, quæ illis naturalia sunt interna) rectè refertur *Iuramentum fidelitatis, Servitiorum præstatio, Renovatio Investituræ, ut refutari, & subinfeudari feudum possit, ac ut sit Masculinum.* Quæ pactis mutari possunt, ita tamen, ut si eorum mutetur aliquid, feudum vocetur improprium. At ista accidentalia sunt, si conveniat, *Feudum à servitiis fore liberum*; si ad *servitia insolita & nova astringatur Vasallus*, & ejus generis alia.

DECAS IV.

De

Personis Feuda dantibus & accipientibus.

I.

IMperator Romano-Germanicus, non saltem de bonis propriis & patrimonialibus; sed etiam de Feudis Imperii vacantibus alios investire potest. Quod ipsi antiquissimis temporibus, etiam circa Feuda Regalia licuisse, non dubitamus. Hodie tamen, Regalia & majoris momenti Feuda Imperii, (**so etwas mercklich es eintragen / als Fürstenthume / Graffschafften / Städte und dergleichen** / quæ verba sunt Capitulationis ultimæ,) sine præscitu & consensu Electorum, **ohne Vorwissen der Churfürsten** / in feudum dare, aut eo nomine Exspectantias, ut vocant, concedere, per Capitulationes nequit; sed illorum reditus ad Imperii Usus, si quando vacent, servandi sunt. Ditionum tamen Hæreditariarum, (**der Erbländer**) Feuda Majora,

rectè,

rectè, etiam citra conſenſum Electorum, concedit. Quamvis autem Bocerus, de bonis ſolùm aliis vacantibus in Imperio, præter Feuda, hæc accipiat, ſecutus Sleidani errorem, qui quod eſt in Capitulationibus *feuda vacantia*, hoc in Hiſtoria ſua generalius vertit *bona vacantia*, ea tamen ſententia, verbis Capitulationum ſatis refellitur. Electoratus nihilominus Diſpoſitione hâc Capitulationis non comprehendi; ſed eo caſu, quo vacant, alium de illis inveſtiendum, veriſſima eſt, Struvii, Suevii, Carpzovii, Schützii utriusque, Arumæi, Rumelini, Limnæi, ſententia. An verò conſenſu Electorum in hac translatione opus ſit? diſcepratur. Negant Nicolaus Everhardus, Buxtorfius, & de Feudis vacantibus propter delictum, non item de illis, quæ ex defectu familiæ in alios transferuntur, Schutzius, & Stamlerus; affirmat generaliter Limnæus. Nos veritatem haud difficulter hic indagari poſſe, collatis cum Inſtrumento Pacis Capitulationibus, exiſtimamus. Atque ſi ſententiam noſtram aliquis ſcire expetat, eam in conflictu, data occaſione, explicabimus.

II. Ruſticum prohiberi Jure Feudali Feudum dare, exiſtimant ex antiquis, Iſernia, Paulus de Pico, Nicolaus de Neap. quos ſecuti ſunt Duarenus, Fachinæus, Niellius: eamque ſentenriam, ſi de Jure Feudali Longobardico, quod ſcriptũ habemus, quæratur, veriorem exiſtimat Curtius Junior. Nos, etiam iſto jure, veriſſimum putamus, concedi poſſe Feuda à Ruſticis, cum Dn. Schutzio, Zœſio, Rittero, Schultzio, Gothofredo Antonio, Roſenthalio, Ludwello, Hunnio, Bocero, Obrechto, aliis. Quam ſententiam meritò communem dixit Brunus. Ac ne de Jure quidem Saxonico hodierno dubitamus, Ruſticum Feudum dare poſſe, poſt Hartman. Hartmanni, Finckelthuſii, Coleri, Rauchbari, Carpzovii, Struvii teſtimonia, unanimiter aſſerentium, veteris Juris Saxonici rigorem, hac in parte, ceſſiſſe mitiori conſuetudini, quæ ruſticis hanc poteſtatem indulget.

III. Fœminæ rem ſuam in Feudum dare poſſunt, ut bene judicant, Zaſius, Janus ab Arcedura, Schultz, Ritterus, Finckelthuſius, Obrecht, Duarenus, Sonsbecius, Weſembecius, Vultejus, Rittershuſius, Reuſnerus, Suevus, Arnoldus, Corvinus, Zœſius, Ludwell, Mæſtertius. Unde & rectè hanc ſententiam communem appellat Sneidwinus.

winus. Atque ejus rei illustre Exemplum Gryphiander apud Arumæum exhibet. Requiritur tamen, ut hoc ei liceat, ne bona sua alioquin dissipet, & ut pudicè vivat, ac modum, qui in alienatione rerum ipsius necessarius est, observet. Quare, si consuetudine Provinciæ, vel Statuto, mulier, sine mariti aut alterius Curatoris consensu & authoritate, contrahere & alienare nequeat, eorum authoritas, & consensus, necessarius est, rectè monentibus Gudelino, & celeberrimo olim Academiæ Tübingensis Antecessore, Dn. Wibelio, in eximiæ eruditionis & industriæ tractatu posthumo *de Contractibus mulierum.* Quæ requisita, si non deficiant, non moramur Loriottum, Cujacium, Hotomannum, Hattyserum, qui fœminas feuda concedere posse negant.

IV. Gravissima inter Dd. Feudistas est controversia, *Pupillus & Minor, soli, absq; autoritate & consensu Tutoris & Curatoris, vetus beneficium renovare, & confirmare possint, an secus?* Affirmant indistinctè, post Baldum, Alvarottum, Andream de Isernia, Curtium Juniorem, Matthæum de Afflictis, Obrectus, Vultejus, Ritterhusius, Godofredus Antonii, Finckelthusius, Suevus, Bronchorst, Hanneton, Janus ab Arcedura. Negat simpliciter Zasius, & Schultzius, qui consentientes laudat, Sneidwinum, & Wesenbecium, eamque sententiam sine dubio observari tradit; ex parte verò, & de pupillo, Hotomannus, Duarenus, Sonsbecius. Nobis optimè controversiam hanc distinctione resolvisse videtur Ludwellus, pro cujus etiam sententia pugnabimus.

V. Etiam Inferior dignitate, Superiori Feudum dare potest; nec repugnat hunc ipsius esse Vasallum.

VI. Quæstio est, an Jure Feudali, quod libris illis, qui corpore Juris continentur, legitur, Clerici Feuda accipere possint. Dubitat post Zasium, Gothofredus Antonius; ita tamen, ut magis in negantem sententiam inclinet. Negat Petrus de Bella Pertica, Johannes Blanchus, Cujacius, Hottomannus, Niellius, Mozzius, Johannes Gemmelius. Nos sequimur haud immeritò ab his dissentientes, Schutzium, Duarenum, Eguinarium Baronem, Hunnium, Contium, Mæstertium, Gyphanium, Ludwell, Carpzovium, Bronchorst.

Quod

Quod de Jure Canonico,& consuetudinario, verissimum esse, testatur, cum aliis, etiam Gothofredus Antonii, in Gallia & Belgio observari docet Gudelinus, in Camera receptum esse Mynsingerus, & probari Praxi Saxonicâ fidem facit Hartmannus Pistoris. Sed nec Monachos excipimus, quamvis cum aliis nonnullis eos à Feudis arceat Bocerus.

VII. De pubere Minorenni, an sine consensu Curatoris novum Feudum accipere possit, communis ferè est Dd. Conclusio, posse. Negantem tamen partem sequuntur Sonsbecius, Scultzius, Hunius. Nobis neutra sententia simpliciter vera esse videtur, sed videndum antè, an Feudum sit Francum, an servitiis obnoxium. Francum feudum, Minorem, sine Curatoris consensu accipere posse, non ambigimus; at si servitiis obnoxium sit, distinguimus, an Curatorem habens, sine ejus consensu Feudum accipere voluerit? quod non potuisse illum validè, arbitramur: an verò non habens Curatorem, illud acceperit? quo casu illum id accipere posse, judicamus, *arg. l.3. C. de in integrum restitutionibus Minorum.*

VIII. Feudo filiofamiliâs dato, ususfructus non ad Patrem, sed filium pertinet, quæ vera est Matthæi de Afflictis, Forcatuli, Gothofredi Antonii, Vulteji, Mynsingeri, Wesembecii, Carpzovii, Schultzii, Borcholti, Bronchorstii, Finckelthusii, Schoneri, Schraderi, Hunnii, Jani ab Arcedura, Christinæi, Mæstertii, opinio. Nec destituitur tamen adversa sententia magnis autoribus, utpote, quæ Jacobo de Belvisio, Curtio Juniori, Sonsbecio, Bachovio ad Teutlerum, ac Dn. Schutzio, non displicuit.

IX. Spurios ad Feudum simpliciter admittunt, Baldus & Matthæus de Afflictis; admittendos negant, Dn. Schutz, Finckelthusius, Obrechtus, alii. Nos posterioribus adstipulamur; nec distinctionem Bocceri, inter Spurium ab extraneo, & à patre accipientem Feudum, admittendam putamus.

X. Jure Feudali communi prohibitum quidem non est, ut Collegia Clericorum, Ecclesiæ, Universitates, Feuda acquirere possint. At moribus nostris, pluribus in locis, Collegia hæc, & similia corpora, quæ Manus mortuæ dicuntur, res Immobiles, ac adeò Feuda, acquirere

quirere non possunt, nisi impetrata à Principe ejus rei gratia, (vulgò Amortizationem vocant,) quod in Belgio & Gallia usurpari Gudelinus, Petrus Gregorius, Bodinus, ac integro de *Amortizatione* Tractatu docuit Peckius: Et hujusmodi Statuta, in quàm plurimis quoque Germaniæ locis vigere, monuit Snobelius: eaque in Camera Imperiali approbari, & in Judicando observari, testatur Gailius.

DECAS V.

De

Rebus, quæ in Feudum dari possunt.

I.

AN in Feudum, Res etiam Mobilis sola dari possit? acriter disceptant Feudalis Juris Doctores. Asserunt, ita tamen ut hujusmodi Feudum improprium esse velint, Jacobus de Ardizone, Johannes Blanchus, Knichen, Dn. Struvius, & qui prolixè hanc sententiam tuetur Finckelthusius. Ac moribus, saltem Belgicis, in re mobili constitui posse Feudum, tradit Fridericus à Sande *Commentario in Geldriæ & Zutphaniæ consuetudines Feudales*, & Cyprianus Regnerus *in Notis ad Everhardi Bronchorstii Methodum Feudalem.* Et induci consuetudine posse, ut in pecuniâ Feudum constituatur, testantur quoque Wesembecius, Pruckman, Cothman, Kœppen, Scepliz, Knichen. Quin, Feudum in re mobili constitutum, etiam proprium esse, defendit Janus ab Arcedura. At, Feudum esse, quod in re mobili constituitur, negant Dd. communiter: inter illos, Jacobus de Belvisio, Andreas de Isernia, Præpositus, Martinus Laudensis, Petrus Ravennas, Fridericus Schenk Baro, Wesembecius, Rittershusius, Bronchost, Hunnius, Arumæus, Emeranus Eisenkeck, Johannes Biel Noviomagus *in Breviario Feudalium disputationum Lugduni Batavorum habitarum*, Gudelinus, Zœsius, Rosenthal, Schulz, Gothofredus Antonius, Dn. Ludwell, Dn. Carpzovius, Dn. Suevus. Videntur tamen, plerique disceptantium, diverso sensu accepisse vocabulum *Rei*

Mobi-

Mobilis. Multæ sunt res naturâ mobiles, quæ Juris intellectu ob certas causas inter immobiles computantur. Atque illas in Feudum dari posse non dubitamus. Reliquas res, utroque modo, & Naturâ, & Juris intellectu, mobiles, in Feudum dari non posse, nulli ambigimus.

II. Quamvis in rebus quæ usu consumuntur, ususfructus constitui nequeat; utilitatis tamen causa Senatus censuit, interpositâ cautione, posse earum rerum quasi usumfructum esse. Ad cujus exemplum, etiam rem mobilem, accedente cautione, in Feudum dari posse existimant, Præpositus, Matthæus de Afflictis, Mozzius, Bocerus, Gœddeus, Cyprianus Regneri, & Dn. Snobelius. Verior tamen est sententia opposita Andreæ de Isernia, Conradi Sleifii, *in notis ad Wesembecii Tract. Feudal.* Zasii, Wesembecii, Rittershusii, Hattyseri, Borcholti, Gothofredi Antonii, Scultzii, Dn. Ludwelli, & Dn. Suevi, id haud immeritò negantium. Sed nec admittimus, rem mobilem, sub illa conditione in Feudum dari posse, si pretiosa sit, quod Niellio placuit. Quin nec in re hujusmodi quasi Feudum constitui posse arbitramur; quamvis id à Juris ratione alienum non esse existimaverit in *Breviario Iuris Feudalis Lugdunensi* Johannes Biel Noviomagus.

III. Sed an eo casu, saltem in vim contractus innominati valere potest quod gestum est? Nos negandum putamus, etiamsi accesserit Juramentum, cum Andrea de Isernia, Zasio, Rittershusio, Schradero, Emerano Eisenkeck, Dn. Ludwello. Licet aliter visum fuerit Claudio Seysellio, Duareno, Hannetoni, Gothofredo Antonio, & Dn. Gotfrido Suevo.

IV. Pecuniam quoque ex vendito Feudo redactam Feudalem non esse, adstipulamur Zasio, Wesembecio, Sneidwino, Arumæo, Zobelio, Borcholto, Vultejo, Rosenthalio, Niellio, Bocero, Hotomanno, Scultzio, Finckelthusio, Dn Snobelio, Dn. Ludwello: cum quibus faciunt etiam, Gailius, Cothmannus, Modestinus Pistoris, & Carpzovius. Quod & verius visum Serenissimo Electori Saxoniæ Augusto in Novellis constitutionibus Saxonicis. Aliter tamen olim judicarunt curiæ Saxonicæ, teste Wesembecio. Et autores habuit

Negativa Alvarottum & Gœddeum; cujus tamen duo extare de hac controversia consilia adversâ fronte pugnantia, rectè observavit Wesembecius.

V. Fructus pendentes, principaliter, & sine fundo in Feudum dari posse, negant, Claudius Seysellius, Janus ab Arcedura, & Niellius. At longè rectiùs asserunt, cum glossa, Zasius, Blanchus, Vultejus, Hunnius, Rosenthal, Arumæus, Finckelthusius, Schultzius, Gothofredus Antonii, Carpzovius, Dn. Ludwell, & Dn. Suevus.

VI. An decimæ in Feudum dari possint, & quomodo? in jure Feudali controversiâ non vacat. Frequentiori calculo probata est sententia, post Concilium Lateranense concedi non posse. Atque in Anglia nullas Laico in feudum concedi posse, nullo tempore, observat Thomas Cragius. Alibi tamen, si concessæ fuerint ante Concilium Lateranense, iterum in Feudum dari possunt, secundùm Alvarottum, Jasonem, Laudensem, Gyphanium, Rittershusium, Rosenthal, Gœddeum, Duarenum, Sonsbecium, Borcholtum, Clarum, Dn. Snobelium. Quam sententiam in foro magis communem esse, testantur, post alios, Covarruvias, Clarus, Curtius Junior: eandemque in Germania & Lombardia usu receptam, Hakelmannus ad Sneidvvinum observat. Si tamen ad Ecclesiam reversæ sint, Laico infeudari posse negant, Johannes Andreas, Panormitanus, Hostiensis, & qui eos sequitur Zasius; aliter fermè existimantibus, cum Imola & Claudio de Seysellis, JCtis reliquis. Quod si dubitetur, ante, vel post Concilium Lateranense concessæ sint, si immemorialis earum probetur possessio, antè concessæ judicantur, monentibus Rosenthalio, Vultejo, Duareno, Claudio Seysellio, Zasio, Mozzio, & Dd. communiter, *cap. quamvis* & cap. *prohibemus* X. de *decimis*. Finckelthusius tamen, etiam secundùm Juris dispositionem, indistinctè, nullo respectu, ante an post Concilium Lateranense concessæ sint, decimas in feudum dari posse, solus, quod sciam hactenus, contendit, nisi quòd Gemmelius Cancellarius Hennebergicus idem usu servari tradat: quod & testari videtur Zasius; ita tamen, ut minimè ad juris rationem congruere, existimet.

VII. Castro in Feudum concesso, semper quoque Jurisdictionem,

nem,

nem, etiamſi non cohæreat Feudo, conceſſam videri, exiſtimavit, poſt Romanum, Molinæus. Quod non admittunt, niſi eo caſu, quo juriſdictio caſtro cohæret. Baldus, Præpoſitus, Zaſius, Menochius, Borcholt, Mozzius, Rittershuſius, Weſembecius, Scipio Gentilis, Gothofredus Antonius, Johannes Biel, Schonerus, Dn. Schnobelius, & Dn. Ludvvellus; quam ſententiam communem eſſe volunt, Rolandus à Valle, Borcholt, & Vultejus. In dubio autem, feudo adhærere Jurisdictionem, exiſtimat, poſt Baldum, Bartolum, Anchoranum, Everhardum Juniorem, Vultejus. Quo caſu, moribus noſtris, ſimul conceſſam intelligi Jurisdictionem, autumant, Finckelthuſius, Bocerus, Hunnius, Carpzovius; quamvis; ſi de jure communi quæratur, aliter ſentiant tres poſteriores. Quæ & nobis verior videtur ſententia. Quare regulariter, ſi caſtrum ſimpliciter in Feudum concedatur, Jurisdictionem omnigenam, aut aliam à Feudaria, quæ ad tutanda jura feudalia competit, venire, non agnoſcimus, cum Dn. Carpzovio, Dn. Suevo, Dn. Struvio, Bocero, Reuſnero, Hunnio. Quod ita conſuetudine etiam ſervari, ſcripſit, contra aliorum opinionem, Knichen.

VIII. Ut res infeudari ſolita dicatur, præter actuum frequentiam, tempus etiam longum poſtulamus. Neque tamen, ut ſit immemoriale tempus, (quod gloſſa voluit) requirimus; neque quadraginta annos, cum Jacobo de Belviſio, Iſernia, Martino Laudenſi, Julio Claro, Zaſio, Borcholt, Duareno, Roſenthalio; vel 30. annos, cum aliis, deſideramus; Quin, nec interdnm immemoriali tempore, interdum quadraginta annis, pro ratione trium diverſorum caſuum, cum Baldo; ut decem annis, cum aliquibus, illud deſcribimus. Sed nec diſtinctionem Curtii junioris probamus, qui interdum immemoriale tempus, interdum ſola ſolennia poſtulat. Nec Jani ab Arcedura ſententiæ calculum noſtrum addimus, qui, ad rem infeudari ſolitam, nullam omnino temporis antiquitatem requirit; ſed Judicis arbitrio totum hoc negotium committimus, cum Menochio, Duareno, Roſenthalio, Hunnio, Carpzovio.

IX. Molendina Navalia, (Schiffmühlen) / niſi ſunt Bannalia, (Zwangmühlen) / in Feudum concedi non poſſe, quòd inter res

mobiles computentur, putant Rosenthal, Vultejus, Dn. Suevius, Dn. Carpzovius, Dn. Ludvvell: Ast concedi posse in feudum, ac computari plerumque inter res immobiles, & rectè, nostro judicio, autumant Gœddeus, Heringh, Finckelthaus, Dn. Hahn, Dn. Snobelius, Struvius. Sed nec de Pneumaticis quidē aliud statuimus, post Dn. Reinkingium, Heringium, Finckelthusium, Ludvvellum, & Struvium; licèt in illis Feudum constitui posse negent, Borcholdt, Berlichius, & Carpzovius.

X. Servitutes in Feudum dari posse non dubitamus, cum Bocero, Rosenthalio, D. Schutzio; ita tamen, si simul etiam detur fundus: quæ Rosenthalii quoque, Boceri, & Schutzii, in MSSto Feudali Collegio, sententia est. quam prolixè ita defendit Finckelthusius *Disp. 3. th. 25.* ut, in iis solis Feudum constitui posse, neget. Eamque sententiam, tantum abest ut *l. 6. §. 5. ff. de action. empti*, quam nonnemo opponit, evertat, ut illam potiùs probet, quod legenti haud difficulter patebit.

DECAS VI.

De

REGALIBUS

I.

QUi Regalia, cum Baldo, Isernia, Alvarotto, Curtio Juniore, Vultejo, Obrechto, Bocero, Reusnero, Fratribus Carpzoviis, Einsidelio *in Tract. de Regalibus*, Gothofredo Antonio, Finckelthusio. Dn. Suevo, ita describunt, ut *soli Imperatori proprio jure tribuant*, ii nimis angustè voce hac utuntur. Atque ideò ab illis rectè in diversa eunt, Matthæus de Afflictis, Ferrariensis, Rosenthal, Sixtinus, Arnisæus, Scipio Gentilis *in disputatione de Regalibus*, Camillus de La Ratha, ac alii, qui Regalia, omnibus superiorem non recognoscentibus, descriptione sua, relinquunt. Nec eos tamen probare possumus, qui cum Arnisæo jura definiunt; *potestates summas, quibus is, qui superiorem non agnoscit, Rempublicam absolutè moderatur, & publici ad eam rem tributi reditus*: aut cum Dn. Ludvvello, viro Feudalis alioquin juris-

juris peritissimo, quòd nihil aliud sint, quàm *Iura, Imperatori, vel aliàs superiorem non recognoscenti, in signum supremæ potestatis & Imperii utilitatem, competentia.* His enim descriptionibus, Regalibus privantur singuli Imperii nostri Status, Nobiles, ac alii, quibus illa tamen competunt, vel competere possunt. Videntur autem esse, *Iura, ei qui superiorem non recognoscit, ac cui, ille expressè, vel tacitè, ea concessit, competentia, ad salutem, & decus Reipublicæ.* Cum qua reipsa congruit (nisi quòd prolixior nonnihil est, & alternativis tribus constet, quod Logici in definitionibus non facilè ferunt) Sixtini illa, de *Regalibus, lib. 1. cap. 1. n. 14.* Quòd *Regalia sint Iura ei, qui superiorem non recognoscit, vel, cui concessione, aut proscriptione, consuetudineve, quæsita sunt, competentia, ad salutem, & decus Reipublicæ tuendum.*

II. Jura illa competunt *interdum* illis, qui superiorem non agnoscunt nisi Deum; *interdum* ex communicatione summi principis, etiam aliis, qui superiori potestati subsunt. Utroque modo considerata, Regalia rectè dicuntur; Collectio tamen illorum, quando *independenter* ab alio habentur, MAJESTAS; quando *dependenter*, in Germania quidem JUS SUPERIORITATIS TERRITORIALIS vocatur, vel simile quid significante vocabulo, alibi exprimitur. Sin unum, duo, vel saltem pauciora hujusmodi jura, alicui concessa solùm sint, nec Majestatem, nec Superioritatem Territorialem facient; sed ex privilegio, aut præscriptione, qui ea acquisivit, habere dicetur. Quod si sint quædam inter Jura hæc, quæ non tribuantur aliis, sed penes Præcipuum unum, ex fundamentali Reipublicæ Lege, aut consuetudine antiquissimâ, remaneant, ea RESERNATA dicentur. Quæ nobis videtur optima, inter *Majestatem, Superioritatem Territorialem, Regalia, Reservata,* distinctio, Doctoribus etiam illis, qui de Regalibus libros integros scripserunt, vel neglecta penitus, vel confusis diversis considerandi modis, aliter quàm se reipsa habet, tradita.

III. Mare, consideratum sub ratione Universi, vel præcipuarum partium ejus, acquiri, vel occupari, adeóque inter Regalia referri possit, an secus? & olim inter gentes integras, & nostra ætate, inter Hispaniæ Reges & Rempublicam Venetam, acriùs etiam inter An-

gliæ Reges & Belgas disceptatum est. Negant, integris plerique tractatibus, Hugo Grotius *in Mari libero*, Theodorus Grasvvinckel *in vindiciis maris liberi adversus Petrum Baptistam Burgum Ligustici Maritimi Dominii assertorem*, Johann Baptista Valenzeola Velasquez *Cons. 100.* Anonymus Autor Italicus ineditus, cui Pacius respondit. Ac de universo & partibus illius, ut videtur, majoribus, Johan Isaacius Pontanus *duobus discussionum Historicarum libris.* Loccenius, & Stypmannus *Tractatibus de Iure Maritimo & Nautico.* Asserunt, Seldenus *in Mari clauso*, (Hugo Grotius rectiùs vocat Thalassocraticum) Thomas Rivius *Historiæ Navalis mediæ lib. 3. cap. 37.* Pacius *in Disceptatione de Domino maris Hadriat*: Jac. Gotfredus *ad l. 9. ff. de lege Rhodia*, Petrus Baptista Burgus, Johannes Strauchius *de Imperio Maris*, Dn. Struvius, &, non integro abhinc anno, Johannes Palatius *libris duobus de Dominio Maris*, Reipublicæ Venetæ dicatis. Nos, ut impossibile existimamus, acquiri totum ab ullo Imperante oceanum, ita difficillimam quidem, propter aliarum gentium contradictiones, partium paulo majorum exteri maris acquisitionem, nec tamen injustam, aut impossibilem, aut non usurpatam esse prioribus seculis, judicamus.

IV. Jus venandi ad Regalia referunt, Pruckman, Heigius, Struvius, Johannes Wurmserus, Intrigliolius, Arumejus, Noe Meurer, Knichen, Decianus. At eo pertinere negant, cum DD. communiter, Vultejus, Harprecht, Finckelthaus, Bocerus, Ludwell, Obrecht, Tiraquell, Wesembecius, Suevus. Nos, de consuetudine ad Regalia pertinere, asserere non dubitamus, cum Cameræ Imperialis Assessoribus apud Gylmannum, Collegio Iuridico Lipsiensi, *apud Modestinum Pistoris*, Autoribus Consultationum Saxonicarum, Scipione Gentilis, ac multis adductis à Sixtino aliis. De Jure tamen communi, veriorem esse negantium sententiam, Sixtino & Scipioni Gentilis adstipulamur, quæ & mens est nonnullorum ex iis, quos antea adduximus.

V. Falluntur, quotquot putant, omnia Regalia in cap. 56. 2. Feud. enumerari. Quin nec minora omnia ibi contineri, adstipulamur Vultejo, & Dn. Schutzio: cùm usu, & consuetudine, induci possit, ut

jura,

jura, quæ olim Regalia non fuerunt, pro Regalibus hodie habeantur, rectè observante Rosenthalio, Regnero Sixtino, & fratribus Carpzoviis, apud Arumæum *vol. 3. Discursu de Regalibus*. Unde Chassanæus ducenta & octo Regalia, Petrus Antonius de Petra autem quadringenta & tredecim enumerat. Quæ tamen omnia hunc titulum minimè tuentur.

VI. Gravissima, inter Juris publici ac Feudalis etiam Scriptores, est quæstio, Metalli fodinæ integræ, an ratione decimarum solùm, ad Principes & Regalia spectent? Res sine distinctione rectè explicari nequit. Sunt Metalli fodinæ vel in publico loco repertæ, & totæ, ne ipso quidem Sixtino dissentiente, ad Regalia spectant; vel in privato, & non totæ, sed ratione decimæ saltem, inter Regalia referuntur, Jure Justinianéo. Quod & de consuetudine multorum locorum ita obtinere, testantur Chassanæus, Rebuffus, Petrus Georgius, Johannes Garcia, Peregrinus, Bossius, Choppinus. Generali tamen, & notoriâ consuetudine, per totam Germaniam receptum, ut in privato etiam fundo, sive alieno, sive suo, metalla quærere non liceat, sine concessione Principis, & esse ideo Metalli fodinas relatas inter Regalia, docent Reinhardus, Colerus, (cujus tamen decisionem suppostitiam, ex Reinhardo descriptam, & nescio autore, posthumo ipsius operi insertam putat Sixtinus) Jacob Schultz, Zobelius, Schneidevvin, Carpzovius, Arumæus, Struvius; quamvis & hic dissentiat Sixtinus, argumentis non plane contemnendis. In Saxonia tamen ita usu receptum esse, expeditũ est, ut, si in Fodinis Metallicis aurum & argentum superet reliquos proventus, Principi illæ totæ, cedant; sin plumbum, æs, stannum, aut viliora alia, aurum & argentum pondere, vel valore, superent, decimæ, cum reliquis proventibus, ejus sint, qui de feudo investitus est, cum mero vel mixto imperio, notante, post Jacobum Scultzium, Wesembecium, Rauchbar, Dn. Suevo, cum aliis nonnullis.

VII. Privatis Regalia concedi posse, negat quidem Knichen. At nos affirmantes sequimur. Pro qua sententia consuetudo notissima, ejusque testes, Klockius, Sixtinus, calculum ponunt. Neque necessariam existimamus distinctionem nonnullorum inter Regalia, & usum

sum eorum, ut usus solùm & emolumenta, non ipsa Regalia, ad ipsos pertinere videantur.

VIII. Jus instituendi Postas, ut vocant, Generales, per totum Imperium, est quidem Regale; sed ex eorum genere, quæ Reservata vocantur: quare anno 1579. cùm quidam Germaniæ Princeps, sumptibus suis, Universales nuncios, per Italiam & Belgium constituere vellet, id ei ab Imperatore severè interdictum fuisse, monent, Arumæus, Besoldt, Reinking & Horneck, *de Regio Postarum Iure*. Atque adeò Munera Generalis Postarum Magistri, **das Erb-General-Postmeister-Ampt im Reich**/ ab Imperatore, Comiti de Taxis; Supremi autem Postarum, ut ita dicamus, Magistri aulici, **Käyserlichen Erb-Land Hoff-Post-Ampt** anno 1624. Comiti de Baar in Feudum concessa sunt.

IX. Postas tamen Provinciales, **Landt-Posten**/ vel **Stadt-Posten**/ Statibus Imperii, ex immemoriali consuetudine, in suis territoriis constituere, integrum esse, experientia docet, & D. Horneck rectè tradit.

X. Jus collectandi, inter Regalia referri posse, negant quidem cum Jasone non pauci: affirmant plures, cum Chassanæo, Menochio, Modestino Pistoris, Vultejo, Rulando, Mynsingero, Schonero, Schultzio, Knichen, Wesembecio, Johanne Kœppen: eorumque sententiam sæpius in Camera esse probatam, Meichsnerus, Tilemannus de Benignis, Rulandus, Gylmannus notant. Et placuit ea quoque Lipsiensium Collegio Juridico, *apud Modestinum Pistoris*. Atque illi & nos subscribendum putamus.

DE-

DECAS VII.

De

Modis constituendi, & acquirendi Feudum, in Genere, ac de Præscriptione Feudali.

I.

MOdos constituendi, & acquirendi Feudum, non discrepare, autumant Hotomannus, Rosenthal, Arumæus, Bocerus, Dn. Struvius, & cum Italis aliis, nuperrimè Antonius Monachus, Taurinensis JCtus *libris de Rectâ Feudorum Interpretatione.* Est tamen verior Schneidwini, Eguinarii Baronis, Wesembecii, Contii, Vulteji, Johannis Warneri *in Breviario Iuris Feudalis Lugdunensi*, Finckelthusii, Cragii, Carpzovii, Gothofredi Antonii, Suevii, Dn. Ludvvelli, sententia, qui in Feudo inter constituendi & acquirendi modos accuratè distinguendum monent. Licèt cæteroquin non inficias eamus, fieri interdum posse, ut modus constituendi & acquirendi, in eodem negotio, uno eodemque actu absolvatur, ut rectè observat Ludvvellus. Atque constitutionem & acquisitionem tempore aliquando simul esse, & coincidere, accuratissimo Bitschio concedendum putamus; ita tamen, ut naturâ, constitutio acquisitione prior nihilominus sit, ab eaque differat; quod & totidem verbis ipse *ad cap. 24. 2. f.* fatetur.

II. Investituram modum constituendi Feudum, & quidem unicum, Vultejus, cum iis quos adducit, Gothofredo quoque Antonio, & Schneidvvino, tum Contio, Wesembecio, Reusnero, judicat. Dn. Struvius & constituendi & acquirendi modum esse, cum cæteris, qui differre modos constituendi & acquirendi non agnoscunt, contendit: quæ & Gœddei est opinio. Nobis verissima videtur Dn. Suevi, Hunnii, Finckelthusii, Carpzovii, Ludvvelli, sententia, quibus Investitura rectè modus est acquirendi Feudum. Neque cum Bocero distinguimus, propria ea sit, an abusiva, ut illam solum modum acquirendi

agnoscamus, hanc ad aliam classem remittamus; sed rectiùs, utramque esse modum acquirendi Feudum, Hunnio, & Dn. Suevo concedimus.

III. Testamento constitui posse Feudum, licèt negent celeberrimi Feudistæ, Hotomannus, Gyphanius, Rittershusius; non dubitamus tamen, cum Martino Laudensi, Matthia Hubnero, Professore & JCto Norico, Gudelino, Finckelthusio, Dn. Struvio, Dn. Ludvvello.

IV. Contractum quendam Feudalem peculiarem, & ab omnibus aliis Juris Civilis contractibus distinctum, agnoscunt cum Dn. Struvio Dd. communiter: ita, ut neminem, contractum hunc Naturam habere propriam ambigere, scripserit Gudelinus. Eundemque convenire cum Investitura, vel eundem cum illa esse, Laurentius Sylvanus ac Setserus judicant. Wesembecius ab Investitura distinctum, Dn. Struvius pertinere ad Investituram, quâ Feudum, ex mente ejus, constituitur, existimat. Nominatum esse volunt, Isernia, Cumannus *in Præludiis Feudorum*, Wesembecius, Clarus, Vigelius, Zasius, Silvanus, Mozzius, Fridericus Schenck Baro, Setserus, Arumæus, Johannes Schonerus, Schraderus, Gothofredus Antonius, Dn. Struvius: quæ opinio Michaeli Grasso, Cumano, Curtio Juniori, communis dicitur. Innominatum putant Baldus, Cujacius, Rosenthal, Dn. Bocerus. Anomalum, glossa, & Johannes Campegius, adductus à Nicolao Intrigliolo, Professore in Sicilia Catinensi. Bonæ fidei simpliciter esse scribit Oldendorpius, Duarenus, & Dn. Struvius, qui in hanc sententiam etiam Jasonem laudat, quod eo casu solùm, si cum Principe initus sit, concedunt, Baldus, Bertachinus, Petrus Nicolaus Mozzius, Zasius. At stricti contrà Juris est, Alvarotto, Matthæo de Afflictis, Caccialupo, Hannetoni, Curtio Juniori, Claro, Schradero, Rosenthalio, Intrigliolo, Arumæo, Setsero. Nobis, Dn. Ludvvelli, hic à communi sententia discedentis, & contractum aliquem Feudalem, ab aliis contractibus & negotiis distinctum, non agnoscentis, argumenta non omnino contemnenda videntur.

V. Successionem, ad modos acquirendi Feudum referunt, Dn. Ludvvel, Vultejus, Gothofredus Antonius, Borcholt, Gœddeus, Schneidvvin, Contius, Wilhelmus Fornerius, Sonsbecius, Niellius, quod negant, Dn. Carpzovius, Suevus, Hunnius, Rittershusius, Finckel-

ckelthuſius, Sculzius, qui ad modos conſtituendi pertinere volunt. Dn. Struvius, nec conſtituendi, nec acquirendi modum, exiſtimat eſſe: eos enim ad Feudum ſolummodò novum refert. Nos priorum ſententiam, quam & cum Juris ratione convenire perſuaſi ſumus, defendemus.

VI. Præſcriptione conſtitui Feudum, Schraderus, Gyphanius, Monachus, ſcribunt. Minùs rectè. Præſcriptio enim non inter modos conſtituendi, ſed acquirendi Feudum, locum ſibi vindicat, ut bene, poſt Vultejum & alios, monent Dn. Ludvvel, & Dn. Snobelius.

VII. Antonius Monachus, Taurinenſis, JCtus, *part. 2. Tractatus de Recta Feudorum Interpretatione*: acquirendi Feudum modos plures, quàm quisquam, quod ſciamus, alius, recenſet, qnando Inveſtiturâ, quaſi Inveſtiturâ, Privilegio, contractu, ultimâ voluntate, Donatione, Præſcriptione, Sententiâ, Emptione, armis, ſeu vi bellicâ, ſucceſſione, & Jure accreſcendi, Feuda acquiri, ſcribit. Nos, ut minimè dubitamus, confundi ab ipſo, cum Italis aliis, Modos conſtituendi & acquirendi Feuda; ita tribus modis, Inveſtiturâ, Præſcriptione, & Succeſſione, cum Dn. Ludvvello, & Snobelio, contenti erimus. Reliqui enim, vel ad hos facilè revocantur, vel modi acquirendi omnino non ſunt.

VIII. Feudum, Judicis ſententiâ acquiri, Petrus de Bella Perrica, Vultejus, & nuper Ant. Monachus, ſcribunt. Juri magis congruit Ludvvelli aſſertum, ſententiâ hujusmodi nihil novi acquiri, ſed tantùm, quod jam antè eſt, declarari. In quam etiam Vultejum conceſſiſſe tandem, *ſummaria lib. 1. c. 9. n. 24. poſtremæ editionis* teſtantur.

IX. Præſcriptione acquiri Feudum, non ſolùm ideò, quòd præſumatur ex lapſu tot annorum Inveſtitura facta eſſe; ſed etiam eo caſu, quo conſtat aliquem non eſſe inveſtitutum: adeóque hunc modum acquirendi diſtinctum eſſe ab Inveſtiturâ, contra Dd. communiter, & inter illos Vultejum, Niellium, Dn. Struvium, adſtipulamur Dn. Suevo, Ludvvello, Friderico Lentio *in Diſputationibus Baſileæ habitis*, & Setſero.

X. Ad præſcriptionem Feudi, in re publicâ, vel Eccleſiaſticâ, 40. annos requirunt, Alvarottus, Iſernia, Zaſius, Gothofredus Antonius, Schraderus, Borcholt, Roſenthal, Rittershuſius, Molineus, Mynſingerus, Duarenus, Hanneton, Schneidwinus, Fornerius, Dn. Struvius. At

sufficere triginta annos, Nicolaus de Neapol. Schenkius Baro, Vultejus, Bocerus, Hunnius, Dn. Snobelius, Dn. Ludwell judicant. Nobis prior sententia præ posteriori placet, quam & communem esse testantur Gothofredus Antonius, & ipse Dn. Ludwell.

DECAS VIII.

De

INVESTITURA.

I.

INvestituram contractum esse, perhibent, Clarus, Wesembecius, Vultejus, Niellius, Gothofredus Antonius, Warnerus, *in Disputationibus Feudalibus Lugdunensibus*, ac Bocerus, qui hanc Doctorum communem esse vult sententiam. Nos calculum addimus, Duareno, Zabelio, Emerano Eisenkek, Hunnio, Carpzovio, Finckelthusio, Ludwello, Suevo, qui propriâ acceptione vocabuli, *Investituram* contractum esse, rectè negant.

II. Investituram duplicem, *propriam* & *abusivam*, ipse Obertus agnoscit. Nec aliud visum Andreæ de Isernia, Jacobo de Belviso, Alvarotto, Baldo, Claro, Zasio, Wesembecio, Borcholto, Intrigliolo, Hattysero, Arumæo, Lindemanno, Hunnio, Schradero, Rosenthalio, Gœddeo, Obrechto, Warnero, Mozzio, Bocero, Finckelthusio, Sneidvvino, Scultzio, Emerano Eisenkeck, Justo Rittero, Arnoldo de Reyger, Carpzovio, Thomæ Cragio, qui illam in Angliâ quoque receptissimam testatur; ut rectissimè communiter Dd. in eo convenire scripserit Clarus. Vultejus tamen, primus quod sciam, eumque secutus, Niellius, ac pauci alii, eam impugnant. E quibus Vultejus, quæ de distinctione hac ab Interpretibus traduntur, feces esse, ait, quas in Jurisprudentiam sinceriorem invexerunt descriptores consuetudinum Feudalium, quos postea secuti sint Interpretes. Quod Vulteji judicium valde afficere debere veritatis amantes existimat Gothofredus Antonius. Nos, quamvis non præcipua solùm, sed unica etiam, in eligendis sententiis, nobis sit veritatis cura, communem tamen probamus, nec ambigimus,

rectè

rectè reſpondiſſe Vultejo, Arumæum, Emeranum Eiſenkeck, Hunnium, Finckelthuſium, ac Lindemannum.

III. Tertiam Speciem, quam diſtinctioni in *propriam* & *abuſivam* addunt, & *exſpectativam* vocant, Mejerus, & Dn. Bitſchius, nos non agnoſcimus. Quamvis enim de Exſpectativa multa à Feudiſtis diſceptentur, eam tamen Inveſtituræ ſpeciem eſſe, (licèt, aliquibus vulgatum in modum loquentibus interdum exciderint, quæ id probare videantur) negamus. Eſt verò promisſio potiùs de inveſtiendo, quàm Inveſtiturâ, ut rectè obſervat doctiſſimus Struvius.

IV. Diſceptant Doctores, poſt inveſtituram abuſivam, propria authoritate, vacuam poſſeſſionem Feudi apprehendere vaſallus queat, an jure Feudali prohibeatur? Negant Setſerus, Gyphanius, Arumæus, & Ludvvellus. Nos, non dubitamus, veriſſimam eſſe ſententiam oppoſitam. Eam ſanè omnium Antiquorum eſſe ſcripſit Julius Clarus: & novimus inveniſſe Patronos, gloſſam, Alvarottum, Jacobinum de St. Georgio, Sneidvvinum, Weſembecium, Borcholt, Hartmannum Hartmanni, Hartmannum Piſtoris, Hunnium, Roſenthal, Snobelium, Suevum, Finckelthuſium, Schultz, Schraderum, Mozzium, Carpzovium, & Camillum de La Ratha Calertæ Comitem: eamque ideò rectè communem vocat Dn. Suevus.

V. Si Dominus unum priùs inveſtiat, mox alterum, ſed ignorantem, & poſtremo huic poſſeſſionem tradat, quem præferemus? Non ambigimus, eo caſu poſteriorem priori anteponere; ſecuti gloſſam, Andream de Iſernia, Baldum, Alvarottum, Matthæum de Afflictis, Hannetonem, Zaſium, Weſembecium, Borcholt, Mynſingerum, Hartmannum Piſtoris, Roſenthal, Arumæum, Setſerum, Janum de Arcedura, Fachineum, Schonerum Struvium, Suevum; qui & opinionem hanc communem eſſe, cum Setſero aſſerit; licèt abeant in diverſa, & priorem præferant, Ludovicus Romanus, Cephalus, & Marſilius, adducti à Schonero, quibus accedunt Mozzius, & Arnoldus Reyger *in Diſputationibus Feudalibus Ienæ habitis*: & è recentioribus, Gudelinus, Finckelthuſius, Ludvvellus. Dominus tamen, prius inveſtito, tenetur ad intereſſe.

VI. Ex investiturâ abusivâ, non nisi Jus ad rem competeret, defendunt, Andreas de Isernia, Matthæus de Afflictis, Jacobinus de S. Georgio, Ardizo, Baldus, Rosenthal, Zœsius, Bocerus, Setserus, Hanneton, Zasius, Sneidevvin, Schrader, Wesembecius, Arumæus, Snobelius. At Jus in Re acquiri hâc ratione, Duareni, Niellii, Gudelini, (qui dissentientes in hoc negotio vehementer errare autumat) Finckelthusii, Suevii, Carpzovii, Ludvvelli, sententia est. Quid nobis, in re difficillima, videatur, in conflictu requirenti exponemus. Ut enim distinctè & certò aliquid pronuntietur, opus videtur distinctione, & terminorum accuratâ explicatione.

VII. Breve Testatum, & Pares Curiæ, vel iis, quibus non requiruntur casibus, extraneos testes, nonnulli alternativè solùm postulant, ita ut sufficere existiment, si adfuerint vel Pares, vel Breve Testatum. Quæ Boceri, Hunnii, Scultzii, Suevii, Ludvvelli, est opinio. Nobis, si de Jure communi feudali quæstio sit, aliter videtur, cum Dd. communiter (quod agnoscit Dn. Carpzovius) ac Wesembecio, Mozzio, Vultejo, Emerano Eisenkeck, & Dn. Struvio. Quamvis verò praxi receptum sit in plerisque Germaniæ locis, ut Parium Curiæ, vel aliorum testium præsentia, necessaria non sit; sed sufficiat Breve Testatum, testibus, Vultejo, & Gudelino; magis tamen cautum erit Vasallo, qui, si certò de consuetudine ista non constet, Pares adhiberi curaverit. Inprimis, cùm *in plerisque aulis, tam scrupulosos esse* (verba recito illius) *viderit* Rosenthalius, *ut plerumque nec recognitiones factæ sint, nisi coram Paribus.* Quod de moribus nostris etiam admonet Eisenkeck.

VIII. Si plures sint ejusdem Domini hæredes, an omnibus & singulis fidelitas præstanda sit? acriter digladiantur Feudistæ. Glossa modò hanc, modò illam sententiam probare videtur, Baldus, Julius Clarus, Zasius, Sylvanus, Schenck Baro, Rosenthal, Schultz, Finckelthaus, uni tantùm; at omnibus Wesembecius, Borcholt, Fachinæus, Sonsbecius, Schraderus, Dn. Schutzius, Frantzkius, præstari volunt. Nobis, plerique eorum, quos adduximus, verbis pugnare, re convenire, & in eandem sententiam consentire, videntur; quod jam olim observavit Hartmannus Pistoris. Verissima enim est sententia, omnium nomine, uni eorum præstandam esse fidelitatem.

IX. Non

IX. Non magis expeditum est, unus ille, cui omnium nomine præstanda fidelitas, à quo eligatur? glossa electionem vasallo tribuit: Domini hæredibus, Andreas de Isernia, Zasius, & Borcholt. Finckelthusius requisitionem Vasallis, electionem Domini hæredibus asserit; quæ & Clari, ac Hartmanni Pistoris est sententia. Si tamen hæredes Domini convenire non possint, Vasallo eligendi potestatem iidem indulgent, cum Vultejo, Rosenthalio, & Snobelio. At eo, quo dissentiunt, casu, vel Vasalli hæredibus, vel Domino superiori, determinationem permittit Scultzius. Domino superiori hanc potestatem relinquunt, Rosenthal, Carpzovius, Hartmannus Pistoris, Struvius, Snobelius: quam tutissimam viam esse, ait Finckelthusius. Eorumque sententiæ & nos subscribimus, si moribus aliud nihil definitum sit.

X. In Feudis Regalibus Majoribus, id specialiter juris esse existimat Zabelius, quòd non nisi ab ipso Imperatore, vel Rege Romanorum, conferantur, quomodo id diserta Bullæ Aureæ verba requirunt. Unde, per Procuratorem Investituræ hujusmodi expediri, ex mente ipsius, nequeunt; Nos, ut novimus, plerumque ipsum Imperatorem, vel Regem Romanorum, non ejus nomine Procuratorem, hæc conferre, ita, si impediantur, per Vicarium de iisdem investire posse, cum Dn. Suevo existimamus. Non enim eo pertinent verba, ut (quod feudali & receptissimo jure licet) Procurator etiam, sed ut Papa, ac Vicarii Imperii, de quibus dubitari poterat, exclusi intelligantur. Quod ex Recessu Imperii de anno 1521. §. Und sollen wir: ibi: alsdann sollen und wollen wir herauß Befehl thun / an unser stat solche Regalien / rc. satis intelligitur.

DE-

DECAS IX.

De Successione Feudi.

I.

LEgitimatos, etiam per subsequens Matrimonium, ipso Juris Feudalis textu in *2. F. 26. §. Naturales*, à Feudis removeri, Bronchorst, Vultejus, Sonsbecius, Fornerius, Hotomannus, Antonius Contius, Rittershusius, Niellius, Struvius, Ludwellus, Reusnerus, Carpzovius asserunt. At ejus dispositione non comprehendi, Jacob de Belviso, Andreas de Isernia, Baldus, Alvarottus, Schrader, Hartman Pistoris, Bocer, Zasius, Curtius, Rosenthal, Finckelthusius, Gudelinus, tuentur, quam communem esse Clarus voluit. Nobis priorum sententia, si de textu & dispositione juris communis Feudalis quæratur, non immeritò probatur. Cæteroquin usu servatur, ut perinde ac legitimè nati, admittantur ad Feuda: quod in Camera ita receptum, Mynsingerus, & Gailius: praxi Saxonicâ probatum Schulzius; verius esse hodiernis moribus Fridericus Sande, & Cyprianus Regnerus ab Oosterga in notis ad Bronchorstium, eamque sententiam usu servari, & servari debere, Vultejus, ab eaque in judicando & consulendo non recedendum, Schurfius, ac, (quamvis non nihil dubitans) Ludwellus, existimant. Nec aliter de moribus & consuetudine sentiunt, Janus ab Arcedura, Dn. Struvius, ac Reusnerus. Quamvis & illud observarint, Hartmannus Pistoris, Hahnius ad Wesenbecium, Struvius, nonnullis in locis, speciali constitutione, etiam legitimatos per subsequens matrimonium, à Feudorum successione prohiberi.

II. Clericos, si per Substitutum servire velint, in Feudis succedere, glossa, & Schenck Baro quidem voluerunt: quod non ita pridem acriter contra Finckelthusium defendere tentavit Quirinus Cubach. Certioribus tamen argumentis illi nituntur, qui jure Feudali communi, ad successionem illos regulariter non admittunt: cum quibus faciunt, post veteres, Ludvvello jam nominatos, Vultejus, Bocerus,

Reus-

Reusnerus, Schultzius, Carpzovius, Finckelthusius, Ludvvellus. quin & Saxonicum jus Feudale, quale id olim erat; cujus ista in eam rem verba sunt; **Pfaffen und Frauen die sollen Lehnrecht darben:** & Imperialis Cameræ Assessores, hanc ut veriorem probasse, Mynsingerus tradit. Hodie tamen passim moribus invaluisse, ut & Clerici succedant, & servitia per substitutum præstent, saltem in præcipuis Europæ Regnis & Ditionibus, non absurdè aliquis dixerit, cùm in Germania id Consuetudine receptum Vultejus, Hanneton, & Rosenthal: in Italia, Menochius: in Gallia Baro, & Chassanæus notent: & quæ ex antiquo Saxonico Feudali jure adduximus, modò. per Novellam Electoris Augusti, in Electoratu isto, mutata sunt, *part.3. Constit. 28.* Atque hanc praxin probat etiam jus Feudale Livonicum, cujus, in inedita hactenus, Sylvestri Archi Episcopi concessione **des Erb-und Gnaden-Rechts** de anno 1457. ista verba sunt: **Dergleicken Gnadt dhon wie ock allen Clericken und Presterschafften in unserm Stichte Riga beseten / und ock in den andern Stichten/und under dem Grodwürdigen Meister und sinen Orden/so de unser Domheren/Presterschafft/und Clericken/mit En in glicker wise Erwen mogen. Andere Geistlicke und begewene Lüde/ beyder konne/ söhlen in dise Begnadinge nicht sin beschlaten/ und desülvigen Geistlicken/ de so Erwen werden/ de söllen uns/ unsen Nackömling unser Kercken/ glicksamb de wertlicken Ritterschap und Manschap / alle Plicht und Denst dorch sick edder andere/ als en dat thomen wert/ schuldigh sin tho dhonende/ und plegen.**

III. Si Princeps, Vasallus alterius, duos habeat filios, unum ante, sed alterum post acceptum Feudum Regale in lucem editum, quem Primogenitum dicemus, & ad successionem admittendum existimabimus? glossa alicubi, Jacobus de Belviso, Cynus, Alvarottus, Johannes Faber, Zasius, Niellius, apud Dn. Ludvvellum, post acquisitum regnum, vel principatum, natum, præferunt. Jacob de St. Georgio, Baldus, Rebuffus, Antonius Corserus in tract, *de potestate & Excellentia Regum*, (secundùm communem, ut ait DD. opinionem) & Schraderus, distinguunt, hæreditario jure Feudum per successio-

nem acquiratur, an alio modo: priori casu, etiam antea natum posteriori præferunt; secundo, eundem postgenito cedere volunt. Rittershusius, post Hottomannum, eo respiciendum putat, de Primogenito simpliciter, an Principis vel Vasalli, in legibus, statutis, vel pactis, mentio sit? priori in casu, primo in lucem editus, ex mente ipsius, succedit; secundo alter, natus demum post collatam dignitatem & Feudum. Nos, cum Barone Schenkio, Bocero, Gomezio, Covarruviâ, Tiraquello, Treutlero, & ad ipsum Bachovio, Arnisæo, Hugone Grotio, qui rem è variarum Gentium praxi eruditè explicat, Ludwello, Finckelthusio, simpliciter Primogenitum dicemus, & præferemus, qui primò in lucem editus, DEI, & naturæ, ac legum quoq; beneficio, primus in Feudis Paternis & legitimus successor est.

IV. Collateralium, in Feudis, nullam jure communi Feudali successionem esse, Hotomannus, Gyphanius, Vultejus, Setserus, ac etiam Snobelius perhibent. Verior tamen est glossæ, Schraderi, Sonsbecii, Zasii, Rittershusii, Borcholti, Jani ab Arcedurâ, Carpzovii, Schultzii, Ludwelliique sententia, qui eorum succesionem agnoscunt. Jure tamen Saxonico expeditum est, collaterales, nisi simultaneè investiti sint, à succesione in Feudis excludi. Quod & ita jure Feudali Livonico constitutum videtur. Articulo enim tertio Resolutionis Regiæ Gustavi Adolphi datæ in castris prope Werben die 13. Augusti 1631. hæc expresse leguntur, quæ subjicimus. Es wollen Ihro Königl. Majestät unter den veris Dominis, in dem gewonnen Liefland/niemand/ als die in descendente & ascendente Lineâ Masculini generis seynd &c. verstanden haben &c. Im übrigen/ sollen die bona ins gesampt/juri Feudi Masculini censiert werden.

V. Guilhelmus Fornerius, Fratres Consanguineos, à Germanis, in Feudorum successione, propter vinculi duplicitatem, excludi scribit. Nos, ut cum Sonsbecio, Niellio, Vultejo, Snobelio, Everhardo Bronchorst, in feudo fæmineo & absolutè hæreditario, id admitti posse, concedamus, in aliis tamen non possumus eidem adstipulari, sed negativam potiùs, quàm & communem dixit Scraderus, cum autoribus antiquis, quos magno numero adduxit Ludwellus, ac iis, quos antè nominavimus, tum Sneidwino, Hartmanno Pistoris,

Carp-

Carpzovio, Neoſtadio de *Feudi Hollandici Succeſſione*, amplectimur. Neque de jure ſolùm communi, ſed etiam Saxonico Feudali, eam veriſſimam eſſe, cum Hartmanno Piſtoris, Carpzovio, Struvio, perſuaſi ſumus.

VI. Jure Feudali quomodo gradus computentur, ambiguum fecére Doctorum diſſidia. Peculiarem, ac à Civili, & Canonicâ, diverſam computationem, Bocerus invexit. Canonicam Fachinæus, Hartman Piſtoris, Hotomannus defendunt. Nos, pro Civili computatione graduum, cum antiquis plurimis, à Ludwello adductis, quam & probat Roſenthal, Niellius, Snobelius, Vultejus, (qui ante Hottomannum à nemine rem hanc in dubium vocatam ait) Reusnerus (qui eam in Camera approbatam & receptam aſſerit,) Janus ab Arcedura, Finckelthuſius, & Dn. Struvius, pugnabimus.

VII. Si Vaſallus alicui Feudum legaverit, an ſaltem æſtimatio debetur? ita exiſtimat Donellus, Hunnius, Mantica, Valentinus Riemerus, Dn. Carpzovius, & Dn. Ludwellus. Nobis, cum DD. cæteris, Alvarotto, Matthæo de Afflictis, Jacobino de St. Georgio, Cuttio Juniore, Claro, Roſenthalio, Rudingero, Rittershuſio, Sonsbecio, Mozzio, Jano ab Arcedura, Heigio, Vultejo, Obrehto, Bocero, Hakelmanno in addit. ad Sneidwinum, Sculzio, Finkelthuſio, Dn. Richtero, & Dn. Struvio, regulariter aliud videtur. Si tamen abundè conſtet de voluntate teſtatoris, volentis æſtimationem eo caſu præſtari, illa præſtabitur, ut rectè Dn. Struvius notat, non quidem à Succeſſore Feudi, ſed bonorum, quomodo id, cùm Schradero, Obrechto, Schultzius etiam obſervavit.

VIII. Fœminam ſemel ad ſucceſſionem admiſſam, ſi deinceps accedant Maſculi, excludi nonnulli putarunt. Unde Andreas de Iſerniâ Materteram, per Nepotem ex ſorore, excludi vult, eamque opinionem, in ſecreto (ut loquitur) juris, veriorem ſe putare ſcribit Jacob. de St. Georgio, & probat Forſterus. Nos, ut (fatente ipſo Jacob de St. Georgio,) non dubitamus oppoſitam ſententiam communem eſſe, & ſecundùm quam in judicio pronunciandum ſit: ita eandem etiam juri magis congruere agnoſcimus, cum antiquis (quos recenſuit Dn. Wurmſerus *in Tractatu de Feudis impropriis*) Roſentha-

thalio, Schradero, Vultejo, Jano ab Arcedurâ, Struvio, Ludvvello, Snobelio, Finckelthusio, Wurmsero. Si tamen quis uxorem prægnantem reliquisset, eaque deinceps masculum vel fœminam peperisset, aliter pronunciandum judicamus, cum Jacob de Belviso, Schenckio Barone, Vultejo, Sceplitz, & Dno Wurmsero.

IX. Semel per Masculum exclusa, non propterea in perpetuum exclusa intelligitur, ut rectissimè docent, Martinus Laudensis, Jacob de Belviso, Ardizo, Sonsbecius, Heigius (qui ita in Collegio Juridico Wittebergensi pronunciatum ait,) Hermannus Vultejus, (qui in eandem sententiam in Collegio Juridico Marburgensi pronunciatum perhibet) Finckelthusius (qui ita respondisse Lipsienses) & Besold, (qui Tubingenses JCtos approbasse testatur) Hartman. Pistoris, Julius Clarus, Wesenbecius, Mynsinger, Plebst in *Disp. Feudalibus*, Arumæus, Niellius, Schultz, Fridericus à Sande, Obrecht, Rudinger, Suevus, Snobelius, Ludwellus, Wurmserus. Atque Carpzovius Jurispr. Forensis part. 3. Constit. 28. defin. 15. negativam, *rationibus & argumentis tam firmis propugnasse ICtos excellentissimos*, scribit, *ut, qui relictis hisce frugibus adhuc glandibus vesci malit, vix inter prudentes locum tueri suum possit*. Plurimos tamen etiam opposita sententia Patronos habuit, Andream de Isernia, Jacob Alvarottum, Matthæum de Afflictis, Zasium, Schenk Baronem, Mozzium, Curtium Juniorem, Borcholt, Gothofredum Antonium, Knichen, Schraderum, Bocerum, ac, quod inprimis miror, (quodam ut videtur memoriæ lapsu) ipsum Dn. Carpzovium in Disput. Feudalibus disp. 5. thes. 58.

X. Soli si sint fratrum filii, ad quos pertinet Feudi successio, an in stirpes succedent, an verò in capita? Successionem in stirpes probat Accursius, Bartolus, Castrensis, Baldus, Alvarottus, Curtius junior, Sonsbecius, Gudelinus, Hotomannum consentientem laudat, Cyprianus Regneri, qui etiam Clarum, Antonium Fabrum, & Fridericum à Sande pro hac opinione nominat, è quibus tamen postremus immeritò adducitur, cùm judicium suum suspendat. Nos, cum plurimis à Ludvvello nominatis, quibus addi possunt, Bronchorst, Reusnerus, Carpzovius, Finckelthusius, Struvius, eos succedere in capita tuebimur.

DE-

DECAS X.

De

Exspectativa & simultanea Investitura.

I.

PRomissio Feudi, facta sub conditione, quæ in casum mortis certi Vasalli possessoris concipitur, Placentinis, Alvarotto, Andreæ de Isernia, Matthæo de Afflictis, Claro, Hieronymo Scurfio, Cardinali Tusco, Cæsari Ursilio *in addit. ad Matthæi de Afflictis Decisiones Neapolitanas*, &, plerisque casibus, Schenkio Baroni, improbanda videtur. Nos, contrariæ sententiæ, utpote communi, cum Baldo, Mozzio, Zasio, Borcholto, Bocero, Hunnio, Vultejo, Hartmanno Pistoris, Sneidwino, Wesembecio, Schonero, Ludwello, Jano ab Arcedura, Gailio, & Fabricio *in Notis ad eundem*, Rudingero, Hammelio *in Tract. Iuris Feudalis*, Schultzio, Speidelio, Klockio, *in Tract. de ærario*, Warnero *in Disput. Lugdunensibus*, Finckelthusio, Suevo, Berlichio, & Dn. Struvio, meritò subscribimus.

II. Dominum, ex hâc promissione conditionali, existente conditione, ad Feudum præcisè tradendum obligari, videtur Hartmanno Pistoris, Andreæ de Iserniâ, Bocero, Setzero, Ario Pinello, Ludwello: at liberari præstando interesse, Alvarottus, Curtius Junior, Julius Clarus, Mynsinger, Borcholt, Rosenthal, Arumæus, Berlichius quoque, & Carpzovius, veriùs existimant. Nobis placet distinctio Dn. Struvii, qui respiciendum putat ad naturam conventionis, quâ Feudum promittitur, secundùm quam obligatus erit Dominus: v. g. si per donationem Feudum promiserit, ad præcisè tradendum tenetur; quâ ratione etiam obligatur, si emptio venditio intercesserit.

III. Si certus casus exprimatur, puta, si Vasallus possessor decesserit sine liberis, alio verò modo Feudum revertatur ad Dominum, fortè propter Feloniam, aut quod ipsi refutetur, an credemus conditionem exstitisse, ita ut Dominus obligatus sit ad Feudum tradendum? cum Matthia Colero & Vultejo, celeberrimis Germaniæ Juris

Consultis. Nos, erroneam eorum sententiã pronuntiare nil veremur. Quod & glossa sequitur, & communi DD. calculo ratum esse, ipse Vultejus profitetur, qui indè monet in judicando aut consulendo recedendum non esse: atque suum, inter cæteros, ei quoque calculum addunt, Andreas de Iserniâ, Matthæus de Afflictis, Hartman Pistoris, Schraderus, Berlichius, Carpzovius, Dn. Struvius: Sed & in illam sententiam clarissimus est Juris Feudalis Saxonici textus, & glossæ interpretatio.

IV. Quid verò, si liberos habeat Possessor Vasallus, an rectè concedetur Exspectativa? Negativam communem, ait Fachinæus, quam & sequitur; quæ est glossæ quoque, Alvarotti, Andreæ de Isernia, Matthæi de Afflictis, Boceri, sententia. Verior tamen est affirmativa, propugnata ab Hartmanno Pistoris, Vultejo, Hunnio, Finckelthusio, Ludwello, Struvio, quam & praxi hodiernâ probari testatur Dn. Ludvvell.

V. Si is, cui Dominus promittit Feudum, antè moriatur, quàm Vasallus possessor, non solùm illi, sed ejus etiam hæredibus, ad promissionem adimplendam Dominus est obstrictus, ut rectè Andreas de Isernia, Matthæus de Afflictis, Hartmann Pistoris, Vultejus, perhibent; etiam si hæredum in promissione nullâ fiat mentio; modò non expressa restrictione, ad certam personam, manifestè exclusi intelligantur: monente Dn. Struvio. Neque movemur manifesto textu Juris Saxonici Feudalis, quo contrarium sancitur. Eum enim moribus vel nunquam approbatum, vel certè improbatum, ex Hartmanni Pistoris, & Carpzovii testimoniis abundè patet.

VI. Si Feudum, vivo Prælato, qui Exspectativam concessit, aperiatur, & fortè abusivè Prælatus illum, cui feudum promisit, investiverit, ante traditionem verò decesserit, an successorem ad Investituram adimplendam, & Feudum tradendum, adstringemus? Ita planè, secuti Andream de Isernia, Matthæum de Afflictis, Jacob de St. Georgio, & veteres alios, cum quibus & facit Dn. Struvius, quem rectè respondisse argumentis dissentientis Finckelthusii non dubitamus; licèt is in suam sententiam iisdem traxerit Dn. Suevum, qui pro eadem, sed malè, Hartmannum quoque Pistoris adduxit.

VII. Si-

VII. Simultaneæ Investituræ exempla esse in textu consuetudinum Feudalium videtur Carpzovio, cum aliis nonnullis: quod negat Schonerus, & Finckelthusius. Ludwellus reperiri quidem, sed aliam esse, quæ & Struvii est sententia, putat. Nos, non dubitamus, in Saxoniâ, & aliis Germaniæ pluribus locis, receptam hodie SIMULTANEAM INVESTITURAM, nec ex Jure communi Feudali, nec Saxonico scripto, sed moribus & consuetudine esse, cum Dn. Suevo, Finckelthusio, Schonero. Quod & Antonius Gothofredus intellexisse videtur. Is enim, propter hanc Investituram simultaneam, hodie, Feuda in Germania rectè dividi posse scribit, in *Disp. 1. feud. th. 7. lit. t.* in feuda Juris Saxonici, & Longobardici.

VIII. Vasallus non possidens Feudum, non tenetur ad petitionem Renovationis Investituræ, Jure communi Feudali: quod in dolo esse non reputetur; qui tamen eo jure ad Feudi privationem requiritur: ut rectè post Hartmannum Pistoris, Dn. Suevus judicat; licèt aliud de jure communi etiam, placeat Finckelthusio. At secus est, jure in Saxonia, & aliis nonnullis Germaniæ provinciis, moribus recepto, ubi, si Dominus vel Vasallus mutetur, Renovationem simultaneè investiti, etiam qui sunt remotissimo gradu, petunt, vel ipsi, vel per Procuratorem; ni fecerint, si remissio Domini, vel justa causa, non intercesserit, effectus simultaneæ Investituræ cessat: quod post antiquiores Scriptores Saxonicos, Scultzius, Finckelthusius, Suevus, Carpzovius, uno ore affirmant, & Responsis Facultatis Juridicæ Academiæ Tubingensis, & Lipsiensis, inter alia, confirmat Scultzius. At Expectativa, non nisi eveniente casu mortis, & post acceptam possessionem, Investituræ petendæ necessitatem habet.

IX. Si Agnati, simultaneè investiti, plures, iidemque non æqualis gradus, concurrant, utri præferentur? Ex Juris Civilis, receptô in allodialibus Jure, & Feudalis communis dispositione, dicendum videbatur, præferendos esse gradu propiores remotioribus; sed nullâ gradus prærogativâ observatâ, remotiores unà cum proximioribus admitti, expeditissimi Juris est, quod agnoscunt Sneidvvinus, Bocerus, Thomingius in Consiliis, Hartman Pistoris, Finckelthusius, Carpzovius, Dn. Suevus, Rennemannus, frustra in adversam sententiam concedente aliquam-

quamdiu Henningho Gœden, qui ipse tamen Consilio 22. improbat, quàm Cons. 21. probaverat opinionem. Non enim agnatio, sed sola simultanea Investitura, in Saxonia attenditur, cui omnes investiti æqualiter innituntur. Secus tamen est, si addatur ab Investiente, & reperiatur in Investitura, clausula, nach rechter Sipzahl / aut similis, exprimens voluntatem Investientis diversam, quod rectè addunt, Scultzius, & Dn. Struvius: aut si consuetudine loci, vel familiæ, ut proximiores remotiores excludant, receptum sit: observantibus id jam, Hartmanno Pistoris, Berlichio, Carpzovio, Finckelthusio, Dn. Richthero, Dn. Suevo: quod apud Thuringos moribus invaluisse, scripsit Colerus in Decisionibus.

X. Inter possessorem Feudi, & eos, qui simultaneè investiuntur, ut intercedat conventio de mutua successione, necessarium non esse, contra Pruckmanni, & aliorum assertum, adstipulamur Hartmanno Pistoris, & Dn. Struvio; licèt non diffiteamur, id plerumque fieri.

DECAS XI.

De

Renovatione Feudi, & Laudemiis.

I.

TEmpus petendæ Renovationis Investituræ, anno & die simpliciter definiunt, Cujacius, Hottomannus, Petrus Faber, Borcholt, Dionysius Gothofredus, in Notis ad 1. F. 22. & Rittershusius: qui ideò fide Codicis manuscripti, ad quem Cujacius provocat, delent, quod de mense in textu additur. Nec plus temporis Vasallo indulgent, Ardizo, Andreas de Isernia, Thomas de Marinis, Eguinarius Baro, & Petrus Gudelinus: qui tamen omnes genuinum agnoscunt textum 1. F. 22, qualis ille hodie legitur; sed correctum posterioribus Constitutionibus perhibent. Alii stricto Jure annum solummodo & diem, ex æquitate verò, annum & mensem, Vasallis indistinctè omnibus, largiuntur, quales Obrechtus, Vultejus, Hunnius, Schutzius,

us, ac Camillus de la Ratha Casertæ Comes. Nonnulli annum & diem quidem postulant, sed ita interpretantur, ut plures indè dies efficiant, & tot, quibus mensis absolvitur. Quæ Reusneri, Finckelthusii, Suevi, ac Dn. Struvii explicatio est. Nos, collatis fideliter Codicibus, & inter illos, manuscriptâ Feudorum collectione, optimæ notæ, hactenus ineditâ, quam ex optimis, (ut in Præfatione est) exemplaribus, autoritate Friderici Imperatoris, confecit Aotonius Mericutius de Prato veteri, JCtus Bonononiensis, ac Collegio Bononiensi primùm, & Imperatori deinceps FRIDERICO obtulit, tum editione Feudorum omnium antiquissima, quæ nec librorum adhuc distinctionem habet, & Editione Basileensi Michaelis Wentzleri anni M CCCC LXXVIII. ac Veneta Baptistæ de Tortis anni M CCCC LXXXVII. & aliis, nullibi tamen mensis vocem abesse vidimus. Nec glossarum feudalium ulla, (quæ exemplarium, quibus autores earum usi, differentias non negligenter alioquin, etiam in hoc capitulo, observant,) quicquam tale notavit. Ut non dubitemus, Cujacii illa, conjecturâ solùm niti, cui refutandæ sufficiunt abunde libri omnes. Nec tamen reliquorum, quos commemoravimus, opinionem probamus; sed ita distinguimus, ut actu militanti Vasallo, (non autem cuivis Nobili, quod Wesembecio, aut Baroni, quod Fricciæ *de subfeudis* visum) præter añum & diem, mensem insuper concedendum, reliquis verò annum & diem sufficere, existimemus. Quod sequuntur Baldus, Alvarottus, Jacob de Belviso, Clarus, Wesembecius, Sonsbecius, Hartman Hartmanni, Zasius, Sylvanus, Mozzius, Mynsinger, Schenck Baro, Bocerus, Schraderus, Rosenthal, Achatius Enenckel *de Privilegiis Militum*, & Dn. Ludwellus: quam sententiam communem dixit Curtius Junior, & usu servari testatur Ferrarius Montanus. Jure tamen Saxonico, anni & sex hebdomadarum tempus, Vasallo indistinctè conceditur; quod, cum textu in eam rem evidentissimo, rectè asserunt Sneidwin, Gothofredus Antonius, Schraderus, Scultzius, Dn. Ludvvellus.

II. Tempus illud, à Domino Feudi, etiam non consentiente Vasallo, jure Feudali, quo Saxones utuntur, minui potest. Unde ista ipso textu Juris illius continentur, der Herr bricht dem Mann/

 durch

durch sein Anbieten/die Zeit des Jahrs. Communi tamen Jure Feudali secus est, & frustra Vasalli Jus minori tempore circumscribit Dominus, ut recte Jacob de Belviso, Alvarottus, Jacob de St. Georgio, Bocerus, Rittershusius, Vultejus, Scultzius, Rosenthal, Schrader, Cassanæus, *in Comment. ad Consuet. Burg.* Dn. Carpzovius, Dn. Ludvvellus, Dn. Struvius, ac Thomas de Marinis docent. E quibus, quem ultimo loco nominavimus, hanc communem Dd. opinionem vocat. Atqui his nuperrimè adstipulatur etiam Camillus de la Ratha Casertæ Comes Neapolitanus.

III. Termini hujus prorogationem in arbitrium Domini, etiamsi id displiceat Vasallo, collocant Sylvanus, Rittershusius, Borcholt: ut videtur, parùm ex ratione Juris Feudalis. Quare & aliud rectè placuit Jacob de St. Georgio, Schradero, Vultejo, Bocero, Obrechto, Dn. Carpzovio, Scultzio, Dn. Ludvvello, Dn. Struvio. Quinimo, utut Jure Saxonico tempus hoc minui queat, prorogari tamen eodem Jure non potest, teste Scultzio.

IV. Mortuo Vasallo ante anni exitum, successori ejus, ad petendam Renovationem Investituræ, siquidem Feudum antiquum sit, ex sua Persona, integer annus & dies dabitur, non solum residuum anni defuncti: quæ communissima, teste Camillo de Ratha, Dd. est sententia. Quid verò si novum sit Feudum? Illud solum temporis quod defuncto superfuit, filio, vel, ex pacto, aut Domini voluntate, successori alteri, concedendum judicant, Jacobus de Belviso, Nicolaus, de Neapolis, Curtius, Gailius, Borcholt. Nos, cum Johanne Andrea *in Addit. ad Speculatorem*, Jacobo de Ardizone, Isernia, Sonsbecio, Schradero, Vultejo, Rosenthalio, Camillo de la Ratha, facimus, qui à prioribus discedunt.

V. Renovationem Investituræ si petat Vasallus, an præterea necessè sit, ut Fidelitatem verbis disertis & expressis offerat, non omnibus Feudalis Juris Interpretibus in expedito esse videtur. Negat sufficere solam petitionem Renovationis Baldus, Andreas de Isernia, sibi tamen contrarius, & Baro Schenckius. Sed & nuper pluribus argumentis patrocinium negantium suscepit Finckelthusius. Affirmativæ nos subscribimus: quæ, præterquam quod communis ipsi Fin-

Finckelthusio & Ludwello dicatur, qui ad autores non paucos, (quos, quòd ipse nominet, adducere omittimus) provocat, à Vultejo, & Ludwello, satis propugnatur.

VI. Vasallus, si intra tempus legitimum petere Renovationem Investituræ negligat, Feudi Jure cadit. Sed an etiam Dominus, si Renovationem, petente Vasallo intra annum, ipse interea temporis, sine justa causa, facere recuset, proprietate carebit? Negant Schenck Baro, Laurentius Sylvanus, Clarus, Rosenthal, Niellius. Et pro affirmativa, quamvis æquitatis multum habeat, textum tamen se requirere, scribit Antonius Contius. Nos, cum glossa & Dd. aliis, adductis jam à Ludwello, pro affirmativa stamus, si de Jure Feudali communi quæratur. Cæteroquin Principes & Dominos Feudorum, non consuevisse plerumque rigorem Juris Feudalis æquitati præferre, & ob neglectam Investituræ Renovationem, si alia culpa non accedat, non facilè Vasallum, Feudo privare, sed condonare culpam, pœna saltem aliqua dictata, post Andream de Isernia, Matthæum de Afflictis, Vultejum, Hartmannum Pistoris, monent Dn. Struvius, & Camillus de la Ratha: qui hanc pœnam in Regno Neapolitano, ubi ipse vivit, per capitulum Regni apud Fogiam (ut vocat) remissam ait. Atque idem olim Mediolani obtinuisse Feudista; apud Gallos receptum esse Fornerius, & Contius, tradunt.

VII. Si Vasallus juraverit Domino, ejusque Successioribus, an deinceps, eveniente Domini morte, non Renovationem solùm Investituræ petere, sed & jurare iterum defuncti hæredibus debet? Negant Jacob de Belviso, Jason, Molinæus, Rosenthal, Hartman Hartmanni, & Petrus Gudelinus, Asserunt Alvarottus, Sichardus, Sneidwin, Obrecht, Bocer, Clarus, Sylvanus, Sonsbecius, Scultz, Zæsius, Dn. Ludvvell, & Dn. Struvius. Quorum nobis quoque potior videtur sententia, cùm eam moribus receptam, & saltem ad Vasallum religionis ejus, quam debet Domino novo, admonendum, utilem esse, ipse etiam Gudelinus fateatur.

VIII. Laudemia, Jure eo quod in libris Feudorum continetur, interdum de Feudis deberi, post Eguinarium Baronem, & Cujacium, se persuasum habere scribit Gudelinus. Et saltem in prima Feu-

di Novi Investitura, ea præstanda, Baldus, Guido Papæ, & alii apud Dn. Ludwellum, existimant. Nos, Jure Feudali communi, Laudemium nullum deberi, sed Investituram gratis faciendam esse, cum Andrea de Isernia, Hartmanno Pistoris, Rosenthalio, Schradero, Wehnero, Dn. Ludwello, Dn. Frantzkio in *tractatu de Laudemiis*, & authoribus, ad quos ibi provocat, non ambigimus; licèt consuetudine, quam & valere, & legitimam esse, non diffitemur, multis in locis, ut & Laudemia de Feudis solvantur, inductum esse, neutiquam ignoremus.

IX. Ante Investituram expeditam, & ergo multo magis ante petitam, Laudemium non debetur, ut rectè Wesembecius, Stuckius, Antonius Faber, Hartmann Pistoris, Surdus, Solsona *in Lucerna Laudemiorum*, Frantzkius tract. *de Laudemiis* & alii tradunt; quamvis contrarium defendat Bachovius, *in Exercitationibus ad Fabrum*: magis, ut videtur, odio adversarii, quam amore veritatis. Aliter tamen multis in locis observatur, quod testatur & notat Wehnerus.

X. *Laudemia*, secundùm communem Dd. Regulam, quæ Baldo, Saliceto, Amadæo à Ponte, Hartmanno Pistoris quoque, inter cæteros, probatur, *Omnes illi solvunt, qui non sunt in prima Investitura comprehensi.* Sunt tamen perquam multa, quæ generalem regulam hanc esse prohibeant, ut doctè ostendit Frantzkius. Nos, veriorem, & Juri magis congruam, agnoscimus illam, quam Frantzkius in locum prioris substituit. *Omnes illos ad solutionem Laudemii teneri, qui indigent Investiturâ*; (præsuppositâ tamen lege, vel consuetudine, exigente vel approbante Laudemium) quales sunt, qui cum Veteri Vasallo, vel Emphyteuta &c. una eademque persona esse non possunt: vel quod idem est, qui Emphyteusin, Feudum, vel eorum bonorum quæ Laudemia ex consuetudine præstant, aliud aliquod, titulo singulari acquirunt.

DE-

DECAS XII.

De Jure Domini in Feudo, ac Reverentia inprimis Vasalli, & Servitiis Feudalibus.

I.

IN causâ civili, (si Cujacii, & qui illum sequitur, Gothofredi, authoritate aliquis stare velit) non licet Vasallo testimonium dicere contra Dominum, perinde ut in criminali. Rectiùs alii, correctionem Cujacii, textus *2. feud. 33. §. similiter*, non admittunt, & in civili causâ testimonio Vasalli locum faciunt contra Dominum, si causa non sit modica. Quam lectionem probat MSStus Codex Antonii Mericutii, & sequuntur, cum pluribus adductis, Rosenthal, & Bocerus: quibus accedunt Rittershusius, Obrecht, Scultzius, Carpzovius, Struvius, Ludwell, Schnobelius, Suevus. Si tamen Vasallus ad Judicem vocatus, cùm ipse se excusasset anteà, ab eo nihilominus cogatur, nullâ excusationis ratione habitâ, aut sub comminatione pœnæ, dicere testimonium jubeatur, etiamsi dixerit, non habebit proptereà quòd sibi metuat, Autoribus Alvarotto, Matthæo de Afflictis, Zasio, Vultejo, Franciscino Curtio, Struvio, & Ludvvello: quod ita in facti contingentiâ se aliquoties vidisse observari, scribit Borcholt. Quibus meritò accedimus, licèt id non admittendum esse existimet Rittershusius.

II. Dominum egenum, Vasallus alere, nisi vel culpâ Vasalli ad paupertatem redactus, vel Feudum admodum luculentum sit, vel quis omnia sua bona alteri in Feudum dederit, ex communi Dd. sententiâ, non tenetur. Unde plures esse qui id negent, Vultejus, & Struvius: regulariter id negandum putare Interpretes Dn. Ludvvellus; communiorem esse, non cogi Vasallum, Gudelinus scribit. Autores plurimos vide apud Rosenthal, qui & ipse huic sententiæ adstipulatur. Et defensores illa habet, inter alios, Wesembecium, Zasi-

um, Julium Clarum, Hartmannum Hartmanni, Sonsbecium. Fortassis tamen tempore, quô hæc scribimus, communior, saltim recentiorum ac seculi nostri scriptorum calculo, est Affirmativa, à Bartolo, Jasone, Jacobino de S. Georgio, Schradero, Rittershusio, ac Bocero, jam olim, & nuper à Ludvvello, Struvio, Schnobelio, Gudelino, Finckelthusio, Carpzovio, probata: quorum plerique, ad dimidiam partem fructuum & redituum annuorum, ea subministrari volunt.

III. Feudum magnâ quadam accessione augetur, an etiam ad servitia aliquid accedet? Kohlius *de Servitiis Feudalibus*, & Dn. Suevus, nullâ distinctione, augmentum servitiorum admittunt. Finckelthusius, si certa antea & definita sint servitia, augmentum accedere negat; secus, si indeterminata. Nobis præ reliquis arridet Dn. Struvii distinctio.

IV. Vasallus in ætate pupillari constitutus, Jure communi Feudali Longobardico, à Servitiis feudalibus per substitutum præstandis, ex recentiori sententiâ Kohlii in *Tract. de Servitiis*, Dn. Suevii, & Dn. Struvii, non liberatur; licèt in personâ, ut vocant, propriâ, servire eodem jure non teneatur: quod & Baldo placuit. Aliter veteres plerique, cum Jacobo de Belviso, Alvarotto, Ardizone, Isernia, Laudensi, Præposito, Afflicto, Balzarano, Nicolao Intrigliolo, Barone Schenckio, Rosenthalio, & Dn. Ludwello; E quibus aliqui, post glossam, monent, consuetudine & moribus ubique ferè receptum esse, ut pupilli ad servitia per substitutum præstanda compellantur; non tamen, ut Schraderi verba habent, sub pœnâ amissionis, sed interesse: cujus loco, interdum mulcta, vel pœna arbitraria succedit: quod post Schenckium, & Rosenthalium, observavit etiam Dn. Ludwell.

V. Interdictum unde vi, Vasallo contra Dominum competere, Isernia, Afflictus, Borcholt, Vultejus, Rosenthal, Gothofredus Antonius, ajunt: quam opinionem vulgò probari Suevus, eamque ut receptiorem allegari, Finckelthusius dicit: pro quâ, præter textum Juris Feudalis, præjudicium Cameræ Imperialis, Vultejus, & Responsum Facultatis Juridicæ Francofurtensis, Schultzius adduxit. Verior nobis videtur, Hunnii, Dn. Suevi, Carpzovii, Finckelthusii, Struvii, &

Dn.

Dn. Ludwelli ſententia, non permittentium, ut Vaſallus interdicto hoc contra Dominum experiatur: quod aſſertum communi opinione probari Mozzius; verius eſſe, Zaſius ſcripſit. Et diverſa extare circa quæſtionem hanc Cameræ præjudicia, adductis Autorum locis, monſtravit Hunnius.

VI. An Vaſallo in judicium Dominum ſuum vocandi licentia ſit, antequam veniam impetrârit, diverſis ſententiis inter Feudiſtas diſceptatur, atque ipſi Dnn. Camerales (ut eſt apud Mynſingerum) modò pro affirmativa, interdum pro negativa pronuntiârunt. Non poſſe, poſt Guidonem Papæ, Zaſium, Oldendorpium, (quos adducit) exiſtimat Dn. Schnobelius, quod &, cum Weſembecio, ſequitur Dn. Carpzovius, in *Diſput. Feudalibus*. Affirmativam nos amplectimur, cum Roſenthalio, Schradero, Borcholto, Sneidwino, Obrechto, Vultejo, Rudingero, Scultzio, Gothofredo Antonio, Struvio, Ludwello, Suevo. Atque ita ſe ſemper vidiſſe obſervari Julius Clarus: & opinionem hanc in Camerâ receptiorem eſſe, Mynſingerus, & Gailius; in Saxonia quoque probatam Reygerus, idque nullo diſcrimine, ſive Feudalis, ſive alia cauſa ſit, Suevus ſcribunt.

VII. Vaſallus plures habens Dominos, & ab illis Feuda diverſa, antiquiori Domino ipſe præſens ſervitium præſtat, recentiorem per ſubſtitutum adjuvare debet, ſi contra extraneos bellum gerant. Quid verò, ſi ipſi inter ſe? poſt Schneidvvinum, & alios quos adduxit, Andreas Kohlius in Tract. *de Servitiis Feudalibus*, & hoc caſu requiri, ut vel per ſubſtitutum, vel pecuniâ oblatâ poſteriori Domino præſtò ſit, defendit: haud dubiè fruſtrâ. Tunc enim, Domino antiquiori contra poſteriorem Dominum ſuccurret, nec Feudum ideò amittet, ut rectiſſimè, Schraderus, Roſenthal, Hartman Piſtoris, Hunnius, Dn. Carpzovius, Dn. Ludvvellus, Dn. Suevus cenſet.

VIII. An, adverſus Patrem quoque, Domino Vaſallus ſervitium militare præſtet, quod legitur *2 Feud. 28. in fin.* ambigunt nonnulli. Cujacius delet, quod de Patre additur, authoritate Codicum nonnullorum. Hunnius textum, tanquam juri divino, pietati & rationi naturali contrarium, rejicit. Carpzovius quoq; negativam defendit. Petrus Gudelinus, ibi tradi putat, ad quid cauſsâ Feudi teneatur aliquis

quis, non quos absolutè aut præcipuè adjuvare debeat: quare pietatis rationem monere, ut sanguine conjunctos quis potiùs juvet; rationem verò & obligationem feudalem velle, ut Dominum præferat: cui si contra Patrem, vel filium, quis adesse omittat, parùm aut nihil delinquat; sed tamen cessare tùm causam, ob quam feudo fruatur, utpote, propter id servitium auxilii, præcipuè, & plerumque, dato: quod ferè sequitur Finckelthusius. Nobis Cujaciana textus mutatio non arridet, cùm MSStus membranaceus Codex noster, *Patris* etiam, alio tamen quàm hactenus editi Codices ordine, mentionem faciat. Verba illius hæc sunt: *Contra omnes debet Vasallus Dominum adjuvare: & contra Patrem, filium, & Fratrem.* Editi Codices Patrem ultimo loco commemorant? etiam omnium haud dubiè antiquissimus, Bibliothecæ Stipendii Martiniani, qui nullam adhuc librorum distinctionem, nullos capitulorum numeros habet, typis sub ipsa initia repertæ Typographiæ descriptus. Qui tamen omittit, perinde ut MSStus, quæ in recentioribus est, copulativam, ac legit: *contra fratrem, filium, & Patrem*: virgulas etiam, quibus verba illa *& Patrem*, includunt recentiores, planè uterque negligit. Hunnii quoque ista paucis Feudistarum se probant, & Gudelini opinio, præter Finckelthusium, hactenus invenit adstipulatorem. Nos textui, & communi Dd. sententiæ, quam & probant Vultejus, Dn. Rittershusius, Dn. Struvius, Dn. Ludvvellus, Dn. Suevus, Dn. Schnobelius, adstipulamur, quæ contra Patrem etiam Domino adesse Vasallum vult: tantò magis, quòd non nisi in justâ causâ juvare Dominum, & per substitutum servire, vel dimidium reditum unius anni de Feudo solvendo, ac etiam Feudum refutando, ab illâ militandi necessitate se liberare possit. Cum quæstione hâc tamen non confundendam alteram, quomodo & quatenus Vasallus Dominum adjuvare contra Patrem debeat? monendum existimamus.

IX. Vasallus Domino cujus sumtibus servitia præstet, quæritur? Dn. Ludvvellus, si nihil actum sit, distinguit, utrùm Feudum opulentum sit, an non; primo casu Vasallo, secundo Domino hoc onus injungit; Finckelthusius, Domino simpliciter: at Vasallo secundùm communem Dd. opinionem, teste ipso Finckelthusio, Dd. alii hujus

rei

rei necessitatem faciunt: quos & sequitur Zasius, Schenk Baro, Rittershusius, Rudingerus, Carpzovius, Schnobelius. Dn. Suevus communem & receptissimam Dd. sententiam ait, ut Vasallo, si intra Domini ditionem serviendum sit, suis; sin extra eam Domini sumptibus serviendum sit. Non illos sequimur, qui, si nihil aliud pacto conventum, statutis locorum definitum, aut consuetudine receptum sit, Vasallum suis sumptibus Domino servire volunt; modò tamen Feudum sumptibus illis sufficiat, nec nimis tenue sit, ita, ut sumptus ejus proventus excedant, quod rectè Clarus, ac Ludvvellus, addunt.

X. Vasallus Dominum ab hostibus captum liberare tenetur, an etiam ob æs alienum in vincula conjectum? ita putat Dn. Ludvvellus, qui sine distinctione textum *2. Feud. 24.* de Domino ab hoste capto, & ob æs alienum in vincula conjecto, interpretatur. Nos diversa sentientibus, in quorum numero sunt Dn. Rittershusius, Hunnius, Schraderus, Rosenthal, Sonsbecius, Carpzovius, Suevus, Schnobelius, assentimur.

DECAS XIII.

De

Jure Vasalli in Feudo, inprimis Subinfeudatione, & Refutatione.

I.

THesaurus in fundo Feudali inventus; cujus sit, non conveniunt Interpretes. Si à Vasallo repertus sit, totum ad ipsum spectare, sin ab alio, ex parte dimidia inventori, ex altera Vasallo deberi, nec quicquam indè ad Dominum directum pertinere, existimant Alvarottus, Rosenthal, Wesembecius, Paulus Christinæus, Rittershusius, Carpzovius *in Iurisprudentia Forensi*, Niellius, Struvius. Inventori contra, & Domino directo, vel huic, si invenerit, soli, excluso Vasallo, Gilkenius, Harprechtus, Bocerus, Daniel Otto, Carpzovius, à se ipso dissentiens, *in Disput. Feudalibus*, Ludvvellus, Finckelthusius,

Suevus,tribuunt. Martinus Bonacina, rem ita explicat, ut partem dimidiam Inventori,si alius à Vasallo,&Domino sit,alteram dimidiam duobus Dominis,directo, & utili, (vel Vasallo,) tribuat. Nobis, illis in locis,ubi thesauri Principibus nondum addicti, (quod in multis locis factum, ex Arnisæi, Grotii, Vasquez, Bonacinæ, Christinæi, Struvii, observatis patet,) ex receptissimâ consuetudine, admittendum Vasallum cum Inventore, excluso Domino, videtur; cujus praxeos testes habemus sufficientissimos, Cardinalem Lugonem, Carpzovium & Schultzium.

II. Si quis mansum (ut loquitur Feudista) in genere, nulla addita restrictione, in Feudum concesserit, accessiones naturales ad Vasallum, Jure Feudi, pertinebunt, nullâ distinctione, incrementa sint latentia vel discreta, ut vocant, quod Jacobo de Belviso, & Mozzio visum; neque an sint solita, vel insolita, quod voluit Baldus, Capycius, Rosenthal; sed simpliciter, qualiacunque sint: ut rectè Suevus, & Struvius, judicant. Quin nec eo nomine ad novam Investituram adigi potest Vasallus: docentibus Bocero, Rittershusio, Schradero, Gothofredo Antonio, Carpzovio, Schultzio, Finckelthusio, Suevo, Dn. Struvio, & Dn. Ludvvello.

III. Dominium utile, quale est etiam illud, quod Vasallo in re Feudali competit, impugnant quidem, Cujacius, Donellus, Borcholt, Bronchorst, Vultejus, Gilkenius, Ludvvellus; sed communem tamen Doctorum de Dominio hoc sententiam, rectè nobis, etiam Juris nostri autoritate, tueri videtur, & reliquis accuratiùs, Frautzkius, in Tractatu *de Laudemiis*.

IV. Servitutem fundo Feudali imponere posse Vasallum negant, Curtius Junior, Vultejus, Johannes Rudingerus. Nos id ita simpliciter non admittimus. Vasallum enim servitutem Feudali prædio imponere posse, eam tamen perpetuam non esse, & in ipsius saltem, non Domini & agnatorum incommodum cedere, rectissimè post Baldum, Alvarottum, Andream de Isernia, Hartmannum Hartmanni, Rosenthalium, Rittershusium, Hunnium, Arumæum, statuere, videtur, è recentioribus, Scultzius, Finckelthusius, Struvius, Suevus, Ludwellus.

V. Pa-

V. Pacto expresso Investituræ adjecto de non alienando, an subinfeudandi facultas (quam alioquin etiam invito Domino ei concedendam, quicquid contra disputet Hottomannus, non dubitamus) adempta erit Vasallo? Ademptam vult, Baldus, Alvarottus, Jacobinus de St. Georgio, Bartholomæus Camerarius, Curtius Junior, Wesembecius *in Consiliis*, Zasius, Jeremias Reusnerus, Schraderus, Rosenthal, Kohl *de subfeudis*, Rittershusius, Borcholt, Ernestus Wilhelmus Vogelius *Inaugurali Disputatione de Iure subfeudi*, sub præsidio Dn. Wilhelmi Lyseri habita, Wilhelmus Crato Burggravius de Kirchberg, ac Dominus in Farnroda, in *discursu Iuridico de subinfeudatione, Giessæ sub præsidio Magnifici Dn. Iohannis Helvici Sinold, cognomento Schutzen habito*. In contrariam concedit Vultejus, Gothofredus Antonius, Dn. Ludvvellus, quam & *disputatione Iuridica de Subinfeudatione* Argentorati habitâ defendit Sigismundus Horlacher. Nos pro prima stabimus, quam communem esse, non solùm Dn. Schutz observat, sed & fatetur ipse Dn. Horlacher.

VI. Non Vasallum solum, sed & subvasallum (ut vocant) alium subinfeudare posse, satis in expedito est. Non item an & ulteriores in infinitum: quòd textus hic pugnare videantur, & Interpretes in diversum abeat. Jacobus de Ardizone, Præpositus, Rosenthal, Schrader, Gothofredus Antonius, Ludvvellus, Klockius, *in Consiliis*, Wolffgangus Crato Burggravius de Kirchberg, Ernestus Wilhelmus Vogelius, ac Sigismundus Horlacher, disputationibus Giessæ, Wittebergæ, & Argentorati de *Subinfeudatione* habitis, in infinitum locum subinfeudationi faciunt. Bocerus distinguit inter Regale Feudum, & non Regale: in illo subinfeudationem ad tertiam usque personam, non ultrà, admitti vult; in Mediolanensi curia tamen etiam ad quartam personam extendi potuisse putat: In Feudis autem non Regalibus, in infinitum procedere fatetur. Obrechtus simpliciter subinfeudationem, in infinitum non admittit; sed in tertia persona adhuc, non etiam in quarta, eam legitimam agnoscit. Nos, citra distinctionem, è tribus his sententiis, primam probamus, quam & generali Doctorum asserto niti, adducti autores probant, & notavit jam Dn. Horlacher.

VII. An Feudum Regale in subfeudum rectè dari possit, quæritur?

Partem ejus posse in subfeudum dari, concedunt, ita tamen, ut id de toto negandum existiment, Kohlius in *tractatu de subfeudis*, & ibi allegati, eosque secuti Jeremias Reusnerus, Dn. Struvius, & Ernestus Wilhelmus Vogelius in disputatione de Jure subfeudi; contra totum subinfeudari posse pro parte non item, Schraderi, Hunnii, Ludwelli opinio est. Quorum sententia ut de Jure Feudali, quale id scriptum habemus, vera sit; si de praxi tamen hodiernâ quæratur, non dubitamus asserere tàm ratione totius Feudi Regalis, quàm ratione partis, in plerisque Europæ locis, subinfeudationem locum habere, quod posterius etiam Baldo, Rosenthalio, Sixtino, Dn. Reinkingio, Paurmeistero, Wolffgango Cratoni, Burggravio de Kirchberg, Horlachero, Schutzio utrique, Clutenio, Matthiæ Stephano, & Besoldo placuit.

VIII. Subvasallus feudum alienare cupit, cujus consensum requirere debet, an subinfeudantis, an Domini directi, à quo primus Vasallus fuudum habet? Domini directi & mediati consensum requirunt Clarus, Mynsinger, Rosenthal, & adducti jam à Fachinæo veterum aliqui. Sed immediati, qui & primus Vasallus est, consensum postulant, Menochius de præsumtionibus, Schenck Baro, Molinæus, Dn. Struvius, Scepliz, Klammer, Fachinæus, & Kohl *de subfeudis*. Utriusque accedere voluntatem jubent, Freccia *de subfeudis*, Sonsbecius, Bocerus, Finckelthusius, Gothofredus Antonius, Gothofredus, Suevus, Wolffgang Crato Burggravius de Kirchberg, & Sigismundus Horlacher. Nobis placet Hartmanni Pistoris, Jeremiæ Reusneri, Schroteri *in Disp. Feudalibus*, ac Ludvvelli distinctio, inter Feuda quæ ipsi Vasallo possidenda conceduntur, & deinde ab eodem alii infeudantur, & inter ea quæ feudo concesso subjecta à subvasallis possidentur, & aliis subinfeudari solent: in horum alienatione solius immediati Domini consensus sufficit, in illorum verò si ultra vitam subinvestientis durare debet Feudum, utriusque Domini mediati & immediati requiritur consensus, ut rectissimè nostro Judicio Ernestus Wilhelmus Vogelius notavit; si non nisi ad vitam sub Investientis Vasalli durare debeat, illius consensus sufficit.

IX. Refutationem Feudi, Domino volenti fieri posse, Controversia vacat. An etiam si nolit? Res ipsis Cameræ Assessoribus, prudentissimis

mis & ſelectiſſimis Germaniæ JCtis, anceps viſa eſt. Negat Schrader & Julius Clarus; Diſtinguunt inter Feudum ac certum ſervitium, & inter feudum ad nullum vel indeterminatum ſervitium datum, Jacobus de Belviſo, & Camillus Borellus. Plurimi etiam invito Domino Feudum refutari poſſe judicant, quos poſt Vultejum, Roſenthalium, Mynſingerum, Obrechtum, ſequuntur Ludvvellus, Suevus, & Dn. Tabor, peculiari diſputatione de Refutatione Feudi von Abtretten des Lehens Anno 1651. Argentorati habita, iisque nos accedimus.

X. Si Vaſallus omnia Feuda Domino vel agnato refutet, an Feuda etiam impropria hujusmodi refutatio contineat, diſceptatur. Curtius Junior & Schraderus contineri negant. Affirmat Dn. Tabor. Nos non dubitamus ejus ſententiæ noſtrum calculum addere.

DECAS XIV.

De

Felonia.

I.

SI vaſallus manum ſaltem contra Dominum levaverit tanquam percuſſurus, nec percuſſerit, an Feudo privandus propterea erit? Non poſſe ideo privari Alvarottus, Jacob. de St. Georgio, Zaſius, Schenck Baro, exiſtimant: quos ſequitur nuperrimè Dn. Snobelius, Diverſam ſententiam Curtius Junior, Vultejus, Ludvvellus, Carpzovius præferunt. Quem, niſi illis caſibus, quibus ſe defendere contra Dominum Vaſallus poteſt, aut ſi Dominum in adulterio uxoris ſuæ deprehenderit, nos quoque probandam putamus.

II. Viduam Domini Vaſallus ſi ſtupro maculaverit, feudo idcirco privari, communem Doctorum ſententiam eſſe, dubito tamen an rectè, Dn. Suevus ait (licèt ipſe aliter exiſtimet) & habet autores & defenſores, Andream de Iſernia, quem Evangeliſtam Feudiſtarum vulgò appellant, Alvarottum, Clarum, Schraderum, Roſenthal, Zaſium, Arumæum. Rectiùs alii, qui, ſi poſt tempus luctus eam ſtupraverit Vaſallus (aliud enim eſt ſi intra illud) non propterea feudo exeundum

illum judicant. Quod Baldo, Bocero, Vultejo, Schenckio Baroni, Ludvvello, Suevo, Struvio, Gothofredo Antonio, Reusnero, Finckelthusio placuit, à quibus nec nos diversum sentimus.

III. An causæ illæ omnes, propter quas liberi rectè exhæredantur, etiam ad privationem feudi sufficiant, quæstio est celebris? vulgò ita existimare Feudalis Juris interpretes Carpzovius notat: sed & ita interpretes communiter ferè sentire Scultzius scribit; ac tradunt Regulam, Udalricus Zasius, Mozzius, Borcholt, Sonsbecius, cum antiquorum aliis: *Quòd ex quibus causis matrimonia justè contracta dissolvi, donationes perfectæ revocari, & libri rectè exhæredari possint, ex iisdem etiam Vasallus feudi sui jacturam patiatur.* Nos secuti Jacobum de Belviso, Franciscinum Curtium, (quem Dn. Suevus cum aliis nonnullis malè semper Franciscum vocat (cum Duareno, Vultejo, Rosenthal, Rittershusio, Obrechto, Scultzio, Suevo, Finckelthusio, Carpzovio, Snobelio, Ludvvello, Regulæ hujus veritatem non agnoscimus.

IV. Si Vasallus *Inimicis Domini* (verbis utimur imperatoris Henrici in 2. F. 57.) *suas amicitias copulaverit*, feudo privabitur. Si nempe, ut rectè Interpretes monent, in perniciem aut noxam Domini se cum illis conjunxerit. Simplex enim amicitia, bonâ fide, sine animo offendendi Dominum contracta, nihil culpæ, nec ergò & pœnæ habet. Quid tamen si res controversa fiat, quo animo illa contracta sit. Onus probandi VASALLO imponunt Zasius & Hunnius, DOMINO Alvarottus, Rosenthal, Schrader, Vultejus. Nos cum Finckelthusio distinguendum existimamus, an simplicem & generalem amicitiam cum inimico Domini contraxerit, nec se ad illum conferat, an verò talem ut fœdus etiam cum ipso inierit, cumque eo sæpius familiariter in locis suspectis commemoretur: priori casu Domino; posteriori Vasallo probationem, quo animo amicitiam contraxerit, quod præsumptio priori casu pro illo, altero contra eum sit, injungemus.

V. Feudum in Emphyteusin non perpetuam sed temporalem ad breve tempus alicui concessit Vasallus, sine consensu Domini, an concessionem hujusmodi, inprimis si id, quod canonis loco præstatur, non sit nimis exiguũ, ut æquare posit sumptus, quos Vasallus in servitia Domino præstanda impendere debet, ratam habendam judicabimus? ita

exi-

existimant Borcholt, Rittershusius, Bocerus, Ludvvell, Snobelius. At aliter putat post Rosenthalium Struvius, quòd & illa alienatio sit, & ideo prohibita sine Domini censensu. Nobis de Jure Feudali Scripto verior videtur Struvii sententia. Praxi tamen hodiernâ non dubitamus hujusmodi concessiones Vasallis permissas, cùm hodie generali consuetudine pascua & incultas terras alias in Emphyteusin dari posse, post Clarum & Vultejum observent Dn. Snobelius, & Dn. Ludvvellus.

VI. Propter Incestum Feudum perdere Vasallum Alvarottus, Zasius, Schrader, Rosenthal, Dn. Struvius asserunt. At negant Bocerus, Ludvvellus, Snobelius, Finckelthusius, quibus & nos haud immeritò accedimus.

VII. Dominus Feudi sine consensu Vasalli alii proprietatem cedit, an Feudo cadet, an solùm alienatio irrita pronunciabitur salvo ipsi Feudo? Posterius Baldo, Wesembecio, Sonsbecio, Schenck Baroni, (quem malè pro contraria sententia adduxit Philippus Knipschild *in informatione de obligatione Domini erga Vasallum*) & Dn. Struvio arridet. Prius probant Schneidvvin. Clarus, Schrader, Rosenthal (cui per errorem à Dn. Struvio adversa sententia tribuitur) Mynsinger, Borcholt, Obrecht, Scultz, Dn. Ludvvellus, Dn. Snobelius, Knipschildt *in Informatione de obligatione Domini erga Vasallum*. Quorum sententiam, (cùm teste Dn. Struvio etiam communis sit, & Juris Feudalis Analogiæ magis congruat) & nos defendemus.

VIII. An ex causis, propter quas Feudum amittit Vasallus, id ipso jure amittat, an verò eo demum per Judicis sententiam privetur? quærunt Feudistæ, Bocerus cum paucis aliis ipso jure amitti vult, At per sententiam demum Curtius, Zasius, Clarus, Rosenthal, Modestinus Pistoris, Rittershusius, Borcholt, Duarenus, Vultejus, Ludvvellus, Hunnius, Gudelinus, Snobelius, qui & communem hanc esse sententiam scribit, Scultz, qui ita responsum in Dicasterio Wittebergensi & Facultate Jenensi addit, quorum opinio & nos cum Gailio, Dn. Struvio, & Dn. Suevo subscribimus.

IX. Si Vasallus in præstatione canonis annui, quem Domino ex conventione debet, per triennium cessaverit, eum feudo privandum judicant Baldus, Laurentius Sylvanus, & Dn. Ludvvellus; quo & recidit

dit licet distinguentis Struvii sententia. Ast feudo ideo privari non posse, post Speculatorem Schraderus docuit, quod & Fachinæus probat. Alvarottus distinguit, an pro feudo duntaxat præstetur pensio, vel annuus census, aut simul cum pensione fidelitas. Priori casu ob non solutum censum feudum amitti putat, posteriori non item. Martinus Laudensis si census annuus promittatur à Vasallo in signum honoris solùm aut subjectionis, non amittere propterea Feudum autumat; secus si sit census magnus, qui videatur æquare proventus Feudi, tunc enim ideo amitti feudum, quia appareat concessum esse propter censum. Jason distinguendum existimat, inter pensionem minimam, quæ in signum honoris Domini & subjectionis Vasalli solvitur, & magnam; priori casu putat Vasallum feudo privandum non esse; Posteriori casu, si major sit pensio, aut æqualis servitiis feudalibus, Vasallum qui solvere omiserit, feudo plectendum putat, quòd principaliter propter pensionem hujusmodi Feudum concessum videatur; aliter judicat si minor sit servitio hujusmodi. Nos primam sententiam magis ad Juris Feudalis rationem congruere, existimamus.

X. Antiquum Feudum culpa Vasalli in ipsum Dominum commissa amittitur. Expeditum est, ita ad Dominum redire ut filii excludantur. Quid verò de agnatis dicemus? Etiam hoc casu, ad illos Feudum pertinere volunt, glossa, Andreas de Isernia, Matthæus de Afflictis, Curtius Junior, Jacobinus de St. Georgio, qui hanc sententiam ut æquiorem commendat, Schneidwinus, Wesembecius, Clarus, eamque magis receptam & communem esse Menochius scripsit. Contra tamen, ita ad Dominum redire hujusmodi Feudum, ut exclusis tam filiis quàm agnatis Vasalli, penes illum in perpetuum maneat, Jacobus de Belvisio, Baldus, Zasius, Duarenus, Sonsbecius; Fachinæus, Rittershusius, Sixtinus, Dn. Ludvvellus, judicant. Nos cum Jacobo de Ardizone, Alvarotto, Cujacio, Thoma de Marinis, Camerario, Rosenthalio, Bocero, Setzero, Hartmanno Pistoris, Vultejo, Obrechto, Johanne Theodoro Himmelreich *Disputatione Inaugurali de Felonia Argentorati habita*, Carpzovio *in Iurisprudentia Forensi* & Dn. Struvio, ita ad Dominum pertinere hujusmodi Feudum antiquum ob feloniam in dominum commissam judicamus, ut tamen, post vasalli

qui

qui deliquit, ejusque filiorum mortem, agnatis sit concedendum.

DECAS XV.

De

Iudice, Iudicio, & Actionibus Feudalibus.

I.

ACtio præjudicialis, an Domino competit, contra Vasallum, si talem se esse ipse fateri nolit? competere defendunt post Durandum, Gryphanius, Rittershusius, Helfricus Ulricus Hunnius, Wilhelmus Ludvvell, & Benedictus Carpzovius. Rectiùs tamen id nostro judicio negant, cum Jasone, Johannes Faber, Uldaricus Zasius, Schneidvvinus, Georgius Adamus Struvius, Joachimus Snobelius, & Fridericus à Sande *Commentario in Gelriæ & Zutphaniæ Consuetudines Feudales*, qui alienam, à moribus inprimis nostris, Durandi & Giphanii sententiam esse notat.

II. Si de possessione Feudi quæstio sit, an Judex loci Ordinarius cognoscet, an verò causa ad forum Feudale pertinebit? Celeberrimi JCti, Henricus à Rosenthal, & Hermannus Vultejus Judicis loci ordinarii legitimam cognitionem esse volunt: quam sententiam probat quoque gossa. Sixtinus, & Amadæus à Ponte in Tractatu *quis sit judex in causa Feudali*. Nos cum Matthæo de Afflictis, Curtio, Duareno, Claro, Francisco Milanensi, Mynsingero, Colero, Rittershusio, Scultzio, Dn. Ludvvello, & Dn. Struvio, pro Feudali foro stabimus; tanto lubentius, quòd adversam opinionem communiter reprobatam esse, jam sua ætate scripserit Baldus.

III. Pares, quando in Feudi causa judicant, an Juramentum quoque de rectè judicando peculiare præstare teneantur, præter id, quod anteà cùm de feudo investiti sunt, præstiterunt Domino, controversiâ non vacat. Wesembecius, Hartmannus Hartmanni, Hanneton, Colerus, Rittershusius, Schraderus, juramentum peculiare requi-

 runt:

runt: quam opinionem veriorem esse, ac in multis gravissimis causis observatam, idem, quem modò nominavimus, Schraderus; & praxi in terris Saxonicis receptam Colerus scribit. Nos, cum Zasio, Mynsingero, Schneidvvino, Vultejo, Borcholto, Sixtino, Obrechto, Hunnio, Gothofredo Antonio, Reusnero, Scultzio, Suevo, Ludwello, Struvio, peculiare juramentum, præter primum illud, quod jam continet, quòd velint jus & æquum in judicando fideliter observare, non requirimus. Quam sententiam cum Jure Feudali communi convenire Struvius, probabiliorem & receptiorem esse Mynsingerus, ita plerosque interpretes sentire Vultejus, & moribus Germaniæ convenire, ipse alioquin dissentiens Hartmannus, & autor additionum ad Schneidwinum; eique etiam jus Saxonicum adstipulari videri, Reusnerus judicavit.

IV. Si bona controversa, & de quibus ambigitur, feudalia sint an allodialia? juncta sint prædio, quod sine controversia est Feudale, pro Feudalibus ea habenda, & possessionem adjudicandam Agnatis, usque dum successores Allodiales ea hæreditaria esse probaverint, Schraderus, Berlichius, Colerus perhibent; atque ita, apud Carpzovium in Responsis pronuntiandum putavit Facultas Juridica Lipsiensis. Verior tamen est opinio eorum, qui & illa allodialia in dubio censeri volunt, quam suam fecerunt Everhardus Junior, Vultejus, & ab ipso adducti plures *lib. 2. de Feudis cap. 3.* ubi & præjudicium habes Cameræ Imperialis: eamque probant Carpzovius & Dn. Struvius; atque ita judicavit, non habitâ ratione responsi Facultatis Juridicæ Lipsiensis, supremus Senatus Appellationum Dresdensis apud Carpzovium.

V. Differentia Juris Civilis & Feudalis illa etiam DD. observatur, inter illos, Sonsbecio, Borcholto, Vultejo, Paulo Christinæo, Gudelino, quòd *actore non probante Reus absolvatur*. Sed nullam hac in parte differentiam agnoscere vult Dn. Struvius. Licèt enim juramento, qui absolvitur, defendere se jubeatur, id tamen non fit eo casu, quo actor planè nihil probat; sed tum demum, si pro actore aliquæ sint præsumptiones, quas reus non possit elidere. Et Dn. Ludvvellus id à foro nostro recessisse, ac probationes, maxima ex parte ad Jus

com-

commune redactas esse, post Zasium, Vultejum, Rittershusium, optimè monuit, quod & observat Snobelius.

VI. Consuetudine an induci potest, ut solus Dominus pares Curiæ eligat? Negant Gailius, qui & præjudicio Camerali suam opinionem tuetur, Zasius, Hunnius, Rosenthal, Scipio Gentilis, Obrechtus, Suevus, Scultzius, Ludvvellus; sed affirmativam veriorem & communiorem ait Schrader, & Hartmann Hartmanni, qui eam multis in locis consuetudine servari addit: quod idem licèt alioquin aliter sentiens Modestinus Pistoris commemorat, atque illud Bambergæ observari Fichardus, Cameræ adhuc anno 1576. adeóque post fata Gailii secundis curis placuisse ex Christiano Barthio, Vultejus commemorat, qui & illam sententiam ut posterius approbatam amplectendam censet. Quæ nostra sit sententia in re difficilima in conflictu explicabimus. Illud ferè expeditum est pacto Investituræ inserto caveri posse, ut solus Dominus vel etiam Vasallus eligat quod Schraderus, Rittershusius, Ludvvell notant.

VII. Reconventioni in judicio Feudali simpliciter locum faciunt DD. vulgò, sed & ex exactioribus Andreas de Isernia, Baldus, Gailius, Mozzius. Nos ut agnoscimus eo casu, quo causa est Feudalis Reconventioni locum esse, ita de cætero id negandum putamus, cum Wesembecio, Mynsingero, Rosenthal, Treutlero, Vultejo, Sixtino, Ludwello, Snobelio, Finckelthusio, Reusnero. E quibus nostram hanc communem esse scribit Wesembecius, & Reusnerus, ac decisione Camerali confirmatam testatur Mynsinger.

VIII. Viduæ, pupilli, personæ miserabiles aliæ, Domini Feudi Jurisdictionem in causis Feudalibus declinare possint, & adversarium coram Imperatore convenire an non? quæst. est anceps, Doctorum nostrorum dissidiis. Licere volunt Rosenthal, Curtius Junior, Borcholt, Speckhan, Hunnius, Ludwell, qui tamen quoad præsentem Imperii statum fortassis adversam sententiam veram esse existimat. Negant Ludolphus Schrader; Vultejus, Giphanius, Finckelthaus, Gothofredus Antonii, Suevus, Scultzius, quorum sententiam, si de consuetudine & praxi quæratur, præferendam non ambigimus. Et fortassis etiam ad rationem Juris Feudalis examinata magis illa quàm altera subsistit.

IX. Imperii Vicarios durante Vicariatu de Feudis majoribus (licèt illa conferre non possunt) cognoscere tamen posse non dubitamus, cum Limnæo & Suevo. Licèt ea de re ambigat Arumæus.

X. Dominus an ejus etiam Feudi judex esse possit, de quo Vasallum Investire coactus est? Negativa Baldo, Curtio, Rosenthalio. Affirmativa Borcholto, Vultejo placuit. Ludvvellus priorum opinionem ita probat, ut Dominum Feudi tanquam suspectum recusare possit Vasallus. Cæterùm si nihil opposuerit, vasallus etiam hunc Dominum legitimum Judicem esse autumat.

DECAS XVI.

De

Rebus quæ in Feudum dari possunt.

I.

CUm *in c. un. 2. F. 1. vers. sciendum*, Feudista tria rerum genera specialiter enumeret, in quibus Feudum constituitur, nimirum, res soli, aut solo cohærentes, aut eas, quæ inter immobilia connumerantur, & quidẽ additâ particulâ exclusivâ, non, nisi in rebus enumeratis Feudum consistere, planum indè est, res mobiles excludi, nec in iis Feudum constitui posse, quam Assertionem certissima præterea Juris Feudalis ratio adjuvat, quâ inductum est, ut proprietas rei beneficiatæ penes dantem remaneat, ususfructus verò ad accipientem transeat, *c. un. 2. F. 23. in f.* quod quia non fit in re mobili, sive consumtibilis usu sit, sive minus, quæ ipsa tamen deteriorationi obnoxia est, utique nec Feudum in eâ constituetur. Idque adeò ampliamus, ut nec inter res mobiles non magni pretii, & mobiles pretiosas distinguamus, in quibus quidem, cùm aliàs Jure civili immobilibus æquiparentur, *l. 22. C. de admin. tut.* Feudum constitui putat *Niell. Disput. feud 3. th. 3. lit. a.* Quanquam enim Comparatio rerum immobilium & mobilium pretiosarum obtineat in casu *d. l. 22. C. de admin. tut.* in alienationibus à tutore vel curatore faciendis, non tamen in omnibus,

bus, aut, si in allodialibus, non æquè tamen, ob diversissimam rationem Feudalibus applicari potest. Imò & rerum mobilium pretiosarum perpetuus usus absque deterioratione vix est, nec sine proprietate ad alium in perpetuum transferuntur, ut sic eædem in his, quæ in rebus mobilibus vilioribus rationes militent. *Zabel. Exerc. feud. 4. §. 2. lit. 6.*

II. Sicut autem ususfructus rerum illarum, quæ usu consumuntur, per se quidem non est, obstante nimirum veri ususfructus naturâ, quæ in eo est, ut Jus utendi fruendi alius habeat, salvâ rei substantiâ; *pr. Inst. de usufr.* sed per cautionem ab usufructuario præstitam, quasi ususfructus constituitur. §. *2. I. d. t.* ita & in rebus mobilibus, in quibus Feudum propriè non est, *c. un. 2. F. 1.* accedente hâc cautione, quâ Vasallus in casum revertentis ad Dominum Feudi, caveat de restituenda rei mobilis in feudum datæ æstimatione, feudum consistere posse censet *Mozz. de reb. quæ in feud. n. 17.* Verùm non discedimus à Regulâ *in d. c. un. 2. F. 1.* traditâ, neque limitationem hanc, utpote Juri feudali parùm consonam admittimus; Rerum mobilium allodialium cautione interveniente, quasi ususfructus esse potest; idque non tam cautio, quàm Senatusconsultum efficit. *d. §. 2. Inst. de usufr.* ibi; *Utilitatis causâ Senatus censuit.* Iterum; *Senatus earum rerum quasi usumfructum constituit*; In Jure Feudali autem circa res mobiles sub cautione istâ in feudum concedendas tale nihil expressum est, neque cautio interposita id efficit, ut proprietatis loco sit, aut ut proprietas quædam rei mobilis in feudum datæ penes dantem permanere censeatur, quod tamen de natura Feudorum est. *Arum. disp. feud. 4. th. 3.*

III. Pecuniam ex vendito aliquo feudo redactam feudalem esse, inque eâ feudum aliud constitui posse, indè contendunt Alvarott. Gœden. & alii; quòd pretium tale, in locum rei succedat, ejusdemque naturam sapiat; Imò expresso textu juvari hanc assertionem credunt *c. un. 2. F. 25.* in quo Dominus, ejusdem æstimationis feudum restituere, vel nummos in feudum dandos numerare dicitur. Sed, & de tali pecunia negari non potest, quin mobilis omninò res sit, & in eâ quoque transitura est proprietas una cum usufructu ad accipientem, contra naturam feudi, in *c. un. 2. F. 23.* Ideò idem hic, quod de cæteris

rebus mobilibus dicendum est, feudum non constitui in pretio ex feudo redacto. Neq; enim semper precium in locum rei succedit, aut surrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum surrogatur, si scilicet diversa sit utriusque ratio, aut res non sit ejusdem naturæ, cujus est precium, *vid. Gædd. ad l. 14. de V. S. n. 18. & seqq.* quod autem in *c. un. 2. F. 25.* dicitur, Dominum, nummos in feudum dandos numerare, non ita intelligendum est cum Hotom. quasi pecunia in feudum dari possit, aut quod ibid. ipsi nummi in feudum dati fuerint, siquidem, nec quod accepit Vasallus transactionis nomine, feudum est. *c. un. §. si Vasallus de beneficio. 2. F. 26.* sed quòd Dominus ratione Feudi evicti numeraverit nummos, in feudum dandos, id est, ut iis ipsis nummis feudum aliud comparetur *Arum. disp. Feud. 4. th. 3. & 5. Zabel. Exerc. Feud. 1. th. 2. lit. 6. & Exerc. 4. th. 2. lit. b.*

IV. Quanquam autem & in pecunia, & in re alia mobili aut se movente feudum propriè non consistat, sed si talis res sub Juramento fidelitatis data fuerit, saltem jure contractus alterius innominati valeat; *Duar. c. 5. num. 1. Gothofr. Anton. disp. feud. 3. th. 9. lit. b.* attamen & consuetudine induci potest, ut feudum in pecuniâ constituatur; & in consequentiam rerum immobilium, mobiles quoque res in feudum conceduntur; Quoad prius, de consuetudine illâ testantur, *Pruckm. Consil. 48. num. 130. Cothm. vol. 1. Resp. Iur. 48. num. 17. Köpp. decis. 18. num. 13.* Idemque approbatum est per *Constit. Elector. Augusti 30. p. 3.* Pecuniam pro feudo haberi, si nimirum expressa paciscentium conventio & consensus Domini feudi accesserit; quæ duo tamen conjunctim requiruntur, adeò ut nec sola destinatio pecuniæ ad feudum emendum, *l. 3. C. de furt.* nec pactum agnatorum aut contrahentium per se, ne juratum quidem sufficiat, nec enim ex eo pecunia protinus feudalis efficitur, quanquam hæredes hoc casu ex pacto promittentis ad interesse teneantur, *d. Const. 30.* verùm & Domini consensus & confirmatio ut interveniat necesse est, per quam pecunia, sive oblata Domino & in Cameram ejus translata fuerit, sive minus, feudalis fit; *Moll. ad d. Const. 30. num. 7.* Dadurch dem Gelde die Art und Eigenschafft des Erbes benommen / und es zu Lehn gemacht / oder in Lehn verwandelt werde / *d. Const. 30.* It. Daß es hin-

hinfürder verdienet werden/und daß solchem Gelde/als Lehn/so offt es verfället/gebührliche Folge geschehen solle; quod & in literis Investituræ expresse addi solet; Potestatem autem hanc, pecuniam efficiendi feudalem, vel qualitatem allodii, eidem adimendi, soli Principes habent, auß Fürstl. Macht und Obrigkeit; non inferiores, nisi ex privilegio vel præscriptione idem Jus acquisiverint, uti testatur, & ita practicari, ait *Matth. Coler. decis. 94. num. 6.* Quoad secundum; castro quodam in feudum dato, etiam arma, tormenta bellica, annona, &c. feudo in fundum dato, etiam instrumenta & animalia, & alia quæ perpetui usus causa in eo sunt, data intelliguntur, *arg. l. fundi 17. §. 7. ff. de act. empt.* adeoque res mobiles in consequentiam immobilium in feudum cedunt. *Schrad. d. Feud. p. 3. c. 1. num. 19. Vult. 1. F. 5. num. 4.*

V. Inter res solo cohærentes, præcipuè referuntur fructus pendentes, & nondum separati à solo, sive naturales sint, sive industriales: Sunt enim pars fundi *l. fructus 44. ff. de Rei vindic.* eoque fructibus jam maturis distracto, etiam fructus Emptori cedunt: nisi aliud convenit, *l. Iulianus 13. §. si fructibus 10. ff. de act. empt.* Ideò fructus hos, tanquam partes fundi, unà cum fundo in feudum dari posse, dubium nullum est; An autem principaliter quoque & sine fundo dubitat post alios & percipere se id non posse, ait *Niell. disput. feud. 3. thes. 1.* quomodo nimirum possit feudum constitui in fructibus unius anni; quibus perceptis, ipsum quoque feudum extinguatur: aut quomodo in fructibus multorum annorum? quos, si Dominus coli curet fundum singulis annis, ita ut Vasallus percipiat maturos fructus, ipse Dominus eidem separatos tradere potiùs, quàm feudum in iisdem constituere videtur. Et sic nec hoc casu, ulla erit proprietas, quæ aut in fundo considerari possit, utpote qui in feudum non est datus, aut in fructibus pendentibus, hi enim omnes in feudum, ut volunt, dati, ad Vasallum pertinent; eorumque perceptione semper interitura est proprietas, donec nascantur & extent alii fructus; *vid. Niell. d. loc.* Verùm quia fructus pendentes & pars fundi sunt, ut modò dictum & solo cohærent; non dubitandum est; tum ob generalem assertionem Feudistæ in *c. un. 2. F. 1.* tum quòd idem Juris sit in

toto,

toto, quod in parte; in fructibus quoq; fundi, absque fundo feudum conſiſtere; & fructus illos ſingulis annis renaſcentes ita in feudum dari poſſe; ut Vaſallus percipiens eo nomine ad fidelitatẽ & ſervitia præſtanda teneatur: *Roſent. de feud. c. 4. concl. 2. Vult. 1. de feud. 4. n. 5.* Veritas & ratio hujus aſſertionis indè percipi poterit, à ſequacibus Nielli, ſi conſideremus, non de fructibus unius tantùm anni, ſed plurimorum annorum, & ſic perpetuò in feudum datis, quod eſt de naturâ feudorum, nos loqui; Si quæras cum Niello quidnam remaneat loco proprietatis penes infeudantem, ut ſatisfiat naturæ feudi? Reſpondemus, Jus ipſum concedendi perceptionem annorum fructuum eſt loco proprietatis, & penes dominum manet, qui fructus eosdem Jure dominii percipere poterat; effectus autem dominii, & emolumentum, quod eſt in perceptione fructuum, ad Vaſallum tranſit: & ſemper durat, quandiu feudum aliud durare poteſt; neque ſeparatione fructuum, aut Jus ipſum concedendi, abſumitur, aut annuâ perceptione jus ipſum percipiendi extinguitur; Sicut in feudo de Camerâ vel cavena quotannis quid percipitur, ſalvo ſemper percipiendi Jure *vid. Hunn. in Tract. feud. c. 9. Arum. diſp. feud. 4. th. 7. Finckelth. diſp. feud 10. q. 10.* Imò ſi in Jure venandi, piſcandi annuorum redituum aliisque incorporalibus feudũ conſtitui rectè poteſt: quod ipſe Niellus concedit *d. diſp. 3. th. 2.* nulla certè ratio erit; quæ contrarium ſuadeat in fructibus illis annuis, quin & in iis feudum conſiſtat.

VI. Jurisdictionem territorio ineſſe paſſivè & materialiter, velut in re inanimatâ: in magiſtratus verò perſonâ formaliter & activè eſſe tanquam ſubjecto animato, magis tamen, & in dubio Jurisdictionem cohærere territorio, quàm perſonæ, ait *Weſemb. in Parat. ff. de Iurisd. n. 10.* unde fortè colligi poſſe videbitur, caſtro, aut præcipuè territorio in feudum conceſſo, ipſam quoque Jurisdictionem conceſſam intelligi; maximè, cùm vocabulum territorii, ſuâ naturâ Jurisdictionem reſpiciat, & ad illam referatur, & indè appellatum ſit, quòd magiſtratus ejus loci intra eos fines terrendi, id eſt, ſummovendi Jus habeat *l. pupillus 239. §. territorium 8. ff. de V. S.* unde & intra urbem tantùm, præfectus urbi Jurisdictionem exercere dicitur in *l. 1. §. 4. ff. de offic. præf. urb.* & extra territorium Jus dicenti impunè

punè non pareri, in *l. 1. ult. ff. de Iurisd.* Verùm, quia Jurisdictio magistratui saltem competit: hic autem non nisi à superiore constituitur, aut aliàs ex speciali lege, aut consuetudine, *l. 6. ff. de Iurisd.* sequitur indè, eum qui castrum aut territorium habet, non continuò & magistratum esse; nisi id nominis aliunde & legitimè habeat: adeóque per consequens investitum de castro vel territorio, non item de Jurisdictione investitum censeri, cùm hæc duo inseparabiliter sibi invicem annexa non sint, sed unus territorium, alter Jurisdictionem in eo habere possit, quod fermè in Rectoribus Academiarum notare licet. Et quanquam in territorio Jurisdictio exercenda sit: sive, quod idem est, territorium, ejusque limites, sint objectum Jurisdictionis, quod & volunt allegatæ in contrarium leges *l. 239. de V. S. l. 1. §. 4. ff. de off. præf. urb. l. ult. ff. de Iurisd.* attamen ipsum territorium, non tribuit possessori Jurisdictionem, neque ex iisdem Legibus, illud colligere est, ut qui habet territorium, idem & Jurisdictionem habeat; unde in *d. l. 239.* signanter dicit, JCtus, quòd Magistratus, & sic non quivis possessor, intra territorii fines terrendi Jus habeat; Concludimus itaque nisi Jurisdictio expresè cum castro vel territorio concessa fuerit vel de voluntate concedentis, eamque potestatem habentis aliunde constet; puta si castro cohæreat Jurisdictio, idque semper cum Jurisdictione, datum fuerit, sub ejusdem castri aut territorii generali concessione non venire. *Gothofr. Anton. disput. feud. 3. th. 4. lit. d.*

VII. Concessa sic Jurisdictione, quo minus Imperium mixtum quoque concessum intelligatur dubium quidem nullum est: siquidem Imperium hoc Jurisdictioni cohæret, & aliàs mandata Jurisdictione transit *l. 1. in fin. ff. de off. ejus cui mand. est Iurisd.* nec esse potest Jurisdictio sine modica coërcitione *l. fin. ff. d. t.* Alia ratio est meri Imperii; quod quia adeò non cohæret Jurisdictioni, ut potiùs omnino separatam ab ea qualitatem habeat, nec competit, nisi specialiter & nominatim alicui datum fuerit, *d. l. 1. pr. ff. de off. ejus cui mand. est Iurisdict.* nec, licèt generaliter concessa Jurisdictione sub eà comprehenditur *c. 2. de offic. vicar. in 6.* ideo simplici concessione castri cum Jurisdictione **Wir belehnen dich mit den Gerichten** / concessum

 illud

illud non censetur, neque enim latissimam illam interpretationem, quæ aliàs in beneficiis principum facienda est. *l. 3. ff. de Constit. Princ.* natura Imperii meri, quæ in eo est, ut specialiter & nominatim detur, admittit. Imò etsi castrum cum omnibus pertinentiis, alicui concessum fuerit, de quibus *vid. Vult. 1. F. 5. n. 4.* non tamen merum Imperium quin nec mixtum aut Jurisdictionem concessam esse dicemus: uti quidem Bocerus voluit, *de Iurisdict. c. 8. n. 24. & seqq.* cùm nec castro nec pertinentiis ejus cohæreant, sed penes aliũ quidem castrum cum pertinentiis, penes alium Jurisdictio esse possit; quanquam alia Jura ipsi castro vel rei inhærentia, veluti servitutes prædiales, vectigalia, annuos reditus, Jus Patronatus, &c. concessione illâ cum pertinentiis factâ, contineri non diffiteamur. Aliud est si castrum cum omnimodâ sive plenissimâ Jurisdictione concessum proponatur, **sampt aller Obrigkeit von allen Gerichten:** hoc enim casu merum etiam Imperium transire dicimus, non quòd generali concessione Jurisdictionis veniat hoc Imperium, sed quòd hujusmodi omnimodâ & plenissimâ Jurisdictionis concessione nominatim ac specialiter, merum Imperium quod poterat, transferre voluerit: ut hac ratione vocabulum hoc, omnimoda, sive plenissima, aliquid operetur, scil. præsumptam specialem Imperii meri concessionem. Ita & ProConsul, dum plenissimam Jurisdictionem habet, simul merum Imperium, quasi per hanc omnimodam concessionem nominatim delatum habere, & omnium partes qui Romæ vel quasi Magistratus vel extra ordinem Jus dicunt, ad ipsum pertinent, dicitur *l. 7. §. fin. & l. seq. ff. de offic. ProCons.* Idque nostris moribus, quibus Jurisdictiones Patrimoniales ferè sunt, minus dubii habet. *Vid. Hunn. Tract. feud. cap. 9. Finckelth. disp. feud. 3. thes. 12. & seq.*

VIII. Sylvâ in feudum concessâ, fructus quoque ejusdem veniunt, ita ut Vasallus & arbores, non tamen frugiferas *arg. l. 13. §. 4. ff. de usufruct.* cædere, sive proprii usus, sive vendendi causa possit. Modò sylva sit cædua *l. sylva 30. pr. ff. de V. S.* nam in sylva non cædua adstrictior est ejus potestas. *l. 10. l. 12. pr. ff. de usufr. l. 7. §. si fundum 12. ff. solut. matr.* & reditus quoque aucupiorum & venationum percipere *l. 9. §. 5. ff. de usufructu l. 26. ff. de usur.* Sicut & fluvio vel stagno in

in feudum concesso piscationum etiam reditus concessi intelliguntur *d. l. 9. §. 5.* Nam & feræ & pisces sylvarum & piscinarum fructus sunt: licèt non ex ipso corpore, tamen extrinsecus & occasione commoditatis, quam præbet sylva & stagnum, provenientes, qui & eo ipso perpetui dicuntur, dum in locum consumptorum surrogantur alii, adeóque ad Vasallum pertinent. Si tamen non custodiæ saltem, sed perpetui usus causa ibi exstent; *Vult. 1. Feud. 5. n. 4.* Aliud est, si speciali ratione aut consuetudine distincta à sylva & stagno venationum & piscationum Jura, uti distincta omnino esse & absque sylva & stagno concedi possunt, tunc enim in consequentiam rei non veniunt, uti nostris moribus ex venationum Juribus, quæ non in Justis rationibus arbitrio suo transscripsere Principes, notare licet.

IX. Cohærent solo molendina, quæ vel ut ædificia exstructa, vel stipitibus fortiter in terram defossis eidem inhærent, ut citra dissolutionem loco moveri non possint, qualia sunt ventilaria sive pneumatica, quæ à ventis agitantur, Wind Mühlen. In his itaque, nam de prioribus dubium nullum est, nisi fortè ita facta sint, ut citra fracturam commodè transferri possint, feudum rectè consistet *arg. c. un. 2. Feud. 1.* Non tamen & in navalibus sive molendinis aquæ innatantibus, Schiff Mühlen/ quia res per se mobiles sunt nec solo cohærent: quanquam, si bannalia sint Zwang Mühlen/ id est, jus ejusmodi annexum sibi habeant, ut vicini frumenta sua necessariò ibi molere cogantur, unà cum hoc Jure rectè in feudum dentur. *Rosenthal. de feud. c. 4. concl. 4. n. 2.* idque Exemplo aliorum Jurium, sive ut Feudista ait *in d. c. un. 2. F. 1.* rerum quæ inter mobilia connumerantur, quales reditus ex ærario, aut penuario Principis, aliique annui ex rebus immobilibus aut æquipollentibus, puta mensâ nummularii, aut tabernâ pendi soliti, servitutes unà cum fundo, actiones pro rebus immobilibus competentes, ita ut actio directa loco proprietatis sit, penes dominum, utilis penes Vasallum, Regalia, de quibus videantur Feudistæ prolixiùs.

X. Præter res non commerciales aliæ prohibentur in feudum dari, ideo aliqua alienatio earum interdicta est, vel Jure, velut in publicis rebus, Ecclesiasticis infeudari non solitis, præcipuè titulis. *c. un. 1. F. 6. pr.*

& decimis ex decreto Concilii Lateranensis, *c. 17. cap. 19. X. de decimis* dotalibus, *pr. Inst. quibus. alien. lic.* minorennium, *t. t. C. de præd. & al. reb. min.* adventitiis liberorum, *t. t. C. de bon. quæ lib.* litigiosis *l. 2. C. de litig.* vel dispositione hominis, aut inter vivos aut in ultima voluntate. Prohibita etiam est feudi alienatio *c. un. 2. F. 52. C. un. 2. F. 55* & infeudatio est species alienationis; nihil tamen impedit, quò minùs Vasallus etiam absque Domini consensu, cui sic nullum damnum infertur, cùm pro uno Vasallo duos quasi accipiat, de feudo suo alium subinfeudare possit, *cap. un. 2. F. 34. §. similiter cap. un. 2. F. 9. vers. si vero. c. un. 2. F. 26. §. beneficium*, modò fiat iisdem conditionibus in subvasallum æquè idoneum: & sine fraude & occultâ venditionis aliâque domino damnosâ machinatione, vid. text. allegati, quibus per Constitutiones Impp. Friderici & Lotharii derogatum & jus subinfeudandi sublatum esse, frustra præter, imò contra mentem Constituentium & receptissimam tunc usurpationem contendit *Hotom. vid. H. Pist. lib. 2. q. 44.*

COROLLARIA.

I.

AN inter Principes Electores Regi Bohemiæ in Electione Imperatoris concedendum sit votum, *minus fortasse controversum videri posset per text: expressum Aureæ Bullæ* cap. 7. §. Wann nun hin und wieder: *nisi &* Melchior Goldast, *cumque eo* Dn. Carpzov, nullam juris publici controversiam jam indè à multis seculis acriùs in Comitiis Imperii agitatam certo certius affirmarent; *& præterea in contrariam sententiam discederent, tum* Autor speculi Saxonici, *qui de Bohemiæ Rege lib. 3. Art. 57. asserit,* der hat keine Whal darum daß er nicht Teutsch ist/ (*cum quo consentit* jus Feudale Saxonicum *c. 4.*) *tum* Abbas Stadensis *non vanus alioquin scriptor. Unde Sigismundum Poloniæ Regem, tutorem Ludovici Bohemiæ Regis, anno 1519. ab Electione exclusum esse ex Goldasto probat* Dn. Carpzov. ad legem Regiam cap. 5. sect. 10. num. 9. *Nobis tamen tanti non sunt hæc ipsa, ut propterea relinquenda putemus aureæ Bullæ verba luce meridianâ clariora. Nec speculo Saxonico (in cujus autoritate præcipuum contrariæ sententiæ fundamentum*

tum

tum consistit) semper constat fides, bene hoc ipsum monente Kirchnero de Republica disp. 4. th.3. *& latius probante* Conringio Exercit. de jud. Reip. Germ, th.90.

II. *Abbati verò Stadensi id opinor accidisse quod à nullo homine alienum est, ut videlicet cum Italis nonnullis & autore speculi Saxonici communem errorem erraverit: Neque enim iis assensum præbere possum*, qui facto inter tempus discrimine Friderico II. rerum potiente (*quo tempore Abbas Stadensis vixit*) nullum votum Bohemiæ Regibus concedunt, sed ejus originem ad Caroli IV. ætatem remittunt, *inter quos numerare etiam licet* Peucerum in Frid.II. & Kirchnerum de Republ. disp. 4, th.4. *Eos enim refutant ipsa Bullæ verba. h. cap.* §. Wann nun hin und wieder. *Quibus accedit constitutio Friderici II. de privil. Boh. ubi hæc verba legere est* §. Und dieweil. Indeme uns der Durchläuchtige *Primislaus Otthocar* König in Böheim eben mit so viel Treu und Fleiß vor allen andern Fürsten besonders vorgezogen und unserer Wahl also beygestanden. *Et fidem superioribus addit Constit. Rudolphi I. quâ plena eligendi Cæsaris potestas VVenceslao confirmatur, ubi subjicitur*, Wie dann solches bey des jetzigen Königs in Boheim unsers allerliebsten Sohns An- und Uhr Anherrn löblicher Gedächtniß jederzeit löblichen im Brauch ist gewesen.

III. Quis locus debeatur inter Electores seculares Regi Bohemiæ non multum dubitationis habet, utpote definitum Cap. IV. §. Wir setzen/ *unde etiam primo loco inter eos nominatur*, Cap. VII. §. Wann nun. *An tamen hoc etiam ante hac tempora semper in usu fuerit, ut reliquos Electores loco anteiret, ambigit* Arumæus, disc. ad auream Bullam *3. th.13. & ita quidem existimat, eum ante adeptum regium nomen, cùm Dux tantummodo salutaretur, quod factum Lotharii, Conradi, & superiorum Impp. tempore, primo loco gavisum non esse, sed alium ab eo, quem nunc tenet, obtinuisse; idq; non destitui petito ex Aurea Bulla fundamento judicat. Verùm ut meritò veneramur Virum Iurispublici peritissimum, ita hìc cum illo facere non possumus. Neque enim ullus Bohemiæ Dux sibi Electoris nomen sumpsit. Neque illo tempore, quo Duces tantùm erant, qui Bohemis præerant, ulla adhuc fit Electorum apud Historicos mentio, quorum nomen demum cum Friderico II. innotescit. Vulgatus enim ille error*

ror, qui originem Electorum ad Ottonis III. tempus remittit jam pridem ab Aventino in Annalibus Bajoaricis *castigatus, ab* Onuphrio Patavino eleganti libello de Comitiis ut & Limnæo lib.3. c.1. & novissimè à Conringio Disput. de Elect. *protritus est, nec probatur etiam ab ipso* Arumæo Disc. 3. th. 6. *Cùm ergo nullos fuisse Electores tempore Ducum Bohemiæ constet, nec locum inter illos hi obtinere potuerunt. Atque adeò nondum evincitur Bohemo diversum aliquando locum ab eo, quem nunc obtinet, destinatum fuisse. Nec probatur quidem ex Spec. Saxon. tit.3. art. 57. ullum Bohemiæ Ducem vel Electorem fuisse, vel quartum inter Electores locum ex antiquâ consuetudine sibi vendicasse. Ibi enim Bohemiæ Regis, non Ducis fit mentio. Quinimo certissimis argumentis evinci potest Constit. illam, demum Friderici II. tempore relatam esse in speculum Saxonicum, longo post tempore, quàm Bohemi Duces in regiam dignitatem elati erant, quo tempore auctum esse speculum autor est* Spangenbergk/ in Chronico Saxoniæ: *Quòd verò speculum Regi quartum locum tribuit, id juxta cum eo quod votum ei adimit error est.*

IV. *Iure privato cautum est, ut si testamento detur tutor, legitima tutela locum non habeat*, pr. Inst. de legit. adg. tut. l. 11. ff. de test. tut. *Cui tamen derogatur jure publico, A. B. tit. 7. ubi proximus agnatus tutor existit, nec facilè locum habet testamentaria tutela*, Arum. Disput. 4 ad Aur. Bullam th. 10. *quod ex ipso textu non difficilè ostendi & deduci posse videtur: quanquam, cùm & pro testamentariâ tutelâ Electorali Exempla in contrarium extent, in Palatinatu; eamq́ tutelam decreto quondam suo gloriosissimus Imperator Rudolphus II. in possessorio firmârit: certi quid decidere, integrum haud sit.*

V. *An Ius idem in Regno Bohemiæ obtineat indè incertum est, quòd privilegio ante Auream Bullam concesso cautum esse asserant, impuberis Regis tutelam ad Regni Proceres ibi pertinere, quod &* Limnæus refert lib.3. cap.8. n. 29. *qui tamen certi nihil definit.* Et Becker cap. 7. th.13. *hoc nomine motam controversiam narrat Sigismundo Poloniæ Regi à Proceribus Bohemiæ, rem tamen nec ipse dirimit. Nos privilegio huic per auream Bullam derogatum Exemplo aliorum privilegiorum quæ pugnant cum eadem cap.16.* §. Und die alsso eingenommen/ *defendemus.*

SUC-

SUCCINCTÆ ANNOTATIONES IN CAPITULATIONEM LEOPOLDI IMP. AUG.

PROLEGOMENA.

De

ORIGINE CAPITULATIONUM.

DE origine Capitulationum varii varia sentiunt: alii Carolo M. ut Goldastus, quidam Carolo Calvo, ut *Lehmann. Chron. Spir. lib. 2. cap. 4.* quidam Conrado, ut *Arumaeus in Tract. I. P. vol. 4.* quidam Henrico IV. ut Hortleder. alii Carolo V. adscribunt: quod & olim defendit Limnæus; postmodum tamen melius informatus, quia hoc falsum esse deprehendit, quasi exercitii gratia tantùm fecisset refutavit, *Part. 1. addition. §. 9.* Mihi Goldasti sententia veritati maximè congrua videtur, qui omnes Capitulationes Imperio Germanico coævas esse statuit: Carolus M. quippe, postquam, Suevos, Saxones, partem Italiæ &c. subegisset, ad modum Regum Francorum, quibus nunquam fuerat liberum Imperium, ipse Francus, quod Historiis dudum comprobatum est, Constitutiones formavit perpetuò ab insequentibus Imp. inviolabiter servandas, quæ Capitulationum nomine postea veniebant, ut ex Historiis patet. Contra Hortlederi sententiam pugnat Limnæus & demonstrat, quòd Caroli Calvi tempore jam

jam constitutæ fuerint Capitulationes, qui videri potest. Ex omnibus tamen veteribus Capitulationibus nulla superstes est, nisi Caroli V. cæteras enim anteriores, quæ circumferuntur, non veras, sed suppositias esse, plerisque Juris Publ. scriptoribus persuasum est. Habemus itaque hodie Capitulationes IX. multum inter se & ratione numeri Capitum sive articulorum, & ratione ipsarum Legum discrepantes: Frischmannus quidem, in laboribus suis Moguntinis numerum capitum ad XX. Goldastus ad XXXII. capita restringit, sed verius est non restringi Capitulationes ad certum capitum numerum, posteriores quippe semper prioribus prolixiores existentibus; licèt enim Ferdinandi III. constet articulis L. Leopoldina verò saltem XXXXVII. hæc ipsa tamen sub minori articulorum numero plures continet Leges, ut hæc propterea sit Capitulatio prolixissima. Septem priores uno Volumine edidit & luculentissimo Commentario illustravit Limnæus; Nos, prætermissis generalibus Capitulationum, de quibus modò laudatus *Limn. in prolegom.* pluribus videri potest, pauca saltem ad Capitulationem Augustiss. Imperatoris Leopoldi notabimus.

Ad Proœmium Capitulationis Leopoldinæ.

COntinet hoc primò titulum Cæsareum, secundò brevem Electionis Historiam, tertiò Imperatoris LEOPOLDI Confessionem, se Imperatoriam dignitatem ab Electoribus sibi delatam acceptasse, pactorumque observationem deliberatô animô promisisse.

De Titulo notandum: primos Imperatores Germanicos solo Imperatoris titulo fuisse contentos, non adjectis titulis Ducatuum & Comitatuum, quos unà cum Imperatoria & Regia dignitate possederunt. Primus Henricus VI. Filius Friderici Barbarossæ, sese Imperatorem Romanum & Regem siciliæ scripsisse videtur, ut scilicet innueret, magnam esse inter Imperium Romanum & Regnum siciliæ differentiam, quod ipsum consecutus est per Uxorem Constantiam

Willhel-

Wihelmi Siciliæ Regis Filiam. *Vid. Rupert. ad Bes. Synops. cap. 18. p. m. 689.* Sed & Filius ejus Fridericus II. præter Cæsareum nomen, Siciliæ & Hierosolymæ, tanquam Regnorum recenter acquisitorum, titulum usurpavit. *vid. Chron. Carion. in Vita Friderici II. p. m. 973. Edit. Francof. de Anno 94.* Hinc Suevici Ducatus titulum nunquam adjecit. Hoc exemplo postea Carolus IV. Romanorum Imperator & Rex Bohemiæ dici voluit: Sigismundus verò ejus Filius & Hungariæ Regem se dixit, quo uterque contendere volebat, hæc Regna ab Imperio Rom. separata esse. Fridericus III. quem alii IV. vocant, in favorem Familiæ Austriacæ, adjecit plurima, propter Ducatus, Comitatus, aliasque provincias sibi subjectas; qui mos ab eo tempore invaluit. Ejus verò Filius Maximilianus I. omnium primò Germaniæ Regis titulô usus est. Multi id factum fuisse credunt ex consilio Trithemii, qui rerum Germanicarum peritus, advertit, Germaniam non nisi titulotenus Romani Imperrii partem esse, adeóque è re Imperii fore, hoc ipsum & Regnum Germaniæ etiam in titulo se parari, ne Pontifices, qui Romanum Imperium à se Imperatoribus collatum esse contendebant, quicquam ratione Germaniæ ulterius intentare possent. *Vid. Conring. de Germ. Imp. Rom. cap. 12. add. Recess. Imp. de Anno 1512.* Sed & hic, cui matrimonium cum Filia Caroli Audacis, potentissimi Burgundiæ Ducis, tot Regiones paravit, præter Austriacas Provincias, addidit Belgicas: Carolus V. verò omnium amplissimo gaudebat titulo. *vid. Ejusd. Constitutio super Iudic. Cam. de Anno 1548.* ut propterea falsè irrisus fuerit à Francisco I. Galliarum Rege, qui in Responsione tot lineas implevit, vocando se Regem Galliæ, Galliæ &c. quot Imp. Carolus V. literis suo titulo implevit.

Erwehlter:) Quæritur: Quare non simpliciter dicatur Imperator aut Rex, sed cum Epitheto Electus? Vulgò id fieri putant propter omissam Coronam Romanam, cùm hæc verè sit Imperatoria corona, illa autem, quâ inauguratur in Germania, Aquis grani, vel alibi, sit Corona Regni Teutonici sive Germanici, ut propterea per errorem, aut valde impropriè vulgò dicatur corona Cæsarea, idque haud dubiè exemplo Episcoporum, qui ante confirmationem dicuntur Electi Episcopi. *c. æqualiter. c. nosti x. de Elect.* sed sine causa; Carolus

lus V. enim, etsi à Clemente Pontifice Anno 1530. Bononiæ coronatus fuerit, nihilominus tamen Electi Imperatoris titulo, tam post, quàm ante coronationem Imperialem, usus legitur, *vid. Rec. Imp. de dict. Anno 1530. junctis sequentibus. Limn. de Iure Publ. tom. 1. lib. 2. c. 4. n. 87. & seq.* Potiùs itaque est, ut dicamus, Imperatores hôc ipsô ostendere velle, Se tales esse Electionis, non Successionis, aut Coronationis jure, etsi prior ratio ab initio adesse potuerit. Hujus sententiæ videtur & Limnæus fuisse *ad Capitulationem Caroli V. proœm. hâc voce* **Erwehlter.**

Hinc & Exteri Reges, imò & ipsi Pontifices, in titulo Imperatoris hoc Epithetum hodie omittunt, simpliciter Eum Imperatorem salutantes, quamvis hi id ante coronationem haud ita pridem recusaverint, ita scribentes: Filio Nostro in Christo dilecto Hungariæ & Bohemiæ Regi, Electo in Romanorum Imperatorem.

Römischer König:) Leopoldus hîc Romanorum Regem se appellat, non Imperatorem, quia quo tempore Ipsi præscribebatur Capitulatio, nondum coronæ Regni Teutonici fuit insignitus: Invaluit enim, ut ante istam inaugurationem Cæsares electi, non Imperatores, sed Reges Romanorum dicantur, statim autem post coronationem usurpant titulum Romanorum Imperatoris, utut à Pontifice nec coronati nec confirmati sint. *Dn. Dieterich. ad A. B. tit. 1. ad verba: In Imperatorem promovendi. Limn. Iur. Publ. tom. 1. lib. 2. cap. 4. n. 56. & seq.*

Paucis hîc notamus, appellationem Regis Romanorum duobus modis usurpari: Primo pro eo, qui in casu vacantis Imperii eligitur mox in Cæsarem promovendus, quæ significatio hujus loci est & frequens in Aur. Bull. *cap. 1. §. 1. 2. 18. 19. &c. Vid. Limn. ad dict. cap. 1. §. 1. th. 5.* & Hic ab ipso Imperatore, non nisi nomine ferè, differt. *Idem ad cap. 1. §. 1. obs. 6. n. 5. & ad Capitulat. Maximiliani II. art. 18. pag. 495. & seqq.* Secundo pro eo, qui vivo Imperatori, tanquam perpetuus Imperii Vicarius extra ordinem adjungitur, Ejundemque indubitatus Successor destinatus est, de quo latiùs agendi locus erit ad artic. 36.

Zu allen Zeiten Mehrer des Reichs:) Appellantur Imperato-

ratores Augusti ab Octavio Augusto, Julii Cæsaris Successor, quum enim feliciter res gessisset, Senatus Romanus, inter cæteros honores, novum quoque ei nomen decernere constituit, aliis Romulum appellandum censentibus, sed prævaluit Munacii Planci Consilium volentis Augustum esse dicendum, quasi augurio felici conservatum, divino omine felicem, **der in einem guten Zeichen und zu guter Stund zum Regiment erwehlet war / glückseelig gesegnet.** Aliis idem est, quod sanctus, venerabilis, reverendus, inviolabilis, omnique injuriæ humanæ exemptus; Nomen enim hoc deductum ab eo, quod loca religiosa & in quibus quid augurato consecratur, augusta nominentur, ab auctu. *Sueton. in August. cap. 7. add. Limn. Iur. Publ. tom. 1. lib. 2. cap. 1. num. 31. Conr. ad Lampad. Part. 3. cap. 1. §. 1.* Particulam verò SEMPER nomini Augusti primus Germanorum Imperatorum addidisse videtur Fridericus I. imitatione Græcorum, qui ἀεὶ σεβαστὸν suum Imperatorem vocabant, ut hôc ipso ostenderet, se nullo modo cedere Græcorum arrogantiæ. Conringius verò vult id factum esse ex suggestione Juris Doctorum, quia Justinianus ita quoque vocatur in libris Juris Civ. *ad Lampad. dict. loc.* Goldastus tamen errare eos putat, qui in præfatione Institutionum Adverbium SEMPER conjungunt vocabulo Augustus, id enim potiùs conjungendum esse cum voce Triumphator; Sed rectè propterea reprehenditur *à Limn. in Iur. Publ. lib. 2. c. 1. n. 30. propter l. 18. C. de summa Trinit. & Nov. 60. 63. 66. in fin. &c.*

Germanorum versionem: **Alle Zeit Mehrer des Reichs** / significationem vocabuli Augusti non exprimere, sed ex ignorantia Historiæ & linguæ Latinæ, vel ab affectatione elegantiæ ortam esse, Eruditi volunt, per ea, quæ suprà dicta sunt. Non tamen adeò absurdam derivationem hujus vocabuli ab augendo putamus, cùm & Suetonius *dicto loco* ab auctu deductam velit. Quicquid tamen sit, circa derivationem Grammaticam hujus vocis interpretatio hæc & titulus iste cum aliis in Curiam receptus mutandus non est: Hinc licèt Legati Galliæ Regis in Conventu Pacis Monast. huic titulo contradixerint, Cæsarei tamen eidem firmiter ac meritò inhærebant, ostendentes illum jam ab Augusto continuâ serie ad nostros Impp. propaga-

 tum

tum longè antiquiorem esse titulo Christianissimi aut Catholici, & ipsos Reges Galliæ, inprimis Franciscum I. Cerolo V. eum titulum palàm Anno 1529. in Tractatibus Cameracensibus tribuisse, quibus tandem Galli cesserunt, ut colligere licet ex verbis initialibus Instrumenti Pacis.

In Germanien:) Maximilianum I. juxta titulum Imperatorium addidisse Regis Germaniæ, suprà jam annotatum est. Sunt enim distinctissima, Imperium Romanum & Regnum Germaniæ. Et ideo accuratè loquendo Imperator nobis imperat, non quatenus Imperator, sed quatenus Rex Germaniæ, licèt hæc vulgò confundantur, & vetustiores planè ab hoc titulo abstinuerint; tantam enim titulorum curam non habebant, præcipuum solùm usurpantes reliquos complectentem: persuasum autem olim fuit hominibus, nomen Imperatoris Romani Regis Germaniæ esse augustius. *Vid. latissimè hæc tractantem Conring. de Imp. Germ. Rom. cap. 12. Add. Limn. ad Capitul. Carol. V. proœm. voc.* Röm. Reichs *p. 99.* Ex quibus simul paret, errare illos, qui putant, Imperium Germanicum successisse in locum antiqui Imperii Romani, atque hoc in illo continuari, quæ sententia præterea & sequentibus confutari potest argumentis.

1. Satis notum, Germaniam magnam, totam maximâ temporis parte fuisse extra complexum Romani Imperii, *Grot. de I.B. & P. lib. 2. cap. 9. §. 11. Cuver. introduct. in Geograph. lib. 3. cap. 7.* Ergo Romanum Imperium non potuit in Germania continuari.

2. Imperium Romanum in Occidente dudum fuit destructum, antequam Germania instar unius Reipublicæ haberetur; nam Occidentis Imperio finis impositus est sub initium seculi V. captâ & vastatâ per Gothos urbe Româ, sed Germania in unum corpus universa demum coaluit sub finem seculi VII.

3. Carolus M. Imperatoris titulo à Pontifice ipsi delato nihil juris accepit in Germaniam, eam enim dudum tenuerat, partim jure hæreditario, partim jure belli, antequam à Pontifice Imperator renuntiaretur.

4. Post Ludovicum Pium, ex quo tempore Germania factum est regnum separatum (cùm antea fuisset appendix Regni Francorum)

usque

usque ad Ottonem I. pauci Reges Germaniæ fuerunt simul Imperatores Romani, sed ea dignitas ut plurimùm fuit penes Reges Italiæ seu Longobardorum.

5. Otto M. in quo Imperium Romanum cum Regno Germaniæ perpetuô fœdere unitum, fuit Rex Germaniæ, antequam fieret Imperator.

6. Distinctionem Romani Imperii à Regno Germaniæ haud obscurè arguit distincta coronatio, & inauguratio. Imperatores enim Germanici jam indè à temporibus Ottonis triplici insigniti fuerunt coronâ, (1.) Germanicâ sive Teutonicâ, idque ut plurimùm Aquisgrani, ab Archi Episcopo Coloniensi. (2.) Italicâ, sive Longobardicâ, ab Archi Episcopo Mediolanensi, (3.) Romæ, à Pontifice, quæ propriè erat corona Cæsarea. Quanquam autem Imperatores nostri post Carolum V. solâ coronâ Germanicâ fuerint contenti, ut sc. sumptibus parceretur, tamen ex diversitate seu distinctione Coronarum distinctio Regnorum satis demonstratur.

Ertz-Hertzog zu Oster-Reich:) Familia Austriaca quindecim Imperatores & Reges Romanos dedit, atque Leopoldus Noster decimus est eorum, qui continuâ & non interruptâ serie clavum Imperii tenuêrunt. Causa præcipua, quòd præter eam vix ulla sit in Germania domus, quæ fastigii Cæsarei splendorem propriis reditibus tolerare queat. Accedit Austriacorum solertia, qui opes suas ita disposuerunt, talibusque sibi privilegiis prospexerunt, ut si alium Cæsarem eligi contingeret, ipsi peculiarem possent constituere Rempubl. à reliquo Germaniæ corpore separatum: *Monzamb. cap. 2. §. 4.* Est hæc Austriacorum Familia antiquissima, utpote quam juxta traditionem vetustam Alberti Argentinensis ab antiquâ gente Romanâ Aniciâ Leoniâ derivat Johannes Seifridus Abbas Zwethalensis *in opere cui titulum fecit: Arbor Aniciana:* quam Sententiam Lambecius Bibliothecarius Cæsareus *in suo de Bibliotheca Cæsarea Commentario l. 11. p. 51.* pollicetur, se in Prolegomenis Annalium Austriacorum luculentissimè demonstraturum; sed longè rectiùs alii augustissimæ hujus Familiæ originem ad Erchenbaldum sive Erchinoaldum referunt, qui vixit circa medium secui. VII. atque Clodovei II. Regis Fran-

corum Magiſter Palatii fuit: hinc ſine dubio natus error Auſtriacos è ſtirpe Francicâ Merovingiorum deſcendere arbitrantium. *Spener. in Syllog. Genealog. p. 1. & ſeqq.*

Eſt quoque hæc Familia potentiſſima, quippe eadem cum Familia Regum Hiſpaniæ, quæ ſub initium ſuperioris ſeculi in duos ramos diviſa fuit. Nam Philippus Auſtriacus, Maximiliani I. Imp. Filius, cui nupta erat Johanna Ferdinandi Catholici Filia, duos habuit Filios: Carolum V. Imp. à quo deſcendunt Reges Hiſpaniæ, qui quàm latè dominentur per omnes terrarum orbis partes, nemo eſt, qui ignorat, unde natum quoque proverbium, in Hiſpania nunquam occidere ſolem: & Ferdinandum II. à quo veniunt Imperatores & ArchiDuces moderni Auſtriæ, qui tertiam ferè partem tenent Germaniæ ad Orientem vergentem & præterea regnum Hungariæ.

Primus dignitatem Imperatoriam huic Familiæ attulit Rudolphus Comes Habſpurgicus, anno 1273. poſt interregnum quatuor ferè luſtrorum, adnitente potiſſimùm Moguntino, Imperator electus. Cùm enim Imperium Rectore deſtituebatur per 20 annos, Ottocarus Rex Bohemiæ Carinthiam, Styriam, Carniolam, & Marchiam Sclavonicam accupaverat, ac præterea Auſtriam à Margaretha Uxore, quam veneno necuerat, in dotem acceptam tenebat, quas Provincias, cùm repoſcente Rudolpho nollet Imperio reſtituere, bellum ipſi indictum, in quo ſuperatus ex vulnere occubuit. Rudolphus autem anno 1282. in Comitiis Auguſtanis, conſentientibus Imperii Ordinibus Provincias ante enumeratas Alberto Filio ſuo dedit. Indè potentiæ Auſtriacæ initium.

Vulgò creditur, hunc Albertum à Patre Rudolpho Archiducis titulo fuiſſe inſignitum, *Levin. Huls. in Imperat. Roman. in Rudolpho I. Albertus Myræus de Rep. Bohem. Reinking. de Regim. Sec. & Eccleſ. lib. 1. claſſ. 4. cap. 10. n. 5.* & exiſtimat Monzamb. id ideò factum, ut hâc dignitate præfulgens eò faciliùs divitum nuptiarum facultatem nanciſci poſſet; Alii tituli iſtius initium Carolo IV. attribuunt; Neutrum veroſimile videtur: Nam Fridericum III. Maximiliani I. Patrem ſolo Ducis titulo fuiſſe contentum, patet ex Reformatione ejus an. 1442. factâ, quæ in Receſſibus Imperii poſt Aur. Bull. primam paginam occupat.

Hertzog zu Burgund:) Ducatus Burgundiæ hodie est pars Regni Galliæ. Dux ultimus Burgundiæ fuit Carolus Audax, qui unà cum Ducatu & Comitatu Burgundiæ tenebat 17. Provincias Belgicas, progressu temporis matrimonio Rectorum junctas. Ejus ab Helvetiis anno 1477. apud Manciam Lotharingiæ oppidum interfecti Filiam unicam Mariam procabatur Rex Galliæ Ludovicus IX. Sed prælatus Maximilianus I. Imp. Quod indignè ferens Gallus Ducatum Burgundiæ occupavit, causam interferens, esse Feudum Regum Galliæ, extinctâque Stirpe Ducum masculâ apertum. Ex eo tempore Ducatus Burgundiæ est in potestate Regum Galliæ, titulum tamen retinent Austriaci, eôque nomine Rex Hispaniæ locum Votumque habet in Comitiis Imperii in Scamno Principum Ecclesiasticorum. Comitatum autem Burgundiæ possederunt Reges Hispaniæ, donec eum nupero bello occuparet Rex Galliæ, quem tamen eidem rursus restituit. Ad hunc Comitatum hodie pertinet Urbs Vesontium, olim libera Imperii Civitas, sed ante aliquot annos Regi Hispaniæ pro restitutione Franckenthalii data. Archi Episcopus tamen Vesontinus Princeps est Imperii.

Würtenberg:) Quare Imperator hoc titulo utatur, paucis dabo. Cùm superiori seculo Ulricus VIII. à Suevici fœderis sociis, ob captam Urbem Reutlingum, illo fœdere comprehensam, Ducatu ejectus esset, Cæsar Carolus V. eum titulo, ut ferunt, Emptionis, accepit & in Ferdinandum Fratrem transtulit: inter quem & Ducem Ulricum transactione Cadamica in Bohemia res deinde omnis hisce conditionibus composita, ut Cæsar retineret titulum Ducis Würtenbergici; Ulricus verò Princeps & Ipsius hæredes masculi essent Ferdinandi, tanquam Archi Ducis Austriæ, ratione agri Würtenbergici beneficiarii & Sub-Vasalli, salvis tamen juribus Imperii, ita ut Dux maneret Status Imperii, retineretque jus suffragii in Comitiis Imperialibus, unà cum omnibus Juribus Superioritatis territorialis. Quæsitum eo tempore fuit, utrùm hæc Transactio valeret? Et utrùm per eam Duces Würtenbergenses facti sint Status mediati, an verò manserint immediati? *vid Limn. l. 5. c. 1b. in addit. ad Ius Publ.* Ant. Guett: Conf. 6. n. 8. Strauch Dissert. Exoter. 10. pag. 292. & seq. quicquid hâc de re, quam suô locô relinquimus,

sit,

ſit, per Tranſactionem Pragenſem, ab Imp. Rudolpho II. anno 1599. Duci Friderico Subinfeudatio illa fuit remiſſa, nec quicquam Domus Auſtriaca ſibi reſervavit, præter ſucceſſionem deficientibus maſculis hæredibus Würtenbergicis, in cujus rei argumentum, titulum quoque uſurpat. *vid. etiam Inſtrum. Pac. art. 4. §. 25.*

Ober- und Nieder Laußnitz:) Luſatia omnis appendix fuit regni Bohemici, pariter atque Sileſia & Moravia. Cùm autem A. hujus Seculi XX. Sileſia cum aliis Provinciis defectionem moliretur à Ferdinando II. Johannes Georgius Elector Saxoniæ ad obedientiam rebelles armis revocavit. Hâc de causâ, pro ſumptibus, oppignorata primùm fuit Electori Saxon. Luſatia, & denique Anno 1635. univerſa jure hæreditario tradita, exceptis paucis ad Brandenburgicum ſpectantibus locis.

Gefürſteter Graff zu Habſpurg:) i. e. Comes Principali dignitate præfulgens. Tales, non minus ac Principes Imperii, ſingula in Comitiis, in Collegio Principum, ſuffragia ferunt. Reliqui Comites immediati in quatuor hodie claſſes, ſeu ſcamna, diviſi, totidem in Comitiis ſuffragia ferunt Curiata: unum Wetteravici, alterum Suevici, tertium Franconici, admiſſi Anno 1641. quartum Weſtphalici, noviſſimè Anno 1653. illud adepti. Poſſunt omnes quidem deliberationibus in Senatu Principum adeſſe, ſed ſedent in ſcamnis Secundariorum qui vocantur & Scribarum. **Grundfeſte des H. Röm. Reichs** *pag. 103. & ſeqq.*

Landgraff im Elſas:) Landgravii olim dicebantur Comites Provinciæ à limitibus Imperii remotæ, ſive mediterraneæ præfecti, quemadmodum Marggravii dicebantur, qui præpoſiti erant Provinciis limitaneis. Landgraviorum in Imperio numerantur quatuor: (1.) Thuringiæ, qui titulus hodie communis eſt omnibus Saxoniæ Ducibus. (2.) Leuchtenbergenſes, quorum Familia anno hujus ſeculi XXXXVI. expiravit, provinciâ ipsâ unà cum titulo ad Electorem Bavariæ devolutâ. (3.) Haſſiaci, in duas lineas diviſi, Caſſellam & Darmſtadienſem. (4.) Alſatiæ, quo titulo utuntur Archi Duces Auſtriæ & Epiſcopus Argentoratenſis, quamvis Landgraviatus Alſatiæ, unà cum Præfecturâ decem Civitatum Imperialium unitarum, per Pacem Weſtphalicam, pleno

Jure,

Jure, ad regem Galliæ sit translata. *Instrument. Pac. Cæsar. Gallic.* §. *73*.

De reliquis titulis Imperatoriis seorsim explicare non est operæ pretium.

Alß nach zeitlichem Ableben:) Sequitur altera pars Prooemii, Electionis seriem breviter enarrans. Principes Electores, quorum nomina recensentur, omnes supersunt. Regis Bohemiæ nomen omissum est, non ideò, quòd non sit Elector, quod falsè relatum legitur à speculatore Saxonico *lib. 3. art. 57.* Alberto Stadensi *ad Annum 1240.* quibus suffragatur Weichbildum *Magdeburg. art. 13. & seqq. & Ius feudale Saxon. art. 3.* aut quòd non nisi paribus Electorum suffragiis admittendus sit, quod perperam credidere Petrus de Andlo & Onuphrius Panvinius, quæ sententiæ confutantur non tantùm expressis verbis Aur. Bull. se, sed etiam per experientiam, sed quia in Capitulatione Imperatori præscribendâ nullæ ejus sunt partes, utpote qui res suas, si solam Cæsaris Electionem excipias, ab Imperio separatas habet.

De tempore, quo Electores soli, exclusis reliquis Imperii statibus, Imperatorem eligere cœperunt, non ita liquidò constat. Diu creditum fuit, Ottonem III. Imp. & Gregorium V. Pontificem Electorale Collegium instituisse. Ab hâc sententiâ primus, quod sciam, divortium fecit Johannes Aventinus, *in Annalibus Bajoaricis*, initium hujus Collegii seculo XIII. adscribens, primumque Rudolphum Habspurgicum à solis Septemviris electum esse asserens; Eam deinde sententiam copiosè defenderunt Onuphrius Panvinius Veronensis Frater Eremita Augustinianus *in libello suo de Comitiis Imperii. Lehmann. Chron. Spir. lib. 5. cap. 17. Arnisæus de Republ. cap. 6.* Imò Ipse Baronius Cardinalis, Annalium Scriptor celeberrimus, verissimè originem Septemviralis Collegi in secul. XIII. refert, falsò tamen Innocentio IV. Papæ illud adscribit.

Atque hæc sententia cumprimis exinde fidem meretur (1.) quòd nullibi Constitutio illa, sive Ottoniana, sive Gregoriana extet. Neque (2.) ejusdem apud idoneos scriptores Ottonis III. coætaneos usque ad tempora Friderici II. mentio fiat. (3.) quòd omnes Imperatores post Ottonem III. usque ad diuturnum illud interrgnum, ne quidem

Fff ff Fride-

Friderico II. exceptô electi sint ab omni Procerum Germaniæ turbâ, id quod luculentissimè demonstrat Onuphrius Panvinius *dict. loc. cap. 6. Lehmann. dict. loc. Conring. Disput. de Septemvir. thes. 26.* Hæc, cùm negare non posset Bellarminus *lib. 3. de translat. Imp. cap. 2.* eò tandem ineptiarum delabitur, ut scribat, latam quidem esse Ottonis III. ævo hanc Constitutionem, sed ante Fridericum II. non fuisse in usum traductam. Veterem hanc de Origine Electorum Sententiam contra Onuphrium defendere conantur Simon Schardius, *lib. de instit. Elect.* & Gewoldus *de Septemviratu c. 5.* sed destituuntur testimoniis fide dignis; omnes enim, quos produxit Gewoldus, vixerunt post Friderici II. tempora, vel Eô imperante, exceptis duorum MSStorum autoribus, quorum auctoritatem, cùm hactenus lucem non aspexerint, nec à quoquam præterea sint memorati, nemo facilè admiserit.

Fuerunt autem Electores ante Pacem Monaster. numero septem, sed Pace Westphalicâ accessit octavus. Nam (: ne nunc dicam, de controversia circa Electoratum Palatinum mota Anno 1616. utrùm ea dignitas Familiæ Comitum Palatinorum, quæ eadem est cum Familia Ducum Bavariæ, competeret ratione Comitatus Palatini, an verò ratione Ducatus Bavariæ? agitatâ inter Christophorum Gewoldum & Marquardum Freherum Cancellarium Palatinum, indè inter Nicolaum Burgundum & alios causæ Palatinæ Patronos :) Ferdinandus II. devicto & exauctorato Friderico Palatino, quem Bohemi Regem sibi fecerunt, Electoratum, ob ejus delictum, ut dicebat, ad se devolutum, Maximiliano Bavariæ Duci contulit. Hoc Jus deinde in Instr. Pac. Bavaro fuit confirmatum, constituto in gratiam Palatini octavo Electoratu, Palatinatu autem superiore, qui 200. amplius annis penes Comites Palatinos lineæ Rudolphinæ fuerat, unà cum omnibus annexis Regalibus ac Juribus, in Bavarum translatô. Postea Palatinus peculiari transactione Archi-Dapiferiam, quæ Instr. Pac. non videbatur translata, Eidem Bavaro cessit, ejusque loco dignitatem Archi-Thesaurarii adeptus est. *Theatr. Europ. ad Annum 1651.* Hâc ratione Palatinus, qui antè inter seculares Electores primum à Rege Bohemiæ locum tenebat, factus est ultimus.

Ordent-

Ordentliche Wahl:) Ordinaria Electio duobus modis dicitur: (1.) quatenus opponitur Electioni extraordinariæ, & in casu vacantis Imperii, vel morte, vel resignatione Imperatoris; Extraordinaria autem Electio est, quando vivo Imperatori, in spem indubitatam Successionis, Vicarius adjungitur, qui dicitur Rex Romanorum. (2.) Electio ordinaria est, quæ fit servatô in Aur. Bull. præscriptô ordine. Hic significatus hujus loci est, atque ei opponitur Electio illegitima.

An statt und von wegen:) Permissum est Electoribus, quibus non vacat Electioni adesse, Legatos mittere, instructos mandato generali & libero, non ad certam personam adstricto. *Aur. Bull. cap. 1.* ad quem locum notat Georg. Theodor. Dietrichs in electione Ferdinadi IV. Legatum Brandenburgicum ultrò fassum esse, se in mandatis habere, suffragio suo nominandi Austriacum; quod si verum est, dispositionem Aureæ Bullæ hâc in re usu mutatam esse oportet. Ex pluribus legatis ab uno missis admitti solet ad ipsum Electionis actum Primarius.

Ertz-Cantzlarn:) Electores sunt quoque summi Imperii Officiales, & Ecclesiastici quidem omnes Archi-Cancellarii; Moguntinus per Germaniam. Trevirensis per Galliam & Regnum Arelatense. Coloniensis per Italiam. Constat jam Caroli M. ævo Ecclesiasticos hisce muneribus fuisse præfectos. *Lehmann. Chron. Spir. lib. 2. cap. 7.* Quô tempore autem ad certos hosce Archi Episcopatus dignitas hæc sit restricta? non liquet. *Conring. de Election. thes. 43.* Habet præterea Elector Moguntinus in Aulâ Cæsareâ suum Pro-Cancellarium, qui simul est Imperatori à Consiliis secretioribus.

Dependent ab Ipso Cancellariæ & Lectoria Imperialis Cameræ & Judicii Aulici, quas idoneis quolibet tempore personis instruere tenetur, Salaria iis præbens ex eo, quod in Cancellaria Camerali pro expediendis Processibus, aliisve Debitis præsolvitur (: von den Cantzley gefällen :) Id si non sufficiat, quod deest, de suo supplere cogitur; contrà, si quid superest, ipsius lucro cedit. In Comitiis etiam, quæcunque per Dictaturam (ut vocant) communicanda sunt Imperii Ordinibus, communicantur à Directorio Moguntino. Ita hoc munus Moguntino magnam conciliat autoritatem. Disceptantur quidem in Consilio

Aulico causæ quoque Italicæ, idiomate latino; neque tamen expeditio, uti vocant, latina fit sub Coloniensi, quamvis audiat per Italiam Archi-Cancellarius. Idem in Camera Imperiali, circa causas ex regno Arelatensi, obtinet, licèt hujus Archi-Cancellarius sit Trevirensis. Habet & hoc præ aliis Electoribus Moguntinus præcipuum, quòd vacante Imperio intra mensis spacium id reliquis Electoribus significare teneatur, ut intra tres menses Francofurtum ad eligendum novum Imperatorem conveniant. *Aur. Bull. c. 2.* Est prætereà Decanus Collegii Electoralis, & in electione reliquorum suffragia colligit, incipiens à Trevirensi, ipse ultimo loco votum ferendo. *Aur. Bull. cap. 4.* Vocandi autem à Moguntino sunt Electores omnes ac singuli, si quis eorum præteritus fuerit, habet quod conqueratur, at Electio ob unum alterumve non vocatum irrita non redditur. Tenentur enim Electores, eo casu, motu proprio, etiam non vocati, spontè adesse. *Aur. Bull. cap. 1.* eumque in finem certus Electioni destinatus est locus. Quod si verò Electorem sic spontè advenientem nullis justis ex causis à reliquis excludi contingeret, meritò Electio pronunciaretur irrita atque invalida. Quo pertinent argumenta Innocentii III. *in cap. venerabilem.* adversus Philippi Electionem.

Ertz-Truchsessen:) Quomodo Archi-Dapiferatus à Palatino ad Bavarum devenerit, suprà notatum est. Hic adnotandum: vocabulum Germanicum Ertz-Truchseß minùs commodè latinè reddi per Archi-Dapiferum. Truchseß enim, quem Saxones inferiores Drost/ Sueci Drotset/ efferunt, significat Judicem Regium, sive Præsidem Judicii Regii, quem aliàs Comitem Palatinum vocamus. Ertz-Truchseß itaque erit primarius Comes Palatii, primarius Præses Judicii Regii: qui & in Dania & in Suecia Truchsessius Regni vocatur. Quo spectant ea, quæ in *Aur. Bull. cap. 5. in fin.* disposita sunt, Imperatorem super quibus causis conventus fuerit, respondere debere coram Palatino Rheni. Quales causæ ibi significentur, prolixè disputat *Limnæus lib. 3. cap. 9. n. 23. & seqq.*

Ertz-Marschallen:) Vocabulum Marschall purum est Germanicum, compositum ex voce Mar sive Merre/ Equum, & Schalt sive Schalck/ ministrum significante. Vi vocis ergo Mareschallus,

oder

oder Marschall Minister est rei equestri præpositus. In Aulâ Regum Francorum Comes Stabuli, corruptè Connestabilis sive Comestabilis dicebatur, cujus Iurisdictioni subjecti fuerunt Nobiles universi, Militesque. Quemadmodum igitur in Sueciâ & Daniâ Mareschallo Regni incumbit cura rei militaris, isque Generalis Dux belli regiisque copiis præest, ita Elector Saxoniæ tanquam Archi Mareschallus Imperii, quando bellum pro salute Patriæ gerendum, omnes alios Status præcedit & prælium orditur. Eâdem de causa in solenni Imperatoris Curia ensem ei præfert. *Aur. Bull. cap. 25.*

Hactenus de Electoribus dictum: Eligendo unam tantùm enodabimus quæstionem. Utrùm in Imperatorem eligi possit alienigena seu Natione non Germanus! Et verius est, non posse. Tametsi autē multi existiment, Ottonem III. quem autorem Collegii Electoralis falsò credunt, hoc editâ Constitutione cavisse, ut soli Germani eligerent, eligerenturque *Cuspinian. in Otton. III. Mynster. Cosmograph. lib. 3. Crusius in Annalib. Suecicis lib. 5. p. 2. c. 7.* Constitutio tamen illa non tantùm non extat, sed & qui ejus meminerunt, omnes sequioris ævi sunt Autores. Autor Notitiæ Imperii *Discurs. 9. pag. 360. Edit. prior.* scribit *in A. B. c. 2.* illud esse cautum, sed nihil ibidem ad hanc rem pertinens, reperire licet. Est autem perpetuâ Imperii Consuetudine comprobatum, ex quô tempore Familia Carolina vel exspiravit, vel dignitate Imperatoriâ dejecta fuit, ut non eligeretur, nisi stirpis Germanicæ, Imperator. Neque ad rem faciunt opposita exempla Caroli M. Alphonsi Arragonici & Richardi Angli; Utut enim concedamus, Carolum M. Patriâ Franco-Gallum fuisse, neque, nisi ratione originis remotioris, ad Germanos referri posse non electionis tamen, sed partim hæreditariô, partim belli jure Germaniam tenuit. Reliqui duo per factiones electi & Imperium vix degustarunt. Atque hæc Consuetudo maximè est rationabilis, quâ non alius quàm Patriâ Germanus ad Imperii culmen evehendus est, Alienigenum enim Dominum nemo libens patitur. *Curt. lib. 7.* Et si eligendus esset Extraneus, is vel haberet jam extra Imperii fines tantum ditionum, ut reditibus indè provenientibus tanti fastigii splendorem tueri posset, vel non haberet. Posterior eligi non posset, postquam omnes Impe-

rii reditus dudum in aliorum mauus pervenerunt. Si prior eligeretur, periclitaretur libertas Statuum Germaniæ: Nam qua apud ſuos uſus eſt ratione gubernandi, etiam hîc uti volet, neque æquô animô patietur, ſe Capitulationis vinculis tam arctè conſtringi. Meminerimus autem in hâc quæſtione non ſtatim pro non-Germano habendum eum, qui extra Germaniam natus eſt, ſic excludendus fuiſſet Ferdinandus I. natus in Hiſpania, imò dubitari potuiſſet de Carolo V. natô Gandaci in Flandriâ. Pro Germanô itaque habendus eſt, qui ratione ſtirpis non nimis remotæ talis eſt, & in Germania bona poſſidet immobilia patrimonialia.

Geding und Pact-**weiſe:**) Hisce verbis continetur tertia Pars Prooemii, quâ Imperator profitetur ſe in has leges, cum Electoribus, pro ſe & reliquis Imperii Ordinibus, conveniſſe per modum Pacti. Unde patet non obligari cum hiſce legibus ex præſcripto ſuperiorum, ſic inferior foret Ordinibus iiſque ſubjectus, ſed per modum placiti ſive conventionis.

Ad ARTICULUM I.

DUo hîc Imperator promittit, (1.) ſe Defenſorem ſeu Advocatum fore ſedis Romanæ, ſummi Pontificis ac Chriſtianæ Eccleſiæ. (2.) In omnibus cauſis ſe Juſtitiam adminiſtraturum, ſine diſcrimine Perſonarum, Dignitatum aut Religionum, etiamſi res utilitatem ſuæ ipſius Familiæ reſpiciat.

De Priore notandum: Jam indè à temporibus Caroli M. Imperatores fuiſſe Defenſores Eccleſiæ & Pontificis, non tantùm quatenus cura Sacrorum & Religionis ad Jura pertinet ſummi Imperii, ſed etiam peculiari quâdam ratione. Quò pertinet, quod legitur in *Weichbild. Saxon. artic. 8.* **Der Käyſer ſoll dem Stuhl zu Rom vorſtehen von St. Peters wegen / davor Er auch Römiſcher Vogt heiſſt.** Falſum autem eſt, quod ſcribit *Monzamban. cap. 1. §. 12.* in Carolum & Ottonem M. M. titulô Imperatoriô præter hanc denfenſionem ſive advocatiam nullum Jus ſummi Imperii fuiſſe collatum in Urbem Romam atque Pontificem. Contrarium enim demonſtravit *Conring. lib. de Germ. Imper. Rom.* Jura-

Juramentum, quod eo nomine Imperatores Pontifici, antequàm ab eô inaugurarentur, præstare consueverunt, Fidelitatis esse asserit Clemens V. *in Clement. un. de jure.* cui adstripulantur omnes ferè Juris Canonici Doctores, indeque probare conantur Imperium esse Feudum Pontificis. Sed hoc falsum, & magis est, ut cum Leopoldo de Bebenburg *de jurib. Regni. c. 9.* dicamus esse tantùm juramentum Protectionis, id quod patet ex Formula Ottonis M. *in can. Tibi Domino. Distinct. 63.* Caroli V. apud *Goldastum Tom. 2. Constitut. p. 508.* cum qua cunvenit formula, quæ habetur *in Ceremoniali Romano* lib. 1. Sect. 5. cap. 3. Quanquam multi dubitent, utrùm Juramentum, quod *in d. can. Tibi Domino.* recensetur, ab Ottone M. præstitum sit, cùm nemo Hildebrandô Papâ antiquior ejus faciat mentionem. Quin etiam, si vel maximè Imperium Romanum esset Feudum Pontificis, quod tamen nunquã demonstrabitur, id tamen Regno Germaniæ prorsus ab Imperio Romano distincto & separato, ut suprà ostendimus, nunquam fraudi esse posset.

Cæterum huic promissioni de defendendâ Ecclesiâ, Sedeque Romanâ, gemina subnectitur limitatio. 1. Excipiuntur Electores & Status Imperii Protestantes, nominatim Saxo, Brandenburgicus & Palatinus; quos Imperator ad istam protectionem non vult adstrictos esse debere. 2. temperat istam protectionem ita exercendam esse, ne per eam violetur Pax Imperii Religiosa, aut profara, aut Westphalica.

Ad

ARTICULUM II.

IMperator (1.) publicas Imperii Sanctiones custodiat & observet. (2.) in eos, qui Scriptis, vel calamo exaratis, vel typis expressis, Instrumentum Pacis, atque in eo permissas Religiones impugnant, severè animadverti curet. (3.) omnes Protestationes contra Pacem Westphalicam interpositas irritas pronuntiet.

Die güldene Bull:) Intelligitur ea Imperii Sanctio, quæ à Carolo IV. anno 1356. quoad priorem partem Norinbergæ, quoad posterio-

ſteriorem verò nempe à titulo XXIV. ad finem, Metis promulgata eſt, de Electione Romani Imperotoris & Electorum Privilegiis diſponens. Eſt autem Bulla Sigillum majus antiquis etiam Majeſtas dictum, quemadmodum ſigilla minora typaria dicuntur, quamvis hæ duæ appellationes interdum etiam promiſcuè uſurpentur. Fuit enim apud Græcos Impp. & horum exemplo poſtea apud Germanicos in uſu, ut in quotidianis & promiſcuis rebus Sigillo minori ſive typario uterenter, in gravioribus Bulla, inque graviſſims maximique momenti negotiis Bullâ aureâ. Hâc occaſione omnes Tabulæ Cæſarum ſolennes dictæ ſunt aureæ Bullæ, inter quas cum majori famâ celebratur à Carolo IV. de electione Regiâ confectâ & conſtitutâ κατ' ἐξοχὴν ita appellari ſolita Aurea Bulla. *Marqu. Freher. in not. ad Petr. de Andlo lib. 2. c. 5.*

Hæc Aurea Bulla ſancita fuit, ut eſſet æterna lex & perpetuò duratura *tit. 1. p. 2. tit. 8. §. adjicientes. tit. 9. p. 2.* Sed hæc immutabilitas accipienda eſt (1.) rebus in eodem Statu manentibus: hinc, quin ea ob neceſſitatem ſalutis publicæ, communi Ordinum Imperii conſenſu mutari, vel in totum abrogari queat, dubium non eſt: quemadmodum inſignis circa eam facta eſt mutatio in Pace Weſtphalica, inſtituto Octo Viratu. (2) perpetuitas illa intelligenda eſt de ſubſtantiâ actus, non verò de circumſtantiis, quæ pro ſtatu rerum præſenti variari poſſunt. *Strauch. diſſert. Exoter. 4. theſ. 14.* veluti, cùm Imperator alibi, quàm Francofurti eligitur, vel alibi, quàm Aquisgrani coronatur.

Cæterum varia Aureæ Bullæ extant exemplaria multum inter ſe diſcrepantia: Nam ſingulis Electoribus datum fuit Exemplar, ac præterea unum depoſitum Francofurti, in loco Electioni deſtinato, ut, ſi fortè tempore Electionis oriretur controverſia, Exemplar ad manus eſſet, unde illa decideretur, quod proindè habetur pro authentico. Abſunt autem ab eôdem omnia, quæ in Exemplaribus vulgaribus poſt caput 24. ſequuntur. Optimum inter typis impreſſa Exemplaria habetur ex Archivo Palatino depromptum operâ Marquard. Freheri, qui omnes differentias inter hoc & Moguntinum Exemplar ſtudioſè inibi adnotavit.

Den

Den Frieden in Religion :) Quanta dissidia circa initium superioris seculi intuitu Religionis sint exorta, notiùs est, quàm ut prolixè memorari debeat. In iis componendis cùm in omnibus Comitiis ab Anno 1521. frustrà laboratum esset, Anno 1532 induciæ factæ sunt usque ad Concilium Generale, variis deinde in Comitiis confirmatæ, donec Anno 1552. Passavii novæ factæ sunt Transactionis Passaviensis nomine venientes, quam, quia in Codice Recessuum Imperii non reperitur, videre licet *apud Goldast. Statut. & Rescript. tom. 1. part. 2. pag. 175. & seqq.* Eandem secuta est Anno 1555. Pax Religiosa in Comitiis Augustanis constituta, in perpetuum, si Religionis dissidium per Concilium generale vel alia media licita componi nequeat, valitura. Integra Constitutio exhibetur in Recessu Imperii dicto Anno habiti §. 7. *& multis seqq.*

At verò ne sic quidem omnes controversiæ circa Religionis negotium sopiri potuerunt. Nam in ipsis illis Comitiis acerrimè ex utrâque parte disputatum fuit, utrùm Clerici Catholici Religionem Augustanam amplectentes unà cum dignitate retinere deberent ditiones? Protestantibus illud obnixè urgentibus, Catholicis verò admodum sese opponentibus. Fundamenta utriusque partis videri possunt apud *Limn. lib. 1. c. 13. num. 34.* Prævaluit autem Catholicorum adnitente præsertim Ferdin. I. Imp. Sententia, insertâ tamen dicto Recessui. §. 18. clausulâ, Reservati Ecclesiast. (**des Geistlichen Vorbehalts**) cui postea Protestantes constantissimè semper contradixerunt.

Sed neque minus fervidè disceptatum fuit utrùm Reformatæ Religioni addicti Pace religiosâ frui deberent? eò, quod §. 17. *dict. Rec. Imp. de Anno 1555.* expressis verbis cautum, eam tantùm pertinere ad illos, qui vel Catholicam vel Augustanam Confessionem profiterentur: Quorum neutrum cùm de Reformatis dici queat, non tantùm Catholici, sed & multi August. Relig. addictorum eos excludendos esse censuerunt. Sed tandem *in Instrum. Pac. VVestphal.* utrique controversiæ finis impositus, priori quidem *Art. 5. §. 15.* ubi cautum: ut sive Catholicus Episcopus ad Evangelicam, sive Evangelicus ad Catholicam accederet religionem, eô ipsô Episcopatum perdat, atque

ſic præſervatum Eccleſiaſticum ad Proteſtantes quoque extenſum eſt, cum reſpectu tamen quoad utrosque ad Kalendas Januarii Anni 1624. poſteriori verò art. 7. in quo Reformatos Pace religiosâ comprehenſos eſſe debere, conſtitutum eſt.

Quoad Exercitium Religionis publicum ſufficit, ſubditos aliquâ ſaltem Anni 1624. parte & vel ultima die, diverſam à Domino Territorii Religionem habuiſſe, nam in talis exercitii poſſeſſione omnino ſunt conſervandi, turbati autem reſtituendi. *Inſtrum. Pac. artic. 5. §. 33.* De cætero liberum eſt ſubditis, diverſam à Domino Territorii Religionem amplexari, ita tamen ut juberi posſint à Domino emigrare trium annorum ſpacio. Sin verò Dominus eos tolerare vult, cogitur ipſis permittere privatum domi ſuæ Religionis Exercitium.

Conſtat itaque pax religioſa tribus quaſi partibus, Tranſactione Paſſavienſi, Pace Religiosâ, ſtrictè ſic dicta, & iis, quæ *inſtr. pac. art. V. & VII.* ſunt conſtituta de Religionis negotio, cujus reliqua capita vel ex ipſis fontibus peti poſſunt, vel ex *Iacobi Blumen Proceſſu cameral. Tit. 28.*

Land-Friede:) Olim in Germania nihil fuit uſitatius, quàm privatas inimicitias armis vindicare, eaque de cauſa bella ſuſcipere (diffidationes vocabant) Hanc diffidãdi libidinem *Carolus IV. in A.B.c.17.* certis coarctavit limitibus, Fridericus III. reformat. polit. ad unicum caſum, ſi quis Juſtitiam non poſſet conſequi, eam reſtrinxit. Maximilianus autem primus omnes diffidationes penitus prohibuit promulgata anno 1495 conſtitutione pacis publicæ, quæ ad differentiam pacis religioſæ dicitur prophana, cùm ſit Sanctiſſima. Hæc eſt illa pax, ſive pacis conſtitutio, quam hic Imperator ſe ſervaturum promittit, quæ deinceps variis Imperii Sanctionibus variè aucta fuit atque confirmata, prohibens nequis cujuscunque conditionis ſit, aut Dignitatis, ulla ex cauſa, ullove prætextu bello invadat, ſpoliet, capiat, obſideat, aut fœdus contra eandem pangat, ſed jus ſuum per legitimos tramites in judiciis perſequatur.

Violatores pacis religioſæ pariter atque prophanæ, cujuscunque ſint conditionis, conveniri poſſunt in Camera Spirenſi, vel in Judicio Imperatoris aulico, etiamſi non ſint immediatè Imperio ſubjecti, at-

que in eos constituta est pœna banni, sive proscriptionis Imperialis, vel 2000. Marci auri puri, vel pœna reformationis regiæ Friderici III. ac præterea agi quoque possunt ad pœnas juris communis, hinc dicitur, **der hochverpönt-Land-oder Religion-Friede.**

Handhabung desselben:) Hæc constitutio itidem promulgata fuit Anno 1495. sub titulo: **Handhabung/des Friedens/Rechtens/und der Ordnung/zu Worms auffgerichtet** / Anno 1495. aucta autem & confirmata in Comitiis Augustanis Anno 1555.

Sonderlich aber obgemelten Münster- und Oßnabr. Friedenschluß:) Hoc Instrumentum Pacis duplex est: Cæsareo-Suevicum & Cæsareo-Gallicum, inter quæ non magna est discrepantia. Utrumque insertum est Recess. An. 1654. & art. 17. §. 2. cautum, ut inseratur Capitulationi quoque Cæsareæ, & ideo hic dicitur perinde habendum esse acsi verbotenus esset repetitum. Hoc pacis Instrumentum studiosè legendum, quamvis sit obscurum, & intellectu difficillimum, cùm propter stylum ipsum, tum quia decisionem continet variarum controversiarum, & hoc, & superiori seculo in Imperio motarum. Nisi itaque status cujuslibet controversiæ, unà cum rationibus utriusque partis probè cognitus sit, atque exploratus, fieri nequit, ut tres vel quatuor saltem lineæ in aliquo paragraph. rectè capiantur. Magnam nuper ad hanc difficultatem superandam adjumentum attulit Philippus Andreas Burgoldensis in sua Imperii notitia, quamvis liber ejus non careat nævis. Lucem quoque aliquam afferre possunt Epistolæ Forstneri de negotio Pacis prudentissimè conscriptæ.

Nürnbergischen Executions-Recess:) Hic Recessus An. 1649. Noribergæ fuit confectus, ac deinde Recess. anno 1654. itidem insettus, Modum præscribit ea quæ in pace Westphalica constituta sunt exequendi.

Was bey nechst vorigen Reichs-Tag zu Regenspurg verabscheidet und geschlossen worden:) Intelligitur Recessus Imperii, qui anno 1654. Ratisbonæ factus est, per quem multa in antiquioribus Recessibus mutata sunt atque abrogata, cumprimis circa Processum judiciarium, sunt autem omnes Imperii Recessus ab

Anno 1442. promulgati, uno volumine editi, Antiquiores autem Imperii constitutiones desiderantur, non sine damno nostræ Reipublicæ. Cujus rei fortè causa, quòd in Archivo Imperiali non extent, Caroli V. tempestate sanctior demum cura haberi cœpit. Ne autem antiquioribus istis penitus careamus, industriâ factum Goldasti, qui aliquot Tomos Constitutionum Imperialium edidit, scriptum item Germanicum titulo **der Reichs-Händel**: Sed hæc non habent parem authoritatem cum iis, quæ Codice Recessuum Imperii continentur, suntque magno cum grano salis legenda, Goldastus enim multa suo arbitratu interpolavit.

Wider die Executions-**Ordnung**:) Hæc ordinatio executionis non tam præscribit, quomodo sententiæ in Camera pariter atque Judicio Imperatoris aulico latæ sunt exequendæ, quod hodie contra ordines potentiores summa cum difficultate sit, quàm quomodo in Imperio per singulos circulos pax atque securitas publica sit conservanda. Anno 1654. sub finem Comitiorum tractari cæpta quidem est, utilissima hæc, maximique momenti materia, sed propter difficultatem rei, atque amplitudinem nihil conclusum, nisi quòd ordinatio executionis denuò confirmata sit, donec à Deputatis Imperii ordinariis ea de re deliberetur, & in Comitiis prorogatis defectus, quibus laborat ista ordinatio, emendentur. *Rec. 1654.* §. *178. & seqq.* **Grundfeste.** *p. 3. c. 6. p. 276. & seqq.* Ex hisce Imperii Constitutionibus jus Imperii Germaniæ publicum depromendum est, non ex jure Justinianeo, secus ac factum hactenus à multis.

Welche wider den Friedenschluß:) planè gemina leguntur in *Instr. pac. art. 5.* §. *utriusque religionis 49.*

Bestättigten Religion-**Frieden**:) Ex superioribus constat, tres hodie in Imperio permissas esse Religiones: Pontificiam, quæ Catholica sive antiqua passim vocatur in Constitutionibus Imperii, Augustanam seu Evangelicam (Lutheranam alii vocant) & Reformata seu Calvinianam. Mentio quoque passim fit Protestantium, qua tamen appellatione non significatur quarta aliqua secta à tribus superioribus diversa; sed eâ hodiè continentur Evangelici atque Reformati. Vocabulum ipsum hac ratione invaluit: Cùm anno

no 1529. in Comitiis Spirensibus, Decretum Wormatiense, quo sua cuique permittebatur Religio usq; ad Concilium, iterum abrogaretur, nihilque circa Religionem innovandum amplius præciperetur, huic decreto solenni interpositâ protestatione sese opposuerunt: Elector Saxoniæ, Georgius Brandenburgicus, Ernestus, & Erancisçus Luneburgici, unà cum aliis quibusdam Principibus, & paucis Civitatibus Imperialibus; Et hæc est origo Protestantium nominis, quod non solùm in Germania, sed apud Exteros quoque Gentes pervulgatum est atque celebre. *Sleidan. lib. 6.*

Complices:) puta Typographos, bibliopolas, omnesque qui scripta talia quovis modo evulgant: Pœna autem certa nulla neque in hos, neque in authores constituta est, an proinde relicta arbitrio Judicis.

Omnes contra instrumentum Pacis protestationes & contradictiones:) Contra Pacem Westphalicam protestatus eamque hoc modo irritam reddere conatus est Innocentius X. Poncifex causas prætexens, quòd per eam Hæreticis (ita Protestantes vocat) sit permissum liberum Religionis suæ exercitium, iisdemque multa bona Ecclesiastica in perpetuum addicta, nec pauciora ad secularium bonorum sortem redacta; numerus Electorum Apostolicâ Authoritate definitus in gratiam Palatini, quem Hæreticum vocat Papa, auctus &c. vid. ipsam Innocentii Bullam, quam unà cum Protestationibus Fabii Chisii, tum Nuncii Pontificis, ac paulò pòst Pontificis suisque animadversionibus *Conring. edidit in tractatu de pace* perpetua. Contra eandem pacem protestatus quoque est nomine Regis Histpaniarum Petrus à Weinis Burgundicæ Domus ad pacis illius ttactatus legatus, eò quòd circulus Burgundicus à pace ista sit exclusus *Instr. pac. Cæsareo-Gallico.* §. *3.* Omnis Alsatia, unà cum Suntgovia, & præfectura decem Civitatum Imperialium in perpetuum translata in Regem Galliæ; Inferior Palatinatus, Palatino restitutus cujus se legitimam possessorem Rex Catholicus ferebat &c. ipsas Protestationis Tabulas vid. apud *Limnæum in addit. ad lib. 1. c. 12.*

Cæterum omnes hæ protestationes, & si quæ aliæ contra istam Pacem

cem interpositæ sunt, hìc rejiciuntur ac irritæ pronunciantur; idque etiam factum in ipso *Instrum. pac. art. 17. §. 3.*

Ad
ARTICULUM III.

IMperator (1.) jura Electorum Principum, aliorumque ordinum Imperii ne convellat aut imminuat. (2.) Neminem qui jure suffragii in Comitiis hactenus usus est, sive ordinum consensu indè excludat. (3.) Privilegia & jura Statuum confirmet, neminique privilegia his contraria concedat, concessa tempore præteriti belli iterum abroget. (4.) Permittat ordinibus Imperii liberum Exercitium juris territorialis, neque eorum subditis immanitatem à Tributis aut Exemptionem à jurisdictione domini indulgeat.

Nach Inhalt der güldene Bull:) Agitur in illo titulo de Privilegiis Electorum, quòd non sint revocanda nec aliis privilegia his contraria concedenda.

Prälaten:) Horum in Capitulationibus anterioribus nulla expressa fit mentio. Eorum alii Principum dignitate fulgent, (**gefürstete Äbte:**) qui non minus ac Principes singula in Comitiis habent suffragia. Alii autem de quibus hic sermo, dignitate Comitibus pares habentur, qui in duas Classes, Suevicam & Rhenanam divisi totidem in Comitiis ferunt suffragia curiata.

Sampt der unmittelbahren freyen Reichs-Ritterschafft:) Horum Nobilium in hac Capitulatione; uti & in Capit. Ferdinandi IV. frequenter fit mentio, in reliquis nulla. Frustra autem hodiè disputatur, utrùm sint Status Imperii. Nam passim in hac Capitulatione uti & in *Instr. Pac. art. 5. §. 42. & 55.* statibus Imperii contradistinguuntur, nec ad Comitia vocantur, nec in ulla matricula Imperii reperiuntur descripti. Hinc cùm in Comitiis Augustanis Anno 1555. Evangelici ordines rogarent, ut in pace religiosa nobilium quoque mentio fieret; Ferdinandus I. respondit; **Es sey nicht viel erhört/ daß derenthalben / die nicht Reichs-Stände seyn / auch nicht zu Reichtstagen beschrieben / dergleichen Satz / oder Ordnung gemacht.**

macht. *Lehman. de pac. Religion. l. 1. c. 13. p. 72.* Et in Responso ad declarationem statuum Catholicorum ipsi Evangelici in conventu compositionis Anno 1621. Francofurti ipsi fatentur: Die Reichs Ritterschafft / ob Sie gleich nicht Reichs Stände etc. Propriè enim status Imperii dicuntur, qui jus suffragii ferendi habent in Comitiis. *vid. Limn. lib. 6. c. 3. n. 7. & seqq.*

Id ibidem *in addit. & Comment. ad capit. p. 222.* Diss. alii *Rum. in not. ad A. B. part. diss. 1. th. 12. Buxtorf. ad A. B. conclus. 5.* Hippol. à Treißbach in seinem Bedencken / item autor discursus: Daß des H. Römischen Reichs freye unmittelbahre Adel ein Stand des Reichs sey. (1.) *per text. in proœm. A. B. in f. & in reform. Frider. III. circa fin.* Rx. disting. inter Comitia moderna, & inter Curias Imperatorum antiquas. (2.) *per Recess. 1542. §. 91. ibi:* auch wie vor andern Stände / Rx. verba accipienda esse de iis nobilibus, qui quidem votum & sessionem in Comitiis habent, non quatenus sunt nobiles, sed aliis de causis, veluti Equites Fridbergenses, Gellenhusenses, & Hegavienses, idque colligi potest ex *Recess. deput. 1564.* §. wir wollen auch 32. Multi putant è re futurum ordinum Evangelicorum, si ad Comitia admitterentur quoque Nobiles isti immediati, quorum maxima pars illi Religioni addicta est. Sed quid unius vel alterius suffragii accessio Evangelicos juvare posset? equidem non video!

Differunt ergo esse statum, & esse immediatè Imperio subjectum, posterius enim generalius est priori, quippe Nobiles in Franconia, Suevia & partibus Rheni immediatè sunt subjecti Imperio, neque tamen sunt status Imperii, probatur etiam hæc differentia expresso textu R. J. de *Anno 1564.* §. *29.* Ut hæc differentia rectùis intelligatur, tenendum est immedietatem hoc tribuere immediatis, ut ratione personæ, actionumque personalium (: alia ratio est actionum realium:) sive ex Contractu nascantur, sive ex delicto immediatè Imperatoris & Imperii jurisdictioni sint obnoxii, nisi Austregæ locum habeant. Quod dictum est de immediatorum delictis, verum utique est si in proprio territorio deliquerint. Sin in alterius territorio delictum sit commissum, ibique delinquens deprehendatur, utrùm cognitio & coërcitio ad solum Imperatorem, an verò ad dominum territorii pertineat, quæritur?

Et indistinctè jurisdictionē Cæsari tribuunt, ordines Imperii verò, si delictum ab inferiori in superioris territorio sit commissum, velut si nobilis homicidium in Principis territorio commiserit, ibique deprehensus sit, coercitionem sibi vindicant. Consequens est immedietatem non esse privilegium reale, ut vult *Reinking. lib. 1. diss. 5. c. 10. n. 26.* sed potiùs personale, quemadmodum enim obligatio, quæ mater est actionum sonalium, personam afficit, non rem, ita quoque immediatus, cujus ratione quis in actionibus personalibus forum sortitur Imperii immediatum, personam afficit, non rem, sine territorium. Aliàs omnes, qui bona habent immediata, essent quoque immediati, & omnes Principes Apanagiati desinerent esse actu immediati, quod utrumque secus est. Opp. Si esset privilegium personale, unà cum persona extingueretur nec transiret ad liberos? ℞. utique cum persona extinguitur, pariter atque nobilitas, & liberi immediatorum non habent immedietatem à parentibus jure hæreditario, aliàs vivis Parentibus non essent immediati, sed habent eam in primo concedente & acquirente. Dignitas autem status Imperialis superaddit immediatis jus ferendi suffragii in Comitiis, quod quodammodo connexum est territorio. Quid enim notius quàm in Comitiis jus suffragiorum territoriis annumerari, unumque Principem, prout diversa possidet territoria, plura sæpe ferre suffragia. Et ideò in matricula Imperii ubi descripti sunt status videmus appositum quantum quisque equitum, peditumve ad Cæsaris Comitatum ratione sui territorii mittere debeat; aut ejus loco pecuniam solvere. Opp. (1.) *à Limn. lib. 1. c. 7. n. 96.* Et *Sprenger. jurispr. publ. p. 186.* indignum esse, statuum dignitatem glebæ adscribi. ℞. annon & Electores eligunt Imperatorem virtute suorum Principatuum. *A. B. tit. 7.* neque hoc dignitatem eorum minuit, sed potiùs auget. Opp. (2.) In comitiis 1654. in numerum statuum receptos esse aliquot Principes, recèns creatos, qui nulla habuerunt territoria, aut bona immediata Principe digna, quorum intuitu suffragia ferre possent. ℞. factum quidem hoc esse adnitente potissimùm Cæsare, cum expressa tamen protestatione, hæc exempla non esse trahenda ad Consequentiam, atque ipsorum hæredes, nisi bonis immediatis Principe dignis sint instructi, isto privilegio non gavisuros. Grundfeste *p. 126.* Pari ratione sub initium

Comi-

Comitiorum adhuc durantium in Collegium Principum cooptatus fuit Princeps Portia, supremus Cæsaris aulæ Magister, sed post ipsius obitum non fuit admissus ipsius filius, quia nondum comparare sibi potuit tantam bonorum immediatorum copiam. Propter eandem quoque rationem constitutum *in Rec. 1654. §. 197. & in Capit. Leopoldi art.* 44. neminem posthac in Principum collegium cooptatum iri, nisi sufficienti bonorum immediatorum copiâ sit instructus.

Non sequitur verò exinde, quòd is, qui territorium amittit, nomen & qualitatem Status, adeóque & jus votandi amittat; *Victor d. Exemt. th. 30. Sixtin. d. Reg. c. 4. n. 59. Pretek. l. 4. c. 1. n. 63.* & quòd jus comitiorum & suffragiorum personam concernat, prob. *R. I. de Anno 1495. Tit.* **von Handhab. des Fried.** 1500. §. **wie die Irrung der** Session &c. 10 **daß alle und jede Stände / wes Würden / Stands oder Wesens sie seyn / so der** Session **oder standshalben ꝛc** Anno 1548. §. **wann auch jetz außgezogene:** ibi **mit Stimm und Stand in Reichversammlung hat.** *Gail. 1. O. 25. n. 29. Arnis. de Majest. l. 2. c. 4. n. 17. M. Stephan. l. 2. de Id. p. 1. c. 7. n. 1. Tabor de jure suffrag. c. 5. n. 11.* Quamvis in Electoribus Jus votandi, eligendi, & suffragia ferendi, aliaque Electoralia jura, adeò cum Principatu conjuncta & inseparabiliter eidem unita esse dicantur, ut non nisi in reali positione illius constitutis competant. vid. Myl. ad Rum. p. 2. d. 6. th. 7. Id tamen præterquam, quod (1.) singulariter constitutum, (2.) non exclusivè sed inclusivè, & cum hypothesi dignitate personæ accipiendum est, *v. A. B. tit. 7. §. 1. ibi illustres Regem Bohemiæ &c.* virtute Regni & Principatuum suorum. Et (3.) ex ea singulari ratione inductum est, ne officia ad dignitates atque jura alia septemvirorum à Principatu separata, vilipenderentur, dignitas enim sine potestate & Divitiis denique in contemtum abiret. *v. Knipsch. de fid. fam. Nob. c. 7.* Ut enim Eques sine Equo, Episcopus sine Episcopatu, Abbas titularis in Ordine S. Benedicti, Canonicus sine præbenda, Cardinalis Bavennæ, Rex Schacchorū. dicuntur nulla-tenentes, & in herba Equites, quasi dicas **Krautjunckherr**. Sic Electores etiam dignitatem sine Principatu diu tueri non possent. *Arum. cap. 7. de Com. n. 179.*

n. 179. Besold. 1. Polit. th. 23. Steph. de Id. l. 2. p. 1. c. 7. n. 58. quæ præferenda rationibus *Rumelini. d. th. 17.*

Illud tamen adnotandum, immedietatem, quam privilegium personale esse diximus, in nobilibus immediatis includere simul respectum ad certos districtus seu certas provincias: nobiles enim non sunt immediati, nisi in Suevia, Franconia, partibus Rheni & Alsatia, in aliis Provinciis sunt Landsassii, & sub dominis territoriorum. Hinc si nobilis mediatus ex alia Provincia adveniens, sedem fortunarum suarum collocet in his Provinciis comparatis ibi bonis immediatis, ille fit immediatus, etiamsi alibi fuerit mediatus, sive Landsassius. Ex adverso nobilis ex his Provinciis in aliam, ubi nobiles non sunt immediati, migrans ibique Domicilium constituens, ex immediato fit mediatus, etiamsi alibi bona habeat immediata. Quare autem in istis districtibus nobiles sint immediati, in reliquis verò Germaniæ provinciis non nisi mediati & sub aliis Principibus, aut Comitibus, non adeò liquet. Verisimile est quod scribit Besoldus in *discurs. de Equestr. ordin.* Olim Nobiles ibidem non minus atque in aliis locis Germaniæ fuisse mediatos, Ducibusque Franconiæ & Sueviæ subjectos: quippe nulla ratio adsignari potest, quare florentissimarum harum familiarum deterior, quàm reliquorum Principum Germaniæ conditio fuerit. At cum familiis illis extinctis illi Ducatus in varias partes discepti, unà cum ordine Equestri & Civitatibus ad Imperium accederent, nec iterum uni ex integro darentur, indè Nobilitas Franconica & Suevica libertatem & immediatam subjectionem acquisivisse videtur. Tractus Rhenanus præter Sueviæ Duces nullos alios certos dominos conclusum territorium habentes agnovisse videtur: Nam Serenissimi Electoris Palatini Dominia ex variis contractibus hæreditatibusque succreverunt, idque Marquardus Freherus in originibus Palatinis non uno loco docet. Idem ergo dicendum de immediata nobilitate Rhenana, quod de Suevica. Eademque ratio est, quare in iisdem districtibus tot sint urbes Imperiales. In Bavaria autem, Saxonia aliisque locis, ubi ex familiis priscis supersunt Principum Successores, ibi semper, & in hunc usque diem nobiles mansérunt mediati. Quæsitum est de Nobilibus Alsatiæ, (1.) utrùm ad immedia-

mediatos referendi (2.) an quartam claſſem conſtituuant? Horum in Receſſibus Imperii nulla fit mentio, ideóque *Iosias Nolden in suo tractatu de Nobilit. c. 7. summ. 21.* ſcribit Alſatiæ Nobiles, niſi ſub Rhenanis comprehendantur, immediatos non facilè credi poſſe; Sed *Casparus Lerch. de ordinib. Equestr. fund. 2. summ. 52. & seqq.* ait, Alſatiæ nobiles iisdem penè gaudere privilegiis cum Nobilitate Franconica & Rhenana, niſi quòd filiæ nuptui collocandæ hæreditati paternæ non renuncient. Putat autem eos non quartam conſtituere claſſem, à reliquis tribus ſeparatam, ſed eſſe membrum peculiare (**Ein abſonderlich Ritter Ort**) nobilitatis Rhenanæ, cùm olim comparuerint in torneamentis inter Rhenanos & in matriculis Rhenan: cum antiquioribus, quædam familiæ Alſatiæ reperiantur inſcriptæ. Et Hippol. à Treisbach (ſub quo nomine latet Knipſchild, Syndicus quondam Eslingenſis) **in ſeinem unvergreifflichen Bedencken/** refert p. 253. cùm Anno hujus ſeculi 10. in Conventu Nobilium Eslingenſi comparuiſſent etiam legati Nobilium ex Alſatia, neque tamen cum aliis conjungi, ſed ſeparatam claſſem conſtituere vellent, non fuiſſe eos admiſſos, quòd reliqui dicerent ab antiquo non fuiſſe notas in Imperio niſi tres nobilium immediatorum claſſes. Verùm quicquid ſit de ultima hac controverſia, certum eſt, Nobiles Alſatiæ eſſe immediatos, & in Judicio Imperat. Aulico pro talibus haberi.

In den Reichs Collegiis:) Diſſeritur hìc (1.) de tribus Collegiis, in quæ Status ſeu ordines Imperii in Comitiis congregati ſunt diviſi. (2.) de voto ſeu ſuffragio Civitatum Imperialium dicisivo.

Darzu den Ständen ſampt erſtgedachter Reichs Ritterſchafft ihre Regalia:) Quæritur num Nobiles immediati habeant jus territoriale? Negat *Strauch. Exercit. 4. th. 22.* ideò quòd jus territoriale ſit affectio propria; & eſſentiale conſecutivum Statuum Imperii, ita ut poſitâ vel negatâ qualitate Status, ponatur vel negetur jus territoriale, & vice verſa. Habere quidem Nobiles Regalia, verùm non jure ſuperioritatis reali, ſed jure perſonali, vi inveſtituræ. *Et Ludolph. Hugo de statib. region. Germ. c. 5. §. 5. & 6.* ſcribit jura ſuperioritatis proportione quadam reſpondere juribus Majeſtatis, quæ ei tantùm tribuuntur, qui ſocietati Civili ſumma cum

 pote-

poteſtate præeſt. Non itaque cujuslibet ſpacii terræ liberam poſitionem ſufficere ad hoc, ut quis ſuperioritatem habere dici posſit, ſed tantam univerſitatem, quæ juſtæ ſit capax Reipubl., quâ quoniam equites iſti liberi deſtituuntur nec ſuperioritatem territorialem ipſis tribui poſſe. Mihi non obſtantibus hiſce rationibus, ſuperioritas Territorialis Nobilibus immediatis non videtur deneganda; cùm conſtet eos in territoriis ſuis non minùs ac Principes, reliquosque Status Imperii jura ſummi Principis exercere. Quam ſententiam cum ipſa experientia, tam hic textus egregiè confirmat ad arg. Strauchii Rc. jus territoriale magis videri affectionem & eſſentiale conſecutivum immediatatis, quàm Dignitatis Status, in Argum. Hugonis negatur conſequentia, nam ſi ea valeret, multis quoque Comitibus Imperii exiguum territorium habentibus deneganda foret ſuperioritas. Plus & minus non variant rerum ſpecies.

Pfandſchafften:) Quær. quid ſibi velit hæc oppignorationum Imperialium confirmatio? Olim Imperatores bona Imperii non tantùm vendere, aut in feudum dare, ſed etiam pro exigua ſæpe ſumma oppignore conſueverunt. Hæ oppignorationes hìc confirmantur, utrùm autem confirmatio excludat reluitionem, diſputatum olim fuit; Sed in Inſtrum. pac. art. 5. §. 25. hac de re hunc in modum cautum: quod ad oppignorationes imperiales attinet, cùm in capitulatione Cæſarea diſpoſitum reperiatur, quòd Electus Rom. Imperator Electoribus, Principibus, cæterisque ſtatibus Immediatis Imperii ejusmodi oppignorationes confirmare atque illos in earundem tranquilla, & quieta poſſeſſione defendere debeat; conventum eſt hanc diſpoſitionem, donec conſenſu Electorum, Principum, & ſtatuum aliter ſtatutum fuerit, obſervandam eſſe.

Wegen Landsfürſtlicher hoher Obrigkeit:) Statuum Imperii Germanici duplex eſt poteſtas: Una, quam habent in rebus ad univerſum Imperium pertinentibus; altera, quam quilibet Princeps aut alius Imperii ſtatus exercet in ſuo territorio adverſus eos, qui ipſi ſunt ſubjecti. Prior illa poteſtas ſita eſt in libera ſuffragii ferendi authoritate, quâ gaudent in omnibus Imperii conventibus, quotiescunque deliberandum eſt de pace, & bello, de Tributis imponendis,

de

de militum delectibus agendis, de munimentis extruendis, legibus ferendis, aut interpretandis, fœderibus faciendis. Neque enim quicquam harum aut aliarum rerum universi Imperii corpus concernentium fieri potest, aut decerni sine libero omnium Imperii statuum in comitiis congregatorum consensu. *Instrum. pac. art. 8. §. gaudeant. 2.* Quo pertinet quod dicitur, Imperatorem neminem, qui hactenus in comitiis, in aliquo Collegio jure suffragii usus est, indè excludere debere, ubi tamen observandum, in rebus totius Imperii summam concernentibus non esse æqualem omnium statuum potestatem. Multum enim prævalet authoritas Electorum, non solùm quia in Comitiis septem eorum suffragia æquivalent suffragiis omnium Principum Ecclesiasticorum pariter atque secularium omniumque Comitum, ac Prælatorum, sed etiam quia multa Imperii negotia eaque maximi momenti exclusis reliquis statibus Electorum tantùm consensum desiderant, idque capitulationem hanc legenti manifestum fit; Taceo quòd soli Imperatores eligant, iisdemque Capitulationes, contradicentibus quamvis reliquis statibus, præscribant. Longè minor iisdem in rebus est authoritas Comitum, atque Prælatorum quàm Principum; illi enim omnes quatuor; hi verò duo tantùm in Comitiis ferunt suffragia. Altera illa Potestas, quam quivis Princeps exercet in suo territorio, vocatur superioritas territorialis (German. Lands-Fürstl. Obrigkeit/ Lands-Hoheit/ und Herzlichkeit) atque in eo posita est, quòd quilibet status in suo territorio exerceat omnia penè jura summi Principis, sive summi Imperii, possitque subditos suos homagio seu juramento ad fidem & obsequium obstringere, (die Erbhuldigung von ihnen annehmen) jurisdictionem criminalem pariter ac civilem in eos exercere, conventus ordinum provincialium indicere, tributa imponere, omnis generis reditus sibi retinere, nihilq; indè fisco Cæsaris inferre &c. atque hæc jura omnia non exercent vice Imperatoris, tanquam Magistratus, sed jure proprio, & ideò hic Imperator promittit, se nullo sub prætextu statuum subditos à superioritate territoriali excempturum. Quæ omnia, sententiam Monzambani, quòd nimirum Germania non sit verè unum corpus Reipublicæ, sed quàm proximè accedat ad Systema aliquod

quod contrarium Civitatum fœdere inæquali connexarum, non parùm firmant, cùm pauci tantùm actus superioritatis à statibus in suis ditionibus exerciti ab Imperatore possint fieri irriti, adeóque parùm ipsis ad summum Imperium deesse videatur.

Unter dem Prætext **der Lehenherrschafft:)** Notum est Principes aliosque status Imperii ditiones suas atque regalia ab Imperatore & Imperio tanquam feuda recognoscere. Sed nexum illum feudalem, quo Imperatori obstricti sunt, longè esse laxiorem, quàm solet esse aliorum Vasallorum obligatio adversus Dominos Feudi, ut ex hoc loco manifestissimè colligitur, si conjungatur *cum 2. F. 8. &c.* & probatur ulterius, quia alii vasalli tenentur Domino feudi servitia militaria præstare, sive ille bellum aliis inferet, sive bellum ab aliis illatum propulset; deliberatio autem, utrùm bellum gerendum sit, ad eos non pertinet, nisi dominus feudi ultro eos in concilium adhibeat. Ast ordines Imperii non tenentur Imperatori bellum gerenti præstò esse, nisi antea consenserint bellum esse gerendum, nam sine tali consensione Imperator nomine Imperii bellum suscipere nequit. Porrò alii vasalli feudum sine consensu Domini non possunt alienare aut oppignorare, & si fecerint, priori quidem casu, feudo privantur, postreiori verò quod actum est, non valet. Utrumque permissum est statibus Imperii, qui proinde non raró eximiam feudorum suorum partem vel alienant vel oppignorant, ita ut ex istis actionibus valida nascatur obligatio. Opp. Communiter Vasalli jurant tantùm fidelitatem, & servitiorum feudalium promptitudinem, id enim significat formula illa solennis; **Er wolle dem Lehenherrn getreu/ hold/ und gewärtig seyn;** Juramentum enim fidelitatis non obligare ad subjectionem tralatitiam. Ast ordines Imperii jurant insuper Imperatori obsequium: **Daß Sie Ihrer Käyserl. Majest. wollen treu/hold/gehorsam/und gewärtig seyn.** *vid. form. Iur. apud Reinking. lib. 1. class. 2. c. 2. n. 204.* R. Hoc juramentum intelligendum esse salvis Juribus & privilegiis statuum Imperii, quæ tanta sunt, ut ad jura summi Imperii parùm ipsis desit, & non nisi in paucis iisque in quæ ultro ipsi consenserint, Imperatori obtemperare teneantur, nec jure Imperatoris subditi aut Magistratus propriè dicti appellari queant.

Die Landstände:) In quibusdam Principatibus reperiuntur ordines

dines provinciales (:Land-Stände:) sine quorum consensu domini territorii non possunt tributa subditis suis imponere, vel alia majoris momenti jura superioritatis genere exercere. Horum statuum provincialium authoritas hìc ita limitatur, ut nequeant dominum territorii, à dispositione tributorum, quæ à subditis collata sunt, excludere, nec sine domini consensu, conventus instituere, neque in iis tributis, quæ dominus territorii ad defensionem locorum munitorum, aut ad sustentationem Cameræ Imperialis subditis vult imponere, consensum possint denegare. *vid. Recess. A. 1654. §. 14. & §. 180.*

Ad
ARTICULUM IV.

QUæ hôc Articulo in favorem Ducis Sabaudiæ disponuntur, Germaniam propriè non concernunt, & ideò licebit nobis in iis explicandis esse breviores.

De Ducatu Montisferatensi orta fuit Anno 1534. post mortem ultimi Marchionis Johannis Georgii controversia inter Margaretham fratris ipsius filiam, hæredemque ab intestato nuptam Duci Mantuæ, & Sabaudiæ Ducem Carolum, qui non una de causâ Montisferatum ad se pertinere contendebat. vid. *Limn. de jur. publ. lib. 5. c. 14. n. 15. Gramond. Histor. Gallic. lib. 1. p. 38.* Carolus V. Anno 1536. sententiam tulit pro Mantuano in judicio possessorio. Hanc Dux acceptavit in utilibus, de cæteris protestatus est; Maximilianus II. Marchionatum Montisferatensem in Ducatum erexit. Pro Sabaudo Elegans est Consilium *Antonii Fabri*, quod inscripsit: de Montisferati Ducatu contra Sereniss. Ducem Mantuæ; Pro eodem scripsit quoque *Menochius Consil. 1. vol. 2.* Pro Mantuæ Duce verò *Socinus junior Consil. 77. vol. 1. part. Consil. 22. & 23. vol. 2. Alciatus Respons. 199. Rolandus à Valle Consil. 3. vol. 1.* Anno verò 1631. in tractatu Cherascensi à Ferdinando II. & Ludovico III. Galliarum Rege omnis controversia fuit composita, & secuta est investitura à Ferdinando II. facta Duci Sabaudiæ de hoc Ducatu. Hæc omnia confirmata sunt in *instr. pac. Cæsareo-Gallico. §. 92.* Neque tamen variis de causis effectus data: Et ideò Impera-

pera-

perator Investituram Montisferati, Duci Sabaudiæ denuò hic promittit.

Die Stadt TRINO:) vid. *Instrum. pac. Cæsareo-Gallico* §. 93. olim dicta fuit Augusta Taurinorum, hodie vulgò Turino seu Trino, Estque Ducum Sabaudiæ sedes, hìc duo de eadem urbe disponuntur, (1.) ut sine mora & onere expensarum à Rege Hispaniæ Duci Sabaudiæ restituatur. (2.) ut Dux Mantuæ abstineat jurisdictione, quam ibi & in aliis locis Montisferati exercuit.

Reichs- Vicari**ats / und** Genera**lats in Italien:)** Dux Sabaudiæ est Vicarius Imperii perpetuus in Italia, vid. *Limn. lib.* 5. *c.* 14. *n.* 4. *ibiq; in addit*: Cùm autem Anno 1655. Dux Mutinensis Gallicis stipatus copiis, Ducatum Mediolanensem invaderet, Ferdinandus III. copias quasdam in Italiam misit ad defendendum Ducatum istum, iisque præfecit Ducem Mantuæ, cum Titulo Vicarii atque Generalis Imperii. Quod cùm factum videretur contra pacem Cæsareo Gallicam, atque in præjudicium Vicariatus Ducis Sabaudiæ ibidem competentis, placuit illud iterum abrogare.

Ad
ARTICULUM V.

(1.) AGit de præcedentia Legatorum Electoralium, (2.) prohibet ne exterorum Principum aut Rerumpublicarum legati in aula Cæsarea, aut conventibus Imperii publicis per plateas armatâ utantur custodiâ. (3.) Ne iisdem rebus Imperii ad Herum suum nihil pertinentibus se immisceant. (4.) agit de dignitate Electorum tuendâ. (5.) de Præcedentia Comitum Imperialium.

De primo prima dispositio occurrit in Capitulatione Ferdinandi III. de quarto in Capitulatione Ferdinandi IV. reliqua planè nova sunt.

Republi**quen-Gesandte:)** veluti Reipubl. Belgicæ. vid. *Lundorp. act. publ. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 15.

De Præcedentia legatorum Electoralium hæc ponitur Regula: Imperator ne permittat, ut Exterorum vel Rerumpublic. legati in aula atque

que sacello Cæsareo Legatis Electorum præcedant. Quæ dispositio Statuum ita limitatur, ne pertineat ad legatos. (1.) Regum coronatorum, & actu imperantium (2.) Viduarum Regiarum. (3.) Pupillorum Regiorum, ad quos completa legitima ætate administratio Regni pertinet. Horum omnium legatis remittitur, ut Electorum Legatis præferantur.

Huc pertinet quod legitur in Ceremonial. Eccles. sect. 13. c. 3. Principes Electores Romani Imperii digniores habentur aliis Principus, præter Reges, sicut Cardinales aliis Prælatis,

Fundamentum totius dispositionis consistit in vulgato axiomate: Legatus eundem locum occupat, quem occuparet ille, cujus est legatus, si præsens esset, nisi alius ejusdem cum eo, qui legatum misit, dignitatis præsens sit, nam hic absentis legato præfertur, & ideò Elector præsens præcedit Legatos, Electorum absentium; Electorum verò absentium Legati aliis Principibus præsentibus anteponuntur, consuetudine quoque aut pacto multa circa hoc præcedentiæ negotium possunt mutari. Opp. *tit. 6. A. B.* ubi dicitur, quòd nullus alius Princeps cujuscunque dignitatis sit aut conditionis, eundo, sedendo, vel stando præferendus sit, Electoribus; ubi appellatione Principum etiam Reges contineri probat *Limn. ad capit. Ferdinandi III. pag. 685. & seqq.* Si igitur Electores præferuntur Regibus, ergò ex Regula illa generali etiam legati Electorum præferendi erunt Legatis Regum exterorum. ℞. dispositionem A. B. pertinere tantùm ad actum coronationis & Comitia; nam additur: in actibus ad curiam ipsam spectantibus, neque extendendam ad alios congressus.

Mit gewehrte Qvardi:) In itinere quidem permissum est Legatis uti præsidio armato, ubi periculum imminere potest à prædonibus, ubi autem ad locum destinatum pervenere, quid opus ipsis est manu armatorum, cùm satis jure gentium tuti sint? & numerosus legati Comitatus, armis instructus, præbet nescio quam suspicionem ei ad quem missus. vid. *Marselaer. de legato. dissert. 44.*

Daß denen Churfürsten selbst ihre von Alters herbrachte und sonst gebührende Würde:) ad hanc dignitatem pertinent ea, quæ paulò antè *ex c. 6. A. B. allata sunt.*

So soll auch:) de præcedentia Comitum immediatè Imperio subjectorum, & suffragii jus in Comitiis habentium, hìc cautum est, debere eos in Coronatione Cæsarea, aliisque Imperii conventibus solennibus immediatè sequi Principes Imperii, omnesque alios Comites, etiamsi sint Camerarii, aut Consiliarii Cæsaris præcedere. Extra tales festivitates verò præferendos eos esse aliis Comitibus, qui non sunt in servitio aulico Cæsaris.

Ad ARTICULUM VI.

(1.) PErmittitur Electoribus, ut conveniant, quoties vel ipsorum vel Imperii necessitas id exigit.

(2.) Uniones s. confœderationes eorum confirmantur.

(3.) Permittitur & reliquis statibus, ut vel circulariter vel collegialiter conveniant.

(4.) Confirmantur & horum confœderationes, & cumprimis pacta confraternitatis Electorum pariter atque reliquorum Statuum. Conventus Electorum duplices sunt: vel enim conveniunt ad eligendum Imperatorem, vel Regem Romanorum, idque vel vacante Imperio per mortem, depositionem, aut resignationem Imperatoris, vel extra ordinem ut vivo Imperatori adjungatur Rex Romanorum. Hic conventus dicitur **Wahl-Tag.** vel conveniunt Electores propter aliam necessitatem Imperii, & dicitur Collegial-**Tag**; atque de his conventibus hic articulus disponit.

Vermög der güldenen Bull:) *in A. B. c. 12.* per modum præcepti cautum, ut Electores quotannis stato tempore in quadam Civitate Imperiali ipsi conveniant. Hìc autem permittitur ipsis, ut pro re nata & vel Statu Imperii vel ipsorum necessitate urgente possint convenire. Et Imperator promittit se quicquid Electores in talibus conventibus decreverint, approbaturum, ac confirmaturum. Et quo apparet inter conventus Electorum, de quibus *A. B. loquitur*, atque inter eos, de quibus hic articulus disponit, multum esse discriminis, quas differentias studiosè adnotavit *Limn. lib. 9. jur. publ. c. 1. n. 232.*

& ad

& ad capit. Caroli V. p. 155. & seqq. ad quæstionem autem, utrùm Electores sic congregati teneantur ad deliberationes quoque admittere Commissarium Cæsaris? distinctè Respondendum. Aff. juxta *A. B.* quæ vult, ut illi conventus per Imperatorem & Electores celebrentur. Neg. juxta hunc articulum. Mentio tantùm hic fit septem Electorum. *E.* Bohemus à talibus conventibus excluditur.

Nach Gelegenheit und Zustand:) Negotia, quæ in hisce conventibus pertractantur, sunt duplicis generis: Alia concernunt Electores, & eorum jura; alia Imperium ipsum. Et sanè magna hactenus horum conventuum fuit Authoritas, in quibus quæstiones maximè arduæ de pace & bello, de fœderibus &c. tractatæ sunt & decisæ. Sed per *Instrum. pac. art. 8. §. 2.* eæ ad publica Imperii comitia sunt remissæ, quod tamen passim in hoc capitul. hanc iterum habet Exceptionem, si inevitabilis necessitas novam Comitiorum conventionem respuat. Hæc paulatim omnia Reip. munia ad Electores perveniunt.

Der Chur-Fürsten gemeine und sonderbahre Rheinische Verein:) Communis confœderatio est, quæ inita inter omnes Electores, solo Bohemo excluso. Talia unionis pacta sunt ab Electoribus facta Francofurti Anno 1456. Geilnhusi 1511. Wormatiæ 1521. vid. *Galdast. Constit. Imp. pag. 26. & seq.* Capita universalia fœderis sunt: (1.) De se invicem non offendendo. (2.) De mutua defensione (3.) quibus casibus cessant speciales Austregæ, Elector Electorem conveniat coram reliquis Electoribus, à quorum sententia appellari nequit. (4.) Inimici aut hostes unius Electoris ne recipiantur aut tolerentur à reliquis Electoribus, neque salvus conductus iis concedatur. Spreng. jurispr. publ. p. 114. Specialis Confœderatio inter solos Electores Rhenanos, qualis sit, fateor me ignorare, scribit autem *Sprengerus loc. cit.* spectare illud ad mutuam defensionem terratum, bonorum & vectigalium, atque contractum esse Anno 1519.

Denen andern Reichs- und Crayß-Ständen:) Locus hic monet pauca adnotare de divisione Imperii in decem regiones seu circulos. Initio autem Anno nimirum 1500. à Maximiliano I. in Comtiis Augustanis Imperium Germanicum in 6. tantùm circulos

fuit distributum, quorum usus potissimùm in præsentandis Cameræ Assessoribus. Sed Anno 1512. in Comitiis Trevirensibus & Coloniensibus hisce adjecti sunt Austriacus, Burgundicus, Electoralis, Rhenanus & Saxonicus superior. *R. 1512* §. **Darauff haben wir** *11. & 12.* An deinde 1522. **in der Erklärung des Landfriedens zu Nürnberg** *art. 2.* enumerantur etiam membra cujuslibet circuli, circa quam tamen magna occurrit varietas, quemadmodum nec ulla Imperii sanctione definitum est, quis ordo inter circulos observari debeat. Omnes hi Circuli hoc habent, ut possint eligere Ducem, germanicè **Kräyß-Obristen** illustri dignitate præditum. Et quidem eligi potest vel ex Statuum istius circuli numero aliquis, vel, si ita jubeat necessitas aut utilitas, alius, qui istius circuli Status non est. *R. 1555.* §. **und damit obgesetzte** *56. & seqq.* Et verius est eligi quoque posse Statum Ecclesiasticum, cùm & ipsi personam simul politicam sustineant, & nullibi constitutum sit contrarium, idque etiam placet *Limnæo addit. lib. 1. c. 7. n. 23. tom. 4. Strauch. Exercit. 1. n. 5.* Tulit quoque nostra ætas sacerdotes, qui ad arma magis apti videri possent, quàm ad munia Ecclesiastica abeunda. Officium Ducis prolixè describitur *d. R. 1555. §. 29. & seqq.* & in multis aliis Imperii Recess. vid. etiam Sprenger. jurispr. publ. p. *236.* Duci circuli adjunguntur alii, qui dicuntur **die Zugeordnete**/ quorum numerus definitus non est sed relictus arbitrio Statuum cujuslibet circuli. Hinc interdum 8. interdum 7. 6. vel 5. reperiuntur Electi; In his unus est, quem vocant **den nachgeordneten**/ qui quando Dux officium suum vel negligit, vel illud obire impeditur, vices ejus explet. d. R. §. *76.* Hos adjunctos Dux, quoties ipsi visum opus, convocare potest, atque cum illis de securitate publica per Circulum conservanda, aliisque rebus ad officium suum pertinentibus, consultare. *R. 1555.* §. **und sollen** *60.* Habet præterea quivis circulus unum vel duos Directores, germanicè **außschreibende Fürsten** / qui potestatem habent convocandi membra circuli, & in eorum conventibus directorium exercent. Executio quoque sententiarum in Camera Spirensi; vel judicio Cæsaris aulico latarum, quæ olim fiebat à Ducibus circulorum. *O. C. p. 3. tit. 48. §. 7. & 5.* hodie incumbit **den außschreibenden Fürsten** / etiam contra eos, qui, quod pro

pro sustentatione Cameræ solvendum erat, solvere detrectant. *R. 1654. §. 15.* Differunt igitur Duces circulorum, qui in *Instr. pac. art. 16. §. 2.* præfecti militiæ circularis dicuntur à Directoribus circulorum, quamvis utrumque officium ab una sæpe sustineatur persona, illorum enim officium temporale est, horum verò in perpetuum. *R. 1555. §. 59.* deinde extraneus, id est, qui non est membrum circuli; potest esse Dux circuli, non autem Director circuli. Quinam autem in singulis circulis sint Directores tradit *Limn. addit. ad jus publ. lib. 1. c. 7. n. 23. tom. 4.* ubi tamen notandum per instr. pac. in circulo inferioris Sexoniæ Suecos ratione Ducatus Brementis alternis vicibus Directorium exercere cum Electore Brandenburg. raitone Archiepiscopatus Magdeburgensis, salvo tamen condirectorio Ducum Luneburgensium. Habent tertiò circuli etiam hoc, quòd possunt conventus instituere, qui Germanicè dicuntur Krāyß-Tag. Hic Triplices sunt: aut enim omnium circulorum Duces conveniunt, aut aliquot duntaxat circuli, aut membra unius circuli. Atque hi conventus iterum sunt vel ordinarii, qui quotannis instituendi sunt propter monetam, quod tamen frequentissimè negligitur, vel extraordinarii, in quibus agitur de pace & securitate publica conservanda, de contributionum exactione, earumque moderatione, sententiarum executione contra contumaces, de emendandis defectibus matriculæ, annona, &c. atque de his conventibus circularibus *hic art.* disponit potissimùm. Locus nullus certus destinatus est, sed relictus arbitrio Directorum convocantium. Q. (2.) Num hæc distributio Imperii in circulos sit utilis Imperio? Putat *Monzambanus c. 4. in fin.* eam potiùs ad distractionem Germaniæ facere, dum quæ unum circulum affligunt mala, reliquos segnius afficiunt. Sed contrarium potiùs verum est. Liquet enim ex historia rerum Germanicarum post Friderici II. tempora, Imperium nostrum penè in Anarchiam abiisse, nulla ferè inter Status superstite unione aut societate. Prudenter itaque & magno Germanicæ bono per illam in circulos distributionem, collapsa Imperii authoritas, & Statuum Unio aliquo modo fuit restituta, simulq; & securitati publicæ, & legũ authoritati consultũ. Satiùs quidẽ fuisset omissâ hac distributione, omnia in unum corpus redu-

cere, sed ea erat Imperii dissociatio, ut illud esset impossibile, & præstat tali in casu aliquam Rempublicam habere; quàm nullam: sanè posset hoc institutum ad tuendam securitatem Imperii publicam sufficere, si omnia, quæ de illa re in constitutionibus Imperii descripta sunt, observarentur. Cautum quippe est, ut, si unus circulus periculum imminens solus avertere nequeat, duo vicini Circuli, eorumque Duces auxilium rogati statim sine ulla exceptione præstò sint, si nec tres isti circuli averruncando periculo pares reperiantur, adhuc duorum aliorum circulorum finitimorum opem implorandam esse, atque hoc officium ab ipsis non detrectandum, sin adhuc majores vires periculi magnitudo desideret, significandum illud Moguntino, ut instituatur conventus Deputatorum. R. 1555. §. 62. & seqq.

Erbverbrüderungen:) Confraternitates hæreditariæ, sunt pacta inter illustres familias, inita de mutua successione in omnes ditiones, omniaque bona, si alterutram familiam extingui contingat, ab Imperatore confirmata.

Cum hisce pactis non sunt confundenda pacta unionis hæreditariæ germ: **Erbeinigung**/ quâ appellatione continentur quævis pactiones, quæ hæredem sequuntur, & familias perpetuo nexu conjungunt, veluti si duæ familiæ paciscantur, ne altera alterius inimicas receptet, aut foveat, & ideò hæc pacta unionis latiùs patent, quàm pacta confraternitatis.

Hæc pacta Confraternitatis valere multi negant. (1.) quòd jure feudali nulla vasalli dispositio ratione successionis de feudo valeat. 1. *F.* 8. 2. *F.* 52. *&* 55. (2.) quòd pacta de futura successione sint contra bonos mores. *l. fin. C. de pact.* & votum inducant captandæ mortis *l. 11. C. de Transact.* Sed verius est, pacta hæc, etiamsi juri feudali & Civili non conveniant, valere inter illustres familias, quæ ad earum conservationem faciunt, & diuturno usu confirmata sunt. *Gail. 2. O. 177. Limn. lib. 4. c. 8. n. 127. & seqq.* ubi ad argumenta contraria respondet. Neque enim sequitur, hoc non convenit cum jure feudali & Civili. Ergo non valet; quia non per omnia sequimur illa jura, sed in multis per statuta aut consuetudinem iis derogatum est. Et ideò in confirmatione Imperatoris apponi solet, nullum jus, nullam consuetudinem, nullum denique

nique statutum contra ea allegari ac produci debere. Utrùm autem talia pacta confraternitatis sine Imperatoris confirmatione valeant? quod *Reusnero lib. 1. Cons. 3. n. 59. & seq.* & *Belsio. de pact. illustr. famil. cap. 1. fol. 36. placuit.* Sed *Gail. 2. O. 127. n. 3. & seq.* aliique negant, quod utique verum est, siquidem talia pacta sint de feudis Imperii. Et quidem si de feudis Imperii majoribus agatur, ne quidem conformationem Imperatoris sufficere arbitror, sed insuper statuum, aut minimum Electorum consensione opus esse, quia sine horum Consensu feuda talia aperta non potest alteri iterùm concedere, sed ea usibus Imperii servare tenetur. Alia ratio est feudorum Imperii minorum. Sed hæc vera sunt de pactis confraternitatis, quæ nondum sunt facta; Nam quæ ante hanc capitulationem sunt facta, ea omnia hic confirmantur.

Exemplum talium pactorum est inter potentissimas Domus, Saxonicam, Brandenburgicam & Hassicam.

Existimat Monzambanus talibus pactis potestatem Imperatoris, quam in ditiones Principum, tanquam Dominus habet, penitus eludi. Quod verum non puto, quia sine Imperatoris confirmatione nullam vim habent, & qui ex tali pacto succedit, manet Imperii vasallus, & investituram ab Imperatore impetrare compellitur. Sed aliâ ratione hæc pacta nocere possunt Imperio, siquidem uni familiæ nimiam totique Imperio & Imperatori formidandam potentiam conferant.

Ad ARTICULUM VII.

HIc articulus nihil habet difficultatis. Prohibet confœderationes Landsassiorum & subditorum, nec non seditiones contra Dominos territorii: Quibus permittitur, ut vel propriis viribus, vel adhibito vicinorum auxilio contra subditos contumaces aut seditiosos sese possint defendere, eosque in ordinem redigere. Nobilium immediatorum iterum hic expressa fit mentio, ex quo apparet magnam eorum in hac capitulatione habitam esse rationem.

Disseratur hic etiam, quomodo differant esse in territorio, & esse de ter-

territorio, quæ differentia à quibusdam ſtatibus Imperii impugnatur.

Landſaſſius, de finitore Schwanmanno deciſ. 10. *n*.31. eſt homo jurisdictionalis, i.e. jurisdictioni Domini territorii obnoxius, cui in omnibus mandari ac præcipi poteſt. Tales ſunt Comites, Barones, ac Nobiles mediati, & ideò Landſaſſii contradiſtinguuntur plerumque ſubditis plebejis.

In Saxonia Landſaſſi ſunt vel Schrifft-ſaſſii, vel Ampt-ſasſii: Illorum conditio melior eſt, quia Princeps iis immediatè ipſe aut per ſuos conſiliarios ex Cancellaria imperat, hinc vocantur aliàs Cantzeley-Saſſen: Hi verò ſubjiciuntur Toparchis & præfectis denen Amptleuten (: unde etiam Ampt-Saſſen appellantur:) atque coram iisdem in prima inſtantia poſſunt conveniri.

Ad ARTICULUM VIII.

(1.) PRotectiones exterorum, quas vel ipſi ſub variis prætextibus ſuper mediatos ſibi arrogarunt, vel à Cæſaribus ipſis antiquitus conceſſæ ſunt, hîc ſunt ſublatæ. (2.) Promittitur ſtatibus Imperii auxilium contra Bullam Brabantinam. (3.) ne decem Civitates Imperiales Alſatiæ ab Imperio avellantur. (4.) ne ſtatus ab exteris præſidiis militaribus, hoſpitationibus, aliisque bellicis incommodis, onerentur.

Quod primum membrum hujus articuli concernit, tenendum eſt, omnibus Imperii Civibus mediatis pariter atque immediatis, legibus in genere promiſſum eſſe, ab Imperatore & Imperio patrocinium, hîc & in *R*. 1548. §. nachdem dann von unſeren 67. ac poſſe præterea eos ab imperatore impetrare peculiaris patrocinii diplomata (: protectoria vocantur, de quorum abuſu hic diſſeritur:) Quoniam autē iſtæc defenſio, quam ab Imperio quisque ſtatuum ſibi poteſt polliceri parùm ſæpe præſtat præſidii propter rationes ſatis notas; ergo permiſſum eſt ſtatibus Imperii alicujus potentioris protectioni, & clientelæ ſeſe tradere.

Non itaque hic prohibentur ſtatus Imperii patronos ſibi quærere ac de-

defensores ex aliis statibus, quemadmodum Urbs Wormatia defensorem habet Electorem Palatinum. Goslaria, Duces Brunswicenses & Luneburgenses, sed nec exterorum protectioni sese committere ipsis vetitum est, quod utrumque ex jure fœdera faciendi, quo Status Imperii gaudent, demonstrari potest, cùm ejusmodi protectiones sint fœdera quædam inæqualia, quanquam exterorum patrocinia multum imperio noceant, utpote quæ 1. authoritatem Imperatoris & Imperii imminuant. 2. Ansam præbent motibus & dissidiis intestinis, nec non 3. Ut ditiones quædam ab Imperio avellantur, quæ rationes hic omnes prudenter adducuntur. Sed hic saltem prohibitum est, ne subditi sese in præjudicium Domini territorii, extraneo dent in clientelam, & promittit Imperator se inæquali protectione, aut administratione justitiæ huic rei non præbiturum causam, nec literas protectionis exteris concessurum. Neque etiam facilè permittendum subditis statuum, ut sine consensu Domini territorii alterius status defensioni sese committant. *A. B. tit. 15. R. 1529.* §. **Wie auch Chur-Fürsten/** *10. vid. Limn. l. 4. c. 8. n. 78.*

Mihi in ultima hac quæstione distinguendum videtur, inter eos, qui purè & propriè subditi sunt, & inter eos, qui sunt subditi privilegiati, & cum multis Exceptionibus. Priores non possunt sese in clientelam & protectionem alterius status tradere, quia hoc esset conjunctum cum præjudicio Domini territorii. Privilegiati verò subditi, quin ad privilegiorum suorum conservationem sibi patronos & defensores ex aliis statibus quærere possint, dubitandum non est, neque ullum ea in re versatur Domini territorii præjudicium.

Auß der angemasten Brabantischen güldenen Bull:) Intelligitur illud privilegium, quod Carolus IV. Imperator Ducibus Brabantiæ concessit, ne subditi illorum extra Patriam ad judicia extranea trahantur aut arrestentur. Integrum privilegium extat apud *Limn. lib. 5. de jur. publ. c. 2. n. 52. A. 1349.*

Hoc privilegio per nimiam extensionem abusos esse Duces Brabantiæ, propterea ultrò sæpius conquesti sunt Status Imperii circuli cumprimis Westphalici, veluti *Anno 1594. vid. R. de A. 1598.* §. **ob wir nun wohl** *72. item R. 1641.* §. **nachdeme auch** *94.* ubi genuinus sensus

hujus Bullæ seu Privilegii explicatur, ac abusus tollitur. quod etiam factum *in instr. pac. art. 9.* ac hic denuò confirmatum. Quid ad hunc articulum de hac Bulla Brabantina reliqui Status monuerint, *vid. apud Sprenger. jurispr. publ. p. 143.*

Durch das jus Retorsionis:) Remedium contra Bullam Brabantinam hic statuitur jus Retorsionis; non illud decantatum, quo utimur in injuriis verbalibus, sed per quod iniquis repressaliis contra subditos Imperii obtentu Bullæ concessis, contrariis repressaliis obex ponitur, fundamentum est in illa regula notissima. quod quisque juris in aliam statuerit &c. ad *quem tit. ff. Hahnius* alia talis retorsionis exempla adnotavit.

Die zehen vermeinte Reichs-Städt im Elsas:) Nimirum Hagenoa, Colmaria, Selestadium, Weissenburgum, Landavium, Oberheimium, Rosheimium, Monasterium in valle S. Georgii, Keissersbergium, & Turcheimium. Repetendum autem est ex superioribus per pacem Westphalicam Landgraviatum superioris & inferioris Alsatiæ, unà cum præfectura decem civitatum imperialium ibidem sitarum, translatum esse pleno jure in pepetuum, in Regem Galliæ; hanc tamen lege atque conditione, ut totius inferioris Alsatiæ nobilitatem (verba sunt *instr: pac. Cæsareo-Gall. §. 87.:*) item prædictus decem civitates Imperiales, quæ præfecturam Hagenaviensem agnoscunt, in ea libertate & possessione immediatis erga Imperium Romanum, uti hactenus gavisi sunt, relinquat; ita ut nullam ulterius in eos regiam superioritatem prætendere possit Rex Galliæ; Sed iis juribus contentus maneat quæcunque ad Domum Austriacam spectabant, & per hunc pacificationis tractatum Coronæ Galliæ ceduntur. Nihilominus Rex Galliæ præfecturam istam provincialem nimium quantum extendere, atque istas Civitates imperiales planè sibi subjicere conatur, testantibus id civitatum istarum querelis, quas illæ sæpius cumprimis verò in proximè præcedentibus uti & in adhuc durantibus Comitiis cùm ad Imperatorem tum ad status Imperii detulerunt. Imperator quidem hic promittit se operam daturum, ut illæ Civitates cum Imperio unitæ maneant; Sed periculum est ne planè aliquando in manus Regis Galliæ perveniant.

Ad

Ad ARTICULUM IX.

ITerum prohibet subditorum mediatorum confœderationes cum exteris Principibus, aut rebus publicis sub quocunque prætextu, qua de re aliquid dictum ad articulum præcedentem 8.

Und weilen auch in der That verspüret worden:) Haud dubiè huic articulo, qui planè novus est, & in nulla alia capitulatione reperitur, ansam præbuit Civitas Monasterium, quæ cùm *anno 1656.* se pro immediata Imperii civitate declarare peteret, per bina decreta hoc ei in judicio aulico fuit denegatum. Prius promulgatum die 28. Julii. **die Stadt Münster** in puncto prætensæ immedietatis **abzuweisen** / & cùm civitas contra hoc Decretum protestaretur, & jura immedietatis suo loco & tempore deducenda sibi reservaret, petens, ut hæc protestatio actis insereretur, secutum est alterum decretum, **das** Memorial **mit den Beylagen wiederum hinauß zu geben/ und lassen es Ihr Käyserl. Majestät nachmahls bey der abschlägigen Antwort bewenden.**

Post mortem Ferdinandi III. à quo immedietatem impetrare non potuit Civitas, Anno 1657. ablegatos misit Hagam, ut cum Hollandis fœdus ad defensionem civitatis iniret. Hinc nova orta fuit controversia, utrùm fas fuerit civitati virtute fœderis Hanseatici (quod pro fundamento posuerat civitas) societatem facere cum exteris; cùm jus fœderum faciendorum tantùm competat Statibus Imperii: Et cum Civitas diceret fœdus illud ad securitatem tantùm commerciorum ac viarum cum Belgis esse sociatum, Episcopus respondit, istam securitatem sibi tanquam Domino territorii fore curæ ac cordi. Posterior hæc quæstio planè ad mentem Episcopi Monasteriensis hic negatur. Monasteriensem quidem civitatem, cùm ea præsidium Episcopi, prout jussa erat Imperatoris decreto, recipere nollet; Episcopus auxiliis Moguntini, Trevirensis, Coloniensis ac Palatini Neoburgici adjutus obsidione cinxit, ac ad deditionem coëgit, frenumque exstructo Castello ei imposuit.

Unter dem prætext der Hanseebündniß:) Civitates hoc fœdere comprehensæ vocatur passim in Recessibus Imperii Hayn und See-Städte / Hayn idem est quod magnus, ab Hunis, quorum procera erat statura, usurpatum, quemadmodum uvæ majores dicuntur hayginsche Beer. Hoc sensu Hayn Städte sunt grosse Städte. Hinc *in R. 1566.* dicuntur ansehnliche vermögliche Städte §. *50. in fin.* vocantur alias Hansee Städte / quod alii exponunt Civitates majores, ut cùm dicimus: Er ist ein grosser Hanß / alii Civitates confœderatas, Anse enim societatem significat, alii denique Hansee Städte dictas putant, quasi Ansee Städte / civitates ad mare sitas, quod videri posset, quia magna harum civitatum pars in mediterraneis sita procul à mari. Quanquam istæc appellatio occurrat in Recessibus Imperii, ubi interdum dicuntur See / und Ansee Städte. *R.* 1548. §. 47. interdum Hayn und See-Städte. R. 1544. §. 33. & alibi, fortè quia initio hoc fœdus à Civitatibus Vandalicis maritimis fuit contractum. De tempore fœderis contracti controversia est, apud scriptores. *vid. Chytr. lib. 23.* qui tamen existimat hoc fœdus cœpisse paulò ante tempora Friderici II. circa annum 1200. Probabilius est quod scribit *Conringius de urbibus Imperii th. 95. & 96.* fœdus hoc contractum fuisse paulo post medium seculi XIII. ob commercii maritimi libertatem in regnis exteris, quod deinde ad mutuam quoque defensionem extensum. Primum quidem Vandaliæ urbes coivisse videntur, unde hodieque Lubeciæ primarius manet locus in eorum conventibus. Indè paulatim plures in societatem receptæ sunt, etiam ex mediterraneis provincialibus pariter atque imperialibus. Constat enim Principes interdum pro civitatibus suis in Hansæ jura recipiendis rogasse. Quo factum ut numerus aliquando ultra 8. excreverit, adeoque societas hæc ipsis quoque Regibus atque Principibus esset formidabilis. Omnes olim in tres postea accedentibus Borrussicis in quatuor divisæ fuerunt classes (: Quartier vocant :) totidem metropolitanis oppidis constitutis: LUBECA, quæ etiam caput est totius societatis Vandalicarum, & Pomeranicarum, COLONIA inter Civitates Cliviæ, Marchiæ, Thuringiæ, Gelriæ, & aliquot Westphaliæ: BRUNSVIGA Saxonicarum, & nonnullarum Westphalicarum: DANTISCUM civitatum

tum Borussiæ & Livoniæ. Et si porrò in omnibus penè exteris regionibus sua societati fuerint privilegia, & immunitates non vulgares; tamen quatuor emporia peregrina (: Contoir vocabant :) constituerunt: LONDINI in Anglia, NOVOGRODI seu Norvæ in Russia, BERGENSE in Norwegia, & Bruggense in Flandria, quod postea translatum est Antwerpiam. Hodie huic societati multum ubique decessit, imò ipsum fœdus tantùm non penitus videri potest solutum: actum quidem aliquoties est de isto fœdere renovando; idque haud ita pridem majori, quàm antehac Zelo; sed si quid judico, frustra laborabitur. Cùm enim maxima pars harum civitatum sint provinciales, Principes non videntur æquo animo passuri, ut ea in fœdus adeò formidandum iterum coëant. Ex ipsis porrò Civitatibus adversabuntur illæ, quæ omnes penè negotiationes indéque proveniens lucrum ad se pertraxerunt.

Ad
ARTICULUM X.

CAvetur hoc articulo, (1.) ne Imperator quà talis de rebus Imperii fœdus, aut pactum unionis cum exteris faciat citra consensum omnium Imperii ordinum, aut si periculum in mora sit, saltem Electorum collegialiter congregatorum. (2.) Si autem velit propter provincias suas hæreditarias fœdus inire, ut illud fiat juxta Instr. pac. *art. 8. §. 2. in fin.* nimirum sine damno Imperii, & salva pace publica ac Westphalica.

Als erwehlter Römischer König:) Una persona considerari potest diverso respectu, ab initio hujus art. Imperator noster consideratur (: respectu Imperii :) tanquam Imperator; sed in fine ejusdem ratione provinciarum hæreditariarum tanquam Archidux Austriæ, vel Rex Bohemiæ &c. *Limn. ad caput. Carol. V. art. 7. p. 158.*

Fürsten und Ständen Bewilligung:) In anterioribus capitulationibus à Carolo V. usque ad Ferdinandum III. inclusivè solus Electorum requiritur consensus; quod in hac & proximè præcedenti capitulatione Ferdinandi IV. est mutatum, idque juxta *Instr. pac. art. 8.*

 §. 2.

§. 2. ubi constitutum de fœderibus nomine Imperii faciendis deliberandum esse ab omnibus statibus Imperii in Comitiis.

Da aber publica salus & utilitas:) Limitatur hîc quod dictum in superioribus de adhibendo omnium statuum consensu, ut si publica Imperii salus moram Comitiorum non ferat, sufficiat quidem solus Electorum Consensus, is tamen non debeat impetrari ab iis per literas aut nuncios separatim ad quemvis eorum missos; sed in conventu eorum collegiali, instituendo, commodo loco, & tempore.

Unserer eigenen Landen halber:) Quemadmodum omnibus Imperii ordinibus permissum est, fœdera facere, vel inter se; vel cum exteris *instr. pac. art. 8.* §. *2. in fin.* ita Imperatori quoque ratione provinciarum suarum hæreditariarum idem licet, dummodo id fiat juxta dispositionem *dict. 2.* §.

AD
ARTICUL. XI.

NIhil habet difficultatis; Cautum quippe hîc est, ut quæ ordinibus Imperii, per vim vel alio modo injustè ablata sunt, & erepta, iisdem restituantur, quod cum jure communi congruit. Imperator quoque promittit, se ea, quæ ipse per pacem Westphalicam restituere tenetur, promptè restituturum.

Ohne Unterscheid der Religion:) Conqueruntur tamen Protestantes de invalido & tardo auxilio legum & judiciorum contra Catholicos, qui ad aliquid restituendum obligati sunt. Nam quod hunc punctum restitutionis concernit, Catholici, maxima pars funguntur partibus reorum. Et ideò per eos stetit, quo minus in Comitiis proximè præcedentibus in arduo hoc negotio quicquam potuerit effici. vid. **die Grundveste des H. Römischen Reichs**/ *part. 3. c. 8.* Unde apparet, omnem de hoc puncto tractationem rejectam esse ad conventum deputatorum & ad prorogata Comitia. Quis autem quemque cuique restituere oporteat, non est hujus loci sigillatim exponere; Restituenda per pacem Westphalicam addisci possunt potissimùm *ex art. 4. & 5. istius instrumenti.*

AD

AD

ARTICUL. XII.

CAvetur hic (1.) ne Imperator ſine Electorum omnium conſenſione unanimi res Imperii alienet, aut oppignoret. (2.) Sed potiùs operam det enixiſſimam, ut amiſſa recuperentur & circuli redintegrentur. (3.) In ſpecie agitur de reſtituendis iis, quæ equitibus ordinis S. Johannis in Belgio, & alibi erepta ſunt, Ipſe quoque Imperator pollicetur ſe Imperio reſtituturum, ſi quid fortè injuſto titulo poſſideat. (4.) Prætenſio Ferdinandi Caroli Archi-Ducis Auſtriæ de Alſatia rejicitur ad proxima Comitia.

Das jenige/ꝛc. wiederum darzu zu bringen:) De recuperandis Imperii Provinciis amiſſis non ſemel deliberatum eſſe etiam in Comitiis certiſſimum eſt. Teſtantur illud *Receſſ. 1566. §. 125. R. 1570. §. 105 R. 1582. §. 46. R. 1603. §. 28.*

So darvon kommen:) Numerus provinciarum, quæ ab Imperio avulſæ ſunt ſatis magnus eſt, de quibus in ſpecie diſſerere nimis foret prolixum. Illud autem in genere tenendum, in hac quæſtione non eſſe conſiderandos fines antiqui Imperii Romani; Sed fines potiùs Imperii Germanici, de quibus luculentum tractatum ſcripſit *Hermannus Conringius.* Nugantur enim *Reinkingius de regim. ſecul. lib. 1. cl. 2. c. 9. num. 10. & ſeqq.* & multi alii, qui exiſtimant Græciam, Britanniam, Hiſpaniam, Galliam, Ægyptum, Perſiam, omnemque adeò Aſiam & Africam ab Imperio noſtro ſumma cum injuria eſſe avulſa, quod jure naturæ unus debeat eſſe Princeps, à cujus ſuprema Juriſdictione nemo eximendus. Enimverò paruerunt quidem iſtæ provinciæ omnes olim Imperio antiquo Romano, ſed ſucceſſu temporis eodem jure iterum ſunt amiſſæ, quo erant acquiſitæ. Et nobis non eſt quæſtio de recuperandis finibus amiſſis Imperii antiqui Romani; Sed de Regno Germaniæ, cui nihil unquam juris fuit in illas provincias.

Ut autem intelligamus utrùm jure, vel injuriâ tot provinciæ ſint ab Imperio avulſæ, experiendi ſunt tituli, quibus illæ ab aliis hodie poſſidentur; Alii enim nituntur donationibus Imperatorum, alii emptionis

ptionis titulo; alii præſcriptione; alii jure belli, alii transactione, alii titulo pro derelicto, quos titulos omnes hîc excutere nimis foret longum.

In Italien:) Ex provinciis Italiæ ad Imperium Germanicum olim pertinuere (1.) integrum Regnum Longobardorum, in quo adhuc multa ad Germaniæ Imperium ſpectantia ſuperſunt, veluti Ducatus Mediolanenſis, Mantuanus, Mutinenſis &c. plurimæ tamen ibidem ſunt amiſſæ, ita tamen ut Germaniæ Imperatores ac ordines nondum animum ea recuperandi depoſuerint, quod ex hoc ipſo articulo colligitur. II. Urbs Roma Exarchatus Ravennatenſis, Tentapolis, unà cum quibusdam aliis locis, quæ titulo Imperatoris in Carolum Magnum, ac pòſt pari jure in Ottonem Magnum translata ſunt, & hodie ſunt in manibus Pontificis. De his, quæ poſterioris generis ſunt, quæri poteſt, num jus recuperandi ea loca in Italia, quæ titulo Cæſareo verè denotantur, ſuperſit noſtris Imperatoribus adeóque diſpoſitio hujus articuli de iis quoque ſit intelligenda? quod multi negant.

(1.) Quia Ponitifices per 400. amplius annos omnem in iſtis locis, authoritatem Imperatorum excluſerunt, adeóque ſi non alio titulo, ſaltem per præſcriptionem ea jura acquiſiverunt, quæ utique etiam adverſus Imperii authoritatem locum habet, quamvis multi JCti illud negent, cùm etiam regna per latrocinium acquiſita tandè longo tempore fiunt legitima. Circumferuntur etiam variæ variorum Imperatorum tabulæ, veluti Ottonis M. Friderici II. Rudolphi I. Henrici VII. Ludovici IV. & inprimis Caroli IV. (quas *vid. apud Conring. de finibus Imperii*) in quibus loca illa pleno jure Pontifici donantur. Has tabulas Imperatores Romæ inaugurandi confirmare coacti ſunt. Nituntur itaque Pontifices duplici titulo, præſcriptione & donatione.

(2.) Imperatores à Carolo V. omnes omiſerunt petere coronam Cæſaream, unde colligitur eos illam cum omnibus iſtis juribus pro derelicto habere.

(3.) Carolus V. cùm avorum noſtrorum memoriâ urbem Romam occupaſſet & Papam Clementem VII. quaſi captivum diu detinuiſ-

tinuisset, tandem ei omnia restituit; Quod non fecisset, si quid juris in urbem Romam & reliqua illa loca, aut ad se, aut ad Imperium pertinere credidisset.

Hæc quidem argumenta satis sunt speciosa, sed tamen iis non obstantibus quæstio proposita rectiùs affirmatur.

(1.) Cùm enim tempore Ottonis M. Imperium Romanum cum Regno Germaniæ æterno fœdere sit copulatum, apparet jus illud perpetuum Germaniæ quæsitum sine expressa procerum Consensione; neque ab Imperatoribus in Pontificem donationis titulo validè conferri, neque à Pontificibus sine justo titulo potuisse præscribi, qualis titulus ab iis ostendi non potest.

(2.) Quamdiu nostri Imperatores retinent titulum Cæsareum propter solam Coronationis omissionem, jura quæ eò denotantur, pro derelictis habere non sunt censendi. Jus enim Coronæ Cæsareæ in urbe Roma accipiendæ superest Imperatoribus nostris illibatum, idque omni caret controversia. Omissa autem illa coronatio aliquamdiu, ut sumptibus parceretur. Si renunciatum esset Coronæ Cæsareæ aliud fortè dicendum, sed illud nunquam factum.

(3.) Ex facto Caroli V, aut aliorum Imperatorum nullum potest Imperio fieri præjudicium, utpote quia de rebus aut juribus Imperii quicquam alienare per Capitulationes prohibentur. Et probat *Conring. de fin. c. 19. p. 376. & seqq.* Dudum ante Carolum V. etsi non scriptâ lege, tamen receptâ consuetudine ejusmodi alienationes Imperatoribus fuisse denegatas.

In anderer frembden Nationen Händen:) Quid igitur (1.) si provinciæ ad Imperium pertinentes teneantur à Statibus Imperii, num & illæ restituendæ sunt? Negari quidem hoc posset; quia oppignorationes provinciarum Imperii Statibus factæ *artic. 3. hujus Capitul.* ita confirmatæ sunt, ut reluitioni nullus sit locus, quidni ergo idem dicendum de alienatione? Sed contrarium potiùs verum est, quia ipse Imperator hoc ipso articulo promittit, si vel ipse, vel sui aliquid ad Imperium spectans minùs legitimè possideant, se illud sine tergiversatione restituturum. Omnino tamen hoc casu distinguendum est, inter ea, qui possidentur titulo legitimo, & quæ titulo tenentur

tur illegitimo. Quæcunque Status Imperii ab Imperio poſſident titulo legitimo, qualiscunque ille ſit, non tenentur reſtituere, per art.3. hujus capit. neque quærendum eſt, utrùm talia ab Imperatoribus in eos potuerint transferri, quæ tamen quæſtio adverſus exteros aliquid ad Imperium ſpectans poſſidentes omnino excutienda venit.

Q. (2.) Quem modum recuperandi amiſſa, hic præſcribat capitulatio diſceptationem? Rz. Nullum certum modum hic eſſe præſcriptum, & ideò deliberatio hujus rei ad Imperatorem & Electores ac reliquos Imperii Status pertinebit, in deliberationibus hactenus inſtitutis legationes præſertim ad res repetendas mittendæ in conſilium venerunt & in R. 1512. §. 2. executio, & modus ſociandi auxilia in pace publica præſeriptus huc fuit accomodatus.

Q. (3.) Quare deliberationes de finibus recuperandis hactenus caruerint ſucceſſu? Rz. Inter præcipua impedimenta eſſe (1.) æmulationem exterorum (2.) diſcordiam ordinum, (3.) imminutam authoritatem Cæſarum, (4.) diſtractionem virium & in tot partes, quot ſunt Imperii ordines, (5.) defectum ærarii publici, propter easdem rationes exigua quoque ſpes eſt in futurum ſucceſſus felicioris, cùm tanta res, ut eſt ſeculi genius, legationibus, interceſſionibus, aut aliis verbis confici non poſſit, ad bellum autem propterea gerendum, deſint nervi.

Dem Ritterlichen Johanniter Orden:) Cœpit hic ordo in Paleſtina circa initium ſeculi XI. hoc modo: Mercatores Analphitani, acceptâ à Turcis licentiâ Hieroſolymis Monaſterium condiderunt Mariæ Latinæ, cui deinde Xenodochium adjunxerunt pro recipiendis peregrinis terram ſanctam religionis ergò viſitantibus, idque ſacrum eſſe voluerunt Joanni Patriarchæ Alexandrino, fratresque præpoſuerunt, qui dicti ſunt Hoſpitalarii, item Eleemoſinarii, nec non Joannitæ. Hi fratres ſub finem ſeculi XI. inter equites ſunt recepti; quòd inſignis eorum opera contra Turcas fuiſſet in recuperanda urbe Hieroſolyma.

Poſt neque ita multo Hoſpitalarii ita aucti novum ordinem equeſtrem inſtituerunt, cujus inſtituta erant, Chriſtianam religionem contra Turcas defendere, peregrinantes ad loca ſancta liberali hoſpitio

tio excipere, militare sub regula S. Augustini: pro horis Canonicis quotidie recitare orationem dominicam; baltheũ nigrum, cum alba cruce; & chlamydẽ atri coloris gestare cum cruce; quæ tempore pacis nigra, & tempore belli rubra esset. Atque tum non ampliùs Præpositos & Abbates; sed Magistros & priores constituerunt, quibus omnes parerent. Emeritos autem milites, & bello in Syrica fessos per provincias ablegarunt, iisque bona sua, quæ à viris piis acceperant, satis liberaliter administranda commendarunt, quos præterea commendatores germanicè **Kompters** / & bona ipsa Commendaturas, **Kompterenen**/ vocarunt. Hic Q. An commendæ sive Commendaturæ referendæ sint ad bona Ecclesiastica? Olim dubitatum, sed *in instr. pac. art. 5. §. 14.* bonis Ecclesiasticis expresse annumerantur. Cùm porrò hi Equites quotidie augerentur, in tres classes sunt divisi: In prima fuere Sacerdotes, vel Capellarii, qui sacra tractarunt, & dominis militantibus fausta precati pro iisdem orarunt. In secunda classe fuerunt equites, omnes ex nobili genere oriundi, qui contra Turcas arma direxerunt, & cœteris in illo ordine imperarunt, obstricti tamen ad orationem Dominicam quotidie certo numero repetendam. In ultima classe fuerunt servientes seu milites vulgares, equitum servi. Manserunt hi equites in Syria per tria ferè secula, donec anno 1299. auxilio occidentalium destituti, cum bonis mobilibus excesserunt. Qua de re legendus *Jacobus de Vitriaco in historia Hierosolymitana lib. 1. c. 30.*

Syriâ propulsi Joannitæ armatâ manu in Insulam Rhodum ad oppugnandos Turcas maximè idoneam concesserunt, eosque sub duris conditionibus anno 1308. emigrare coegerunt, Volateran. lib. 21. atque tum non ampliùs Hospitalarii seu Joannitæ sed milites Rhodi dicti sunt, præsertim cùm Clemens V. Pontifex hanc Insulam perpetuo jure iis concederet. In qua adeò creverunt, ut juxta varias nationes Europæ in octo linguas dividerentur. Atque tum non tantùm plures Priores sed etiam officiales constituerunt, v. gr. Marescallum, Ammiralium, Thesaurarium, Cancellarium; Imò in hac Insula primùm sese votis Monasticis obstrinxerunt continentiæ, Paupertatis & obedientiæ, cui addiderunt quartum bellum perpetuum contra Turcas.

Sed hanc Insulam milites Rhodii anno superioris seculi 23. amiserunt, cùm per ducentos amplius annos fortiter eam defendissent. Licuit tamen ipsis cum omnibus suis rebus tutò abire. Profecti ergò in Insulam Cretam ibi hyemem transegerunt & proximo vere ad Venetos commigrarunt. Hinc porrò ad urbem Niciam, ubi excelsum promontorium Taurinum occuparunt, ex quo longè latèque prospectus in Oceanum patet, ut mare à pyratis tutum redderent. Rogatu deinde Caroli V. Hungariæ appropinquarunt, & tandem in Insulam Melitam, in Africo mari sitam, & Pauli naufragio celebrem concesserunt Anno 1529. magno Christiani orbis bono.

Cessit hæc Insula equitibus quatuor conditionibus (1.) ut Neapolim cumprimis defendereut ab incursionibus Babarorum, (2.) ut in bello adversus Turcas Christianis suppetias ferrent. (3.) Prædones maritimos persequerentur. (4.) Reges Hispaniæ, & Siciliæ Protectores agnoscerent, iisque in ejus rei signum quotannis falconem mitterrnt; De cætero nemini nisi magno suo Magistro obedirent. Ab eo tempore equites Rhodii dicti sunt Melitenses, & insulam Maltam per 140. propè annos fortiter defendunt contra Turcas, à quibus anno 1568. gravissimam perpessi sunt obsidionem. Hoc habent peculiare, quòd Christianis invicem bella gerentibus nunquam suppetias ferant; sed, ut vulgò loquimur, semper sunt Neutrales, & partes ad pacem cohortantur. Amplissimos habent reditus in omnibus Christiani orbis provinciis. Princeps eorum quotannis 2000. accipit Ducat. unde tamen ad pios usus plurima conferre tenetur. Magister hujus ordinis in Germania (Magnus prior appellatur) qui præest commendis ordinis per Germaniam, à Carolo V. collocatus est inter Principes Imperii, & in subscriptione Recessuum Imperii legitur ejus nomen post Abbatem Elwangensem & Martacensem.

Ordini huic ablata esse varia bona indicant memorialia collegio Electorali ac Principum in Comitiis Ratisbonens. Anno 1653. exhibita: Es seyen des Ordens Meisterthum nach und nach entzogen worden ansehnliche Priorata, Balliviaten, Commenthüren/ Herrschafften/ und Güter/ in Ungarn/ Dacia, in den Marcken/ Sachsen/ Pommern/ und Wandland/ Holland/ Schweitzerland und

und mehrers bey dem letzten Niederländischen Krieg:) Bona isti ordini in provinciis Belgii fœderati erepta ad magnum Prioratum Germaniæ pertinent, ideò Imperator promittit, se eorum restitutionem procuraturum viis tamen amicalibus. Quid ab hoc ordine in proximè præcedentibus Comitiis Ratisbonensibus eo nomine sit petitum, patet ex ejus memoriali, quod exhibet *Limn. in addit. ad lib. 1. c. 12. ad hunc artic.* Restitutio eo videtur æquior, quo major horum equitum opera est adversus Turcas.

Ad ARTICULUM XIII.

IMperator pacem cum vicinis colat, neque citra Electorum consensum quocunque colore nomine Imperii bellum suscipiat, aut milites in Germaniam introducat, aut ab aliis introduci patiatur. Inprimis, quæ per Pacem Westphalicam Regi Galliæ de non ferendo auxilio ejus hostibus, promissa sunt, sanctè observet. (NB. Gallorum magnam habitam esse rationem in hac capitulatione, quia habebant, quod darent, & dabant liberaliter) Quod si verò bellum inferatur Imperio, aut Imperator nomine Imperii, permissum ipsi est cujusvis uti auxilio, dumne durante isto bello in Statuum territoriis nova munimenta extruat aut collapsa reficiat.

Der Kron Franckreich gegenwärtigen oder zu künfftigen außwärtigen Feinden:) *vid. instr. pac. Cæsar. Gall. art. 2.*

Ad ARTICULUM XIV.

TOtus novus est in Gratiam Gallorum capitulationi insertus, & *instr. pac. Cæsareo-Gallic. §. 2.* consonus, quo cautum ne Imperator, bello quod eo tempore in Italia & in circulo Burgundico inter Hispanos & Gallos gerebatur, jam verò dudum est compositum, se immisceret, neque tanquam Imperator, neque propter Provincias suas hæreditarias. Sed potiùs operam daret, ut inter illos Reges pax iterum coalesceret.

Im Burgundischen Creiß:) Maximilianus I. Imperator ductâ in Uxorem Caroli audacis ultimi Ducis Burgundiæ filiâ unicâ Maria Dominus factus omnium provinciarum Belgicarum, eas cum Burgundici circuli titulo in corpus Imperii cooptavit, constitutâ certâ oneris summâ in publicum Imperii ærarium conferendâ, secuta & Anno 1548. inter Carolum V. Imperatorem & ordines Imperii de his provinciis transactio, omnium Imperii Jurium in eas superstitum fundamentum, quâ placuit, ut omnes illæ provinciæ essent sub protectione, custodiâ & conservatione Imperii instar aliorum statuum; ad omnes conventus & comitia vocarentur, & eo nomine Archiduces Austriæ locum atque suffragium ibi haberent, constituto peculiari circulo, sub quo omnes illæ provinciæ comprehenderentur. Ad onera Imperii ordinaria, quantum duo Electores, ad expeditiones verò Turcicas quantum tres contribuere cogerentur. De cætero omnes subditi à jurisdictione Imperii sint immunes, nec ordinationibus, Constitutionibus aut Recessibus Imperii teneantur, sint tamen provinciæ istæ feuda Imperii.

Quid Carolus V. hac Transactione spectaverit, tradit *Monzambanus c. 2. n. 4. circ. fin.* Transactio hæc Burgundica Germanicè extat apud *Limn. lib. 5. c. 2. n. 50. de jur. publ.* Latinam exhibet *Conring. de finib. Imp. c. 28. p. 750. & seqq.* Ea aliquoties à statibus Imperii impugnata *Wechner. tom. 6. symphor. c. 2. §. 2.* ubi etiam tradit Ducem Burgundiæ ipsum non esse à Jurisdictione Imperii exemptum, utpote ejus Vasallum. Et ideo si delinquat & pacem frangat publicam, contra eum ejusque ministros in Camera Imperiali processus decerni posse. Ex constitutione pignorationis tamen contra Domum Burgundicam nulli processus ibidem decernuntur ex speciali transactione. In instrumento pacis Cæsareo-Gallico §. 3. cautum, ut circulus Burgundicus sit maneatque membrum Imperii post controversias inter Galliam Hispaniamque sopitas, bellis tamen in eo vertentibus nec Imperator, nec ullus Imperii status se immisceat. Idem hic denuò repetitum.

Quæ autem de circulo Burgundico diximus, accipienda sunt de illis regionibus Belgicis, quæ Hispanum adhuc agnoscunt Dominum. An autem illæ provinciæ Belgicæ, quæ sceptro Hispanorum abjecto in liber-

tatem

tatem se asseruerunt, adhuc sub isto circulo comprehenduntur, sintque membra Imperii, Quæritur? & verius est non esse eas ampliùs Imperio obnoxias, sed planè sui juris. Nam Hispanus omne jus, quod in illas provincias quondam habuit, remittere coactus est, antequam pacem cum illo facere vellent; & in pactis illius pacis continetur Hispanum daturum operam, ut tam Cæsar, quàm ordines Imperii declarent sese cum istis provinciis amicitiam, & bonam vicinitatem culturos, qualis promissio vim tacitæ renunciationis omnium Jurium, superioritatis habere videtur. Et Cæsaris quidem declaratio eodem anno edita est, quam exhibet Conring. de fin. c. 28. in fin. Et ideò provinciæ illæ ex eo tempore per omnem terrarum orbem habitæ sunt pro liberis nulli Principi ampliùs obnoxiis. Nec ipsi à Cæsare titulum dilectorum fidelium sibi dari patiuntur obtentu libertatis armis partæ, dum ab Imperio desererentur & pro derelictis haberentur.

Gleicher gestalt:) Limitatur illud quod Imperator promittit, hoc, & proximè præcedenti §. de non adjuvandis hostibus, præsentibus & futuris Regis Galliæ, commeatu, armis, pecunia, &c. si Rex Galliæ pari modo se gerat adversus hostes Imperatoris, domus Austriacæ Germanicæ, Electorum, aliorumque statuum Imperii.

Unsers Teutschen Hauses:) Philippus Austriacus, Maximiliani I. Imperatoris filius, duos habuit filios, Carolum V. & Ferdinandum I. uterque enim factus est Imperator. à Carolo descendunt Reges Hispaniæ; à Ferdinando verò Archiduces Austriæ in Germania. Hinc familia Austriaca duplex est; Hispanica & Germanica. Quæ hoc articulo disponuntur, pertinent tantùm ad domum Austriacam, Germanicam, non vero Hispanicam.

Im fall ein- oder anderer Churfürst:) permissum est Electoribus aliisque statibus Imperii uti auxilio Regis Galliæ adversus suos hostes.

Die Friedens Tractaten in Teutschland würcklich angestelt:) Hæc pax dudum facta fuit non quidem in Germania, sed in montibus Pyrenæis. Post hanc pacem iterum ante biennium bellum fuit exortum inter istos Reges: Sed & hoc haud ita pridem est compositum.

Ad

AD ARTICULUM XV.

Controversiæ inter status exortæ, non per arma, sed viâ juris decidantur coram tribunalibus ad id constitutis. Quod procedere debet, etiamsi ipse Imperator actoris vice fungatur contra status Imperii. Cum *hoc art. convenit R. 1555.* §. ferner verpflichten wir. 31.

Darinn Sie ordentlich Recht leiden mögen:) Qui causas suas decisioni judicum competentium submittere parati sunt, contra eos justè arma non expediuntur. *ord. Cam. p. 2. tit. 9.* §. *3.* justum enim bellum esse non potest, nisi cæteris paribus inter eos, qui non agnoscunt in terris superiorem, adeóque non habent judicem. Qui autem judicem habent, sed lites suas judici decidendas committere recusant, eorum tergiversatio manu militari, vel aliis modis castiganda est. *O. C. part. 3. tit. 48.* §. *8 & tit. 49.* §. *2.*

AD ARTICULUM XVI.

(1.) Milites pro defensione Imperii conscripti extra illud citra Electorum consensum non educantur.

(2.) In proximis comitiis constitutio fiat, ne Germaniæ juventus, dum exteris permittitur exercitus in Imperio conscribere, nimis exhauriatur.

(3.) Si ab Imperatore vel aliis milites in Germania pro exteris conscribantur, status Imperii non sunt onerandi transitu, hospitationibus, aliisque incommodis.

(4.) Non est prohibitum Germanis stipendia facere apud exteros, dumne arma illorum dirigantur adversus Imperium, aut aliquem Imperii statum.

Zu des Reichs defension:) Alia enim ratio est, si bellum offensivum unanimi Statuum consensu adversus hostem extraneum sit decretum, tum enim exercitus omninò extra Imperium ducendus est. Hoc ita cautum primum fuit in capitulatione Ferdinandi III. cui

cui rei causam dedit Ferdinandus II. qui suo arbitratu militem Imperii misit, quo voluit magno Imperii damno. Convenit hic *artic. cum R. 1541.* §. Setzen und verordnen solchen nach.

Durch die frembde Werbungen:) A quibus & quomodo miles in Imperio pro exteris conscribi possit, vid. des heiligen Reichs Reuter-Bestallung / *Anno 1570. in fin. sub tit.* Verzeichniß etlicher sondern *puncten. it. R. 1582.* §. Demnach setzen *32. & seqq.* Utinam verò huic licentiæ exterorum milites conscribendi in Germania obex poneretur, neque hoc ipsis permitteretur, nisi tum demum, si Germania fortè laboraret nimiâ hominum multitudine, nec tamen ipsa opus haberet militibus.

Wider die Reichs-Constitutiones:) Nimirum *Recess. 1559.* §. Dem zu begegnen *40. R. 1582.* §. *32. & 33. Rec. 1641.* §. Setzen und verordnen & multis aliis.

Instrumentum Pacis) *art. 17.* §. *quoties autem 9.*

Den Reichs-Abschied:) *de Anno 1570.* §. Dieweil dann solcher. 7.

Sich bey Außwärtigen in Kriegs-Diensten zu begeben:) De antiquis Germanis *Tacit. de Morib. Germ. c. 14.* Si civitas, in qua orti sunt, longâ pace & otio torpeat, plerique nobilium adolescentium petunt ultrò eas nationes, quæ tum bellum aliquod gerunt. Quia & ingrata genti quies & faciliùs inter ancipitia clarescunt. Mansit hæc libertas non solùm Statibus Imperii, aliisque personis illustribus, sed omnibus etiam Germaniæ incolis. *R. 1570.* §. demselben *4. R. 1582.* §. ferners. *31.* Ita tamen, ut illud fiat sine ulla offensione Patriæ *text. cit.* quæ omnia hic denuò confirmantur. Hinc inter gravamina, de quibus tempore Caroli V. conquesti sunt ordines Germaniæ, refertur à Mauritio Electore Saxoniæ, quòd prohibeat Cæsar contra vetustam libertatem, ne quis exteris militet. *Sleidan. lib. 24. Comment.* Hoc erat etiam fundamentum excusationis, quâ usus est Joannes Guilelmus Dux Saxoniæ, cùm An. 1558. postquam frustra operam suam tulisset Cæsari Ferdinando, Regis Galliæ, Henrici stipendiis se addixisset cum 3400. equitibus. Chytræus lib. 19. Chron. quod si verò Germanici Imperii hostibus quis militare præsumat sub

pæna capitis privationis dignitatis successionis hæreditariæ &c. avocari potest, uti factum in *Rec. 1641.* §. *83.* Quanto rectius verò sanguis ille, quem per omnes Europæ Provincias Germani circumferunt venalem pro salute Patriæ & recuperandis tot provinciis amissis impenderetur.

AD
ARTICUL. XVII.

CAvetur hic (1.) Ne ordines Imperii onerentur Comitiis, Taxâ Cancellariæ, aut tributis non necessariis. (2.) In specie ne illi, qui per pacem Westphalicam provincias suas dimiserunt, ac pro illis acceperunt alias, harum nomine novam Cancellariæ aut investituræ taxam solvere cogantur. (3.) Ut in casu necessitatis tributa juxta Instr. pac. imponantur. (4.) Ne Comitia extra Germaniam, aut citra consensum Electorum circa locum & tempus indicentur. (5.) Ne Tributa & auxilia ab ordinibus collata ad alium usum, quàm cui destinata sunt, impendantur, nec ulli citra consensum reliquorum statuum immunitas ab iis concedatur.

Mit den Reichs-Tagen:) Quia Comitia multo statuum sumptu celebrantur, præter necessitatem Status eis non sunt gravandi, idque ita constitutum reperitur in omnibus Capitulationibus. Causam dedisse videtur Maximilianus, qui Comitiorum multitudine statuum loculos exenteravit; qua de re conquesti sunt illi in *Comitiis VVormatiensibus Anno 1509. Goldast. in* **Reichshandlung** *pag. 86.* idem de Carolo V. conqueritur *Mauritius apud Sleid. lib. 24.* si ingentes sumptus in compendium redigerentur, nihil magis libertati ordinum conduceret, quàm Comitiorum frequentia. Quæ præterea huc pertinent; *vid. apud Monzamban. c. 5. n. 23. & seq.*

Welche vermög des Friedenschlusses/ Länder:) Elector Brandenburgensis, Suecis concessit omnem Pomeraniam citeriorem unà cum Insula Regia & quibusdam locis Pomeraniæ ulterioris. *Instr. pac. art. 20.* §. *2.* pro quibus omnibus accepit, Halberstadiensem, & Myndanum Episcopatus, nec non exspectativam in Archi-Episcopatum Magdeburgensem *ibid. art. 11.* §. *1. & seqq.* Dux Mecklenbur-

lenburgensis Suecis concessit Civitatem portumque Wismariensem unà cum fortalitio Wallfisch / & quibusdam præfecturis, & vicissim accepit Episcopatum Suerinensem, & Ratzeburgensem *art. 12. §. 1.* Hæc autem dispositio non videtur pertinere ad Suecos, quibus loco satisfactionis eximiæ provinciæ in Germania feudi jure concessæ sunt, *vid. art. 10. Instr. pac.* Et ideò cùm illi in Comitiis adhuc durantibus Ratisbonæ investituram nomine illarum provinciarum ab Imperatore obtinerent, datum fuit Consiliariis Imperatoris aulicis Laudemium, quamvis parca manu.

Die Steuer-Aufflagen:) Olim ad tributa imponenda opus erat solo Electorum consensu *Capit. Caroli V. art. 12. Ferdin. I. art. 2. Rudolphi II. art. 2. Matth. art. 12. Ferdinandi II. art. 20.* quod correctum *in Instr. pac. art. 8. §. gaudeant*, ubi requiritur omnium Statuum consensus in Comitiis.

Quæst. An in puncto tributorum major pars pauciores quoque suis suffragiis obliget? hæc quæstio nondum est decisa, sed *in Instrum. pac. art. 5. §. 19.* ad proxima comitia rejecta. ubi Anno 1653. de ea quidem tractari cœptum, sed nihil definitum, vid. Grund-Veste des heiligen Römischen Reichs / *pag. 286. 287. Monzambanus c. 5. num. 26.* distinguit an tributa totius Imperii salutem spectent, an verò in contrarium Imperatoris ejusque peculiarem usum tendant. *Strauch. Exercit. Exoterica 7. th. 3.* utrùm sermo sit de quantitate tributorum? an verò de agnoscendo eorum onere, plura de hac quæstione legi possunt apud *Reinking. lib. 5. class. 5. c. 8. n. 7.*

Keinen Reichs-Tag:) Indicere comitia solius est Imperatoris, ita tamen, ut literis vel per legatos, consensus Electorum sit requirendus, etiam super eorum loco & tempore. Possunt etiam Electores Imperatorem monere, de habendis comitiis, si utilitas Germaniæ exigat. Olim per singulos annos comitia fuisse habita, nec ultra mensem durasse probabile fit, cùm aliundè tum per *Recess. 1495.* Daß ein Reichs-Tag soll einen Monath wåhren. Hodie omnia necessitatibus Imperii definiuntur. *art. 8. §. habeantur. 3. Instrum. pac. cùm autem ibidem §. proximè præcedenti 2.* definitum sit, quænam negotia in publicis Imperii Comitiis tractanda sint atque deliberan-

da, necessitas, quæ Comitia exposcat, aliquo modo indè cognosci potest.

Locus Comitiorum in legibus publicis Imperii definitus non est, nisi quòd in A. B. c.28. dispositum, ut prima Comitia ab Imperatore Noribergæ habeantur, quod tamen hactenus non ita accuratè observatum. Hic dicitur locum ab Imperatore & Electoribus esse definiendum, qui commodus sit, nec extra Germaniam situs, non tam ad evitandos sumptus, quàm propter majorem Statuum securitatem.

Q. An etiam in Bohemia v. gr. Pragæ possent habere Comitia? ita quidem dicendum videtur, cùm Bohemia utique sit intra fines Imperii Germanici. Cæterùm quoniam Bohemi res ferè suas ab Imperio habent separatas, rectiùs illud negatur, cùm præsertim Regnum illud sit in manibus Imperatoris, nec satis tutum, omnes Status in tali loco congregari: Nec exempla proferri possunt Comitiorum in Bohemia celebratorum, & cùm in causa Juliacensi Principes Pragam vocarentur, comparere noluerunt. Schütz in colleg. publ. disp. 8. tit. 29.

Ansetzen noch ausschreiben:) Vocantur ad Comitia omnes Imperii Status. Priscis quidem temporibus publico & Generali edicto, uti patet ex *specul. Saxon. lib. 3. art. 64. & spec. Suevic. part. 1. c. 39.* Hodiè invaluit, ut singuli Status speciatim peculiaribus literis subscriptione Cæsaris, nec non vice Cancellarii, & Secretarii Imperialis monitis invitentur, idque verbis blandioribus, haud quaquam Imperiosis. Hinc cùm anno hujus speculi 8. Commissarius Cæsareus fortè diceret, Status Imperii ab Imperatore ad Comitia esse citatos, non nemo ex Principum senatu respondit: Es wären verba insolita, sintemahl die wahre Citationes allein in denen Gerichten/und nicht auff Reichstägen/da vielmehr beschrieben gebräuchlich/herkommens. Grundveste *part. 1. c. 2. p. 19.* In Literis, quibus Imperator Leopoldus ad Comitia, quæ adhuc durant, Status vocabat, hæc erat verborum conceptio: Thun diesem nach die jetzgedachte Tag und Wahlstadt solcher allgemeinen Reichs-Versammlung in diesem unsern Käyserl. Brieff verkünden/ und darnebens bey den

Pflich-

Pflichten/damit du Uns und dem Heil. Reich verwand und zugethan/gnädigst ermahnen ꝛc.

AD
ARTICULUM XVIII.

(1.) IMperator neminem ex statibus aut subditis Imperii extra Germaniam vocet ad judicium, sive propter negotium amicabili compositione terminandum. (2.) Neminem cogat alibi quàm coram competente judice litigare. (3.) Tollat abusus judicii Rothwilensis, Weingartensis, aliorum judiciorum provincialium in Suevia, permittatque omnibus ibidem condemnatis, facultatem appellandi, vel ad judicium aulicum, vel ad Cameram Spirensem. (4.) In rebus superioritatem territorialem concernentibus, subditis adversos Dominos territorii, ne concedantur mandata cum, vel sine clausula, antequam Domini super istis subditorum querelis sint auditi.

Laut der güldenen Bull:) *c. 11.* ubi agitur de privilegio Electorum, quòd subditi eorum non sint evocandi ad aliud tribunal. Hodie hoc privilegium pertinet ad omnes reliquos Status Imperii *O. C. part. 2. tit. 1. & tit. 7.* Possunt tamen subditi Statuum ad Cameram, vel judicium Imperatoris Aulicum, citra appellationem, evocari (1.) in causis fractæ pacis, sive religiosæ, sive prophanæ; (2.) in causis Fiscalibus, quæ enumerantur in *O. C. p. 2. tit. 20.* (3.) propter violatum privilegium Cæsareum. (4.) propter rem immediatè sub Imperio sitam (5.) propter continentiam causarum *(6.)* ad dicendum testimonium *Gail. 1. O. 100. n. 1. Ruland. de Commiss. part. 1. lib. 6. c. 3. in fin.*

Und Cammer-Gerichts Ordnung:) Variæ diversis temporibus promulgatæ sunt ordinationes Cameræ, quæ omnes Codici recessuum Imperii sunt insertæ, exceptâ eâ, quæ Anno 1496. concinnata, quam exhibet *Goldastus* in Reichs-Schatzungen. p. 209. & seq. sunt autem priores ordinationes, uti fieri communiter solet, breviores, posteriores novis subinde articulis auctæ sunt, ac proinde prolixiores. Omnium optima ac perfectissima est, quæ ex antiquioribus ordinationibus ab Anno 1495. promulgatis, Anno 1548. auspiciis Caroli V. confecta est (*R. 1548.* §. und nachdem 36.) atque in

Comitiis Auguſtanis Anno 1555. promulgata, & ideò communiter àDd. allegatur, fitque ejus mentio inCapitulat. Leopoldi art. 38. Poſtquam autem hæc ordinatio Cameræ per ſequentes Imperii conſtitutiones, Receſſus deputationum, Senatus conſulta, Cameralia, ſive communia Decreta (gemeine Beſcheide) & alias ſanctiones recentiores, multis in locis correcta, declarata, adauctaque eſſet, Imp. Rudolphus II. communi procerum Imperii conſenſu, Judici atque Aſſeſſoribus Cameræ injunxit, ut ex ſuo numero quosdam ſeligerent, ex utraque religione pares, qui dictam ordinationem ſingulari cura reviderent, ac materias in Receſſibus Imperii, aliisque ſanctionibus ſparſim exiſtentes, locis congruis inſererent, unoque volumine complecterentur. *R. 1590.* §. Wir ſeynd auch *69. & ſeq.* Hoc opus cùm ad finem eſſet perductum, placuit appellari conceptum renovatæ ordinationis Cameralis, vulgò Cammer Concept. atque ab Electore Moguntino in Comitiis 1603. ordinibus Imperii fuit exhibitum, ut confirmaretur ac promulgaretur, quod tamen neque tum, neque poſteà fuit factum. Intereà temporis, cùm per alias Imperii conſtitutiones, tum per Receſſ. Imperii 1654. confectum, ac recentiora decreta Cameralia, multa ſunt correcta, mutata aut planè abolita, & ideo placuit ordinibus Imperii in dictis Comitiis, ut illud conceptum in proxima viſitatione Cameræ, per viſitationes, adhibitis Aſſeſſoribus, & Procuratorum primariis emendaretur, atque ita præparetur, ut in proximis Comitiis tandem publicari atque confirmari poſſit. *R. 1654. §. 134.* Cæterùm cùm iſta viſitatio nondum ſit inſtituta, nec emendatio illius concepti facta, vix eſt, ut ejus ratificationem aut promulgationem in his Comitiis ſperare poſſimus. Interim conceptum illud editum eſt curante Jacobo Blumio, qui, quæ in prioribus exemplaribus exſtabant, ſuſtulit, textus authenticos ex Receſſibus Imperii conſultisque Cameræ adjecit, & quicquid per recentiores Imperii conſtitutiones mutatum eſt aut abolitum, ubique Studioſè adnotavit, ut ita non ſine inſigni utilitate illud legi poſſit, quamvis pragmaticæ ſanctionis vim nondum habeat.

Privilegiis de non appellando:) Hæc privilegia de non appellando vel limitata ſunt, vel illimitata. Illimitato privilegio de non appellando,

do, ut à nulla ſententia in ipſorum judiciis lata ad Camerã, vel ad judicium aulicum appellari poſſit, gaudent Electores omnes, excepto Trevirenſi, præterea domus Auſtriaca, Burgundica, Duces Brabantiæ, omnes duces Saxoniæ, necnon Rex Sueciæ ratione provinciarum Germanicarum, *Inſtr. pac. art. 10. §. 12.* Privilegium de non appellando limitatum eſt, quando ſententia in certis cauſis lata in judiciis alicujus ſtatus, non poteſt appellari; quod iterum fit duobus modis: vel ratione certi alicujus generis cauſarum, quemadmodum à Civitate Hamburgenſi non poteſt appellari, in cauſis debiti liquidi, injuriarum & ædificia civitatis concernentibus; vel ratione certæ ſummæ, infra quam appellari non poteſt. Summa autem appellabilis, vel reſpectu ordinationis, vel reſpectu privilegii Cæſarei: Summa appellabilis ſecundùm ordinationem Cameral. hodie eſt 400. Imperial. *R.* 1654. §. **vierdtens ſoll.** 112. infra quam nullæ appellationes in Camera, vel in judicio aulico recipiuntur, quæ tamen non attenditur in cauſis injuriarum ad palinodiam, itemque in cauſis juriſdictionem, ſervitutes, & ſimilia jura concernentibus &c. (: attenditur tamen etiam in cauſis nullitatum, & reſtitutionis in integrum:) Præter hoc commune privilegium, ordinibus plerisque à Cæſaribus peculiaria indulta ſunt privilegia de non appellando, in cauſis certam ſummam non excedentibus, quæ modò major eſt, modò minor; Et hæc ſtatuum privilegia attendi jubentur tàm in Camera, quàm judicio aulico. R. 1654. §. **drittens** 111. Sed hæc privilegia non attenduntur in cauſis nullitatum & reſtitutionis in integrum.

Deren ordentlichen unmittelbahren Richtern:) Intelliguntur judices Auſtregarum. Appellatio autem Auſtregarum, origine Germanica, ſignificat in genere quamlibet judicialem litis diſceptationem deciſionemque, veluti cùm dicimus: **Biß zu Außtrag der Sachen** / item **ein Sache mit Recht außtragen:** Hîc autem accipitur pro judicio privilegiato, ubi immediatorum quorundam controverſiæ in prima inſtantia diſputantur, antequam ad Cameram vel judicium aulicum perveniant. Quod ideò conſtitutum, ne, cùm mediatè imperio ſubjecti plures inſtantias habeant, quibus jura ſua diverſis vicibus urgere poſſunt, qui immediatè imperio ſubjecti ſunt, deterioris eſ-

ſent conditionis, & ſtatim cauſas ſuas graviſſimas, ſupremo Cameræ vel aulæ Cæſareæ judicio, unica inſtantia terminandas cogerentur ſubjicere. Sunt autem Auſtregæ duplicis generis, vel conventionales, vel ordinationis. Conventionales ſunt arbitria ordinaria, ordinum Imperii conventione conſtituta, ad decidendas controverſias inter illos exortas. Ordinationis ſunt, quæ in ordinatione Cameræ conſtituti ſunt: Probabile eſt ab initio omnes Auſtregas fuiſſe conventionis; deinde tempore Maximiliani I. in Ordinatione Cameræ novam Auſtregarum formam introductam, quas propterea ordinationis appellamus, datâ ſimul poteſtate, à ſententia eorum appellandi ad ſupremum Cameræ vel Aulæ judicium.

Quæritur utrùm Judices Auſtregarum ſint ordinarii, an verò delegati? *vid. Gail. lib. 1. O. 1. n. 12. & O. 33. n. 3. item obſ. 35. n. 1.* qui poſterius, & *Blum. proceſſ. Camer. Tit. 27. n. 12. & ſeq.* qui prius affirmat, eò quòd omnis jurisdictio à lege delata, qualis eſt Auſtregarum, ſit ordinaria. *l. 6. de jurisd.* & quia ſi nudi eſſent delegati, cauſas ſuis conſiliariis ſubdelegare non poſſent. *l. 5. Cod. de judic.* ſi autem eſſent delegati Imperatoris, à ſubdelegatis eſſet appellandum, *l. un. 6. qui pro ſua jurisdictione* quod ſecus eſt, nam à ſubdelegatis ad Cameram vel judicium aulicum appellatur.

Competit autem forum Auſtregarum non tantùm ſtatibus Imperii, ſed etiam aliis, qui immediatè Imperio ſubjecti ſunt, ut puta nobilibus immediatis, non tamen ſemper, quotiescunque conveniendi ſunt, ſed locum tantùm habent in quatuor caſibus. (1.) Quando Princeps vult convenire Principem: ubi Principis appellatio tam latè accipitur, ut comprehendat non tantùm Electores, aliosque Principes, tam Eccleſiaſticos quàm ſeculares; Sed etiam Marchiones, Landgravios, omnesque adeò quos Principibus accenſere in noſtro Imperio moris eſt. (2.) Quando Princeps vult convenire Prælatum, Comitem, Baronem, aut Nobilem immediatum. (3.) Quoties Princeps convenitur à quocunque inferiore, puta Comite, Prælato, Barone, Nobili, Civitate, ruſtico vel à propriis ſubditis (4.) Si Prælati, Comites, Barones & nobiles immediati ſe invicem convenire velint. Civitates autem Imperiales regulariter auſtregis deſtituuntur; & ideò ſi quis eum vult convenire,

re, facere illud debet immediatè in Camera, vel in judicio aulico, nisi Civitas illa convenienda vel privilegio, vel per præscriptionem singulares Austregarum Judices habeat, quemadmodum Eslinga judices primos habet consules, & senatum Ulmensem, Reutlingensem & Heilbrunnensem Reutlinga, Ulmam, Eslingam & Gemundam Suevorum: Norinberga, Windsheimium, & Weisenburgum am Nordgau: Ratisbona Augustam Vindelicorum, Noribergam & Ulmam. Comites quoque ac Prælati, Barones ac Nobiles immediati, vel à Civitatibus Imperialibus, aut provincialibus, vel quocunque mediato conveniendi, forum in prima statim instantia cessantibus Austregis sortiuntur, vel in Camera, vel in Judicio Aulico.

Patet hinc, privilegium hoc Austregarum non competere statibus Imperii, quà talibus, quia aliàs etiam Civitatibus competeret, ac Nobiles, Barones, Prælati, Comites à Mediatis conveniendi eodem foro gauderent. Modus Judices Austregarum constituendi, tum coram iisdem procedendi, variat in singulis casibus: Nam in primo casu unicus tantùm modus est constituendi: nimirum, ut Reus ab actore de administranda justitia requisitus, intra quatuor hebdomades ab insinuatione requisitionis computandus, quatuor denominet Principes regentes, duos ecclesiastici ordinis, totidemque seculares, ex quibus actor intra quatuor hebdomades à die nominationis accepta, proximus unum eligat Judicem Austregarum, eumque deinde utraque pars pro suscipienda causæ cognitione imploret. Neque in hoc primo casu permissum est, à Cæsare impetrare Commissarium; In secundo casu duo modi constituti sunt, ut vel reus três Principes non suspectos denominet, ex quibus unus ab actore eligatur; vel ab Imperatore Commissarii unus pluresque impetrentur.

Qui duo modi adhibendi quoque sunt in casu IV. in tertio verò casu octo modi præscripti sunt, *vid. ord. Cam. part. 2. tit. 2.* ex quibus actor unum potest eligere, sed tamen iidem illi duo modi, in secundo & quarto casu præscripti, & in hoc casu tertio potissimùm frequentantur. Modum procedendi coram Austregis tradere, non est hujus loci.

Illud hìc adnotandum, ab Austregis causas ad Cameram vel judicium aulicum devolvi, non solùm per viam appellationis, sed etiam pro-

pter protractam, aut denegatam justitiam: veluti si reus ab actore, eo quo par est modo requisitus, intra præscriptum tempus non administret justitiam, dum vel Principes nullos nominat, vel pauciores, quàm par est; aut si judices Austregarum intra annum liti finem non imponant.

Q. Si ab Austregis non sit appellatum, an executio sententiæ competat? R. eam vel ad jud. aulic. spectare, quia constitutio de austregis est stricti juris, & ideò ad executionem, de qua nulla ibi mentio, non est extendenda. *Dissert. Schuthart. de Austr. c. 6. n. 202. & seqq.* cujus argumentis respondet *Blum. Tit. 27. n. 204. & seqq.*

Hoffgericht zu Rothweil:) Institutum hoc judicium anno 1146. à Conrado III. Duce Sueviæ, qui in dissidio cum Lothario Saxone simul Imperator est Electus. Hunc Conradum Rothwilenses, cùm Lotharius eum bello persequeretur, in urbem receperunt, ac strenuè defenderunt. Pro quo beneficio, Conradus post obitum Lotharii, dignitate Cæsareâ potius, judicium aulicum perpetuum illi fundavit, jurisdictionemque concessit in iis locis, ubi hodie sunt circuli Austriacus, Suevicus, Franconicus, Rhenanus (: non tamen omnes horum circulorum partes ejus jurisdictioni sunt obnoxiæ:) quapropter in hoc judicio proscriptus sive Bannitus non habetur pro tali in aliis locis: Judicis autem officium Comiti Sulxensi feudi titulo concessit, De hoc judicio vehementer conquesti sunt status imperii, *vid. R. 1532. art. 4. R.* 1641. §. 93. & ideò in *instr. pac. art. 5. §. 55. in fin.* mentio injecta de eo penitus abolendo, sed cùm ea res videretur majoris momenti, ad proxima Comitia fuit remissa, quæ cùm Anno 1653. haberentur, ii, quorum interest, ne aboleatur hoc judicium, pro ejus conservatione magnoperè laborarunt, *vid. memorial. ap. Limn. tom. 5. in addit. ad lib. 9. c. 8.*

Quo factum, ut judicium illud hodieque perduret. Promittit tamen hic Imperator remedium præsentaneum contra ejus abusus, donec in proximis Comitiis certi quid de abolitione ejus statuatur.

Erlangten Exemptions **Privilegien:)** Contra judicium Rotwilense privilegiati sunt præter Austriacos Archiduces, & omnes Electores, multi alii status Imperii, eorumque subditi; *vid. Limn. tom. 4. in*

in addit. lib. 9. c. 3. Carolus quidem IV. Anno 1361. nec non Maxilianus I. Anno 1496. omnia privilegia contra judicium hoc, aliis indulta ab Imperatoribus, aut inposterum indulgenda, irrita pronunciarunt, sed hoc non obstante ea hic valere jubentur. Permittitur quoque libera facultas à sententiis in hoc judicio pronunciatis appellandi, vel ad judicium Imperatoris aulicum, vel ad Cameram Spirensem.

Als das Weingartische und andere Landgerichte in Schwaben:) Hoc judicium exercetur ab Archiducibus Austriæ in certo districtu Sueviæ, in Civitatibus Ravensburgo, Wanga, & Isnako, & in pago Altorffen, qui aliâs dicitur **Weingarten** vide **Kreydemann von des Teutschen Adels ꝛc. Staaten/ Standt und Ehren.** De quo abolendo similiter mentio injecta *instr. pac. art. 5. §. 55.* obstitere hactenus Austriaci, & anno 1658. scriptum vulgari curarunt titulo: **Kurtze doch gründliche** information **, auß was wichtigen und standthafftigen Uhrsachen / das Käyserliche Land-Gericht in Schwaben nicht** abolirt **/ noch dem hochlöblichen Ertz-Hauß Oesterreich / wider sein Uhralte erlangte und durch beständige übung hergebrachte treffliche Freyheiten der rechtlichen Außtrag halber nichts neues oder beschwerlichs zugemuhtet werde / kan und soll.**

Ubi non tantùm probare conantur multis rationibus, non posse hoc judicium abrogari; sed etiam, quòd ab eo non sit appellandum ad Cameram vel Judicium Imperatoris aulicum, eò quòd Archiduces Austriæ privilegio de non appellando illimitato gaudeant, *vid. Sprengeri jur. prud. publ. p. 57. & seq.* sed quod ultimum concernit, constitutum est hic contrarium, nimirum appellationes esse permittendas, quemadmodum etiam Camera Imperialis semper illas recepit.

Mandata cum & sine Clausula:) Mandata cum clausula appellantur, quibus adjecta est Clausula, quam justificatoriam vocant, per quam ei, cui aliquid mandatur, potestas relinquitur proponendi in termino præfixo rationes, si quas habet, quare non teneatur mandato parere. Reliqua mandata, quibus talis clausula non est annexa, appellantur madata sine clausula. *Mind. de mandat. c. 6. n. 1. & seqq. Blum. Process. Cam. Tit. 34. n. 11. & seqq. in R. 1654.* §. **benebenst sollen**

Cammer-Richter *105.* cautum legitur, neutrius generis mandata, ab imploratione ſubditorum adverſus Dominos territorii eſſe decernenda, antequam illi ſuper iſtis ſubditorum querelis audiantur, quod fit per literas, quas informationes vocant, germ: Information-Schreiben / idem hic repetitum, ut Lectori hinc pateat, Status Imperii in ſuis ditionibus omnia penè jura ſummi Imperii uſurpare, ſubditisque ſuis pro lubitu imperare. In quibus autem caſibus mandata cum clauſula vel ſine clauſula locum habeant, docent authores paulò antè citati; quibus add. Gail. lib. 1. obſ. 13. & ſeqq.

Ad ARTICULUM XIX.

Conſtituitur hic (1.) Ne quid annatis reſcriptis, diſpenſationibus, reſignationibus aliisque technis curiæ Romanæ fiat contra concordata nationis Germanicæ (2.) Ne cauſæ Civiles à judiciis competentibus trahantur, vel ad nuncios Apoſtolicos vel ad curiam Romanam (3.) Cautela ſubjungitur, ne diſpoſitio hujus articuli fraudi ſit proteſtantibus, ſed accipiatur ſalva pace prophana pariter, ac religioſa nec non Weſtphalica.

Wider Concordata:) Intelliguntur ea pacta, quæ Anno 1445. inter Fridericum III. cum paucis Eccleſiaſticis Principibus; & Nicolaum V. Pontificem inita ſunt, de conceſſione beneficiorum Eccleſiaſticorum, quam cùm Pontifices ad ſe trahere conarentur, ingentes indè per Germaniam orti ſunt motus ac bella cruentiſſima. Sed ea res altiùs repetenda eſt.

Imperatores Germanici usque ad Henricum IV. uſurpaverant jus eligendi Epiſcopos, neque id injuria (1.) propter curam ſacrorum, quæ majeſtati civili ex vera proteſtantium ſententia competit. (2.) Quia omnes Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus ab Imperatoribus ſunt inſtituti, & [3.] gaudent hodieque jure hoc conſtituendi Epiſcopos, Rex Galliæ, Poloniæ, Hiſpaniæ: Nam Hadrianus VI. Carolo V. cujus Præceptor fuerat, ejusque ſucceſſoribus in Regno Hiſpaniæ illud conceſſit. Fiebat autem iſta Epiſcoporum inveſtitura per traditio-

tionem annuli & baculi seu pedi Episcopalis, quod alii ferulam, alii virgam, vel etiam Cambucam pastoralem appellant. Germ: Bischoffs-Stab vel Krumbestab. Hinc feuda Ecclesiastica regalia appellantur Krumbestabs-Lehen. Nam successu temporis non tantùm dignitas Ecclesiastica, sed etiam secularis, unà cum regalibus per investituram ipsis sunt concessa. Prima lis ea de re à Pontifice mota fuit Henrico IV. Cujus successor Henricus V. turbis iis fessus tandem anno 1122. in Comitiis Wormatiensibus huic juri renunciavit, quod per tot annos non modò parens ipsius, sed & ipse magno Imperii dispendio propugnaverat. Ego Henricus, inquit, Imperator, dimitto omnem Investituram per baculum & annulum, & concedo in omnibus Ecclesiis, quæ in Regno, vel Imperio meo sunt, canonicam fieri Electionem, & liberam consecrationem. Canonica Electio ea tempestate dicebatur, quæ fiebat à Clero & plebe, cujus decretum indè dicebatur canonicum. Consecratio autem & confirmatio penes Metrapolitanos erat. Sed post Friderici II. obitum, durante illo interregno confirmatio Romæ interdum peti cœpit, quod paulatim per universam Germaniam invaluit.

Hac renunciatione quantum detrimenti authoritas Cæsarea passa sit, dici vix potest. Notatu digna sunt verba in eam rem Conringii *Disp. de Constit. Episcop.* per Germaniam: Recessit inquit, ex aula omnis illa beneficia Ecclesiastica expectantium turba, uti Imperatores magnam suæ potestatis fecerunt jacturam, tot Comitatibus & Ducatibus Imperii vel purè Hæreditariis factis, vel in feudum Hæreditarium datis, ita non minor hæc jactura fuit jure constituendorum Episcoporum abdicato. Omnes enim uno ore tradunt magnam hoc ipso Imperatorem, & authoritatis suæ & roboris Imperii fecisse jacturam. Imò Onuphrius Panvinius & Paulus Æmilius dimidium Potestatis Cæsareæ commissum esse docent. Hactenus *Conringius loc. cit. th. 55.* Quid autem Imperatori remanserit Potestatis circa constitutionem Episcoporum, constare, potest ex verbis Calixti Pontificis: Concedo, inquit, Electiones Episcoporum, & Abbatum Teutonici Regni, qui ad regnum pertinent in præsentia tua (Imperatorem alloquitur) fieri, absque Simonia, & aliqua violentia, ut si qua inter

ter partes discordia emerserit, Metropolitani, & Provincialium concilio vel judicio sanciori parti adsensum & auxilium præbeas. Electus autem regalia per sceptrum à te recipiat. Ex quibus verbis Pontificis apparet præter collationem regalium, etiam hoc relictum fuisse Imperatori, ut dissensione orta inter eligentes is esset Episcopus, cui Imperator accessisset, quo jure etiam usi sunt Imperatores usque ad tempora Friderici II. Collatio autem Regalium ab Imperatore fiebat per sceptrum, hinc feuda Regalia Ecclesiastica dicuntur Germ. Zepterlehen / quemadmodum feuda Regalia secularia appellantur Fanlehen/ quamvis neque illa per sceptrum, neque hæc per vexillum conferre ampliùs moris sit. Conferuntur enim hodie utriusque generis feuda regalia ab Imperatore per gladium, cujus capulo osculum infigant Vasalli. Quamvis autem in conventione Henrici V. cum Pontifice expressum esset, ut deinceps Electio Episcoporum esset penes Clerum & populum, tamen sub initium seculi XIII. Canonici Ecclesiarum Cathedralium electionem sibi sólis vindicare cœperunt, connivente sine dubio Pontifice. Atque ex eo tempore intumescebant Canonici jam liberam Electionem nacti, Sperabat sibi quisque & amicis & infinita ambitione contendebant pro Episcopatu *Cranx. in Metropol. lib. 6. c. 12.* Atque sic paulatim factum, ut ferè non nisi nobiles ad illos Canonicatus admitterentur. Quod quidem limitatum est *in instr. pac. art. 5. §. 167.* Sed illa limitatio non observatur. Hodie itaque Episcopi in Germania ut plurimùm eliguntur à Canonicis, confirmantur à Pontifice, & regalia accipiunt ab Imperatore.

Aliàs Episcopi constituuntur vel Electione, vel postulatione, vel collatione sive provisione, quæ fit à solo Pontifice. Electio fit à Canonicis tribus modis. (1.) Per inspirationem, cum nullo præcedente tractatu, quasi divini Spiritus impulsu simul omnes in unum repentè consentiunt, & simul unum nominant. (2.) Per Scrutinium, cum præsentibus omnibus eligendi facultatem habentibus, tres de Collegio fide digni assumuntur, qui secretè & singillatim vota cunctorum diligenter inquirunt, & demum in scripturam redacta publicant. Hic modus omnium usitatissimus est. (3.) Per Compromissum, cùm plures idonei viri eliguntur, in quos omnium vice eligendi certo modo facultas conceditur.

Postu-

Postulatio priori Ecclesiæ incognita, sequiori ævo in fraudem legis inventa est; & nihil est aliud quàm simplex & Concors capituli apud superiorem petitio, ut Episcopi locum teneat is, qui ob defectum canonicum eligi non potest, veluti si sit minorennis, Laicus &c. Hinc dicunt Pontificii Lutheranos non posse eligi Episcopos, posse tamen postulari, cujus rei multa extant exempla antequàm instrumentum pacis conficeretur. Collatio, quæ fit à Pontifice, cœpit sub Friderico II. Imperatore. Eo enim tempore inconsultis iis, penes quos eligendi potestas erat, obtrudere Ecclesiis Episcopos cœperunt Pontifices, non contenti hoc jus per summum nefas extorsisse Imperatoribus, nisi illud ad se traherent. Quæ res iterum ingentes dedit in Germania turbas, cùm non rarò alium eligerent Episcopum Capitulares Ecclesiæ Cathedralis, alium Roma submitteret Pontifex multis munitum bullis, quibus refragari nefas imò piaculum habeatur.

Igitur seculo demum XV. Anno 1447. inter Fridericum III. & Nicolaum V. Papam de constituendis, eligendis, & confirmandis Episcopis, nec non de concedēdis reliquis beneficiis Ecclesiasticis nova inita est pactio, quæ vocari solet Concordata nationis Germaniæ. Quanquam falso toti nationi imputentur, utpote inter Fridericum III. cum paucis Ecclesiasticis Principibus, & Nicolaum V. solummodo confecta. *Goldast. in rational. constit. Imperial. pag. 117.* Quanquā ista ita invaluerint, ut pro approbatis ab omnibus haberi possint.

Et ideò mentio eorum fit in omnibus Capitulationibus, nec non in ordinatione Imperialis judicii aulici Ferdinandi I. Matthiæ, & Ferdinandi III. in fin. varias eorum esse editiones monet *Besoldus thes. pr. 116.* concordata ea quæ Limnæus mantissæ loco Capitul. (eademconcordata notis illustrata, unà cum confirmatione Clementis VII. Anno 1534. & Georgii XIII. Anno 1576. institutionibus juris Canonici subjunxit *Canisius*: Agit etiam de hisce concordatis *Conring: de Constit. Episc. per Germ. th. 65. Spreng: jurispr. publ. pag. 201.*) Carol. V. adjecit, desumpta est ex *Goldast. tract. Stat: & Rescriptor. Imperial.* Summa concordatorum hæc est: Pontifex menses totius anni æqualiter cum collatoribus ordinariis partitur, ita ut, si beneficium Ecclesiasticum vacare contingat mense

menſe Januario, Martio, Majo. Julio, Septembri & Novembri, Pontifex ea conferat; ſin reliquis menſibus, collationi ordinarii ſubjaceant. Excipiuntur tamen (1.) complura beneficia Eccleſiaſtica, quæ collationi Pontificis reſervata ſunt, quocunque menſe ea vacare contingat, veluti Eccleſiæ patriarchiales, Archiepiſcopales, Epiſcopales, Monaſteria, Prioratus & in univerſum omnia beneficia apud Sedem Apoſtolicam vacantia in Curia Romanâ. (2.) Beneficia officialium; (3) Beneficia Cardinalium. (4.) Beneficia eorum, qui à Pontifice ad majores dignitates Eccleſiaſticas ſunt promoti, &c. Ex adverſo Menſes Papales in quibus beneficiis Eccleſiaſticis non habent locum, ſed reſervata ea ſunt ordinariis collationibus quocunque menſe vacare incipiant, cujuſmodi ſunt, majores Dignitates poſt Pontificiales in Cathedralibus, & principales in collegiatis Eccleſiis, nec non Eccleſiæ Archiepiſcopales & Epiſcopales, quæ non ſunt immediatè ſubjectæ Pontifici; itemque Monaſteria ſive ſint mediatæ ſive immediatæ.

Cæterùm hæc pacta Romana Curia nunquam obſervavit, ſed variis potiùs artibus & fraudibus eludere conata eſt, quarum non nullæ hic enumerantur. Et ideò in omnibus Capitulationibus cautum reperitur, Imperatorem daturum operam, ne vis fiat iſtis concordatis cum detrimento vel Eccleſiæ vel Reipublicæ.

Mit unförmlichen Gratien:) Promiſit Papa in *Concordatis* §.3. quòd in menſibus non papalibus ordinarios collatores gratiis expectativis nolit impedire. Sed hoc non ſervant ejus ſucceſſores: Puto gratias informes hic dici, quando Pontifex alicui concedit gratiam expectativam in beneficio, cujus collatio ad eum non pertinet, veluti ſi Expectativa conceſſa ſit ſimpliciter in beneficio, in cujus collatione menſes, Papa cum ordinariis Collatoribus dividit, idque vacare contingat menſe non papali, Papa tamen eum, cui expectativam conceſſit, ſuccedere velit.

Annaten:) Qui in locum demortui Epiſcopi, aut Abbatis ſufficitur. Pontifici Romano fructus unius anni perſolvere tenetur. Hoc vectigal barbaro vocabulo annatam appellant. Originem alii ad Johannem XII. alii ad Bonifacium XI, referunt. Dionyſius Gothofre-

fredus observat haud alibi apertiùs in Jure Civili ostendi originem Annatarum, quàm in *Nov. 123. c. 26.* ibi: Sed neque Clericum cujuscunque gradus &c. *vid. quæ ibi notat Gothofr: Sleidan. lib. 4. de Stat. relig.* & Reipubl. ex aliis tradit titulum Annatarum fuisse speciosum, nimirum, ut in bellum contra Saracenos ac Turcas semper esset paratus Thesaurus. Hinc in Comitiis Anno 1522. Carol. V. in epist. ad Hadrianum VI. Annatas non ulterius Romam exportari, sed imperii necessitatem reservari, postulabat. Idem in iisdem Comitiis fecere ordines Imperii, de annatis coram nuncio Pontificis graviter conquesti: **daß die Annaten zu nichts anders dann zu Widerstandt der Türcken gebraucht werden sollen.** Quod quia non factum, opus fuisse ad bellum Turcium novis Tributis, petere itaque se, ut patiatur Pontifex Annatas fisco Cæsareo inferri. Hortlederus Tom. 1. c. 1. n. 25. In concordatis nationis Germanicæ. c. 4. de annatis conventum, ne sint nimiæ, Ecclesiamque onereut, ne solvantur de beneficiis minoribus. Quemadmodum Pontifex non servat. Evangelici ab Annatis sint immunes. *Instr. pac. art. 5. §. 29.* De Annatis plura legi possunt apud *Limn. in notis ad Capit. Caroli. V. art. 26. Strauch. exercit. Exoter. 5. th. 17. & seqq.*

Mit Mannigfaltigung und Erhöhung der officien **am Römischen Hoff:)** Propter nova officia, & novas Pontificum familiares auctas nimium quantum Annatas conqueruntur Status Imperii in remediis contra gravamina nationis Germanicæ anno 1510. apud *Goldast. Tom. 2. Constit. Imperial. p. 120.*

Auch reservation:) scil. beneficiorum per solum Pontificem conferendorum, quibus semper sese opposuere Germani. *In Instr. pac.* cautum reservationes istas quoad protestantes debere esse suspensas. *d. art. 5. §. 19.*

Dispensation:) Notat *Limn. ad art. 16. Capitul. Carol. V.* Hunc titulum esse Pontifici instar perpetuæ auri argentique fodinæ, in qua tamen ferè soli ditiores laborant feliciter. Nam in taxa Romana *rubr. d. matrim. conf.* statuitur, non esse dispensandum cum pauperibus, eò quòd non habeantur unde satisfaciant taxæ ordinariæ.

Präbenden:) Præbendam definit *Lampad. de Republ. Romano.*

 Ger-

Germanica part. 3. c. 11. §. *44.* quòd ſit jus percipiendi proventus Eccleſiaſticos, ex canonicatu deſcendens.

Canonicatum & præbendam ita differre dicit, quòd præbenda ſit jus jam exiſtens percipiendorum fructuum, Canonicatus verò ſeu Canonia jus potentiale; hinc qui canonicatum habet, dicitur habere præbendam exſpectativam. Unde Canonia ſine præbenda poteſt; præbenda ſine Canonia conſiſtere non poteſt. Utrùm autem Canonici non initiati ordininibus ſacris vitæ genus verè Eccleſiaſticum, an verò merè politicum vivant, tractari poteſt? Et verius eſt, eſſe merè politicos, quod & *Lampadio placuit d. c. in fin.* quia nulla munia Eccleſiaſtica docendo, & ſacramenta adminiſtrando obeant. Diſſ. quantum memini *Conringius in ſuis prælect.* ad iſtum locum Lampad. (1.) quòd ſacri quoque muneris ſit Pſallere conſtitutis horis, & preces publicas Deo fundere, quemadmodum Rex David Cantores in ordinem ſacrum adoptaſſe legitur. (2.) Curam ſacrorum, & rerum Eccleſiaſticarum directionem à ſacris muneribus non poſſe ſeparari. Quoniam a. præterea adhibentur. Canonici ad partem Curarum & regiminis politici à ſuis Epiſcopis, concludit *Conring.* duplici eos officio fungi, civili, & Eccleſiaſtico; ſed Reſpond. ad (1,) Pſallere & preces ad Deum fundere non pertinere ad ſolos ſacerdotes; ſed omnibus Chriſtianis ab Apoſtolo eſſe præceptum. Canonicos præterea hanc curam vicariis ſuis maximam partem commiſiſſe. Ad (2.) Curam ſacrorum competere majeſtati Civili, ex ipſius Conringii ſententia, nemo tamen propterea ei, qui ſummum in Republ. habet Imperium perſonam Eccleſiaſticam tribuit.

Juris patronatus:) Jus patronatus eſt jus nominandi, vel præſentandi aliquem ad officium, vel beneficium Eccleſiaſticum vocans, propter fundationem, ædificationem, vel congruam Eccleſiæ dotationem competens. vid. *Extr. de jur. patron. & in Inſtit. Lancellot. lib. 1. tit. 28.* Hoc jus exercetur etiam inter proteſtantes (: differendi quomodo hoc jus in Belgio à nonnullis Theologis oppugnetur:)

Gehabter Handlung zu Augſpurg in dem 1530. Jahr:) *vid. R. 1530.* §. als auß teutſcher *nation 132.*

Cauſæ Civiles:) Eæ hic non opponuntur cauſis criminalibus, ut

aliàs fit, ſed opponuntur cauſis, quas vocant, Eccleſiaſticis, cujusmodi ſunt matrimoniales &c. Cavetur autem hic, ne tales cauſæ civiles, quæ non ſunt Eccleſiaſticæ, trahantur ad nuncios Apoſtolicos aut curiam Romanam. *In Capitulat. Ferdin. IV.* incipit hic novus articulus, nimirum XVII. in prioribus Capitulationibus nihil hac de re diſpoſitum.

Ad nuncios Apoſtolicos:) Legati, quos Papa mittit, ſunt vel Cardinales vel non Cardinales, Cardinales hoc munere fungentes vocantur legati à latere, ut pote à latere Pontificis, cui Cardinales adſiſtunt, cum ampliſſima poteſtate miſſi: Non Cardinales vocantur Nuncii Apoſtolici: quicquid enim facit Papa, id omne ſe facere dicit Authorirate Apoſtolica. Priores majorem habent Poteſtatem & beneficia conferre poſſunt, poſteriores non poſſunt. *c. 1. de offic. Legat. m. 6.* Sunt tamen quædam Pontifici reſervata, quæ legati à latere exercere non poſſunt; veluti transferre Epiſcopatus, vel duos Epiſcopatus unire. *vid. c. 13. de offic. Legat. Extrao. Comm. 3. de pœnitent.* Interdum Pontifex Nunciis parem poteſtatem concedit cum legatis à latere, atque tum appellantur Nuncii cum Poteſtate legati à latere. Legati non Cardinales vel expreſsè miſſi ſunt, vel nati, qui ſc. ratione Eccleſiarum ſuarum legationem Apoſtolicam habent, ſicut in Anglia Archiepiſcopatus Cantravienſis olim, cum illo regno adhuc in uſu erat religio Pontificia, fuit legatus natus. *c. 1. de offic. legat.* Et adhuc Archiepiſcopatus Guesnenſis eadem in ſuis terris prærogativâ gaudent. Habent autem Nuncii tam Apoſtolici, quàm Lagati à latere juriſdictionem ordinariam, atque in eo differunt à reliquis legatis: Pontifex enim juriſdictionem ſuam ſemper magis, magisque proferre conatur, quæ res anſam ſuppeditavit diſpoſitioni noſtri §. 1.

AD
ARTICULUM XX.

(1.) PRohibet magnas mercatorum ſocietates, quibus ſcopus monopolii exercendi propoſitus eſt, & ne Imperator cuiquam monopolii privilegium concedat. (2.) promittit remedium contra

prohibitionem, quâ merces in Germania alibi factæ vetantur importari in circulum Burgundicum.

Die grosse Gesellschafften/und Kauffgewerbs-Leut:) Non prohibentur hic omnes mercatorum societates; Sed illæ tantùm, quæ sunt detrimentosæ Imperio, quando sc. illicitis conventionibus conjurant aut paciscuntur mercatores, ne minoris, quàm inter se statuerint, merces vendantur, *l. un. c. de monopol.* Qua de re omninò legendus est *R. 1512.* **Zu Trier und Cölln auffgericht** *art. III.* §. **und nachdem etwa** *19. & seqq.* unde lucem accipit noster articulus.

Monopolien:) Monopolia jure Civili sunt prohibita *l. un. C. de Monopol.* idque sub pœna exilii & publicationis omnium bonorum. Eadem prohibitio repetita *R. Spir. 1526.* §. *item* **nachdem** *26. R. Spirens. 1529.* §. *item* **nachdem** *34. Reform. politic. 1548. Tit. 8. Reform. polit. 1577. Tit. 18. scribit* autem *Grotius lib. 2. c. 12. n. 16.* non omnia monopolia cum jure naturæ pugnare, veluti si à summa potestate justis de causis permittantur. Solet enim nonnunquam in Republ. uni, certisve hominibus jus vendendæ certæ mercis à summa potestate concedi sub onere vectigalis; quod uti ad augendum ærarium facit, ita num juri naturæ conveniens sit, Grotius viderit. In Germania tale privilegium sine Electorum consensu concedi nemini potest. hic Monopolia autem fortuita justa esse ac licita nemo ambigit.

In prohibendis monopoliis magnoperè cavendum, ne quid indè detrimenti capiant commercia, quæ nisi libera sint, exerceri commodè non possunt.

Verbottene Einfuhr und Verhandlung frembder Manufactur**en:)** Quia circulus Burgundicus vult esse circulus & membrum Imperii Germanici, per ea quæ in superioribus hac de re tradita sunt, absonum ab omni est ratione, ut prohibitio de non importandis in illum circulum mercibus extraneis, extendatur ad merces in Imperio Germanico factas. Et ideò Imperator eam se abrogaturum promittit *per Recess. Imperii anni 1548.* hîc intelligitur transactio Burgundica inter Carolum V. & Status Imperii de hisce provinciis inita (vide supra) in fin. hujus art. adnotandum venit exemplum juris retor-

torsionis (NB. locus hic monet disserere quibus rebus aliunde importandis Germania egeat, quas vicissim aliis communicare possit; nec non de commoditate exercendorum commerciorum:)

AD

ARTICULUM XXI.

NOn debet Imperator cuiquam privilegium novi vectigalis erigendi, aut antiqui augendi concedere, nisi (1.) vicini quorum interest câ super re sint auditi; & (2.) omnes & singuli Electores ita unanimiter consentiant, ut ne unus quidem refragetur. (3) Neque permittere debet, ut alii, qui appellatione Telonii non utuntur, sub imagine juris stapulæ, aut quocunque colore, mercaturam aut navigationem impediant. (4.) Antiqua tamen Teloniorum privilegia legitimè ab Imperatoribus concessa Electoribus, aliisque statibus conservet, atque confirmet. (5.) Qui verò absque authoritate Cæsaris, & unanimi Electorum consensu vel nova vectigalia instituunt, vel antiqua augent, mandatis sine clausula, aliisque juris remediis coërceantur.

Zu Wasser und zu Land/zum höchsten damit beschweret:) Habet Germania pauca tantùm flumina novigabilia, sed teloniis ubique nimium quantum onerata cum maximo commerciorum damno. In Visurgi supra Bremam spacio 27. milliar. viginti sex diversa numerantur vectigalia. Nec pauciora in fluvio Rheno.

Daß keines Churfürsten Widerred oder dissens **dargegen:**) Notetur hic, quòd Electorum consensus in quibusdam Imperii negotiis diversimodè sit necessarius. Interdum opus est consensu collegiali, ut in fœderibus faciendis, *art. 10. hujus capit.* interdum sufficit si Imperator istum consensum impetret per literas, vel legatos, ut cùm indicenda sunt Comitia *art. 17. hujus capit.* Interdum verò unanimis omnium requiritur Electorum consensus, ut nec unus quidem dissentiat, ut cùm vel nova concedenda sunt vectigalia, vel antiquitus concessa augenda.

Staffel-Gerechtigkeit:) Stapula est forum seu locus publi-

 cus

cus in urbe aliqua designatus, quo vina, frumenta, aliæque merces exoticæ convehuntur, vendendi causa. Jus itaque stapulæ (Staffel-Gerechtigkeit) sive jus Emporii est, quando negotiatores aliquam civitatem transeuntes, vel prætereuntes, coguntur ibidem merces suas per aliquod tempus in unum empturientium venum exponere, antequam aliò eas possint transferre. Elapso verò illo tempore, si emptorem non reperierint, soluto Reip. vectigali, libere possunt abire, & merces suas aliò transportare. Hoc jure in Rheno gaudent Colonia, Moguntina, Spira, in Visurgi Brema, in Albi Hamburgum, Magdeburgum, in Danubio, Ratisbona, Ingolstadium, Passavium. Quanquam autem hoc jus Stapulæ iniquum videri queat; cùm nemo cogendus sit, ut hoc vel illo loco merces suas exponat, sit etiam quodammodo inimicum libertati commerciorum, tamen maximè facit ad augmentum illius civitatis, cui id privilegium competit. Solet autem hoc jus esse restrictum ad certas tantummodo merces, quæ proindè dicuntur Staffelbahre Güter / quibus contrà distinguuntur die Meß-Güter / ad quas hoc privilegium non est extendendum. A jure Stapulæ diversum est jus Geranii Kran-Recht / quo non impeditur transitus aut navigatio, sed utilitati vectigalium prospicitur, & fraudes circa mensuras & pondera præcaventur. De utroque jure vide *Knipschildt de jurib. ac privil. civit. Imperial. lib. 5. c. 22. num. 37. & seqq. Klock. de contribut. c. 1. num. 272. de jure Stapul. Besold. Consil. 3. Decad. I. ac in thesaur. pract. V.* Stapulæ jus. *Speidel. in notabil. lit. S. Wechner. in observat. pract. h. v.*

Electorum consensus per pacta:) Olim itaque Imperator sine Electorum consensu privilegia vectigalium erigendorum potuit concedere, sed per Capitulationes requiritur consensus Electorum olim quidem collegialis Capit. Ferdinandi III. art. 20. *vid. Klock. de jure vectig.* hodie, ut paulo ante dictum, unanimis eorum requiritur consensus, ita ut ne unus quidem contradicat, & præterea audiendi quoque sunt vicini quorum interest.

Ad

Ad
ARTICULUM XXII.

QUæ superiori articulo de Teloniis dicta sunt, hic extenduntur ad ea, quæ nomine accisiorum, juris fori, portarum, pontium &c. à peregrinis exiguntur, dico à peregrinis. Nam à subditis talia capere statibus Imperii prohibitum non est.

Sich und die Seinige solcher beschwerden:) Status Imperii, ut dictum art. præced, non possunt in suis ditionibus, in præjudicium peregrinorum, qui non sunt ipsis subjecti, nova vectigalia instituere, nec cætera augere: Et ne quid tale fiat, curare jubentur præfecti sive Præfecti circulorum R. 1576. §. **Weiters** 1.6. & seq. Sed cùm hoc remedium parùm hactenus profecerit, ac nihilominus nonnulli status auctionem vectigalium variis prætextibus instituerint, ideo hic conceditur, **daß einem jeden Standt erlaubt seyn soll / sich und die Seinigen von solcher Beschwerden / so gut er kan / zu erledigen und zu befreyen.**

Ad
ARTICULUM XXIII.

HIc articulus planus est ac perspicuus. Quæ ab initio ibidem proponuntur, Electorum favorem respiciunt. Ex quo enim Electorum consensus ad concessionem novorum vectigalium, aut veterum auctionē necessarius fuit, illi nunquàm ferè consensere, nisi sub hac conditione, ut ipsi eorum ministri ac subditi ab istis teloniis essent immunes, eoque nomine ab iis, qui telonia impetrarunt, literæ, quas reversales vocant, Electoribus traderentur. Proinde hic cautum, ut (1.) qui tales literas reversales nondum dederunt, seriò ab Imperatore eo nomine moneantur, neq; inposterum teloniorum concessiones expediantur, antequàm tales literæ Electoribus traditæ sint. (2.) Imperator per Directores circulorum diligenter inquirat in omnia vectigalia, deinde super eorum abrogatione cum Electoribus consilia sua communicet. (3.) Nemini pro concessione novi vectigalis aut auctione antiqui supplicanti literas

pro-

promotoriales concedat, nec permittat ut in flumine Rheno aut alibi aliquid fiat, quo usus commerciorum impediatur, aut quod Electoribus Rheni sit detrimento.

Ad ARTICULUM XXIV.

CAutum articulo primo hujus capitul. in concessione novorum teloniorum cavendum cumprimis esse, ne per illam Electorum aliorumque statuum privilegia, antiquitus super teloniis acquisita, diminuantur, ideò hic constituitur in quæstione, utrùm per ista nova telonia aliis concessa, Electorum privilegiis factum sit præjudicium, Electores activè ac passivè forum sortiri in Camera Imperiali, sed tantùm in judicio Imperatoris aulico, adeò ut etiam processus ea super re in judicio Spirensi pendentes, indè sint ad judicium aulicum avocandi.

Demnach dann solcher Zoll Regal- **und** privilegia, **allein von Römischen Käysern:**) Ratio, quare disceptationes litium super concessione privilegiorum Telonii exortæ in solo judicio aulico sint ventilandæ, hæc redditur, quia illa privilegia ab Imperatoribus adhibito Electorum consensu conceduntur. E. solus quoque Imperator exclusa Camera Spirensi in controversiis iis Judex esse competens debet. Quæ tamen ratio non videtur esse sufficiens utpote, quæ in aliis casibus non procedit. Etenim quamvis super violatione privilegii Cæsarei solus Imperator, qui privilegium dedit, sit judex competens, quoties de viribus privilegii disputatur aut agitur ad pœnas privilegio insertas tamen cum Imperatore ejusve judicio aulico concurrentem jurisdictionem habet Camera Spirensis *Gail. 1. c. 1. n. 7.* neque illud procedit, quando alter contendit ista privilegii concessione jus suum esse læsum; quo casu cognitio ad ordinarium spectatur judicem *Gail. dict. l. n. 13. Gylmann. voc. Iurisdictio Cameræ §. pen.* Casus itaque, de quo loquitur noster paragraphus, planè est singularis in favorem Electorum introductus, neque ex generali ratione hic assignata fluit.

An unsern Käyserl. Reichs-Hoff-Raht avociren:) Quoniam Camera concurrentem in plerisque causis jurisdictionem habet

habet cum judicio imperiali aulico fit ut locus sit præventioni. Et ideò non potest Imperator causam in judicio Spirensi pendentem indè ad judicium aulicum avocare *concept. renov. ordin. Cam. p. 2. tit. pen. R. 1654.* §. Ebenmässig 166. *art. 26. hujus capit. vid. art. 42. hujus capit.* cujus regulæ exceptio hic traditur.

Ad
ARTICUL. XXV.

IMperator nemini exemptionem à Teloniis Electorum concedat, concessam abroget.

Die Churfürsten 2c. an dero habenden Zöllen:) Scribit *Aventinus Annal.* & Peucer. in vita Caroli, Carolum IV. jure pignoris concessisse Electoribus Telonia, quòd centena millia aureorum singulis Electoribus pro Electo filio Wenceslao promissa exsolvere nequiret, & ideo *Hippolitus de ratione status p. 3. c. 3. s. 2.* pro malæ fidei possessoribus Electores infamat, qui jure meritóque ea debeant Imperio restituere; Quid consilii *Limn.* hac de re suggerat, *vid. not. ejus ad Capit.* Caroli V. art. 25. § 281. Mihi omnis hac de re disputatio planè videtur supervacanea, cùm quia omnes oppignorationes imperiales statibus sunt confirmatæ, art. 3. hujus capit; tum quia Electores vix patientur sibi talibus ratiunculis persuaderi, ut tam opimum bolum tam diu possessum ultrò restituant, nec è re sit Imperii bellum propterea adversus eos suscipere.

Ad
ARTICUL. XXVI.

QUæ hoc articulo continentur ad art. 27. sunt exposita. Dicitur enim hic, si quis Electorum, aliorumque Imperii statuum, aut Nobilium, alium propter violationem suorum privilegiorum regalium, immunitatum, aliorumq; jurium in Camera Spirensi in jus vocavit, non debere Imperatorem causam illam indè avocare, nec executionē sententiarum, ibidem pronunciatarum impedire. Exceptionem suggerit art. 24. hujus Capitul.

AD
ARTICUL. XXVII.

QUando Vasallus vel subditus alicujus status Imperii feudum suum, vel etiam bona allodialia propter crimen læsæ Majestatis aut aliud delictum amisit, non debeat illa applicari fisco Cæsareo, sed relinquenda sunt liberrimæ dispositioni Domini territorii, qui jure fisci gaudet. Est autem hoc ita primum constitutum in Capitul: Ferdinandi III, cui rei occasionem dedit Ferdinandus II. qui cùm in animo haberet subjugare Germaniam, suasu Ministrorum alienis bonis inhiantium, adeò proclivis fuit ad bonorum publicationem, ut ne innocentibus parceretur. Et ideò opposuerunt se Electores in conventu Ratisbonensi Anno 1630. literis die 12. Augusti scriptis. Es wollen die hochlöbliche Churfürsten/und die Churfürstliche Herrn Abgesandten nicht verhoffen/ könten sich auch darzu nicht verstehen / daß derjenigen Ständen des Reichs/ so mit dem Käyserl. Fisco belehnet/in desen Nutzbarkeiten viel weniger den Churfürsten in crimine læsæ Majestatis, an würcklicher Bestraffung Ihrer ungemittelten Unterthanen und Landsassen einiger Eingriff/ den Rechten und Reichs abschieden auch Ihr Käyserl. Majestät selbst eignen Avocatoriis zu wider bestehe / zumahlen weil eben der jenige Fiscus dessen l. quisquis meldung thut / den Ständen gleich andern hohen Regalien und Obrigkeitlichen Rechten gäntzlich/ und privativè einiger Arten übergeben: vid. *Limn. ad Capit. Ferdinandi III. p. 711. &* 756. Ne itaque successores Ferdinandi similia molirentur, cavendum hoc modo rati sunt Electores.

Mit ihren angehörigen Lehen / die seyn gelegen wo sie wollen:) multi enim status feuda habent extra territorium sita.

Ex crimine læsæ Majestatis:) Quomodo crimen læsæ Majestatis committatur, item an hoc crimen committi possit etiam adversus Electores, quod quidem plerique affirmant per *A. B. c. 24.* quamque alii ibi dicant, crimen læsæ Majestatis non esse commissum in Electores, sed imperium & Imperatorem, cujus membra sunt Electores, non est hujus loci tradere factum illud plena manu à *Dd. ad Tit. ff. & C. ad*

leg.

leg. jur. Majest. vid. etiam Limnæum *in addit. ad lib. 3. jur. publ. c. 2. n. 3.* **Dieterichs** *not. ad A. B. c. 24.* Hic saltem adnotandum, propter hoc crimen hodieque omnia bona amitti. *l. 5. quisquis. C. ad leg. Iul. Majest. Auth. bona damnatorum C. de bonis præser.* **P. H. O.** *art. pen.* idque etiam fit in illis delictis, ob quæ quis banno Imperii percutitur.

Nach ihnen vorige oder andere Vasallen **auffdringen:)** Postquam semel propter delictum Vasalli pleno jure feudum ad Dominum rediit, potest si velit dominus illud vel retinere, vel pro lubitu concedere. Neque potest Imperator ipsi vel priorem Vasallum, cui delicti gratiam fecit, vel alium invito obtrudere.

Die Allodial **güter:)** Hæc contradistinguuntur bonis feudalibus, in vocabuli originem diligenter inquirat Limnæus ad Capit. Ferdinandi III. p. 713.

Sonsten vorgesetzter Maasen:) Non tantùm propter crimen læsæ Majestatis; sed ob alia quoque delicta bona reorum publicantur. Septuaginta duos casus recenset *Chasmæus ad Consuetud. Burgund. rubr. 2. vers. 1. n. 19. & seqq.* sexaginta septem *Dauhudenius pract. Crim. c. 66.* largus nimium uterque.

Denen mit den juribus fisci **Belehnten:)** Hic observatur, status Imperii habere jus fisci per investituram vel præscriptione acquisitum, quo ipso non excluduntur alii modi jus hoc aquirendi.

AD

ARTICUL. XXVIII.

NEmo ab Imperarore est proscribendus, sive in bannum Imperii declarandus (1.) sine sufficiente causa, (2.) Inauditus, (3.) Citra Electorum, qui facti non sunt participes, consilio & consensu. Locus hic monet paucis differere de controversia, quis in causis Principum, quæ sc. concernunt eorum vitam & bona feudalia, judex sit competens. Monumenta antiqua excutientibus manifestum fit usque ad tempora Maximiliani I. nunquam causas fuisse decisas à *solo* Imperatore, sed adhibitos simul quosdam ex proceribus Imperii. Atque hoc judicium appellatum fuit **das Fürsten Recht** / ubi Præses ipse Imperator.

tor. Assessores soli Principes Germaniæ, id quod multis in medium allatis exemplis probat *Conring. disput. de judic. Reipubl. Germ. th. 48. & seqq.* nec non *Hyppolitus à lapide dissert. de rat. stat. part. 1. c. 10. sect. 2. & 3.* Sed à centum amplius annis de principum bonis feudalibus, imò de vita eorem, fama, ac omni fortuna, soli Imperatores, non audita aliorum Principum sententia, cœperunt decernere. Quemadmodum Carolus V. superiori seculo Johannem Fridericum Saxonem, & Philippum Landgravium, & Nassoviæ Comitem de ditione Cattorum solus decidit, contradicentibus compluribus Imperii Ordinibus. Rudolphus II. non tantùm proscriptionem intentavit Christiano Duci Holsatiæ, qui erat Argentoratensis Episcopatus vice Decanus, sed etiam causam Juliacensem ad suum solus Judicium pertrahere conatus est, contradicentibus quidem Brandenburgico & Neoburgico, sed consentiente Electore Saxone, qui in literis ad Principes unitos Anno 1670. den 10. Febr. ita scripsit: **Er wüste von solchem Fürsten-Recht nichts / habe auch nicht erfahren können / an welchem Ort solches beschrieben / oder auff welcher Reichs-Versammlung ein solch Recht / einmahls gefasset / beschrieben /** publiciret **und** authentisirt. A Ferdinando II. multi Principes sunt proscripti non adhibito consilio aliorum Principum, ne Electorum quidem; In his ipse Elector Palatinus & Duces Mecklenburgici. Quid de hac controversia sit statuendum, ne hodie quidem satis liquido est definitum. Pro Imperatore, quòd ille solus in his causis sit judex competens, adducuntur textus ex jure feudali *C. un. §. præterea de prohibit. feud. alien. per Frideric. c. un. apud quem vel quos content. feudi.* Deinde profertur constitutio Friderici II. apud *Goldast. part. 2.* **den Reichs-Satzungen** *fol. 21. ibi* **ohne Fürsten und andere hohe Leute / wo es gehet an ihr Leib oder ihre Erben / oder an ihre Ehre / das wollen wir selber richten.** Sic Carolus V. harum causarum cognitionem sibi reservavit. **Ordnung des Regimentes zu Worms** *Anno 1521.* §. **ob auch Sachen vorfielen.** Quod confirmat *Ordinatio Cameræ p. 2. tit. 7.* Et ideò in Comitiis Ratisbonensibus rejecta fuit Hassi Casselensis adversus Darmbstadium petitio, de Principibus Assessoribus constituendis in controversia successionis Marburgicæ, litis

tis contestatione injuncta partibus coram solo Cæsare; quemadmodum & Cæsar Ferdinandus II. in causa Badensi, solus sententiam dixit Anno 1622. Alii tamen ad textus ex constit. Imperii paulo ante adductos respondent, recipiendos eos esse, ita ut excludant tantùm alia judicia nimirum Austregas, Cameram &c. non verò Principes Imperii, cui explicationi favere videntur verba *in constit. cit. Friderici II.* **Wie es im Heil. Reich von uhralten Zeiten herkommen/** antiquitus autem in talibus causis adhibitos fuisse Principes, adeò certum est, ut scribat *Monzambanus c. 5. §. 15.* eos, qui hoc negant, turpissimæ adulationis esse manifestos. Quibus verbis haud dubiè taxat *Reinking. de Reg. Sec. & Eccles.* qui illud negat *lib. 1. d. 4. c. 19.* Mea hac de re sic est sententia: Si controversia sit inter duos Principes de feudis Imperii majoribus, alterutri parti per definitivam sententiam abjudicandis, Imperatorem quidem esse judicem competentem, cautiùs tamen eum facere, si juxta *instr. pac. art. 5. §. 54.* in ejusmodi causis, unde facilè tumultus in Imperio possint oriri, quorundam Electorum & Principum utriusque religionis vota & sententias exquirat. Quod si verò Princeps vel alius Imperii Status sit proscribendus propter aliquod delictum, id sine Electorum consensu fieri non posse, ex hoc nostro articulo satis fit manifestum.

Stand oder anderer:) Q. quinam posteriori vocabulo, alius, designentur? In causa Erfurtensi; cùm illa civitas se hoc articulo defendere conaretur, ne à solo Imperatore in bannum declaretur, citra Electorum consensum, consilium aulicum hæc verba ita accepit, quasi diceres Elector, Princeps aut alius Status: quod aliàs indè sequeretur, Imperatorem ne quidem infimæ Conditionis hominem sine Electorum consensu in bannum posse declarare. Nostrum non est quicquam hic definire, fiet illud spero in modernis Comitiis.

Acht und Aberacht:) In aliis Capit: legitur **Oberacht**/ differunt autem **Aberacht und Oberacht. Aberacht**/ rebannum & bannum reiteratum, quando qui propter delictum/ jam dum banno est percussus, reiterata sententia, eodem denuo percutitur. Quod Alberto Marchioni Brandenburgico tempore Caroli V. contigit, qui utrumque contemnens joco dixisse fertur, **Acht und Aberacht**

macht sechzehen. **Oberacht** autem est bannum superius, quando quis ab Imperatore, vel alio, qui superiorem non agnoscit, proscribitur. Huic contradistinguitur **Unteracht** / bannum inferius, quod fit ab inferiore: à quo qui proscriptus est, dicitur tantùm bannitus in hujus territoriis, alibi verò pro tali non est habendus, quemadmodum suprà dictum de banno Judicii Rothwilensis, quo pertinent omnia bona provincialia.

Est autem bannum Imperiale pœna, qua quis ita ab imperio Romano excluditur, ut à nemine in clientelam, hospitium aut amicitiam recipi debeat, sed ab omnibus tam in corpore quàm in bonis impunè lædi aut offendi possit. Ex quo apparet bannitos esse deterioris conditionis, quàm fuerunt olim deportati, quibus vulgò comparari solent: Cæterùm extra fines Imperii banniti sunt inviolabiles.

Sondern in solchem ordentlicher Process gehalten werde:) Etiamsi violator pacis publicæ, ac nonnullorum aliorum criminum reus, ipso jure constitutionibus Imperii dicatur incidisse in pœnam banni, verum tamen est, quod scribit *Gailius de pac. publ. lib. 2. c. 3. num. 8.* reum esse citandum, & legitimo processu habito sententia judicis bannum ipsi irrogandum. *R. Spir. 1542.* §. **würden sich.** *102. O. C. p. 2. tit. 9.* neque enim quisquam affici potest aliqua pœna, licèt ea ipso jure imponatur, nisi præcesserit sententia banni declaratoria: opus verò non est, *Gail. 1. O. 3. num. 9.* & de pac. publ. *lib. 2. c. 3. num. 18.* quando scil. ipsa lex disponit, ut absque ulteriori declaratione delinquens in bannum declaratus esse debeat, cujus rei quatuor casus enumerat *Blum. process. Cam. tit. 29. num. 96.* (1.) Si quis pro peregrino Principe milites in Imperio sine speciali Cæsaris permissione conscribat, *Rec. 1576. §. 46.* (2.) Si milites se congregent, ut Cæsari aut Imperii ordinibus bellum inferant. *Rec. 1559. §. 38.* (3.) Si quis jure monetæ justis de causis privatus nihilominus cudere pergat, *Recess. 1506. §. 158.* (4.) Si quis alium in secreto judicio Westphalico (de hoc disserendum) contra reformationem Sigismundi inique condemnatum lædat.

Ohne Vorwissen / Raht und Bewilligung des heiligen Reichs Chur-Fürsten:) Ad hunc articulum monuerant

legati

legati Ordinum Imperii protestantium, ut loco Electorum requiratur omnium ordinum consensus, quoties aliquis in bannum declarandus, aut legitimè eò perculsus in integrum restituendus est, executionem verò fieri debere juxta constitutiones Imperii, nec dubium est in Capitul: perpetua, si fortè contra omnem spem ea in Comitiis modernis perficiatur, multa circa hunc articulum mutatum iri.

Q. An etiam Camera Imperialis in irrogando banno Electorum consensum adhibere teneatur? Aff. *Sinoldus in Coll. publ. de Stat. Rei Rom. disp. 4. th. 17 Tit. 6.* quòd Capitulationes generaliter loquantur, ratio eadem etiam hic militet, nec Cameræ Imperiali major potestas, quàm Imperator habet, tribui possit. Sed magis est ut cum *Limnæo ad art. 30. Capit: Ferdinandi III.* dicamus, Cameram in Casibus Imperii constitutionibus definitis, bannum irrogare posse citra Electorum consensum, quia nullibi ille requiritur, & quia Camera non tantùm Imperatorem, sed etiam Status Imperii repræsentat, utpote à quibus maxima Assessorum pars constituitur, ideò, quod à Camera fit, non à solo Cæsare, sed simul à Statibus Imperii fieri intelligitur.

Daß die That an sich selbsten gantz notori?) Quomodo delictum, pro quo banni pœna imponenda, notorium est, non quidem opus est processu ordinario, opus tamen & hoc casu est Electorum consensione. Monuerunt a. ad hunc artic. Ordines Protestantes hæc verba penitus esse omittenda, vid: *Sprenger. jurisprud. publ. pag. 134.*

AD
ARTICULUM XXIX.

IMperator collectas Imperii à Civitatibus Imperialibus solvendas, aliosque Imperii Reditus, qui in privatorum manus pervenerunt, recuperare nitatur.

Die Reichs-Steuer der Stadt:) Olim singulæ Civitates Imperiales, quotannis non levem pecuniæ summam loco tributi pro immediata subjectione Imperatori solvere tenebantur, quod dicebatur **der Reichs-Schilling/die Reichs-Steuer/** successu temporis hoc tributi genus adeò decrevit, ut diceres id aliquid, quod hodie à non-

nonnullis civitatibus ſolvitur, nihil eſſe. Cauſas varias hujus decrementi recenſet *Limnæus ad artic. 23. Capit. Carol. V. p. 252. & ſeqq.* Quantum autem quæque Civitatum illarum, quæ huic oneri adhuc ſunt obnoxiæ, ſolvat, me latet, niſi quod *Limnæus loc. cit. ſcribit*, relatum ſibi eſſe, Noribergam quotannis ſolvere 2000. aureos Rhenanos. Tenentur autem Civitates Imperiales has Collectas præter omnia alia Imperii onera ordinaria pariter atque extraordinaria præſtare, quod unum Civitates Imperiales in duriorem cauſam obligat, quàm reliquos Imperii Sratus.

Anderer gefallen:) Imperii reditus olim varii fuerunt, nec ii exigui ex bonis fiſcalibus ſeu patrimonio Imperii, fodinis metallicis, teloniis ſeu vectigalibus, cenſu animalium ſucceſſione in bona mobilia Archiepiſcoporum, Epiſcoporum ac Prælatorum, cenſu Judæorum, Regalibus minoribus, ditionibus tributariis. Hodie omnes illi Reditus ſunt in manibus Statuum Imperii, qui indè nihil Fiſco Cæſareo inferunt, ſed omnia ſibi retinent. Quo fit ut Imperator propriis ſumptibus tanti faſtigii Splendorem tolerare cogatur. Promittit hic quidem Cæſar, ſe operam daturum, ut Imperii proventus recuperentur, ſed rectè obſervat Limnæus *loc. cit. p. 263.* hanc articuli noſtri diſpoſitionem hactenus Imperio nihil attuliſſe utilitatis, cùm à tempore Caroli V. in ejus Capit. art. 23. idem conſtitutum, nihil Imperatoris proventibus accreverit.

Ad
ARTICULUM XXX.

IMperator feuda Imperii majora aperta, citra conſenſum Electorum nemini iterum conferat, nec cuiquam expectativam in ea concedat, ſed vacuè facta in patrimonium redigat.

Durch Todfall oder Verwürckung:) Morte aperiuntur feuda, quando Stirps vaſalli virilis, aut ſi feudum ſit fœmininum etiam fœminea extinguitur. Propter delictũ Vaſalli feudum aperitur variis modis, qui ex jure feudali ejusque interpretibus petendi ſunt. Addendus videri poſſet tertius modus refutatio, cujus nulla hic mentio, quia in feudis majoribus nullum ejus ſperari poteſt exemplum.

So

So etwas merckliches ertragen:) Distinguitur hic inter feuda Imperii majora & minora. Quæ prioris generis sunt, ut Principatus, Ducatus, Comitatus usibus imperii servare tenetur Imperator feuda minora veluti Nobilium &c. Si aperiantur alteri rursus concedere non prohibitur etiam sine Electorum consensu. Hujus constitutionis duplicem assignat rationem *Monzambanus c. 5. n. 5.* (1.) ne omnia feuda vacantia per domum Austriacam absorbeantur, quæ, relicta facultate ista denuò in alios conferendi sui aut sibi obnoxiorum haud videbatur oblitura. Quamvis hoc legis auxilium videri possit invalidum, adversus Imperatorem potentem, Carolus enim V. contra art. 24. suæ Capitul. ubi eadem reperitur constitutio, Ducatum Mediolanensem Imperio apertum, filio suo in feudum concessit, qui proinde à Regibus Hispaniæ hodieque tenetur. Idem Ducatum Würtembergicum ob delictum Ulrici Ducis ad se, ut judicabat, reversum fratri Ferdinando concessit, cum quo postea Ulricus Dux certis conditionibus transegit, Ducatumque sic recuperavit, qua de re in superioribus actum. (2.) Altera ratio hujus constitutionis à Monzambano hæc redditur, ut tandem aliquando præter titulum tribuere quid possit Germania suo Cæsari, ex quo tanti fastigii sumptus toleret, quæ ratio etiam hic opponitur in nostro articulo, quamque hoc remedium subveniens expensis & sustentationi Cæsaris sit fortuitum, incertum, ac proinde haud quoque sufficiens.

Als Fürstenthumen:) Appellatio Principatus aliàs tam latè patet, ut ea comprehendantur etiam Electoratus, Archiepiscopatus, Episcopatus. Hic denotat omnes ditiones Principum secularium, Marchionatus, & Principatus in specie sic dictos. De ditionibus Principum Ecclesiasticorum dispositio articuli nostri accipi haud potest; mortuo enim Archiepiscopo, aut Episcopo, à Capitulo eligitur alius, cui ab Imperatore ditio illa unà cum regalibus denuò conferenda. Electoratum autem vacantem ad Imperatorem devolvi, ut alteri denuò conferatur, patet per *A. B. c. 7.* qui textus per capitulationes non est mutatus. Neque enim provincia, cui dignitas Electoralis annexa est, in patrimonium Imperii redigi potest, ne numerus Electorum minuatur. Illud autem hic quæritur, utrùm Electoratus vacantis col-

latio ſit ſolius Imperatoris, an verò ad eam rem neceſſarius quoque ſit Electorum conſenſus? qui ſoli Imperatori eam poteſtatem tribuunt, nituntur potiſſimùm textu *A. B. c. 7. §. fin.* cui generali capitulationum diſpoſitione derogari non potuiſſe perſuaſum habent *Anum. diſcurſ. 4. A. B. th. 16. circa fin. Carpz. de Leg. Reg. c. 7. ſect. 3. num. 24. & ſeqq.* Dieterich *in not. ad cap. 7. A. B.* Sed verius eſt, opus eſſe conſenſu Electorum, *Limn. addit. ad jus publ. lib. 3. cap. 7. & ad Capit. Carol. V. p. 267. n. 14. & ſeq. Strauch. exercit. exoter. 4. th. 23. ad text. A. B.* reſpondetur proviſionem Imperatoris, non excludere conſilium & conſenſum Electorum.

Doch uns / und ſonſt männiglich:) Prætendunt Auſtriaci, quòd ditiones eorum hæreditariæ ſint, non tantùm feuda fœminea ſed etiam hæreditaria, & ad modum bonorum allodialium redacta, ita ut deficiente ſtirpe virili ad fœmias tranſeant, imò pro lubitu in quemcunque extraneum alienari poſſint. Et ideo hic videtur addictum diſpoſitione noſtri articuli non futurum finem privilegiis Auſtriacorum. In reliquis verbis ac cuilibet &c. haud dubiè reſpicitur ad pacta confraternitatis hæreditaria, de quibus in ſuperioribus.

AD
ARTICULUM XXXI.

IMperator feuda imperialia ubi ubi ſita in illa qualitate conſervata, ac ut debito tempore inveſtitura petatur, curato, Vaſalloſq; Imperii adverſus omnem vim defendito, feudorum quoque ad ſe pertinennentium inveſtituram per Procurarorem petito, aut ſi illud commodè fieri nequeat, Electoribus pro Imperii ſecuritate literas, quas vocant reverſales, dato.

In- und auſſerhalb deſſelben gelegen:) Imperii feuda partim in Germania, partim alibi ſita ſunt. Dictum enim eſt in ſuperioribus, cùm ageretur de finibus Imperii modernis, ac de diviſione Regni Francorum facta inter filios Ludovici Pii, cum Regno Germaniæ ſucceſſu temporis coaluiſſe Regnum Longobardorum in Italia, nec non regnum Lotharingiæ & Aretalenſe, in ſolo Gallico ultra Rhenum

num juxta fines Germaniæ antiquos, cùm ea Rheno à Gallia disterminaretur. Quanquam autem utrobique multa successu temporis sint amissa, non pauca tamen ad Imperium pertinentia supersunt, veluti in Italia Ducatus Mediolanensis, Mantuanus, Mutinensis, Montiferatensis &c. de quibus agit *Limn. ad art. 30. capit. Matth. p. 565.* hic sufficit annotasse Imperatorem debere conservare feuda etiam extra Germaniam sita, quod primum ita cautum reperitur *in Capit. Matthiæ art. 30.*

Und derentwegen zu verfügen / daß sie gebührlich empfangen werden:) Imperator eorum feudorum, quæ ipse ab Imperio tenet, investituram accipi curabit, sed per alium, ne confusio oriatur, dum qui dat, idem est qui accipit, si verò istam investituram, commodè accipere non potest, Electoribus literas reversales commendare tenetur, ut ita jus Imperii salvum constituatur.

Q. autem utrùm hæc dispositio pertineat quoque ad illa feuda, quæ Imperator, antequam ad illam dignitatem eveheretur, ab Imperio tenuit, an verò tantùm de illis accipienda sit, quæ ei jam Imperatori, hæreditario vel alio jure obveniunt. In capit. Ferdinandi IV. hoc expressis verbis ad feuda posterioris generis videtur restringi his verbis: **Da auch wir nach Erhebung zum Römischen Käyser deren eins oder mehr ꝛc.** Ego tamen puto per ista verba non excludi feuda prioris generis, sed ea tantùm ideo esse apposita, quia Ferdinandus IV. erat tantùm Rex Romanorum, ac proinde hæc dispositio, antequam Imperator fieret, non poterat ipsum obligare. Quæ etiam ratio est, quare illa verba in nostra Capitul. sint omissa, ut ista illa quæstione haud ampliùs videatur opus esse, quia textus noster generalis est.

AD

ARTICUL. XXXII.

SI quæ bona immediata Imperii oneribus obnoxia, ad Imperatorem [1.] jure hæreditario, vel quovis alio modo perveniant, ea ne fiant immunia à tributis Imperialibus, sed pristinis oneribus subjecta manento. (2.) In iis causis, in quibus domus Austriaca reorum partes

tes sustinet, non minùs promptè ac in aliis Imperator justitiam administrare curet.

Hindangesetzt aller prætendirten exemption:) Prætendunt Austriaci immunitatem ab omnibus Imperii oneribus, non solùm ratione bonorum, quæ tempore privilegii concessi tenuerunt, sed etiam quæ futuris temporibus, quocunque modo acquirere poterunt. Privilegium Friderici II. quo potissimùm nituntur, exhibet *Limn. lib. 5. cap. 2. num. 30. & 32.* quod hic ita restringitur, ut non intelligatur vel valeat de bonis posthac acquirendis, quod ita primum constitutum est in Capit. Rudolphi II.

In genere de privilegiis Austriacorum prudenter monet Danth. *de testam. in rep. l. 2. th. de vulgari & pupill. substit. num. 138.* de eorum viribus adhuc sub judice litem versari, ac prudentis esse in hujusmodi ambiguis judicium suspendere.

Und demnach sich auch unterschiedliche Stände des Reichs nechst diesem vielfältig beklagen:) In his Episcopus Bambergensis ratione bonorum quæ habet in Carinthia.

Wegen der Außträg:) De Austregis actum in superioribus.

AD
ARTICUL. XXXIII.

OPeram dato Imperator, ut vitia, quæ circa rem monetariam irrepserunt, adhibito Electorum aliorumque ordinum consilio, emendentur, cumprimis juxta normam An. 1603. in Comitiis Ratisbonensibus præscriptam.

Viel Beschwerung und Mangel der Müntz halber:) Monetæ varia possunt inesse vitia, Quædam enim in causa Efficiente, velut si ea cudatur ab eo, qui jus cudendæ monetæ non habet, vel si cudat alios species, quam quarum cudendarum jus habet, vel si cudat monetam in Imperio non permissam, quo pertinet titulus proxime sequens 34. Alia sunt in materia, ut si moneta fiat ex materia adulterina, aut si additamentum fiat in speciebus, quas puras volunt esse leges, aut si additamentum excedat quantitatem legibus definitam, aut

aut si moneta monetæ probæ non habeat legitimum pondus. Peccatur etiam circa destructionem monetæ probæ, veluti si ea exportetur aut accidatur aut in massam redigatur &c. Nam si quid horum fiat, magnum Respubl. patitur detrimentum. *vid. Limn. ad Capit. Carol. V. pag. 282. & seqq.* Ne quid autem circa rem monetariam in Imperio peccetur, Electores Rhenani ex suis, qui hujus rei periti sunt, mittant ad Nundinas Francofurtenses, quia unà cum Commissario Cæsareo in rem monetariam inquirant. In quovis etiam circulo quotannis bis, conventus monetarii celebrentur, *Receß. Anno 1570. §.137.* nimirum *die 1. Maji, & die 1. Octobris.* omnes etiam Xygostatæ jurant circulo in quo sunt.

So in Anno 1603.) *Vid. Recessus istius anni* §. **So setzen / ordnen / und wollen wir** / *55. & 56.* provocatur autem ibi ad Imperii constitutiones, anteriores quarum observantia præcipitur in his majori forma celebratur Edictum Ferdinandi I. An. 1559. promulgatum, quod extat in Codice Receß. Imperii, ac deinde nimia minutioris monetæ copia cudi prohibetur, utpote quâ valor monetæ majoris nimium quantum solet augeri.

Auff dem prorogi**rten nechst künfftigen Reichs-Tag:)** Hæc Comitia hodieque durant, in quibus aliquid quidem circa exportationem monetæ constitutum est, cui tamen contradixerunt Civitates Imperiales.

Ad
ARTICUL. XXXIV.

IMperator nemini sine præscriptu & consensu Electorum, privilegium cudendæ monetæ concedito, si quis, eo legitimè acquisito, fuerit abusus, ipso jure eodem privatus esto, nec citra Electorum consensum restituitur, &, si quidem ex numero Statuum Imperii sit, contra eum proceditur viribus Circuli, in quo descriptus est, si autem sit ex mediatis, fit illud per Dominum territorii.

Niemands / mit Müntz-Freyheiten und Müntz-Städten begaben / und begnadigen:) Jus cudendæ monetæ inter jura majestatis si summi Imperii non est postremum. Et ideo *in l. 2.*

C. de falſ. monet. dicitur eſſe Principis, & refertur ad Regalia, *c. un. quæ ſint Regalia.* & paſſim in *R. Imperii* uti etiam hoc loco in *Receſſ. 1570.* §. **Alsdann auch** *132.* appellatur **ein Käyſerl. Regal.** ut in re monetaria peccantes vel cudendo monetam falſam, vel probam adulterando crimen læſæ Majeſtatis dicuntur committere, *d. l. 2. C. de falſ. monet. in A. B. c. 10.* jus cudendæ monetæ conceſſum eſt Electoribus. Hodie eodem utuntur & reliqui Status, non tamen omnes. Ex adverſo quædam Civitates provinciales eô gaudent, licèt non ſint Status Imperii jure monetandi uti cum moderamine. Ne (1.) illud aliis locent aut vendant, aut alia ratione concedant, *Receſſ. 1551.* §. **So haben wir uns** *46.* (2.) Ut monetam cudi faciant juxta normam legibus Imperii præſcriptam. (3.) Ne patiantur monetam probam extra Germaniam exportari aut ab aurifabris iterum ſolvi. (4.) Ne augeatur valor ultra quem legibus permiſſum eſt. (5.) Ne minutæ monetæ nimia fiat quantitas. (6.) Ut ſub pœna perdendi hoc jus corruptores monetæ ſive falſarios puniant, &c. quæ omnia peti poſſunt ex *Ferdinandi I.* **Müntz-Ordnung/** *An. 1559. & ex Rec. 1570.* §. *8. & multis ſeqq.* Quoniam autem hæ conſtitutiones Imperii circa rem monetariam non obſervantur, hinc illæ querelæ de monetæ vitiis *artic. proximè præcedent. deſcriptis:* Quanto rectius omnis Generis nummi non à ſingulis Statibus, ſed authoritate Imperatoris & ordinum ſimul cuderentur, ſic enim omnia vitia caveri poſſent, & ſimul in univerſo Imperio haberemus monetam uniformem magno cum bono Reip. Sed hoc magis optandum eſt, quàm ſperandum. In ſolvendo nemo plus quàm 25. floren. tenetur accipere monetæ, quæ eſt infra quinque Crucigeros *Rec. 1559.* §. **Die erſtgemelte gemeine Reichs-Müntze/** *11. d. in R. 1576.* §. **Inſonderheit wollen wir/** *76.* indiſtinctè dicitur **daß niemand in der Zahlung über 25. fl. an halben Batzen oder andern kleinen Sorten für Wehrſchafft anzunehmen ſchuldig seyn ſoll.** Si creditori majorem minutioris monetæ ſummam debitor obtrudere conatur, illa moneta publicatur ibidem.

Sich alſo ihrer Müntz-Gerechtigkeit ohne fernere Erkäntniß verluſtiget gemacht:) Qui jure monetandi contra conſtitutiones Imperii abutitur, ipſo jure illud amittit absque ulla cognitione & judicis declaratione.

Mit

Mit unserer Vorfahren Römischen Käysern und der Churfürsten Bewilligung nicht erhalten:) aliter proceditur adversus eos, qui legitimè acquisito jure monetandi, abutuntur, aliter adversus eos, qui illud jus usurpant cùm tamen nunquam illud obtinuerint à Cæsaribus, aut obtinuerint quidem, sed sine Electorum consensu. Priores coërcentur privatione ejus quo sunt abusi, nec restitui possunt citra Electorum consensum. Posteriores, si status sint Imperii, in ordinem rediguntur per circulum, in quo sunt descripti, sin mediati sint à Domino territorii & jus monetandi à seipsis in totum aufertur, nec nullo modo, ut eo ampliùs utantur, conceditur.

AD ARTICUL. XXXV.

AGit de postis Imperii, & ne quid fiat à Magistro Postarum aulæ Cæsareæ in præjudicium Magistri supremi seu Generalis Postarum Imperii. Usus enim postarum maximus est belli pariter ac pacis tempore. Et ideo permultum interest Reipubl. ut ea ritè ordinentur, Cæterùm totus hic articulus novus est, de quo nihil in capitulationibus præcedentibus.

Verordnete Posten einige beschwerden:) Hæc varia sunt, cùm enim ante annos haud ita multos, nonnulli Principes Imperii, in suis ditionibus, Postas instituere vellent, opposuit sese Generalis Postarum Magister Imperialis; sed nihil obtinere potuit. Civitates autem Imperiales prætendunt, magistros Postarum inferiores, debere esse cives illarum Civitatum ubi commorantur. Hæc & similia alia gravamina hic ad comitia rejiciuntur.

Nach Anweisung des instrumenti pacis:) Expressa Postarum mentio fit *Art. 9. §. 1.* ubi prohibentor immoderata Postarum onera, quæ inimica sunt commerciis in *Art. 8. §. 3.* ubi agitur de materiis ad commitia proxima rejiciendis, nulla Postarum mentio expressa, sed sub verbis generalibus: similibus negotiis continentur.

Zwischen unsern Post-ämptern hafftenden differentien:) In Germania duo sunt præfecti Postarum. Alter dicitur **der General-Postmeister im Römischen Reich**/ quod munus feudi titulo

tulo collatum est Comiti de Tassis. Alter est Oberster Erbland Postmeister / oder Käyserl. Oberst Erbhoff Postmeister / quod munus Anno 1624. feudi titulo ab Imperatore collatum est tum temporis Baroni hodie Comiti de Paar / qui Regiæ & Archiducalis Aulæ Præfectus est. Postis per Hungariam, Bohemiam, Austriamque, investituræ diploma exhibet *Ludovicus* von Hornincken *de regali Postarum jure c. 6. theorem. 3. p. 57. & seqq.* Inter hos acerrimè disputatum ante aliquot annos, utrùm, aula Cæsarea in urbe Imperiali existente, receptio seu collectio & transmissio Literarum, cum annexis emolumentis ad Comitem de Taxis, an verò ad Baronem de Paar / tanquam præfectum Postis aulæ Archiducalis & Regiæ, spectet? utriusque partis fundamenta vid. *apud. Limn. addit. ad jus publ. tom. 5. lib. 2. c. 9. n. 133. & apud Ludov.* von Hornincк. *d. t. lib. 2. c. 29. Theorem. 1. m. R. 1641.* übrige übergebene *memorialia 93.* cautum est Imperatorem non permissum, ut à Præfecto Postarum aulico aliquid fiat in præjudicium Generalis Postarum magistri per imperium Germanicum. Quod hic denuò repetitur addito ne quid vicissum fiat ab hoc quod in detrimentum vergat aut præjudicium Præfecti Postarum aulici in provinciis Imperatoris hæreditariis.

AD
ARTICUL. XXXVI.

AGit (1.) de permittenda Electoribus libera facultate eligendi Regem Romanorum quotiescunque illud Imperio expedire ipsis visum fuerit etiam superstite Imperatore. (2.) de Vicariis Imperii.

Keiner succession **oder Erbschafft des Römischen Reichs anmassen:**) Germaniæ Imperium Electitium esse, nemo ignorat. Quo tempore autem spreto natalium jure, electio in nostro Imperio cœperit, haud facilè definiri potest. Haud dubiè falluntur, qui indè à Caroli magni temporibus morem electionis arcessunt, quod facit *Hotomannus in Franco Gallia c. 6.* deceptus illo electionis simulacro, dum Reges Francorum consensu & acclamatione Procerum, & totius populi constituti leguntur. Exstincta familia Carolina, necessitas locum fecit electioni in Conrado I. Sed hic, quamvis haberet filium,

um, author fuit Proceribus Imperii, ut elegerint Ottonis Saxonis filium, Henricum, cognomine Aucupem, à quo tempore rursum processit successio per Ottones. Quomodo Henricus II. jure hæreditario niti voluerit, Cuspinianus in Henrico II. adnotavit. In Conrado Salico creando, valuit inprimis judicium Henric. II. teste omni historia, electus tamen est ab omnibus, sed non unanimiter. Conrado II. successit filius Henricus III. huic filius Henricus IV. qui cùm frigidam suffundente Pontifice, regno dejiceretur, lata est Anno 1077. Fouhemii Lex, ut deinceps Filius Regis, etsi dignus, per spontaneam electionem, non per successionis lineam proveniret integram, vid. apud *Goldast. tom. 1. constit. Imperial.* Quamvis autem hæc gesta sint in turbis, & successio filii Henrici V. multa habeat in alteram partem considerato digna; tamen ex eo tempore, hæreditaria successio paulatim in Imperio exolevit. Quæri hac occasione potest, utrùm electio adhuc vera sit? Negat *Hippol. à Lapide de rat. stat. p. 2. c. 2. sect. 2. in fin.* propter continuam austriacorum per 230. annos successionem: cui respondet *Strauch. Exercit. Exoter. 4. th. 24.* quia obstant capitulationes, quæ adstringunt juramento electum, ne audeat successionem sibi arrogare, quod equidem verum puto. Neque tamen de Nihilo est quod scribit *d. l. Hippol. à Lapide* si periculum fecerint Electores, non dubitandum, quin extrema quæque ausuri sint Austriaci priusquàm admittant, ut alius quàm ex hac familia Imperator eligatur. Etsi enim non multum utilitatis ex imperio percipiant, sed dignitatem Imperatoriam propriis sumptibus tolerare cogantur, declinaret tamen fastigium eorum, si eripi domui suæ Majestatem Imperii paterentur.

Auch bey Lebzeiten eines Römischen Käysers:) Utrùm Imperatore superstite, per leges Imperii Rex Romanorum eligi possit, quæstio est magnis motibus agitata superiori seculo, cùm Caroli V. impulsu, frater Ejus Ferdinandus creatus erat Rex Romanorum, ob Cæsaris absentiam è Germania. Huic electioni confœderati Schmalkaldici intercedebant, cujus rei acta simul & dispositionem politicam habemus part. apud *Goldastum polit. Imper: p. 2. & in polit.* **Reichs Handlungen** / *p. 2. ap. Hortleder. lib. 3. c. 13. l. 4. c. 9. aqud Sleidan. lib. 7. 8. & 9.* Johannes Saxoniæ Elector caput Schmalkaldicorum provocavit

cavit ad A.B. in qua omnia ita definiuntur, quaſi vacante demum Imperio, quod fieri poteſt vel morte, vel reſignatione, vel depoſitione Imperatoris, fas ſit Regem Romanorum eligere. *c.4.* §. *2.* & *c.5.pr.* & notabilis eſt ſuper hac re diſputatio inter *Limnæum* & *Carpzovium*, *qui de lege Regia Germ. c.11. ſect.3. n.19. & ſeqq.* poſt Arum. *diſcurſ.2. ad A.B. th.13.* diſſentit *per textum in A. B. c.1.pr.* quotiescunque neceſſitas ſeu caſus electionis emerſerit. Sed verius eſt, verba iſtæc, tempus non definitum, deſignantia definitionẽ ex ſequentibus verbis *c.4. & 5.* accipere, adeóque ad caſum vacantis Imperii reſtringenda eſſe, vid. *Limn. d.p.l.2.c.15.n.23. & ſeqq.* & præſertim *tom. ultim. addit. ad eundem* §. *nec non ad Capit. Ferdinandi I. pag.424. & ſeqq.* confirmatur hæc ſententia etiam momentis hiſtoricis. Nam à temporibus Friderici II. ex quo cœpit Electorum dignitas, usque ad Carolum IV. Aureæ Bullæ conditorem, nemo creatus erat Rex Romanorum, niſi vacante Imperio; Sed quicquid hujus ſit, omnis illa controverſia hodie ſublata eſt, poſtquàm in Capit. Matthiæ art. 35. Anno 1612. cautum, licere Electoribus, non tantùm conſentiente Cæſare, ſed etiam invito eo, eligere Rom. Regem. Cauſam Legis ferendæ præbuit tergiverſatio Rudolphi II. quâ uſus, cùm Electores ipſi Matthiam fratrem Regem Rom. vellent adjungere; Idem deinceps repetitum in omnibus aliis capitul. Oportet autem iſtam electionem fieri legitimis de cauſis, quæ hîc in arbitrium Electorum conferuntur. Et hactenus Imperatores ex familia Auſtriaca, ad continuandam in ſua domo dignitatem Cæſaream, hoc modo ſibi viventibus, indubitatos ſucceſſores deſtinare conati ſunt, filios fratres proximosve cognatos. Sic Fridericus III. Maximilianum I. curavit inaugurari. Idem fecit circa Ferdinandum I. Fratrem Carolus V. cujus Conſilii tamen ipſum poſtea pœnituiſſe ferunt, Ferdinando I. annitente, electus eſt filius ejus Maximilianus II. cui ſucceſſor deſtinatus Rudolphus, Ferdinando II. vivo electus eſt coronatus Ferdinandus III. qui ſimiliter ad Imperium promovit Ferdinandum IV. qui tamen ante Patrem mortuus. Cæterùm, per Electionem Regis Roman: vivo Imperatore factam arctatur quidem haud parùm libera eligendi Poteſtas; ſimul tamen pravæ aliorum ſpes imperium ambientium cohibentur, & præcaventur diſſidia, motusque civiles, qui tempo-

po-

pore Interregni rempublicam solent concutere. Differentiam Regis Romanorum ab Imperatore, pariterque convenientiam cum eodem tradit *Limn. l. 2. c. 15. n. 34. & seqq.* Præsertim verò *ad Capit. Maximiliani II. art. 18. p. 405.* Illud tantùm hic adnotandum, quòd sit Generalis Imperatoris vicarius, & absente Imperatore, aut impedito, omnia jura & munia Imperatoris exerceat. *ord. Cam. part. 1. tit. 1.* §. nemlich wollen *R.* 1555. §. und sollen in oberzehlten 64. quæsitum est utrùm Rex Roman. quædam authoritate propriâ facere possit? negarunt illud superiori seculo Civitates Imperiales, *teste Sleidano lib. 8.* cui rei fidem faciunt literæ Caroli V. in Belgium discedentis ad Electores & ordines Imperii apud *Goldast.* nec non *Capitul. Rudolphi II.* Wir wollen uns auch keiner Regierung oder Administration im Heiligen Reich weiters oder anders unterziehen / dann so viel uns desen von Käyserlicher Majestät vergönnet und zugelassen wird. idem repetitum *in Capit. Ferdinardi IV. art. 47.* quoniam autem Rex Romanorum est vicarius Imperii ordinarius, ita ut Imperator impeditus aut absens, eo præterito, non possit vices suas committere alteri; ideo Ferdinandus I. ut plurimùm usus est his verbis: an Statt und im Namen der Römischen Käyserl. Majestät/und für uns selbsten. Exempla vid. apud *Limnæum. j. p. lib. 2. c. 15. n. 40.* quia non est nudus mandatarius, sed Rex quoque planè, si ab Imperatore impedito aut absente, nullum mandatum speciale habeat, dubitandum non est, quin tanquam ordinarius Vicarius, motu proprio munia Imperatoris obire possit, sed tamen & hoc casu vices Imperatoris gerere dicendus est.

Auch die Vicarios:) Legali dispositione A. B. c. 5. vacante Imperio generales Vicarii constituti sunt, Electores Palatinus & Saxo sine dubio tamen & ante A. B. hoc jus habuerunt, id quod de Palatino, vix habet controversiam, & testatur illud *Cuspinianus, in vita Ludovici*; De Saxone autem idem probat Marquardus Freherus ad P. de Andlo lib. 2. c. 5. quia & in ipsa A. B. antiquioris instituti fit mentio. Quo tempore autem uterque jus hoc sint consecuti, definiri non potest, propter defectum historiæ antiquæ. De occasione & scopo Vicariatus tenendum, excogitatum esse eum, tanquam salutare remedium, adversus pericula interregni, id quod ipsa A. B. innuit. Quan-

tum enim interregna nocuerint Germaniæ, non uno exemplo compertum erat, cumprimis post obitum Frider. II. & Henrici VII. Accessit fortè & altera causa, ut obviam iretur molitionibus ac technis Pontificis, vicariatum sibi non raro tribuentis, quam causam assignat **Dieterich** *in not. ad A. B. c. 5.* & Saxo quidem jure suo quietus fruitur; Palatini jus in controversiam vocavit Domus Bavarica, quæ unà cum dignitate Electorali, illud sibi vindicare conata est, etiam ante motus Gallicos, *Anno 1614. & 1615.* uti videre est apud *Gevoldum de Septemviratu c.* 11. Cui sese opposuit *Marquardus Freherus:* prodieruntque tum hac super scripta doctissima ab utraque parte. Recruduit illa controversia, post auctum Electorum numerum, in nupero interregno, ubi partim priora scripta recusa, partim nova addita. Summatim controversiam repetiit *Strauchius Exercit. Exot. 3. th. 2. & 3.* Cardo quæstionis in eo consistere videtur, utrùm Vicariatus ille sit appendix Palatinatus inferioris, qui per *Instr. pac.* cum omnibus juribus atque pertinentiis, Comiti Palatino ejusque posteris lineæ Rudolphinæ, restitutus est, an verò connexus sit cum Electoratu ac Archidapiferatu, atque sic unà in Bavarum translatus. Prius defendere conati sunt (1.) Palatini per textum in *A. B. c. 5.* ubi Vicariatus dicitur Palano competere ratione Principatus seu Comitatus Palatini. (2.) Quòd Vicariatus sit Electoratu antiquior, & quòd Palatini fuerint Vicarii antequam Collegium Electorale institueretur. (3.) Negari non posse, saltem à tempore A. B. Palatinos vicariatum administrasse, atque apertè præ se tulisse, hoc jus sibi ratione Palatini Comitatus competere, adeóque præscriptione se tutos esse. (4.) Nihil esse ademptum Palatino, nisi quod expresse positum in instr. pac. ubi nulla Vicariatus fit mentio. Ademptiones esse stricti juris, & non extendendas ad non expressa. Posterius Bavari defendunt his rationibus (1.) *ex cap. 5. A.B.* Germanico **des Churfürstenthums und Pfaltzgraffschafft-Freyheit wegen.** qui & in latina editione conjungi hæc: Archidapifer Elector ratione Comitatus Palatini, ut indicetur principale subjectum Vicariatus esse Archidapiferatum. (2.) Ipsos Palatinos jus Vicariatus propter Electoratum non semel sibi asseruisse, quemadmodum Rupertus Elector in diplomatibus Vicariatus hac usus est formula, **des**

Chur-

Churfürstenthums halber: & Rusdorfius, minister Palatinus in vindiciis Palatinis insolubili nexu copulata scribit Vicariatum Archidapiferiam & dignitatem Electoralem. (3.) non sequi, hoc fuit annexum Palatinatui, ergo non est in Bavarum translatum: Multa enim quæ Palatinis ratione Comitatus olim competierunt, jam esse translata in Bavarum, in his ipsam dignitatem Electoralem, unà cum Archidapiferia. (4.) Investituram Patris Maximiliani, tribuere Bavaro possessionem istius juris, nec illud ademptum esse per *instr. pac.* Palatino non est ademptum, Ergo adhuc ipsi competit; sed potiùs ita concludendum esse. Vicariatus à Ferdinando II. Palatino est ademptus nec eidem per *Instr. pac.* restitutus, Ergo eidem ampliùs non competit. Nihil enim esse restitutum, nisi quod *in dict. instr. pac.* expresse positum. (5.) Quæ de initio & antiquitate Vicariatus à Palatinis ex historia adducuntur admodum esse incerta nec apparere ex scriptoribus *συγχρόνοις*.

Regerunt Palatini:) Versionem Germanicam non esse authenticam, sed textum latinum, & ideò verba Germanica ita esse accipienda, ut cum latinis conveniant: Vocabulo **Churfürstenthum** designari ibi non jus Electoratus sed Principatum, cui Dignitas Electoralis cohæret, ut cùm dicimus, **das Churfürstenthum Mayntz/ das Churfürstenthum Sachsen**; Testimonium privatorum non nocere Principibus, Rupertum post Wenceslai depositionem, talibus usum esse verbis, nondum esse demonstratum, etsi usus sit, non posse illud esse fraudi Domui Palatinæ. Restitutum se in omnia annexa Palatinatui, inter quæ potissimum sit jus vicariatus. In literis investituræ, moderno Electori Ferdinando Mariæ datis Anno 1652. omissum esse Vicariatum, nec nocere investituram Patris Maximiliani, cùm ea per *instrum pac.* sit abolita. Si Historicorum fidem velint in dubium vocare, sufficere posse dispositionem A. B. Hæc sunt utriusque partis fundamenta præcipua. Ex quibus ea, quæ pro Palatino adducta sunt plus mihi ponderis habere videntur. Quis eventus sit futurus, dies aliquando docebit. Quibus artibus proximo interregno susceptionem Vicariatus, citiùs per literas indicaverit Bavarus, quàm Palatinus, tradit *Monzambanus. c. 4. §. 8.*

Q. Quomodo administratio Imperii ratione Provinciarum inter istos duos vicarios sit divisa? in A. B. sed c. 8. attribuitur Palatino Vicariatus in partibus Rheni & Sueviæ & in jure Franconico; Saxoni autem in illis locis, ubi Saxonica jura servantur. Hinc multi Principes in illo tractatu, apud quos hodie jus Saxonicum non est in usu, huic vicariatui se submittere noluerunt, eandemque ob causam, in Ducatu Brunswicensi nec non Lüneburgensi, jus Saxonicum est abrogatum: Sed non videtur respiciendum. Quid hodie facta mutatione sibi obtineat, sed quid olim, cùm hic vicariatus constitueretur, ibidem obtinuerit, aliàs sequeretur absurdum, in illis locis, tempore interregni, neminem esse vicarium.

Q. Num hi duo Electores, sint etiam tempore Interregni vicarii extra Germaniam, in illis partibus Italiæ, & Regni Arelatensis, quæ ad Imperium Romanum adhuc pertinent? Verissimum est quod scribit *Limn. ad art. 3. Capit. Caroli V. p. 147.* ex textu A. B. id demonstrari non posse, factum tamen postea ex consuetudine, & speciali privilegio, ut Regnum Arelatense Palatini Vicariatui subjiceretur. Vocatur illud privilegium Ruperti, quod exhibet *Marquardus Freher. ad P. de Andlo lib. 2. c. 10.* Italia suos habet vicarios speciales, perpetuos, qualis est Dux Sabaudiæ, prout Notatum ad art. 4. nostræ Capit. in fin. quos Vicariis Generalibus Saxoni & Palatino non subesse scribit *Limn. dict. loc. num. 67. sed dissentit Schultz. vol. 1. disputat. 5. th. 9. l. e.*

Q. Num functio Vicariorum locum etiam habeat absente vel peregrè profecto Imperatore? ℟. Auream B. exprimere tantùm casum vacantis Imperii. Habet tamen Palatinus privilegium à multis Imperatoribus confirmatum, quod apertè casum quoque absentiæ includit. Extat apud *Marquard. Freher. ad P. de Andlo. lib. 2. c. 10. & Limn. lib. 3. de jur. publ. c. 12. num. 36.* Num idem dicendum sit de Saxone, dubitare potest? Negat *Limn. ad art. 3. Capit. Carol. V. pag. 141.* quod enim dicitur in A. B. c. 5. Saxonem sub iisdem modis, & conditionibus, cum Saxone Vicariatu fruiturum, ad hoc Palatini Privilegium, de quo nulla ibi mentio, pertinere non potest, & explorati juris est, quòd ille, qui habet privilegium, ad instar alterius privile-

gio-

giorum, non gaudeat statim illo quoque privilegio, quod prior sequentibus temporibus adeptus est: Sed eandem quæstionem affirmat *Carpz. ad leg. Reg. c. 11. sect. 14. num. 19. & seqq.* nec idonea ratio afferri potest, quare Saxo deterioris conditionis esse debeat quàm Palatinus.

Officium Vicariorum:) Durante Interregno per partes describitur *in A. B.* sed *c. 5.* & *Limn.* quidem *lib. 3. jur. publ. c. 22. num. 81.* existimat, Palatino & Saxoni non generaliter, sed speciali tantùm constitutione, exprimente singulos actus, vicariatum esse commissum, & propterea non extendendum ad casus non expressos. Atque hanc sententiam prolixè defendit *in annot. ad Capit. Carol. V. pag. 143. & seqq.* sed magis est, ut cum *Synoldo Schütz. vol. 1. jur. publ. disp. 5. th. 12.* aliisque decamus, Vicariatus concessionem esse generalem, adeóque cumprehendere etiam non expressa, dumne specialiter sint excepta, uti factum, circa feuda sub vexillo olim conferri solita. Atque hanc sententiam nupere interregno, ni fallor, ipsa experientia confirmavit: Quod autem in dicto loco A.B. dicitur de Feudis sub vexillo conferri olim solitis (**Fahn-Lehen**/) pertinet quoque ad feuda sceptro olim conferri solita (**Zepter-Lehn.**) Sunt autem **Fahn-Lehn** feuda secularia majora, **Zepter-Lehn** verò feuda Ecclesiastica majora. Hodie utriusque generis feuda conferuntur per gladium, cujus capulus osculandus præbetur Vasallis.

Ad

ARTICUL. XXXVII.

AGit (1.) de coronatione Cæsarea, ad quam omnes Electores sunt vocandi, ut exerceant sua officia. (2.) Confirmatur transactio inter Moguntinum & Coloniensem de peragenda Coronatione.

Die Römische Königliche Kron:) Intelligitur Corona Regni Teutonici seu Allemannici, quæ non nisi impropriè dicitur Corona Cæsarea seu Regis Romanorum. Repetantur hic quæ ad procemium de triplici Corona, quâ Imperatores olim inaugurari moris fuit, notata sunt.

Alle

Alle und jede Chur-Fürsten / um ihr Ampt zu versehen:) Quænam singulorum Electorum in Imperatoris coronatione aut celebratione curiæ solennis officia, quique eorum vicarii satis luculenter enarravit *Monzamb. c. 4.* §. *7.* quod de re dissertata quædam ad procemium hujus Capit. vid. etiam *A B. c. 1. c. 4. c. 21. c. 22.*

Zwischen beyden Chur-Fürsten zu Maynz / und Cölln:) Utrùm Cæsaris inauguratio peragenda semper ab Electore Coloniensi, an verò interdum etiam à Moguntino, fervidè disputatum fuit in Coronatione Ferdinandi IV. & prodiere utrinque scripta typis vulgata, quæ merentur legi. Pro Coloniensi illud maximè erat speciosum, quod in *A. B. c. 4.* indefinitè scriptum est, quòd ipsi competat dignitas, & officium Romanorum Regi primum Diadema imponendi. Moguntinus eò maximè nitebatur, quòd primus est Germaniæ, & ab initio usus Regni Germanici, exercuerit omnes Coronationes extra diæcesin Coloniensem peractas. Sed hæc controversia A. hujus Seculi 57. die 15. Jan. ita est composita, ut Coronatio in diæcesi Coloniensi, ab illius loci Archiepiscopo: in diæcesi Moguntina, à Moguntino extra utramque ab utroque alterius vicibus peragatur. Prætereà promisit Moguntinus se operam daturum, ut, nisi legitimum extet impedimentum, Coronatio peragatur Aquisgrani, in loco in A. B. ad eam rem destinato, Transactionis formulam exhibet *Sprenger. de jur. publ. pag. 181. & seqq.*

Den Krönungs actum **in der Stadt Cölln:**) Coronationi lege *A. B.* destinata urbs Aquisgranum *c. 28. circa fin.* quod in Transactione paulò antè adducta denuò sit confirmatum à Moguntino & Coloniensi Electoribus. Quoniam autem hæc urbs Anno 1656. die 26. April. incendio vastata, placuit primum, ut Coronatio Leopoldi perageretur Coloniæ, quod tamen postea certas ob causas iterum displicuit, & ita peracta ea fuit Francofurti Anno 1658. die 1. Augusti. inania iterum recensere nihil attinet. *vid. Sprenger, jurispr. publ. pag. 156. & seqq.*

AD
ARTICUL. XXXVIII.

CAvetur hic, ne Imperator contra capitulationem, A.B. constitutionem pacis, aliasve leges Imperii jam latas aut inposterum adhibito statuum consilio ferendas, ullum mandatum, rescriptum, commissionem, aut aliud quid decernat. Neque quidquam contra easdem Imperii constitutiones, à quoquam impetrare conetur, si verò ultro quid datum sit, eo ne utatur. Omnia verò, quæ huic dispositioni quoquo modo sint contraria, invalida sint ac irrita.

Güldene Bull:) Recensentur hic iterum pleræque constitutiones Imperii, de quibus seorsim actum, *ad art. 2.* hujus capitulationis.

Neben des Reichs Executions-**Ordnung:)** Ita appellatur constitutio, quæ modum & media præscribit, quibus contra turbatores pacis publicæ utendum, ac securitas publica atque sententia in Camera lata (*ordin. Camer. p. 3. tit. 49.*) exequenda. Hoc enim in fine *Recess. 1555.* §. *56.* apertè innuitur his verbis: **Damit obgesetzte Ordnung desto steiffer gehalten/ auch die Stände und Unterthanen sich so viel gewisser Sicherheit zu getrösten/ und des heiligen Reichs-Landfried/ in mehr fürträglicher Würcklichkeit gestellt/ so soll ferner zu einer beständigen Handhabung/** Execution **und würcklicher Vollziehung desselben/ ꝛc.** *ad Rec. 1559.* §. **Ferner haben wir** *19.* Confecta autem primùm fuit hæc ordinatio in dictis Comitiis 1555. ac postea in variis Comitiis aucta renovata ac confirmata. Nondum tamen omnibus numeris est absoluta, & ideò de ejus emendatione sæpius cogitatum, de quibus omnibus actum in superioribus.

Auch andern Ständen des Reichs Raht und Zuthun möchten auffgerichtet werden:) Observandum hic, Imperatorem non habere in Imperio potestatem, leges sanciendi, sed eas esse ferendas adhibito omnium ordinum consilio & consensu.

Von niemand nichts erlangen:) Sine dubio hîc notatur Papa Romanus, ut hic sit sensus, Imperatorem nolle à Pontifice petere

tere abſolutionem à juramento, & obligatione ſervandi hanc capitulationem, aliasque leges Imperii. Si fortè Pontifex motu proprio eam concedat, ſe eâ non uſurum. Quid de ejusmodi abſolutione Pontificis à juramentis ſtatuendum ſit, docent Theologi.

Ad ARTICUL. XXXIX.

(1.) CÆſar ordinum Imperii Legatos citò audiat. *(2.)* Privilegia eorum confirmet. (3.) Feudorum inveſtituras ſub prætextu edendorum familiæ pactorum iisdem ne deneget. (4.) In cauſis magni momenti Imperium concernentibus Electorum, ac pro re nata aliorum quoque ſtatuum conſilium adhibeat.

Schleunige Audientz:) Hoc ita primum conſtitutum fuit in *Capitulat. Matthiæ artic. 40.* Cui rei Rudolphi II. mores cauſam dederunt.

Ihre confirmationes Privilegiorum:) Omnium ordinum Imperii privilegia in genere confirmavit Imperator *art. 3. hujus capit.* Nihilominus poſſunt ſinguli Status Imperii confirmationem ſuorum jurium ac privilegiorum ſeparatim ab Imperatore petere, quam ipſis promptè indulgere debet.

Nach dem vorigen Tenor:) Id quod juri feudali communi conſentaneum eſt.

AD ARTICULUM XL.

QUinam præficiendi ſint officiis Imperialibus in conſilio ſecretiori aulico ac militari hîc conſtituitur.

Unſern geheimen Raht / wie auch Reichs-Hof-Raht:) Duo Imperator in aula ſua habet conſilia, in quibus negotia Imperii pertractantur. Alterum vocatur conſilium Secretius, **der Käyſerl. geheime Raht** / ubi cauſæ politicæ ſtatum Imperii, aliorumque Regnorum, quæ Imperator tenet, agitantur, & ideò conſtat hoc conſilium partim ex Germanis, partim verò ex Hungaris, Bohemis atque Italis.

Alte-

Alterum, quod dicitur consilium Cæsaris Imperiale aulicum, **der Käyserliche Reichs-Hof-Raht**/quod causas judiciarias tractat, habetque concurrentem cum Camera Spirensi jurisdictionem, latius tamen quoad nonnullas causas patentem. Quo fit, ut omnes causæ, quæ disceptari possunt, in judicio Spirensi, disceptari quoque possunt in judicio aulico, sed non vice versa. Quod si verò causæ Politicas unà concernant considerationes, in hoc judicio Imperatoris aulico, proceditur tantùm usque ad conclusionem & sententiam, ea tamen non pronunciatur, sed priùs causa cum voto **mit einem Gutachten**/ refertur ad Imperatorem. Quo facto causa proponitur in judicio secretiori, ubi non tam justitiæ & juris quàm status consideratur ratio.

Consiliarii in utroque hoc consilio sint (1.) natione Germani, (2.) in Germania educati, (3.) rerum & constitutionum Imperii gnari. (4.) Electi non omnes ex subditis & vasallis Imperatoris, sed potiùs ex iis, qui alibi in Germania sunt nati, & (5.) ibidem bona possident immobilia, (6.) Honesto loco orti sint, & bonæ famæ (7.) nulli neque Ordinum Imperii neque Principum extraneorum juramento obstricti.

Und Kriegs-Raht:) Quæ dicta hactenus sunt de officiis in Consilio secretiori & aulico, intelligenda sunt quoque de judicio militari. sub hac tamen limitatione, si Imperator nomine Imperii bellum velit gerere, quod tamen, uti ex superioribus notum, sine statuum consensu fieri non potest.

Als da seyn Protectio Germaniæ:) Omnia regna, omnesque nationes, Pontificiæ religioni addicta, solent sibi in aula Pontificis, aliquem ex Cardinalibus protectorem eligere. Hîc cautum, ut Imperator hoc munus nemini committat, nisi qui natione est Germanus. Quod etiam factum. Est enim hodie Protector nationis Germaniæ Cardinalis Hassiacus.

Auff den Ritter-Bäncken:) Assessores Judicii Aulici partim sunt ex ordine equestri, vel Principes, vel Comites, vel Barones, partim verò ex numero Juris Consultorum: Illi dextrum mensæ la-

tus tenent, quod vocatur die Cavallier-oder Ritter-Banck; hi verò sinistrum, quod dicitur der Gelehrten Banck.

Zwischen denen von Ritter-Stand/welche zu Schildt und Helm Ritter-und Stifftmässig gebohren:) Dudum invaluit per universam Germaniam, ut in Ecclesiis Cathedralibus, in numerum Canonicorum ferè recipiantur soli Nobiles, qui longam avorum & proavorum, eâdem dignitate fulgentium, seriem famosasque imagines recensere possunt, qui proinde dicuntur Stifftmässige von Adel. Atque hoc est unicum ferè fulcrum familiarum Nobilium per Germaniam, quæ sunt pontificiæ religionis. Quanquam in *instr. pac. art. 5. §. 17.* constitutum, admittendos quoque esse Patricios, & Gradibus Academicis insignitos, nisi obstet fundatio ipsa; Ejusmodi Nobiles hic æquiparantur Comitibus ac Baronibus, qui votum in Comitiis non habent, adeò ut si priores sint in officio, iis etiam præcedant, quod tamen in aula Cæsaris non observatur.

Reichs-Hoff-Cantzeley:) Sunt quædam officia Imperialia, quæ non ipse Imperator sed Elector Moguntinus, tanquam Archi-Cancellarius Imperii per Germaniam, concedit. Ab hoc enim constituitur primò Vice-Cancellarius Imperii, qui simul est Imperatori à Consiliis Secretioribus, nec exiguæ in aula Cæsarea authoritatis, Deinde constituuntur ab eodem omnes Ministri Cancellariæ Imperialis, veluti Secretarii & Protocollistæ. Hic liberum Moguntino in his officiis concedendis permittitur arbitrium, quod tamen ita accipiendum, ut tales ab eo constituantur, qui Cæsari non sunt ingrati.

Ad ARTICULUM XLI.

Totus agit de Consilio Imperii aulico. **Reichs-Hoffrahts Ordnung:**) *In instr. pac. art. 5. §. 54.* sancitum legitur, etiam in judicio aulico ordinationem Cameræ quoad processum judiciarium servandam esse. Nihilominus Ferdinandus III. Anno 1654. novam ordinationem judicii aulici conscribi jussit, eamque Ratisbo-

næ

næ durantibus Comitiis publici juris fecit, non adhibito consilio ordinum Imperii: Eam *Limn. addit. ad lib. 9. jur. publ. c. 4. n. 34.* inseruit. Hujus communicationem cùm Status Imperii, cumprimis verò protestantes enixissimè flagitarent (zu behöriger Durchsehung und Beyleigung ihrer Erinnerung) omnis ea res, unà cum multis aliis materiis gravissimis, ad prorogata Comitia rejecta est, & inter alia à Cæsare responsum, in concinnanda illa ordinatione, observatam esse dispositionem instrumenti pacis, & quicquid à Deputatis statuum Francofurti monitum sit; simul consiliariis aulicis injunctum esse, ut observent constitutiones Imperii, etiam posthac promulgandas, Grundfeste des heiligen Römischen Reichs/ *pag. 71.* & in illa ipsa ordinatione *tit. 2.* cautum legitur, daß die Reichs Hoff-Rähte so viel möglich unser Käyserlich Kammer-Gerichts Ordnung/ und in allen den Sachen gewöhnlich procesʃ. termin und solennitäten gebrauchen und observiren. Insonderheit aber in allen Processen keine substantialia außlassen/ hingegen wollen wir sie an andere unnöhtige Gerichts solennia, dadurch dem hautpt Werck nichts abgehet/ keines weges verbunden/ sondern vielmehr auff den gemeinen Nutzen und Forderung der Justitz gewiesen und verpflichtet haben. Ubi nemo non videt observationem ordinationis Cameræ, non sine multis limitationibus, Consiliariis aulicis injungi, ut ita via elabendi, si quid secus factum sit, nunquam non possit patere. Quoniam autem Electores hic Imperatorem ad observandam hanc ordinationem obligarunt, tacitè ea videtur simul ab iis approbata, additâ tamen limitatione, nisi aliud constituatur in proximis Comitiis.

Præsidenten und Vice-Præsidenten;) Caput ac Judex hujus consilii est ipse Imperator, cujus nomen non solùm omnia decreta ac sententiæ, sed etiam omnia scripta, quæ ibidem à litigantibus aut supplicantibus exhibentur, præferant. Attamen ipse Imperator non interest huic concilio, sed ibi habet suum Præsidem, qui juxta *art. proximè præced.* debet esse natione Germanus Princeps, Comes, aut Baro, bonis vel immediatis, vel mediatis sufficienter instructus. Hodie Præses hujus consilii est Comes ab Ottingen, Vice-Præses Comes à

Königs-Eck. Uterque Comes Imperii Consiliariorum numerus dependet ab arbitrio Imperatoris, cui placuit, ne ille major sit 18. connumerato Præside, & vice Cancellario Imperii. **R. H. O.** *tit. 1.* §. **und dieweil die.** 2. Quod tamen non ita scrupulosè observatur. Horum tertia pars, addicti sint religioni Protestantium, reliqui Catholici. **R. H. O.** *ibid.* Quod malè habet Evangelicos, uti patet ex illorum memoriali Anno 1654. d. 8. ad Cæsarem scripto, **Grundfeste** *pag. 302.* Si autem lis versetur inter Catholicum & Protestantem, decidenda ea est ab Assessoribus utriusque religionis numero paribus: Quo ipso num plenè satisfactum sit dispositioni *instr. pac. art. 1. §. 55.* aliis dijudicandum relinquitur. Sunt autem consiliarii aulici, partim ex ordine equestri, vel Principes, vel Comites, vel Barones, vel ex numero Juris Consultorum. vid. supra: Inter quos, quoad onus referendi, nulla constituenda est differentia. Ut plurimùm tamen acta traduntur JCtis, in causis præsertim majoris momenti. In votorum collectione, Præses judicii hunc ordinem observare jubetur, ut in causis judiciariis à Juris Consultis, in causis verò Status, initium faciat ab ordine Equestri, *dict. Ordin. tit. 5.* Modernus tamen Præses, etiam in causis, quæ posterioris generis sunt, ut plurimùm primo loco sententiam interrogare solet JCtos. Falsissimum autem est, quod scribit *Monzamb. c. 5. 21.* Consiliarios Imperatoris aulicos, Moguntino juramento esse obstrictos. Quam sententiam haud dubiè hausit, vel ex Speidelio vel ex Sprengero, quorum ille **in Reichs Hoff-Raht** / hic *in jurisprud. publ. p. 373.* eundem errat errorem.

Præstant autem Consiliarii aulici juramentum soli Imperatori, utpote à quo solo constituuntur, qua in re differunt ab Assessoribus Cameræ Spirensis, qui maxima ex parte præsentantur à Statibus Imperii; formula juramenti extat *in fin. ordin. judic. Aul.* ex qua apparet, duo esse ejus potiora capita. Jurant enim (1.) se Dignitati ac Commodis Cæsaris pro viribus velificaturos. (2.) Justitiam juxta leges in Imperio latas aut receptas administraturos. Non desunt tamen qui existimant satius esse primum caput omitti.

Auf unser Hoff-Kammer:) Quemadmodum hoc judicium Imperiale aulicum à solo Imperatore dependet: Ita Imperator hic

hic promittit, se Præsidi & Assessoribus, qui actu munia sui officii obeunt, exactè & ante omnes alios sumptus, ex sua Camera seu fisco stipendium soluturum, quod ideò constitutum, ne justitiam habere cogantur venalem, atque à litigantibus se patiantur corrumpi.

Wegen der Reichs Hoff-Rahts Stell Præcedentz:) *In ordin. judic. aul. tit. 1.* §. **so ist auch unser** / hâc de re sic constitutum, (so ist auch **unser allergnädigster Befehl / Will und Meinung / daß unsers Reichs Hoff-Rähte sampt oder sonders allen Rähten von andern unsern Mitteln (ausserhalb geheimen Rahts) in gleichen Stand vorgehen und vor denselben die** Præcedentz **und Oberstell haben sollen.** Id quod hic confirmatur. Nihilhominus Camerarii Cæsaris (**die Käyserliche Cammer-Herrn**) nolunt ipsis cedere.

Wegen der Zöll:) Gaudent Consiliarii aulici pari immunitate à Teloniis, contributionibus, aliisque oneribus cum Assessoribus Cameræ Spirensis, qua de re vid. *ord. Cam. part. 1. Tit. 49. pr.*

Ad ARTICULUM XLII.

AGit de visitatione judicii Imperialis aulici, & de revisione ibidem permittenda.

Nach besag des Frieden-Schluß:) *scil. art. 5. §. 55.* ubi hæc leguntur verba: Visitatio consilii aulici, fiat ab Electore Moguntino, toties quoties opus fuerit, observatis iis, quæ in proximis Comitiis, de communi statuum placito observanda esse videbuntur. Hinc circa initium Comitiorum adhuc Ratisbonæ durantium, cùm Cæsar ibidem unà cum judicio Imperiali aulico hæreret, visitatio talis à Moguntino fuit instituta. Miror autem reliquos status, præcipuè verò protestantes, soli Moguntino hoc jus concessisse: Nam in Camera Spirensi, Visitatio Cancellariæ, fieri quidem potest à Moguntino, tanquam Archi-Cancellario Imperii, ita tamen ut defectus majores, castigandi sint, & emendandi à Visitatoribus generalibus, *concept. renovat. Ordin. Cam. part. 1. Tit. 39. §. ult.* Ipsius verò judicii Spirensis Visitatio tàm ordinaria

ria quàm extraordinaria, perficienda est à Commissariis Cæsaris, ac statibus Imperii, eorumque deputatis Consiliariis, *vid. cit. Concept. p. 1. Tit. 64. R. 1654. §. 128. & seqq.* ubi in calce Recess. ad jectum Schema visitatorum Extraordinariorum, quanquam ex eo tempore nulla visitatio sit instituta, *add. Blum. Proceß. Tit. 24.*

Unser geheimen Rahts Collegium:) Ita enim reliqui ordines Imperii ad hunc artic. monuerunt, **daß der zukünfftige Käyser die Reichs oder justitz Sachen für seine Geheime oder andere neben Rähte keines weges vornehmen oder handlen lasse**; *Sprenger. jurisprud. public. pag. 152.* Nihilominus fit hodieque, quod notatum est ad *art. 40.*

In offt ermeltem Frieden-Schluß beliebter Revision:) *art. 2. §. 24.* ubi constitutum, loco Revisionis in Camera usitatæ, eum, qui per sententiam in judicio aulico pronunciatam, se gravatum putat, uti posse remedio supplicationis ad Cæsarem, ut acta à Consiliariis utriusque religionis numero paribus, qui concipiendæ & ferendæ priori sententiæ non interfuerunt, denuò per legantur. Hoc remedium hic vocatur Revisio, quod tamen Erfurtensibus fuit denegatum. Multum autem differt, à revisione usitata in judicio Spirensi. Hæc enim (1.) fit à Commissariis Cæsaris, ordinumque Consiliariis, rerum & legum Imperii peritis, ab iis, quos ordo tangit, ad eam rem Spiram missis. In judicio autem aulico Revisio fit à Consiliariis Imperatoris. (2.) In Camera Revisio petenda est in scriptis ab Electore Moguntino, olim quidem tribus mensibus ante Calendas Maji, hodie intra quatuor menses à die latæ sententiæ computandos, non solùm petenda est; sed etiam in Camera reproducenda. *R.* 1654. §. 125. In judicio aulico verò ea est petenda per supplicationem à Cæsare. Conveniunt autem (1.) ratione materiæ sive objecti, utraque enim locum habet in omnibus causis, ubi jure communi appellatio non est prohibita, ut nisi litis æstimatio ratione sortis, non computatis usuris, sit infra 2000. Imperiales. *R.* 1654. §.
zu Abkürtzung 127. (2.) Conveniunt ratione effectus. Utraque enim habet effectum non suspensivum; ut loquuntur, sed tantùm devolutivum. Executio enim sententiarum, propter interpositam revisionem, hodie non suspenditur, modò victor executionem petens, idoneam

præstet

præstet cautionem, se omnia restituturum, si in judicio revisionis succumbat.

Quamvis enim in *instr. pac. art. 5. §. 55.* revisio in judicio aulico instituenda, dicatur remedium suspensivum, tamen id haud dubiè mutatum. *R. 1654.* §. nach Berahtschlagung 124. antequam autem revisio inchoatur in Camera, qui eam petiit pro conditione personæ, & qualitate causæ, certam pecuniæ summam, ex arbitrio revisorum, deponere cogitur, quæ si revisio frivolè interposita deprehenditur, fisco Cæsareo cedit, ad sustentationem Cameræ, & sumptibus revisionis eroganda. *R.* 1654. §. 126. Cætera quæ huc pertinent, *vid. apud Beuder. de Revis.* & *alios rerum Cameralium scriptores.* Illud denique adnotandum, utramque revisionem hodie quiescere.

In ohnerörtertem Rechten schwebende Sachen:) Senatus Cæsaris aulicus, olim causas in Camera Imperiali pendentes indè avocare & ad se trahere conatus est, testantibus querelis Electorum secularium, *Anno 1590. apud Landorp. lib. 2. Actor. publ. Tr. 4. n. 2.* & ordinum protestantium omnium in Comitiis Ratisbon. Sed illud prohibitum est in *ordin. Cam. p. 2. Tit. 35. Instr. pac. art. 2. §. 55. R. 1654.* §. Ebenmässig *166.* idem hic repetitum, Exceptionem suppeditat, *art. 24. hujus Capitul.* ubi Imperator pollicetur, se causas teloniorum inter Electores Rhenanos vertentium, indè avocaturum.

Ad
ARTICUL. XLIII.

NEgotia Imperii non peregrina, sed vel vernacula nobis lingua, vel Latina tractanda sunt, nisi iis in locis, ubi linguæ exoticæ sunt in usu.

Keine andere Zungen/dann die Teutsche:) Alienum fuerit à re proposita, de linguarum varietate, & quænam earum antiquissima, aut de linguæ Teutonicæ præstantia, copiosè disserere, quæ omnia persecutus est Limnæus ad art. 14. Capit. Caroli V. id saltem adnotare juverit, olim non solùm in negotiis actisque imperii, & literis publicis, sed etiam in judiciis, ac extra illa, in contractuum privatorũ instrumentis

tis, solam linguam latinam fuisse adhibitam, exulante Germanicâ, quam vix scriptura exprimi posse, plerisque erat persuasum, & observatum est, à nonnullis, Decrectum sive Recessum Comitiorum *anno 1236.* imperante Friderico II. Moguntiæ habitorum, omnium instrumentorum primum esse, quod vernacula lingua scriptum: In codice Recessuum, quem habemus, illud non extat, sed exhibetur à *Goldasto part. 2.* der Reichs-Satzungen. *p. 17.* memoriæ proditum est, Rudolphum I. Imperatorem *Anno 1274.* publico edicto statuisse, ut posthac in judiciis pariter ac Comitiis Imperii, nec non Instrumentis Notariorum, lingua usurparetur Germanica. *Crucius in annal. Suevic. part. 2. lib. 1. c. 8. f. 13. Avent. lib. 7. Annal. Bajor. Lehman. Cron. Spir. lib. 5. c. 107.* quod uti non omni caret dubio, cùm istæc Rudolphi constitutio à nemine visa sit, aut consignata literis, ita illud certum est, post illa tempora, linguæ Teutonicæ usum in publicis privatisque momentis componendis, fuisse frequentiorem.

In allweg an unserm Reichs-Hoff-Raht der Teutschen:) Quamvis populi Imperio Germanico subjecti, alii nitantur lingua Italica, alii Sclavonica, alii, velut Regni Arelatensis subditi, Gallica, in judico tamen aulico nulla recipiuntur scripta nisi Teutonica aut latina lingua exarata. Quod ideò fieri credo, quia multi Assessorum aut Consiliariorum exoticarum linguarum non sunt periti. Idem observatur in Camera, teste experientia & *ord. Cam. p. 2. tit. 31. n. 7.* idem præceptum est Notariis in conficiendis omnis generis instrumentis *R. 1512.*

AD
ARTICUL. XLIV.

TRactat de dignitatibus ab Imperatore conferendis, & de Taxa Cancellariæ.

So in Gnaden und andern Sachen:) Alia sunt negotia Gratiæ, alia justitiæ GRATIÆ sunt, quæ à sola benignitate Imperatoris dependent, veluti Dignitates aut privilegia conferre. Justitiæ sunt, quæ in componendis civium altercantium, & jus suum persequentium litibus versantur, inter quæ magna licèt differentia sit, utriusque

tamen

tamen generis diplomata nomine Cæſaris, qua talis expedienda in nulla alia Cancellaria, præterquam Imperiali expedienda ſunt.

Nobilitationes:) Reſervata ſeu relicta eſt Imperatori poteſtas omnis generis dignitates conferendi, ſed Archiduces Auſtriæ in ſuis provinciis exercent quoque jus creandi Comites, Barones, Nobiles, utrùm autem reliqui etiam ſtatus nobiles creare poſſunt, quæritur? Affirmat hoc *Vultejus lib. 1. de feud. c. 8. n. 10. Roſenthal. de feud. c. 5. concl. 13. lib. 6.* atque hanc ſententiam *Nolden de ſtat. Nobilium civili. c. 7.* indè probat, quòd (1.) Ordines Imperii jure proprio & ordinario univerſalem jurisdictionem obtineant, (2.) in ſuis territoriis omnia poſſint, quæ Imperator poteſt in Imperio, alii ad conſuetudinem quoque provocant. Quidam verò hoc jus ſolis Electoribus tribuunt, reliquis verò Principibus denegant, eò quòd Electores facultatem habeant eligendi Imperatorem, proinde abſurdum eſſe, poteſtatem nobilitandi ipſis denegare. Sed verius eſt, neque Electores, neque alios Imperii Principes hoc jure gaudere. aliàs fruſtra Auſtriacis peculiari privilegio foret conceſſum.

Ad argumentum primum Nold. ℞. Negando ita univerſalem jurisdictionem ſtatibus Imperii competere, ut illi poſſint exercere omnia jura ſummi Imperii in ſuis territoriis. Sunt enim quædam Imperatori reſervata. Et ſi hoc verum eſſet, ſequeretur, omnes, qui jurisdictionem territorialem habent, etiam Civitates, & Nobiles Imperiales poſſe nobiles creare, quod nec ipſi diſſentientes conceſſerint. Idem quoque ℞. ad argumentum ſecundum. Quamvis enim iſtæc inter Imperatorem & ſtatus Imperii comparatio in iis, quæ ſtatibus, competant, adeò vera ſit, ut plus etiam ſtatus in ſuis territoriis, quàm Imperator in imperio; in multis tamen illa claudicat. Et ſequeretur indè eos, qui à Principibus imperii nobilitati ſunt, nobiles tantùm eſſe in Nobilitantium provinciis ſeu territoriis; qualem nobilitatem nemo facilè affectaverit. Conſuetudo, ad quam alii provocant, nondum eſt probata. Argumentum pro Electoribus adductum, ſi à facultate eligendi ad facultatem nobiles creandi argumentari velimus, potiùs probat contrarium. Quemadmodum enim unius Electoris ſuffragium non facit Imperatorem, ita ſingulis Electoribus jus nobilitandi tribui non poteſt, Colle-

gio verò Electorali tempore interregni hoc jus denegamus. Sed non sequitur, Collegium Electorale gradum nobilitatis potest conferre, E. quilibet Elector in suo territorio extra collegium eandem habet facul-cultatem. Vicarii tamen tempore vacantis Imperii hoc jus exercere possunt, & exercuerunt nuperrimo interregno. De Comite palatino etiam extra vicariatus casum ita scribit *Freher. ad P. de Andlo. l. 2. c. 11.* Principes Palatini hæc eximia facultas non solùm Nobiles sed etiam Comites creandi ab antiquo præscripta, & diversis actibus comprobata, extra controversiam est. Unde potestas illa dandi insignia, plebejos nobilitandi, spurios legitimandi etiam in titulares & imaginarios illos Palatinos, derivata, originem habere videtur.

Palatinaten:) Hac appellatione hoc loco non continetur Principatus talis, cui id nominis inditum est, qualis est Palatinatus ad Rhenum, sed significatur ea dignitas, quæ ab Imperatore confertur iis, qui Germanicè **Käyserl. Hoff-und Pfaltz-Graffen** vel etiam **Hoff-Graffen**/Latinè verò Comites Palatini dicantur, non quòd sint de Principatu, qui Palatinatus dicitur, investiti, sed quòd quædam jura Cæsarei Palatii, ipsis communicentur, quorum vulgaria & quotidiana sunt, quòd possunt creare Notarios seu tabelliones, legitimare spurios, coronare Poëtas. Reliqua sunt majoris momenti, ac proinde non omnibus Comitibus Palatinis, sed quibusdam tantùm ex speciali beneficio concedi solent, veluti Doctores omnium facultatum creare, nobilitatis gradum conferre, insignia concedere; adoptionibus, arrogationibus, emancipationibus nomine Cæsaris authoritatem accommodare, veniam ætatis indulgere &c. quidam etiam hoc habent, quòd & ipsi Comites Palatinos creare possint, quale Privilegium à Carolo V. concessum est *Anno 1624.* Gabrieli Comiti ab Ortenburg, ejusque descendentibus virilis stirpis, Plerisque facultas datur etiam sibi substituendi, qui dicitur vice Comes Palatinus.

Doctores autem & Magistri ab hisce Comitibus Palatinis renunciati appellantur vulgò bullati, quòd literis alicujus Comitis Palatini bulla, seu sigillo majore absque brevio examine Academico nitantur.

De hisce quæri solet, utrùm iisdem privilegiis fruantur in illis, qui ritu solenni publicè in aliqua Academia promoti sunt? Negat *Colerus de*

de process. execut. p. 2. c. 3. N. 138. Nold. de Stat. Nobil. 5. num. 172. & 173. (1.) quòd non sint ritè examinati, ac proinde non constet sufficienter de eorum scientia, quæ fundamentum est dignitatis Doctoralis. (2.) Non sunt solenni ritu renunciati, puta impositione pieli, ac traditione annuli, ac libri aperti & clausi. (3.) Non recipiuntur in collegia Canonicorum. (4.) Nec in numerum Assessorum Spirensium. *ordin. Cam. part. 1. tit.* 8. §. **desgleichen.** Verùm enim verò mihi hæc quæstio decidenda videtur ex diplomate Cæsareo, cuilibet Palatino Comiti concesso. Si enim ibi scriptum sit, debere Doctores à Comite Palatino renunciatos paribus privilegiis, parique frui facultete ubivis terrarum docendi, legendi, advocandi, cum Doctoribus in Academiis creatis, id quod plerumque fieri solet, quis hoc ausit vocare in dubium? Quemadmodum enim Imperator hanc facultatem concedit Academiis, ita eandem quoque Comitibus Palatinis tribuere potest. Ad argumenta dissentientium in proclivi est respondere. (1.) Falsum est Doctores bullatos non examinari, solent enim diplomata Cæsarea præcipere Comitibus Palatinis, ut adhibitis duobus vel tribus ejusdem facultatis Doctoribus Canditatum examini subjiciant. Id si observaverint, præsumendi sunt idoneos evexisse. Nec ad rem pertinet, quòd multi eorum postea deprehendantur indocti. Idem enim de iis exxerientia quoq; testatur, qui in Academiis illos titulos obtinuerunt. Et quemadmodũ multi Nobiles virtute, quæ fundamentum est nobilitatis, destituti, privilegiis tamen nobilium gaudent; ita fieri potest, ut, qui ritè Doctoris titulum in Academia vel à Comite Palatino consecutus, Doctorum privilegiis gaudeat, quamvis sit indoctus. (2.) Inania solennium ad rem nihil pertinent; & solent magnam partem observari quoque à Comitibus Palatinis. (3.) Doctores bullatos non recipi in collegia Canonicorum, nondum est demonstratnm; & si aliundè talis consuetudo extaret, meritò prævalere deberet voluntas Imperatoris, Doctorcs hosce pari cum reliquis loco habendos esse, præcipientis. (4.) Locus ex *ordin. Cam. part. 1. tit. 3.* adductus non probat, Doctores bullatos non esse in numerum Assessorum Spirensium cooptandos, sed tantùm requirit, ut Assessores in aliqua Academia publicè jura docuerint, aut saltem per quin-

quennium huic ſtudio operam dederint, quod poſterius tamen hodie non amplius attenditur. *R. 1654.* §. Sintemahl aber *28.* Et quamvis fortè non extet exemplum Doctoris aut Licenciati bullati inter Aſſeſſores recepti, tamen nec exemplum afferri poſſe puto, quòdquis propter ſolam hanc cauſam ſit rejectus. *Limn. lib. 8. c. 8. n. 14.*

Niemand aber von den neu-erhöheten:) Permiſſum quidem eſt Imperatori creare Principes & Comites, quando autem hi volunt cooptari in Collegium Principum, atque in Comitiis ad jus ſuffragii admitti, requiritur (1.) ut parent ſibi ſufficientem Bonorum immediatorum copiam, dignitati, quam conſecuti ſunt congruam. (2.) Accedat conſenſus Electorum. (3.) Audiatur antea ſuper ea re collegium, in quod recipi deſiderant. Nonnulli quidem ante paucos annos recepti ſunt, qui bonis immediatis deſtituuntur; ſed factum illud ex ſpeciali gratia & cum proteſtatione, qua de re actum ad *artic. 3. hujus Capitul.*

AD
ARTICULUM XLV.

TOtus novus eſt, agens de taxa Imperialis Cancellariæ, qui ut intelligatur, repetendum ex ſuperioribus, Cancellariam illam Imperialem dependere à Moguntino, tanquam Archi-Cancellario Imperii, qui miniſtris eidem inſervientibus ſtipendium ſolvit ex eo, quod ibidem pro diplomatibus, aliiſque ſcriptis redimendis loco taxæ, uti vocant, dandum eſt. Hujus taxæ reditus adeò hic dicuntur imminuti, ut non ſufficiant ſtipendio miniſtris ſolvendo, idque duplici de cauſa (1.) propter frequentes taxæ remiſſiones aut moderationes (2.) quia illi, quibus ab Imperatore, vel nova Dignitas collata, vel privilegia donata ſunt, non ſolent diplomata ex Cancellaria redimere, nihilominus tamen titulum iſtius Dignitatis, aut privilegium uſurpare. Et ideò ad præcavenda ulteriora taxæ decrementa, hic conſtitutum eſt, remiſſionem, aut moderationem taxæ non ab Imperatore, ſed à Moguntino poſthæc impetrandam & concedendam eſſe. Eos autem, qui vel Novæ Dignitatis titulo, vel privilegio obtento, diplomata

mata redimere intra trium mensium spatium negligunt, ipso jure, eô quod impetrarunt, iterum privari, nec cuiquam permittendum esse, ut absque Cæsaris aut ejus Palatinorum concessione authoritate propriâ novis utatur titulis, novisve insignibus.

Ad ARTICUL. XLVI.

QUæ hôc articulo constituta sunt, concernunt favorem Vicariorum Electoralium.

Sonderlich des heiligen Reichs Chur-Fürsten:) Nota quòd Electores appellentur hic intima membra Cæsaris, & Capitales columnæ Imperii, quæ Elogia iisdem tribuuntur quoque *in A. B. in procem.* ubi præterea dicuntur septem Candelabra, unde dignitas Electorum præ aliis Imperii membris elucescit.

Deroselben Ampts-Verweser/und Erb-ämpter:) Singuli Electores seculares, respectu muneris, quod Electoratui adhæret, habent suos vicarios hæreditarios. Bohemus Pincernam de Limburg, Bavarus Dapiferum de Walburg, Saxo Mareschallum de Pappenheim, Brandenburgicus olim Camerarium de Falckenstein, hodie Comitem vel Principem de Hohenzollern. Palatinus Thesaurarium Comitem de Süntzendorff. Exercent autem hæc officia hi vicarii in Coronationibus, aliisque curiis Imperatorum solennibus. 1. Si contingat Electores Archiofficiarios abesse. 2. Etiamsi hi præsentes sint, vicarii debent eos tanquam sublevare. Sic Elector Saxoniæ, si adsit, incipit tantùm distribuere avenam, reliquam ejus vicarius distribuit. Idem judicium esto de reliquis. Hodie tantus ceremoniarum apparatus, si excipias Coronationes, in aliis conventibus vix adhiberi solet. Circa primum casum quæsitum sæpius fuit, an absente Electore seculari officium ejus per absentis legatum, an verò per Vicarium ejus hæreditarium sit administrandum? sanè *A. B. c. 28.* Electoribus dilucidè surrogat Vicarios hæreditarios, ut ita non videatur opus esse decisionem hujus controversiæ ab observantiâ actuum petere. Planè in iis, quæ propriè officium hæreditarium

non

non concernunt, ut est prælatio insignium, legatos vicariis fuisse interdum præpositos non abnuerim.

Von unsern Hoff-ämptern:) Inter vicarios Electorum, & ordinarios Cæsaris Ministros aulicos ratione horum officiorum, indéque pervenientium fructuum aliquoties exortæ sunt lites, vid. *Limn. lib. 3. de jur. publ. c. 7. §. 74.* quæ ut inposterum præcaveantur, hîc constitutum, non permissurum Cæsarem, ut ministri aulici in præjudicium Vicariorum Electoralium quid faciant.

Oder da je wegen Abwesenheit:) Absentibus Electorum Vicariis vices eorum explendæ sunt à Ministris Cæsaris aulicis, emolumenta tamen, indè provenientia, relinquenda sunt Electorum Vicariis, non secus ac si ipsi munia illa obiissent, id quod est contra *A.B. c. 28. §. sicut autem hactenus, in fin.*

Unserm Hoff-Marschall:) Aulæ Mareschallus Cæsareus jurisdictionem habet non modò in omnes aulicos, & ministros, aliosque ad aulam Cæsaream spectantes, sed & in Statuum Imperii Agentes, Legatos, Prolegatos, Deputatos, Sollicitatores, aliosque in aula Cæsarea rerum quid agentes, item in aulicos negotiatores, opifices, nec non meretrices, impudicitiam professas, ac Judæos, unde magnum ipsi lucrum. Pertinet propterea ad ipsius officium metata cuique assignare (**Hoff-Quartier** vocant) cujus rei causa ille suum habet Metatorem (**Quartier-Meister**) cui inferiores metatores (**Furierer**) subjecti sunt, vid. *Stat. Regim. Ferdin. II.* A sententiis à Mareschallo aulico pronunciatis revisio peti potest in judicio Imperiali aulico, exceptis causis Judæorum & Negotiatorum, Viennæ domicilium habentium. **R. H. O.** *Tit. 2. §. fin.*

Ad ARTICUL. XLVII.

CAPITULATIO est Lex fundamentalis Imperii, observanda quoque à Consilio secretiori Cæsaris, Senatu ejusdem Imperiali aulico, & Camera Spirensi: ne ullus ignorantiæ à Consiliariis cùm secretis, tum aulicis, aut Assessoribus Spirensibus prætendi possit color,

Capitulatio ab Imperatore ipsis est communicanda, & juramento ipsorum inserenda clausula, ut cum pro norma in consiliis, aliisque negotiis, Imperium ejusve membra concernentibus, habeant.

EPILOGUS.

Hic denuò Imperator promittit Capitulationis observantiam, renunciatque omnibus Exceptionibus.

Decretum Collegii Electoralis.

IN *A. B. c.* 1. *sub finem*, durante Electione, omnes peregrini ex urbe Francofurto exesse jubentur. Qua appellatione continentur quoque Principes, ac alii Status Imperii, nisi sint in Comitatu Electorum. Verùm cùm ageretur de Electione nostri Leopoldi, durantibus istis tractatibus, non tantùm aliis Imperii statibus, sed etiam legatis Regum Galliæ & Hispaniæ adesse licuit. Qua de causa Elector Saxoniæ Moguntinum monuit, ut ad promovendum Electionis negotium exire juberentur, ut securitati Electorum satis esset consultum; sed responsum fuit, id tum rectè fieri, ubi finitis tractatibus præviis ad ipsum Electionis actum esset perventum, neque novum esse, ut præsentibus etiam exteris de Electione Cæsaris agatur; sed ita observatum per integrum seculum, cumprimis Anno 1636. & 1653. Qua in re Moguntinus Regi Galliæ potissimùm gratificari voluisse creditur. Placuit tandem

hoc decretum Collegii Electoralis, loco Protestationis, calci hujus Capitulationis adjicere.

Hæc ad Capitulationem Leopoldi Imperatoris nostri Gloriosissimi notasse sufficiant. Plura addi potuisse fateor, ausim tamen affirmare, ne verbum quidem, quod aliquam obscuritatem, aut difficultatem habere visum fuit, præteritum esse. Si quæ liberiùs posita sunt, ea sine cujusquam injuria accipi velim, atque ea de re etiam atque etiam protestor.

FINIS.

De

DE VITÆ DEFENSIONIS FAVORE *Dissertatio.*

OPeram perdere me & oleum, credet forsitan aliquis, hoc Disputationis eligendo Argumentum, quod à magni nominis Viris latè eruditéque elaboratum esse constat. Ast, vel illa, de hac materia disserendi dedit ansam, Authorum copia. Suos quælibet Opinio habet asseclas: pro qua militant alii, eandem alii solidoribus, ceu credunt, argumentis refutant. Et quem potissimùm sequare, non facilè in propatulo est. Nobis, nec in totum ab aliorum mentibus recedere, nec per omnia eis servire, animus est. Brevitati, quantum fieri potest, studeo: quid enim aliorum compilare lucubrationes juvat? Poterat allata excusationis loco esse ratio: est & alia. Quæ in vita communi necessaria, utiliaque sunt, tractanda esse, dicit *JCtus* noster *Paulus in l. 25. ff. de liberat. legat.* & consentit *Ulpianus in l. 1. pr. ff. de susp. tut. & curat.* in eamque, *Gothof. lit. G.* Herculè, cùm nemo tam patiens sit, ut velit discere, quod in usu sit,

teste *Plinio jun. lib. 8. ad Arist.* Nemo erit etiam tam impatiens, ut nolit discere quod in usu sit. Optandum quidem esset, Schyttis, & Turcis, aliisque Christiani nominis hostibus, vitæ alterius insidias struendi, detestandum morem solis relinqui: & utinam hæc vitia Genti nostræ incognita planè essent! Verùm enim verò, cùm plurimos totâ die, robore corporis stolidè feroces, in eo omnem gloriæ suæ spem ponere videamus, ut aliis, de se nihil tale meritis, animam suâ eripiant manu; qui tamen mos nec Lupis, nec unquam fuit Leonibus, nisi in dispar genus: placuit mihi paucis de DEFENSIONE VITÆ disserere; satius, quippe esse judico, aliquid quàm nihil agere. A tua, Lector Amice, desidero benevolentiâ, tritum illud Poëtæ;

- - - *Si quid novisti rectius istis,*
Candidus imperti &c.

I.

Flet Disputationis hujus initium, bono cum DEO, ab ipsa Definitione: Brevitati enim dum studeo, de Etymologia, Synonymia, & Homonymia vocis, parùm sum sollicitus. Definio autem Defensionem, de qua præsens sermo est; Quòd sit, *vis, quæ Vitæ instat moderata propulsatio.*

II. Esse hanc Defensionem juris Naturalis, Gentium, Civilis & Canonici, dubio caret omni: quatenus, & in quantum, disceptatur. In tres potissiùm Viri eruditi dilabuntur opiniones. *Donellus 1. Comm. 10.* credit, cum asseclis, ipsum etiam moderamen inculpatæ tutelæ esse juris Naturalis. *Conanus*, multique alii consentiunt, 1. *Comm. 6. n. 8.* statuit, moderamen inculpatæ tutelæ juri Civili suam debere originem. Ultima communior est sententia: quòd scilicet Defensio legitima

tima & inculpata sit juris Gentium. Nos, cùm omne jus rectè dividatur in *Commune* & *Proprium*, (sicuti *Aristotel. 5. Ethic. 7.* omnia partitur jura in Naturalia, & Voluntaria seu legitima) Defensionem dicimus esse juris communis Naturalis. Stoici eam ad prima Naturæ referunt, vide *Ciceron. lib. 2. de finib. bonor.* in animalia bruta etiam cadentia, ad quæ feruntur ex inclinatione merè naturali & necessariâ. Hinc *Plinius*; *omni animantium generi à Natura tributum est, ut se, vitam, corpusque, tueatur, & si vis inferatur, nullum sit, cui non sit prompta ad se defendendum alacritas*: & *Propertius lib. 2. Eleg.*

Non solùm taurus ferit uncis cornibus hostem,
Verùm etiam instanti læsa repugnat ovis.

Nec alio fine, statuit *Arumæus disp. 1. ad ff. Th. 1. quæst. 1.* Leonibus robur, Apibus aculeos, Tauris sponte nascentia cornua data esse, quàm ut lacessiti in sui protectionem iis utantur. Propriè tamen jus Naturæ in Bruta non cadit, sed demum in hominem, cùm accedit ratio naturalis: de quo latiùs infrà; cùm de Fine Defensionis agemus. Ratione moderaminis inculpatæ tutelæ juris Communis est etiam Defensio: & quidem illius juris, quod toti humano Generi innatum est, & ideo jus Naturale audit, uti in *l. 4. l. 11. ff. de j. & j. §. 11. inst. de jure N. G. & C. pr. inst. de Nupt.* interpretum non pauci jus Gentium primævum nominant: & de illo loquitur *l. 1. C. unde vi*, & *Cicero pro Milon. est hæc non scripta sed nata Lex, &c. ut si vita nostra in aliquam vim incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis.* Hinc in propatulo est, juris Civilis esse Defensionem ratione comprobationis tantùm: unde celeberrimus *Bæclerus in comm. ad Grot. c. 1. §. 3. lib. 2, Civilis*, ait, *Lex sequitur hic naturalem rationem.*

III. Jure Divino an licita sit Defensio, & quidem Voluntario, non adeò liquet. Non defuere, qui negarunt, dari casum, quo liceat vitâ privare Hominem: adeò ut ne concessum quidem voluerint illis, qui in Republ. summam habent potestatem, pœnâ capitali malefactores afficere: vide hanc sententiam Waldensibus tribuentem *Molinam tom. 3. de justit. & jure parte post. tract. 3. d. 5. n. 1.* & *Cardinalem de Lugo tomo 1. de j. & j. d. x. sect. 2. n. 56,* qui *Castrum* & *Guidonem* adversus Hæres. verbo occidere, Hæres. 1. hoc referre dicunt: (statue-

rint ne hoc Waldenses, admodum ego dubito: multas enim opiniones iis à Pontificiis affictas esse post *B. Lutherum* etiam *Thuanus lib.6. Histor.* & *Boxhornius p. 717. Hist. suæ Univer.* meminit) eandemque, defendisse opinionem, Nicolaum Bohemum, Legatum nationis suæ in Concilio Basiliensi, Molina & Card. de Lugo, dictis locis, asserunt. Rationes, forsitan, sequentes, omnem illicitam esse occisionẽ qui defendunt, movissent 1. Generale præceptum *non occides*, quod universaliter absque exceptione malefactorum loqui videtur. *Altera* desumeretur ratio ex parabola Zizaniorum, quæ legitur *Matth. XII. vis ne*, dicunt servi, *imus & colligimus Zizania*; *&* ait Paterfamiliâs *non, ne fortè Zizania colligentes, eradicetis simul cum eis triticum: sinite utraque crescere usque ad messem. Tertium* esset argumentum, quòd omnes eos, qui potestate gaudent aliqua, Deum, prudentissimum judicem, imitari deceat: ast *Deus*, ceu videre est *Ezechiel 33. vivo Ego*, ait, *nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat.* Quartam mutuari se posse rationem, crederent, ex dicto illo *ad Romanos XII. nulli malum pro malo reddite.* Ultimò adducerent, *Sapient. XVI.* scriptum esse, *tu es, Domine, qui vitæ & mortis habet potestatem*: & *Deut. XXXII. Ego occidam, & Ego vivere faciam.* Sed cui hæ, aut ullæ, rationes, nunquam hominem vitâ esse privandum, persuadebunt; eundem Helleboro dignum esse, credo. Magnum etiam *Scotus* errat errorem, *4. distinct. 15. quæst. 3. art. 2.* uti tradit *Molina dict. disp. 5. n. 1*, dum ait, *præceptum illud, non occides, universale est: quare, cùm solus possit Deus in suis Legibus dispensare, nefas est quemquam occidere, nisi quatenus constiterit, Deum illud expressè concessisse, dispensando in quinto Decalogi præcepto*: hinc infert, nefas esse interficere simplicem furem, &c. Ulteriùs etiam inferri posset, non licere committere Defensionem inculpatæ tutelæ, nam hanc Deum expressè concessisse. Refutat Scotum *Molina Disp. 695. tract. 2. tom. 3. & dicta Disp. 5. tract. 3. tom. 2. n. 1. Cardinal. de Lugo d. tr. tom. 1. d. x. sect. 2.* quos, si placet, vide.

Non est ergo quod dubitemus, justâ de causâ licere hominem interficere: sed an etiam Christiano id jure competat, ut injustum invasorem, adhibito moderamine inculpatæ tutulæ, possit interimere? alia

alia quæstio est. Potuit quidem Deus T. O. M. vitæ omnium dominus, imperare, ut potiùs patiamur nos occidi, quàm ut injustum occidamus invasorem; quod & *Grotius* statuit *lib. 1. de jur. bell. & pac. cap. 3. §. 3.* an autem talem à nobis exegerit patientiam, in quæstione est. Sunt qui asserant; nixi verbis scripturæ, uti volunt. Verba Christi *Matthæi 5.* credunt esse clara, *Ego dico vobis non resistite malo, sed si quis te percusserit in dextram maxillam, præbe & alteram. Audistis quod dictum est, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est.* Ex his tale nectunt argumentum. Quicunque non diligit inimicos suos, & non benefacit his qui oderunt se, ille non est filius Patris, qui in cœlis est: Atque, qui injustum aggressorem vitâ privat, non diligit inimicum suum, nec benefacit osori suo: Ergo. Minorem probant ita: Quicunque inimici animam ad inferos mittit, ille non diligit inimicum, nec benefacit osori suo: Atque, quicunque interficit injustum aggressorem, animam inimici ad inferos mittit: Ergo. Respondeo ad minorem, ex *c. 9. causa 23. quæst. 5.* aliquando eum, qui causa mortis est, potiùs esse in culpa, quàm qui occidit. Injustus, herculè, aggressor ab admittente moderamen inculpatæ tutelæ vitâ privatus, causa suæ necis est; seque, defendens, causa saltem sine qua non, ut Logici loquuntur. Nec ita se defendens contra Salvatoris nostri agit præceptum; dum diligit inimicum suum, optando illius animæ æternam salutem: non occisurus si vitæ periculum absit: orat pro persecutore & calumniatore suo, injustum aggressorem, ex vulnere accepto jam jam moriturum, etiam atque etiam admonendo, ut agnoscat peccata sua, remissionemque eorum à summi Numinis clementiâ petat: & aggressore maledictis nihilominus in se invehente, preces pro conversione ejus ad Deum mittendo. Et hoc, non quod adversarii volunt, est, quod Dominus noster JEsus Christus à nobis exigit. Fateor quidem, salutem proximi æternam præferendam esse vitæ temporali propriæ: ast, illa obligatio non est universalis; nisi in casu necessitatis extremæ, cujus necessarium est requisitum, ut nostro proximus indigeat auxilio: injustum autem aggressorem meo indigere

gere auxilio, nemo asseret. Sit casus; aliquis, habens quo cibos sibi compararet, non vult expendere, & hinc ex fame mors ipsi instet: quis unquam statuet obligatum me fuisse ad dandum ei ex meis pecuniis, ut emeret ad victum necessaria? non enim indiguit, *Card. de Lugo d. tract. disp. x. sect. 6. n. 142.* Scriptum est, *quod tibi vis fieri alteri feceris*: hoc autem intelligitur de iis, quæ rationabiliter volumus, & ab aliis desideramus: nemo autem rationabiliter vult, ut quando ipse propriis pecuniis suæ potest necessitati subvenire, adjuvetur ab aliis; sic etiam nemo rationabiliter desiderat, quod dum potest facilè suæ saluti consulere, alium non invadendo injustè, subveniatur ab aliis, sinentibus se injustè occidi, ut ejus saluti consulatur. Imò, quæ facta contra bonos mores sunt, nec facere nos posse credendum est. *l. 15. ff. de condit. instit.* Adde, datâ contrariâ sententiâ, verba recito *Molinæ dict. tract. 3. disp. 13. num. 2.*) quòd scilicet lege caritatis, ne iniqui suâ culpâ interitum incurrant æternum, teneamur ab eis pati jacturam injustam vitæ, condemnantur bella justa, etiam defensiva, quibus adversarii contra nos cum aperto lethali peccato pugnant, eo magis quo magis perspicuum est, illos cum injustitia pugnare. Ast bella justa licita esse, probat, inter alios, *Grotius de jure B. & P. lib. 1. c. 2.* per totum, & in illud Dn. *Bæclerus.*

V. Verba illa *Christi, ne resistite malo, sed si quis percusserit dextram,* &c. planè nihil contra nos faciunt. Salvator enim generis Humani ibi, injurias quasdam non arceri vult: sed quas? tolerabiles scilicet, qualis est alapa, quæ nec vitæ nec corpori perniciosa est, & nos deteriores non reddit. Reliqua S. Scripturæ loca, quæ potissimùm contra nos urgentur, sunt hæc. *Ad Romanos XII. vers. 19. non vosmet ipsos defendetis, sed date locum iræ: scriptum enim est, mihi vindicta, & Ego retribuam, dicit Dominus. Nulli malum pro malo reddite. Roman. XIII. vers. 10. dilectio malum proximo non operatur. I. Petr. 3. vers. 9. non reddite malum pro malo.* Denique afferunt præceptum illud Domini nostri ad Petrum *Matth. 26. vers. 52. repone gladium tuum in vaginam, nam, quicunque acceperint gladium, gladio peribunt.* Sed hæc dicta Defensionem nullo tollere modo, dilucidè, singula explicando, probarem, nisi tempus lucrari placeret. In genere ad omnia S. Scripturæ

ræ loca respondeo, quæ contra Defensionem esse nonnullis videntur: quòd communi bono maximè contrarium sit præceptum hoc, pati jacturam injustam vitæ nostræ, ne, nos defendendo, injustum aggressorem interficiamus. Tunc enim pessimi quiq; probos invaderent & trucidarent, scientes, se non posse licitè ab eis in talibus circumstantiis interfici: atque ita accrescerent mala, iniquique multiplicarentur in Republica, cum majori detrimento eorundem sprirituali. Quare, si mens Christi fuisset talem rerum statum, qualis auditus nunquam fuerat, inducere, haud dubiè verbis quàm maximè disertis ac specialibus id edixisset, ne quis se defenderet, aut arma ad defensionem suam ferret: quod fecisse nusquam legitur; nam quæ afferuntur, aut valde sunt generalia, aut obscura, aut ad præsentem quæstionem nihil faciunt. Clarum contrà & perspicuum est pro nostra sententia testimonium, ad *Romanos XII. v. 18, si fieri potest, quoad in vobis est, cum omnibus Hominibus pacem habete.* Ex quo commodè infero, si fieri non potest, ut cum omnibus hominibus pacem habeam, sequitur, quòd tunc cum nonnullis necesse sit bellum habere: Sed cum injusto aggressore, qui à proposito nullo modo discedere vult, fieri non potest ut pacem habeam; ergo bellum. Bellum autem aliud est privatum, aliud publicum, aliud mixtum: inter privatum numeratur, etiam defensio inculpatæ tutelæ. Grotius d. tr. l. 1. c. 3.

VI. Defensionem jure Poli licitam non esse statuentes, dictis Patrum probare se hoc posse, credunt. *Augustinus lib. 1. de Lib. arb. c. 5, Legem quidem non reprehendo,* ait, *quæ tales* (latrones, & alios invasores violentos) *permittit interfici, sed quomodo istos qui interficiunt defendam, non video*: idem repetit *c. 14. & 15. Epist. 154. ad Public. & Lib. 1. de Civ. Dei c. 21. Ambrosius de Offic. 3. c. 3. Christianus etiamsi in latronem armatum incidat, ferientem referire non potest, ne, dum salutem defendit, pietatem contaminet.* Ejusdem esse sententiæ videtur *Erasmus Roterodamus in Enchirid. suo Milit. Christ. tit. Opini. Christiano dign. canon. 6. p. 84, Nihil moror*, verba ejus sunt, *quid Leges Imperatoriæ permittant; hoc demiror, unde istæ voces in mores Christianorum pervenerint, nocui, sed lacessitus. Esto non puniunt Leges humanæ quod indulserunt, at quid facturus est Christus, si suæ Legi fraudem feceris, quæ exstat*

apud Matth. Ego autem dico vobis,&c. Sed Erasmo satisfactum est in explicatione verborum Salvatoris nostri thes. 4. si hæc fuit Erasmo mens, omnem Defensionem illicitam esse, affirmare. Ad Augustini loca varii varia respondent: quorum responsa refert, & impugnant, *Turrianus disp. 27, dub. 1. num. 9. & 10.* Alii fatentur Augustinum in ea fuisse sententia; ita *Sotus de j. & j. & Turrianus d. l. n. 11.* Nobis probabile videtur, Augustinum & Ambrosium loqui de invaso, qui malo animo vindictæ aggressorem occidit. Ostendimus jure Divino etiam licitam esse Defensionem. Non tamen eò distinctionem inter forum fori, & forum poli, tollere, animus fuit. Scilicet, non illæ rationes, quæ in foro fori excusant, in foro poli sufficiunt. Requiritur in foro fori ut præcedens aggressio sit injusta, quâ vis vitæ intenditur: & ut ista offensio justo defendendi modo propulsetur: uti infrà latiùs ostendemus. Hæc requisita probans, extra pœnam civilem est. In foro autem Poli, & dicta; & contritio cordis, & pœnitentia ob admissum homicidium, liberabunt aliquem: præsertim, cùm neminem in Defensione naturam ita continere credam, ut penitus peccet nihil: adeóque generale *imperatoris in Nov. 133. c. 5.* effatum, defensioni, suo modo, bene applicemus.

VII. Videamus nunc utrùm Defensio sit juris præceptivi: an permissivi tantùm, Fuere, qui asserebant, nisi corpus nostrum tueamur cùm possemus, peccari à nobis perinde, atque si nobismet ipsi vim intulissemus. *Obrechtus de Necess. Def. c. 1. num. 23. Zoannetus part. 1. defens. tripl. 1. Prosp. Farinacius in prac. Crim. quæst. 125. tit. 14. Ablusensis c. 11. in Josu. quæst. 11. Iohannes Lignanus in libro de bello, eum qui se occidi patitur*, ait, *cùm possit defendendo facere ne occidatur, reum gehennæ esse non minùs, quàm si semet occideret. Cic. in Orat. Cat. Nemo est tam demens, tamque parùm de se cogitans, qui alienam vitam magis quàm suam diligat. Idem in Offic. lib. 3. Qui se non defendit, cùm potest, tàm est in vitio, quàm si Parentes, aut Patriam, aut Socios deserat. Baco de Verulamio in Serm. Fid. c. 13. in charitate non datur quidem*, ait, *excessus, neque peream aut Angelus, aut Homo, periculum subire potest: cave autem, ne, dum effigiem sculpas, Archetypum destruas: Theologi quippe amorem nostri ipsius pro Archetypo statuunt; amorem proximi, pro imitamento.*

to. Anthoritatibus duo addunt argumenta, qui Defensionem esse absolutè juris præceptivi volunt. Primum est. Caritatis ordo obligat sub culpa lethali, in re gravi: Sed ordine caritatis vita propria præferri debet alienæ: Ergo aggressus, sub reatu lethalis culpæ, tenetur interficere aggressorem, si possit, & non aliud detur vitæ propriæ conservandæ medium. Alterum, hoc modo formant argumentum. Jure Naturæ quisque tenetur per media licita suam servare vitam: Sed ad conservandam vitam propriam adversarium occidere est medium licitum; ceu exdictis constant: Ergo, si non datur aliud medium vitam propriam servandi, tenetur illum interficere. Videtur etiam pro illis militare *c. 9. causa 23. qu. 5.* in verbis: *neque enim frustra in Sanctis canonicisque Libris nunquam nobis præceptum perr.issumve reperiri potest, ut vel ullius curandi cavendique, mali causa, nobismet ipsis necem inferamus.* Sanè, se ipsum occidens, peccare videtur contra justitiam, quatenus Homo disponit de re non sua; non aliter, ac si esset Dominus: & hoc absque consensu & facultate Domini; qui est solus Deus: & *Hic nisi animam ex corporis custodiis liberaverit, ad cœlum aditus non est. Cic. in Somm. Scip.* Dupliciter autem peccat Homo contra obligationem conservandi vitam. Primò, positivè: faciendo aliquid inductivum mortis. Secundò, negativè: non fugiendo pericula mortis. Peccat etiam contra Rempublicam, ajunt nonnulli, qui se, cùm potest, non defendit: *cujus interest, ut nemo malè rebus suis utatur, §. inst. 2. de His qui sunt sui vel alien. jur.* privando eam cive bono, malumque relinquendo: & cùm quilibet Homo sit pars Civitatis, *Arist. 3. Polit.* qui se trucidari injustè patitur, cùm defendere posset, aufert quod est commune Civitatis; non suum.

VIII. *Naturâ quidem Hominum* (*Terentii* verba sunt) *ita comparatum est, ut sibi meliùs esse velint quàm alteri.* Cujus ductum qui sequetur; vitâ potiùs privabit injustum aggressorem, adhibito moderamine inculpatæ tutelæ; quàm ut ab illo vitam sibi eripi patiatur. Sed ad hoc ut illum simpliciter, absque omni exceptione, teneri credamus, vix inducemur: nondum inducti. Fingo casum. Titius à Sejo injustè invasus, aut trucidare Sejum cum moderamine cogebatur, aut se ab illo interfici pati Quod poterat, facere noluit: sed se à Sejo interfici

passus est. Quæritur, an Titius malè fecerit? Ego hoc in casu distinguerem. Si enim Titius odio vitæ, aut alicujus captandæ gloriæ causa, hoc fecit, malè egit. *Vetat* quippe *Dominans ille in nobis Deus injussu suo nos hinc demigrare. Cicero libro prim. quæst. Tuscul.* Si verò Titius nullâ aliâ intentione, quàm ne anima aggressoris ad gehennam mittatur, interfici se passus est: tum tantùm abest ut Titii factum culpem, ut potiùs sua laude non carere credam. Sub præceptum tamen non cadit. *Cuncta quæ habet Homo*, inquit ipse Diabolus *cap. 2. Iob. vers. 4. dabit pro servandâ viâ suâ*: Ast Titius illam ipsam vitam, quâ hac invita nihil dulcius, ne aggressor jacturam animæ pati cogatur, eripi sibi sinit: quod sanè charitatis eximiæ est. Ad argumentum adversariorum primum posset responderi; Ordinem charitatis non totum esse sub præcepto: sed quoad aliqua esse solùm sub consilio: & quoad aliqua nec sub consilio quidem, sed solùm sub permissione. Ex præcepto est, quòd meam æternam salutem, æternæ præfero aliorum saluti. Ex permissione autem est, quòd meam vitam, in casu Defensionis necessariæ, alterius æternæ saluti. Non tamen ad hoc obligor: vita enim non est tanti ponderis, ut eam cum tanta proximi jactura debeam conservare. Ad alterum adversariorum argumentum respondeo. Licèt teneamur vitam nostram per ordinaria conservare media: non tamen obligamur ad utendum mediis exquisitis, vel multum difficilibus, ad hunc finem. Est autem medium valde difficile, occidere proximum in statu peccati. Vide *Molinam. d. tract. tom. 3. disp. 14. num. 2.* Adhibeas tamen, necesse est, omnia diligentissimè remedia, quibus & tuam & adversarii vitam servare possis. Et ita limitatur major propositio ultimi argumenti. Quæ à Republica desumitur ratio, parùm habet ponderis. Formula enim, Rempubl. Cive privare, justo latius uti adversarii videntur: erit ergo tantùm intelligenda de illa privatione, quæ cum malitiâ est: & qui ita privat, hoc agat oportet, ut privet. Potest quippe Civis in aliud se transferre Regnum; quo casu non minus se Reipublicæ suæ subtraheret, illamque, Cive privaret: quod tamen prohibitum non est.

IX. Ita ergo statuo: esse Defensionem vitæ suæ juris Naturalis præceptivi: nec ullo alio respectu eam omitti posse; nisi fortassis tam insignis

cha-

charitatis aliquis reperiatur, qui ipse salutis suæ æternæ certus, mortem temporalem oppetere malit, quàm aggressorem suum temporali & æternâ vitâ privare. Hæc enim intentio tam pia, non dubitamus quin excuset Defensionē hanc etiam cum periculo vitæ suæ omittentem. Unde porrò consequens est, nullâ lege hominum tolli posse Defensionem. Lex enim humana nihil prohibere potest, quod Naturalis præcipit ratio, *Grotius de j. B. & P. lib. 2. cap. 2. num. 5.* Fuere tamen, qui Defensionem nostram tollere Principem, & in specie Summum, posse, affirmarunt: ita sentit *Alber. Ros. in L. omnes in pr. C. de Episc. & Cler. Angel. in L. si sic. ff. de Legat. 1.* quos recenset, cum multis aliis, *Fernandus Vasquius 1. Controv. Illust. c. 18. num. 1.* Illud certum: posse Principem, aut alium, qui in Republ. summam potestatem habet, ad malitiam temere invadentium coercendam, Lege publicâ eum qui se defendendo moderamen excedit, à pœna Civili absolvere. Jus enim Civile, nec in totum à Naturali & Gentium jure recedit, nec per omnia ei servit, uti in *l. 6. ff. de j. & j.* habetur; sed jam aliquid addit, jam detrahit, in quantum aut hoc aut illud Reipubl. salus exigit; videatur *Suthold dissert. 1. th. 64. & seqq. Disput. de LL. in volumine, novo Basiliensi th. 6. Wesenbecius in parat, tit. de j. & j. num. 17.* & ad eum Amplissi. *Dn. Eyben*, Præceptor quondam meus devenerandus, *in dict. ad eund.*

X. Defendere se contra vim injustam possunt omnes Homines: nec refert, cujus Sexus aut conditionis sit is, qui vim vi depellit. Quod verbum, *Quisque*, Synonymum cùm vocet *Omnes l. 29. ff. de Hæred. inst.* testatur. Sanè jus Naturæ, aut quod cum eo idem est jus Gentium primævum, ratione Subjecti, cui competit Defensio, distinctionem Sexus, & conditionis discrimen, ignorat. Quare nec nostrum erit hic distinguere; argum. *l. 8. ff. de publ. in rem action.* An Banniti sese defendere rectè possint, disputatur. Extra pœnam Civilem non esse Bannitum, cujus occisio Lege Publica concessa est, qui se defendendo eum qui se occcidere volebat trucidat, certum est. Illæ enim Leges, quæ potestatem impunè Bannitum offendendi dant, hoc ipso potestatem ei adimunt se defendendi: nam hoc in casu quemlibet Respubl. ministrum constituit justitiæ, quem in executione ejus, quantum in se est, ab omni periculo immunem præstat. At an de proscripto Banno Saxonico

idem dicendum sit, dubitari potest? Negant *Carpzovius Pract. Crimin. part. 3. quæst. 140. num. 133. & seqq. Mevius ad jus Lubecens. lib. 4. tit. 17. art. 1. num. 18. Richter. tr. de jure & ord. succes. ab intest. sect. 5. num. 54.* impune occidi posse (quorum rationes indè aliquis petat) Vicissim non pauci; quos *Carpzovius d. loc.* nominat, rectè Bannitum Saxoniæ occidi posse autumant. Pro quorum sententiâ, dummodo cædes hujusmodi nullo alio quàm Reipubl. inserviendi animo fiat, non deest quod afferri posset. *Hugo Grotius de j. B. & P. lib. 2. cap. 20. num. 17.* in quæstione, *an Leges humanæ, quæ interfectionem quorundam Hominum permittunt, interfectoribus jus verum præstent etiam apud Deum;* an *tantùm inter Homines impunitatem?* postquam dixisset, utrumque Legem facere posse in certis casibus, addit: *utrùm autem voluerit, partim ex verbis Legis, partim ex materia intelligendum est. Nam si dolori Lex indulget, pœnam humanam tollit, non vitium: &c. Si verò periculum respicit futuri mali ex dilatione pœnæ, censenda est jus ac potestatem publicam privato concedere ita, ut jam privatus non sit.* Quæ si controversiæ huic applicentur, dici potest, ex interfectione Banniti non posse non commodum aliquod profluere in Rempublicam: dum coercetur fugitivorum reorum contumacia. Neque in Foro Poli excusarum Bannitum videri; cùm enim generale Edictum illum permittat impunè occidere, sponte se Bannitum huic pœnæ submittere, dici potest: & quod Lex generaliter concedit, suæ personæ eum applicare, faciendo contumaciter illud, cui lex pœnam capitalem imponit. Nec obstaret, quod in contrarium ab *Obrechto in tr. de necess. defens. c. 5. num. 11.* affertur. Quod argumentum facit ad probandum, nullâ Lege Hominum tolli Defensionem posse; de qua th. 9. actum. Quicunque, ait Obrechtus, ea, quæ ex ipsis Naturæ sensibus descendunt, tollit, sensus ipsos tollat necesse est: Sed Defensio ex ipsis Naturæ sensibus descendit: Ergo. Concedi enim posset totum argumentum. Quippe Lex illa, quæ permitteret Bannitos impunè occidi, Defesionem non tolleret, sed tantùm Bannitos eximeret ex numero eorum, qui se defendere possunt. Quicquid tamen hujus sit: *Elector Sexoniæ Iohannes Georgius,* ejus nominis *Secundus, in Decisionibus Electoralibus anno* M CIↃ LXI. *vigesimo secundo Iunii Dresdæ promulgatis,* quibus controversias præci-

puas

puas inter JCtos Saxonicos hucusque disceptatas definit, *Decision. 77.* noluit hujusmodi Bannitum à quovis occidi posse; sed secutâ banni sententiâ demum ut confessum & convictum à quocunque capi, & custodiæ publicæ tradi, permisit. **Es soll/** verba sunt dictæ Decisionis, **aber doch solch Erkändniß keinen andern noch weitern Verstand habē/ dann daß in die Acht erklärte übelthäter auff gewisse Maaß** confessi & convicti **von jedermänniglichen auffgefangen / zur Hafft gebracht/ und den Gerichten zu fernern Rechtmessigem Verfahren überliefert werden könne/2c.** Ab illo tamen casu, quo Bannitus è quovis occidi potest, excipitur Filius respectu Patris: nisi aliud extrema Reipubl. salus, quæ cuique suprema Lex esto, efflagitet. Filio enim Patris persona semper honesta & sancta esse debet *l. 9. ff. de Obs. par. & patron. præst.* Nec uxori licet occidere banno proscriptum Maritum: hoc enim contra reverentiam marito exhibendam esset; ut in alio casu loquitur *Vlpianus l. 14. in fine Sol. Matr. Ioh. Bapt. Bajardus addit. ad Clar. l. 5. rec. sent.* §. *homicidium. num. 229. Marta digest. noviss. tom. 2. tit. bannitius. c. 26.* Fusiùs de offendendi Bannitos jure agentes, vide apud *Dn. Struvium in tr. de privat. vind. cap. 3. aphor. VII. num. 6.*

XI. Quibuscunque armis vim vitæ inferentem repellimus. Nam dum Naturale jus, seu Gentium primævum, permittit adversus pericula se defendere, tacitè suadere videtur, ut tutissimum ad conservandam vitam apprehendam medium. Tutiùs autem potentioribus quàm æqualibus vim repellere armis: & nisi aliud sit conservandæ vitæ remedium, aggressorem occidere. Consentit *Cicero pro Milon.* in verbis, *ut si vita nostra in aliquam vim incidisset, OMNIS honesta ratio esset expediendæ salutis*: & paulò pòst: *ut OMNEM vim, quacunq; ope possent, à vita sua propulsent.* Res forsitan hoc casu fiet clarior. Pugil ab artis ejus non perito gladio invadebatur; nec aliud apparebat conservandæ vitæ remedium, quàm ut injustus ille aggressor trucidaretur. Pugil, videns se in mortis periculo, non ferrum stringit, quo aliàs ad resistendum apto instructus erat, sed sclopeto minori, quod fortè ad manus erat, invasorem ab impetu desistere nolentem trajicit. Quæritur, an Pugilis factum possit defendi? Ego ab omni pœna Civili liberum esse

cum

eum pronuntiarem: quoniam Leges nostræ hoc saltem in Defensione Necessaria requirunt, ut occidens aliter vitæ periculum evitare non potuerit, quàm aggressorem interficiendo, & ut injustè sit aggressus. Hæc requisita cùm in allato casu non desiderentur; Pugilem absolverem: præsertim, si arti suæ parùm fidens, repellendo ferro vim, quæ ferro inferebatur, vitæ aliquod periculum se incursurum credidit. Nec hoc factu difficile est: scimus enim artis gladiatoriæ peritissimos, si quando cum aliis eis decertandum est, non raro trepidare. Quo spectat Venusini effatum: aliorum cordibus aliquid Leonini, aliorum Leporii aliquid cordis annexum esse. Imò, ab imperitioribus peritissimos trucidatos esse, multis probari posset exemplis. Illud in genere occasio dictorum monendum suadet. Si quis se defendendo illud admitteret, unde ab omni pœna à judice liber pronuntiaretur, faceret illud tamen ex odio, aut appetitu vindictæ, peccaret tunc is in conscientiæ foro: nec hoc peccatum esset contra justitiam, eò, quòd justè interficeret, defendendo se cum moderamine inculpatæ tutelæ; sed esset solùm contra charitatem, ex odio interficiendo, & ordinando ad vindictam, quod injustè, & ex natura rei licitè, poterat aloquin efficere. Paritatem armorum non esse essentiale in Defensione requisitum, exinde etiam liquet, quòd possit aliquis armis indigere ad repellendam vim, quæ vitæ inferebatur à robusto aggressore inermi. Et quis dicat, puerum vel fœminam non posse ferro uti ad se defendendum à viro, qui eos manibus vult suffocare? Res hæc prudentis judicis arbitrio in foro exteriori est relinqenda, argum. *l. 1. ff. de jure deliber.* ut spectatis omnibus circumstantiis, judicet, an, vel in quantum, quis moderamen excesserit.

XII. Tuemur vitam contra quemcunque injustam ei vim inferentem. *Plato dialogo 9. de LL. si orta*, ait, *seditione, vel quovis modo Frater Fratrem in se impetum facientem pro defensione sua interimat, quasi hoste perempto purus erit. Quin, etiamsi Civis Civem, aut Peregrinus Peregrinum, sese defendendo interfecerit, similiter mundus erit.* Itaque furiosum, pheneticum, ebrium, aut dormientem, vim vitæ inferentem, bene vi repellis; & si necesse est, occidis. Contra Romanæ Ecclesiæ Cardinales, *gloss. not. in c. ultim. in pr. in verbo percusserit. de pœn. l. 6.* Angel.

in

in l.3. ff. de j. & j. Sacerdotes & Religiosos, te jure defendis *c.3. de Sent. excomm. & Clem. 1. de Homicid. Placa Hispan. in epit. delict. c. 28. n. 5.* Monachus Abbati vim inferenti rectè resistit. *Zoannettus p. 1. n. 12. in def. sua trip.* Nec contra fœminam denegata est defensio. *Constit. Crim. Carol. art. 144.* Quin imò, contra cujuscunque dignitatis insultantem justè te defendes. Quod etiam ad Papam & Imperatorem extendunt nonnulli. *Clem. Pastor. §. cæterùm. de sent. & re jud. Iulius Clarus lib. 5. sentent. §. homicidium n. 29. & 30. Capitius decis. 130. Carerius in praxi crimin. §. circa enim. 87.* Ita tamen, ut nulla alia ratio sit expediendæ salutis. Ejusdem est opinionis *Vasquius lib. 1. Controvers. Illust. cap. 18.* Sed pessimam affert rationem; *eum Principem*, ait, *qui innocentem invadit, desinere Principem esse ipso facto.* Hoc vix quicquam potuit dici aut minùs verè, aut magis periculosè. Nam, sicuti dominia, ita & imperia non amittuntur delinquendo; nisi Lex id statuat. Quæ autem hoc de imperio statueret Lex, ut delicto in privatum amitteretur, nusquam reperta est: nec repertum iri credo: summam enim rerum confusionem induceret. Vera forsitan ratio esset dictis Authoribus, quòd naturalis ratio respectum subjectionis excludat. *Bachov. ad Treutl. vol. 2. d.32. th. 6. lit. F.* Et quòd jure Naturali omnes æquales simus. *leg. 32. ff. de R. j.* Secunda & tertia ratio *Vasquii* rectè, cum priori, refutatur, à *Grotio l. 2. de j. B. & P. c. 1. §. 9.* Abeunt ab hac sententia, inter alios, *Molina de j. & j. tom. 1. disp. X. sect. 6. n. 153.* & *Grotius*, dicto loco. Hinc ad sidera usque tollunt Comitis Taurellii factum, quod apud *Fam. Stradam de bello Belgic. dec. 1. lib. 9. p. 463.* An & contra Patrem licita sit densensio? dubitatur. *Cicero in Orat. pro Sexto Rosc. Amerin. Si vultis*, dicit, *sæpe læditur pietas, quod supplicium satis acre reperietur in eum, qui mortem Parenti obtulit; pro quo ipsum mori, si res postularet, jura Divina & Humma cogebant. Bodinus l. 1. de Rep. c. 4. Ego verò*, ait, *non licere vitam adimere Filium Patri credo, sed ne quidem scribi sine impietate posse; quem & religio, & pietas, & ratio naturalis, non immeritò ab eo absterrere, & ad mortẽ patienti animo obeundam inflectere, queat & debeat. l. propter in fid. 14. C. de his qui accus. non poss.* Alii, si Filius neque fugâ sibi consulere, nec ampliùs ictus avertere queat, nullo loco lachrymis vel precibus Filii relicto, & res

eò perveniat, ut aut Filio sit moriendum, aut Pater interficiendus, Patrem à Filio interfici posse, exstimant. Kremberg. *de necess. defens. Quæst. 3. per tot.* Rationem adducunt, quòd cùm Jus Naturæ quemlibet contra quemlibet permittat se defendere, nec quarto Dacalogi præcepto Parentes ex subjecto Defensionis eximi videamus, nec nos eximere possimus. Quid? quod nec præsumatur Pater, qui Filium non diligit? *cap. 2. afferte de præsumpt.* Nec Patrem sed Hostem occidisse credendum. *l. 33. ff. de relig. & sumpt. funer.* verba sunt Legis: *minimè majores lugendum putarunt eum, qui ad Patriam delendam, & Parentes & Liberos interficiendos venerit.* Nos, missâ juris quæstione, pietati magis convenire putamus, si mortem potiùs patiantur Subditi & Filius, quàm Principem, aut Patrem aggressorem interimant. vid. Kremberg. *d. quæst. 3.* qui habet Authores pro hac sententia stantes, quibus addatur *Grotius de j. B. & P. d. l. 2. c. 1. §. 9.* qui personam Principis occidi in defensione necessaria, sine peccato non posse, dicit; nec id tantùm ex vi legis divinæ, sive veteris sive novæ: sed ipso etiam Naturæ jure.

XIII. Subjectum Negativum Defensionis est Magistratus, qui per falsum aliquem processum opprimit. Hoc enim in casu non est aggressor. *Filliucius quæst. moral. tom. 2. tr. 29. n. 38.* Et *Prætor etiam jus reddere dicitur, cùm iniquè decernit, non ratione habita ad id quod facit, sed quod facere debebat. l. 11. ff. ad. just. & jur.* Si verò Magistratus præter Principem alius, aliquem invadat animo trucidandi, vi & armis rectè repellitur: quia tunc non ut Magistratus sed ut privatus agit. *arg. l. 29. §. magistratus. ff. ad L. Aquil.* vide *Zoannett. p. 1. n. 12. Wesenb. in l. 1. C. quando licet cuique sine jud. n. 33. Obrechtum de Necess. Defens. c. 6. num. 33. & seqq.* Nec illum licet interficere, quamvis non alia sit evadendi via, qui falsis calumniis & testibus contendit Te per judicem interficere. Ille enim non est propriè invasor: nam, licèt contra jus id faciat; non tamen contra ordinem agit juris. Aggressor autem est, qui contra jus & juris ordinem injuriam infert: alioquin non ut privata persona, nec propriâ autoritate, agit. Consensit *Sotus de j. & j. quæst. 1. art. 8, dub. ultim. in fine. Cōrduba lib. 1. quæst. 38. dub. 1. Vasquius de restit. cap. 2, dub. 7. num. 34. Turrianus disp. 27. dub. 2. num. 10.*

Dissen-

Dissentit *Bannes quæst. 84. art. 7. dub. 4. Navarra lib. 2. de restit. cap. 3. n. 361. Cardinal. de Lugo de j. & j. tom. 1. disp. X. sect. 7. num. 163.* Nec ministrum publicum, si bona fide juxta suum munus procedit, interficere licet, quando ille te injustè interficere aggreditur; aut comprehendere, ut injustè interficiaris. Ratio est, quoniam munus suum publicum exequitur, estque ea in parte, superior comparatione illius: & hoc postulat commune Reipubl. bonum. Fugere tamen tunc potest, ac se defendere aliquis, nullum ejusmodi ministris damnum inferendo. *Molina d. tract. tom. 3. d. 15.* Si verò de injustitia ministrorum formali constet, sciantque se injustè interfecturos, tunc ita interficiendus, si aliter vitam servare nequit, rectè eos interficit ad sui defensionem. Potest etiam iis resistere, quando constat eos suâ abuti potestate; *Sotus de just. quæst. 1. art. 8. Covarr. 1. var. resol. c. 2. num. 13.* Defensio ad nullum est locum restricta. Perinde ergo erit, sive is religiosus, sive prophanus, sive privilegiatus, sive non privilegiatus, sit: quod affirmat præjudicio in Academ. Salana pronuntiato *Dn. Richter. decis. 2. num. 4.*

XIV. Objectum Defensionis nostræ constituere primarium vitam nostram, sufficienter, credo, ostensum est. Ita tamen, ut ad meram defensionem, non ad vindictam, fiat: quæ regulariter & Civili & Naturali jure prohibita est. *Dn. Struve de priv. vind. cap. 2. aph. 2.* Nos latiùs de ea infrà agemus. Secundarium est Objectum vita aliorum. Hinc *Plato lib. 5. de LL.* eleganter ait: *qui non infert injuriam, honorari debet: qui verò nec alium id facere patitur, duplici honore est dignus. Qui autem unà etiam cum Magistratu injuriam quoad potest ulciscitur, is magnus perfectusq; in Civitate Vir præconio amplissimo celebretur.* Bene *Seneca: si justus es, non solùm non nocebis, sed etiam nocentes prohibebis: nam nihil nocere non est justitia, sed abstinentia alieni.* De *jure Canonico* constat ex *c. 5. causa 23. quæst. 3. cap. 55. & 56. causa 2. quæst. 7.* & ex *cap. sic dignum. 6. §. ille etiam. X. de Homic.* Ubi Pontifex eum, qui potuit Hominem à morte liberare, nec liberavit, non secus habet, ac si ipse occidisset. Ratio in promptu est: scrupulo enim societatis occultæ non caret, qui manifesto facinori, cùm possit, desinit obviare; ut dicitur in *cap. negligere 2. quæst. 7.* Suadet defensio-

nem aliorum & cognatio illá quam Natura, teste JCto in *l. ut vim. 1 ff. de j.* inter homines constituit: quam postea lavacrum regenerationis arctiori fraternitatis vinculo ligavit, *cap. ad mensam 24. caus. 1. quæst. 3.* Nec solùm nobis nati sumus, sed ortus nostri partem Patria sibi vindicat, partem Parentes, partem Amici: atque quæ in terris gignuntur, ad usum hominum omnia creata esse constat; homines autem hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se alius aliis prodesse possent: optimè *Cicero* noster *lib. 5. & ult. de Finib.* ait. Idem *lib. 1. Offic. Injustitiæ duo sunt genera, unum eorum qui inferunt; alterum eorum, qui ab aliis quibus infertur non propulsant injuriam, si possint.* Et herculè, Reipublicæ interest, ne quis innocens opprimatur. Et cùm non solùm nobis, sed & Patriæ nati simus; (ceu jam dictum est) ad ejus commoda promovenda obligati sumus. Beatam illam Rempublicam esse, *Solon* volebat, in qua quisque injuriam alterius suam æstimaret. *Qui alteri injuriam patienti opem non fert, reus mortis esto*: Ægyptiorum Lex erat. In tantum autem alium contra vim inferentem defendere justum est; ut etiam, si aliter liberari nequeat, aggressorem ejus occidere impunè sit: *Const. Crim. Carol. art. 150.* ibi: **Es seyn sonst andere mehr Entleibung/ die etwan auß unsträfflichen Ursachen beschehen/ so dieselben Ursachen recht und ordentlich gebraucht werden/ ꝛc. Item so einer zu Rettung eines andern Leib/ Leben/ ꝛc. jemand erschläget.** Quæ Lex, dubio procul, in odium invasorum introducta est. Quamvis autem quis peccet, si absque suo periculo alterum defendere posset, nec defendat, nullâ tamen eum Leges nostræ Civiles pœnâ afficiunt, *Bach. ad Tr. vol. 2. d. 32. th. 6. l. 1. Ioh. Grake tract. de author. privat. c. 3. num. 6. & seqq. Dn. Struve de priv. vind. cap. 4. aph. 3. num. 1.* Omittam modò referre argumenta omnia eorum, qui ab hac sententia abeunt: (exhibet illa **Kremberger** / *de Necess. Def. quæst. 2. num. 1.*) id tantùm attingam, esse nonnullos, qui argumentum contra nos nectunt ex *l. 109. ff. de R. I.* & *l. 50. eod.* à contrario sensu, quod in jure fortissimum esse facilè concedimns; & dicit *l. 1.* in verbis: *hujus rei firmiss. ff. de off. ejus cui mand. est jurisd.* Verba *l. 109.* sunt hæc: *nullum crimen patitur is, qui cùm prohibere non potest, non prohibet. Culpa caret qui scit & prohibere non potest,* ait *l. 50.* Sed hæc

hæ leges quid contra nos faciant, hactenus non licuit videre: sunt enim nimis generales, & ita comparatæ, ut sub illis nostrum casum non contineri certum sit. Erit ergo sic limitandum argumentum adversariorum: qui prohibere potest, & debet, nec prohibet, ille crimen patitur, & culpa non caret. Debere autem aliquem alterum in vitæ discrimine constitutum defendere, hactenus Leges nostræ Civiles non imperarunt. Breviter: Leges allegatæ pertinent solummodo ad explicationem *l.45. pr. ff. ad leg. Aquil. l.2. pr. &* §. *1.* legisque 3. *ff. de noxal. action.* & quæ his similes in jure nostro reperiuntur. Asserunt porrò contra nos *l.1.* §. *juxta hoc tamen 28. ff. de* SCto *Silaniano & Claud. & l. 6.* §. *penult. ff. de re milit.* Sed quantum ponderis habeant, si contra nostram assertionem urgentur, dum de servis & militibus loquuntur, qui auxilium Domino & Imperatori non tulere, & hanc ob causam puniendi sunt, quilibet facilè videt.

XV. Primarium in defensione aliorum sibi vindicant locum personæ Necessariæ: quales sunt, Parentes, Liberi, Fratres, Conjuges, Affines, Consanguinei; & si quæ his similes. Nam his & naturali cognatione, & actiori sanguinis, pietatis, potestatis, & affectus vinculo, ad necessaria officia exhibenda, obligati sumus. Consentiunt Doctores communiter. *Grammat. Consil.68. num.4. Pet. Calefa. inter. cons. crim. divers. conclus.89. num.10. lib.2.* quos citat *Clarus sent. lib.5.* §. *homicidium, num.26.* Commodè hoc etiam deduci potest ex *l. 2. ff. de Receptat. apud quos Affinis vel Cognatus Latro conservatus est*, verba sunt Legis, *nec absolvantur, nec severè admodum puniantur : non enim par est eorum delictum, & eorum, qui nihil ad se pertinentes Latrones recipiunt.* Distinguit Lex inter Cognatos Affinesque; & inter Extraneos; & quod illis sub levi pœna interdicit, hoc istis sub gravi prohibet: quo pertinet illud *Terentii*; *duo cùm faciunt idem, non est idem.* Hinc *Cicero 1. Offic. qui Parentes, Patriam, Sociosque deserit, tam est in vitio, quàm qui se ipsum non defendit.* An quis Necessariam personam etiam cum nece aggressoris defendere possit, si aliter eum liberare nequeat, multis inter alias disputat *Obrechtus d. tract. cap.7.* tandemque negativam amplectitur. Nos contenti pro affirmativa allegasse *d. art.150. Const. Crim. Car.* de quo videatur *thes. præced.*

XVI. Quæstio non inelegans est: utrùm is, qui aliter innocentem vitæ periculo eripere nequit, quàm injustum ejus aggressorem trucidando, ad id teneatur? *Molina d. tract. de j. & j. disp. 18. num. 6.* sub reatu lethalis peccati interficere injustum aggressorem, dicto in casu, teneri aliquem, asserit: si tamen illud innocens, voluntate saltem præsumpta, vellet. Unicum quod probationis gratia affert argumentum desumpsit ex *Proverb. 24. ℣. 11.* Ubi dicitur, *erue eos, qui ducuntur ad mortem, & eos, qui trahuntur ad interitum, liberare non cesses.* Contraria verior mihi esse videtur sententia; cui etiam subscribit *Lessius dub. 13. num. 92.* Nam, ubi mala sunt paria, neminem obligatum esse credo ad alterum inferendum, ut excludat alterum: & tota illa obligatio, de qua mihi sermo est, subveniendi proximo, cùm non sit ex officio, (quod probè notandum) sed tantùm ex præcepto charitatis, quod jubet proximum diligere, ejus bonum procurando, malumque impediendo; in dicto autem casu uterque noster proximus sit, & de utriusque commodo agatur: non video, cur tanto cum damno proximi obliger ad vitandum damnum alterius proximi. Quid? quòd aggressor, à me trucidandus, longè gravius incurrat malum, atque ille, qui injustè invaditur. Damnaretur enim propter statum peccati in quo moriretur, in æternum. Quanto rectius, *Patriarcha* ille *Constantinopolitanus*, *Photius Epist. ad Michaël. Imperat. 18.* in simili, ait, casu, *lethalem se à dolore inflictam accepisse plagam, dum memoria recoluisset, trucidatum in ipso improbitatis actu hinc abreptum, nullo modo judicem in altera vita futurum conciliatum dare studuisse.* Ad *Molinæ* argumentum optima est responsio, dicta scripturæ verba nostro casui non bene applicari; nec Salomonem ita universaliter ibi se intelligi velle: aliàs enim commodè subsumerem, injustè forsitan à Magistratu ad mortem condemnatum, ab omnibus & singulis vi & armis, sub reatu lethalis peccati, liberandum esse; si non aliud servandi eum occurrat remedium: quod præcipere, prudentissimo Regi ne in mentem venit quidem. In tantum autem ea quæ dixi vera esse credo, ut licèt persona quæ invaditur Reipublicæ utilis sit, ad bonum ejus promovendum, non tamen ex sola obligatione charitatis aliquem teneri quemcunq; aggressorem ejus, quamvis

vis nullum aliud salvandi eum remedium detur, trucidare. Dum diximus, teneri aliquem ad defendendum vitam alterius ex præcepto charitatis, non dubitavimus, posse illud absque suo facere periculo. Quia id tantùm alteris præstare quis tenetur, quod sibi non nocet, & alteri prodest: *l. 2. §. item. vers. quanquam. ff. de aqu. & aqua pluv. arc.* quare optimè *Seneca*: *dabo*, ait, *egenti*; *sed ut ipse non egeam*: *succurram perituro*; *sed ut ipse non peream*.

XVII. Examinandum non erit, in quibus moderamen inculpatæ tutelæ consistat. Interpretum & Pragmaticorum multi in *Tempore*, *Modo*, & *Causa* consistere credunt. Ad *Modum* plerumque referunt paritatem armorum. Ad *Tempus*; ut propulsatio fiat in continenti. *Causæ* autem tribuunt; quòd propulsatio ad Defensionem non ad vindictam dirigenda sit. Quod vel de intentione sola intellectum volunt, vel etiam de actu aliquo externo hanc intentionem subseqnente accipi potest. Sed hanc Interpretum sententiam cur ita simpliciter meam facere debeam, non video. Nam quod modum attinet; mentem nostram, de paritate armorum quid credamus, jam antea explicavimus. Quod dicitur, propulsationem ad defensionem, non ad vindictam, esse dirigendam, si de intentione sola intellectum volunt, & de foro poli sermo est, verissimè dictum; si de foro fori, minùs rectè: quippe etiam vindicandi animum defensioni miscens, dummodo ratione actuum exteriorum servaverit moderamen inculpatæ tutelæ, extra pœnam civilem erit. Refutat dictos Authores *Obrechtus d. tr. c. 10. per* totum. Magnopere autem nos esse sollicitos, in quibus Moderamen inculpatæ tutelæ consistat, supervacaneum esse credimus: cùm illud *art. 140. Const. Crim. Carol.* satis clarè nobis ostendat. Verba Constitutionis sunt hæc: So einer jemand mit einem tödtlichen Waffen/oder Wehr überläufft/ anficht/ oder schlägt/ und der Benöhtigt kan füglich ohne Fährlichkeit oder Verletzung seines Leibs/ Lebens/ Ehr und guten Leumuhts/ nicht entweichen; der mag sein Leib und Leben/ ohn alle Straff/ durch eine Rechte Gegenwehr retten. Ex dictis moderamen in duobus consistere, colligo. Primum est; ut fiat in continenti defensio: hoc est, dum vis injusta infertur: quod ostendunt verba initialia. Alterum in eo consistit; ut defensio respondeat offensioni:

sioni: hoc est, ut eatenus vis adhibeatur, quatenus ad vim alterius repellendam necesse est: huc spectant verba: **und der Benöhtigt kan füglich.** Consentit Dn. *Struve d. tr. cap. 6. num. 7.*

XVIII. Dixi Defensionem fieri debere, dum vis infertur. Si enim post acceptum jam vulnus cesset periculum ulterioris plagæ inferendæ, & nihilominus adversarium quis feriret, Defensio in ultionem & privatam vindictam degeneraret: cujus causa immoderata est ira. *Ira* verò *audire quidem rationem*, (verba sunt summi illius *Philosophi* 7. *Eth. 6.* quem & *ICtos* nostros magni fecisse constat ex *l. 36. de Solutionib.*) *sed non rectè attendere videtur, & ob fervorem celeritatemq; Naturæ, audiens quidem, sed non attendens, in vindictam invitatur. Ratio namque vel imaginatio contumeliam aut contemptum esse ostendit: ira verò, quasi ratiocinatione factâ, oportere tali bellum inferri, statim insurgit.* Ultio autem, & privata Vindicta, & Civili & Naturali jure, regulariter, prohibita est. Civili quidem, per *l. 14. C. de jud. idcirco judiciorum vigor, jurisq; publici tutela*, ait lex, *est in medium introducta, ne quis sibi ipsi permittere valeat ultionem.* De jure Naturali res non est adeò clara; & negativam tuetur. *Connanus lib. 1. Comm. c. 6. num. 8.* cum *Grotio lib. 2. de j. B. & P. c. 20.* Ego affirmativam meliùs, cum Dn. *Struvio d. tr. cap. 2. aph. 2. num. 7.* defendi posse, credo. Etenim, cùm jus Naturæ, ipso definitore *Grotio l. 2. de j. B. & P. dict. c. 20. num. 5.* sit dictatum naturæ rationalis & socialis: natura verò rationalis ac socialis dictet hominem debere in societate vivere; societatem necessariò subjectione & imperio constare, & imperio necessariò conjunctam vindicandi potestatem esse debere: contraria utique erit juri Naturæ privata vindicta, atque adeò nec per Leges demum Civiles privatis adempta; sed secundùm jus Naturæ apud superiorem residet. Ceu eleganter D. *Struve d. loc.* dicit: quem, sis, vide. Ignoscitur tamen ei, qui voluit se ulcisci provocatus. *Layman Theol. moral. l. 3. tract. part. 3. c. 3. num. 3.* addatur *l. 5. ff. ad l. Aquil. Peretz in Cod. ad tit. Cod. de Sicar. n. 41.*

XIX. Juris Naturalis sparsim feci mentionem: non dubitans, dari aliquod *jus Naturæ*: quod sit *dictatum rectæ rationis, indicans alicui actui ex ejus convenientia aut disconvenientia cum ipsa Natura Rationali inesse moralem turpitudinem, aut necessitatem moralem*; uti definit *Grotius*

tius jus Naturæ *d. tr. l. 1. c. th. 10.* Sed non eadem ex Jonica Secta non paucis, fuit mens. Volebant illi, nihil Naturâ justum, aut honestum, vel turpe esse: Sed consuetudine ac lege: per legem autem nullam aliam quàm Civilem intelligebant. Ex horum secta *Archelaus* seculo ante Christum natum vixit octavo; Socratis, si Laërtio in vita ejus credendum est, Præceptor: quarto *Aristippus*: secundo *Carneades*. De *Aristippo* & *Archelao* vide in vita earum *Diogenem*. De *Carneade ex Ciceronis* libris deperditis narrat *Lactantius lib. 5. divin. instit. cap. 17. Theodorus* quoque ac *Diagoras Melius* nullum agnovere Naturæ jus: testis est *Seldenus de j. N. & G. lib. 1. cap. 7. p. 90.* qui hoc ex *Minutio Felice in Octavio* narrat. Nostrum etiam Seculum vidit eos qui dari jus Naturæ negarunt. Seculi erat initium, cum *Ostorodus* (cujus sententiam recenset *Balthasar Meisnerus*) *in Institutionibus*, Racoviæ excusis, jus Naturæ haud dari, tueri non erubesceret. Et quis negabit, destruere Naturæ jus illam *Michaelis de Montagne* opinionem, quam habet *lib. 2. de Esais cap. 12.* quod *Apologiam Raimondi* inscribit. Latinè ita ab *Amplis. Dn. Præside, in tract. quem Specim. Dissert. jur. Publ. nominat*, versa sunt verba ejus: *lepidi illi sunt, qui mutabilitatem legum excusatam volunt, quando ut Legibus addant à certitudine autoritatem, ajunt esse earum aliquas firmas, perpetuas, & immutabiles, quas ipsi nominant Naturales, inscriptas Humano Generi, & impressas ex conditione ipsius essentiæ humanæ, &c.* Nolo nunc reliquorum recensere opinionem, qui jus Naturæ negare audacter ausi sunt. Illud reticere nequeo, ab hac sententia nec *Thomam Hobbem* alienum videri; vel saltem de Naturæ jure ita ambiguè scripsisse, ut quid statueret de illo, non omnibus patere vellet. *In præfatione ad Lectorem de Elem. de Cive*, laudare videbis eum illos, qui *firmissimis ostenderunt rationibus, Doctrinam de justo & injusto, bono & malo, præter Leges in unaquaque Civitate constitutas esse nullam.* Postremo *de Homine* tractatu vicissim scribit: *Scientia justi & injusti, æqui & iniqui, à priori demonstrari potest; propterea, quòd principia quibus justum & æquum, & contrà injustum & iniquum quid sit, agnoscatur: id est, justitiæ causas, nimirum pacta & Leges, ipsi fecimus. Nam ante Leges conditas & Pacta, nulla neque justitia neque injustitia erat, neque bonum vel malum publicum.* Ex dictis vel invitus crederes, *Hobben* omne jus Naturæ rejicere: nisi red-

deret te dubitabundum, quòd *in Præf. Elementor.* Legem Naturæ dictamen Rationis appellaret; quod non semel repetit *c. 1. p. 12. & 13. th. 9.* idemque aliis licet verbis, statueret & *in dict. tract. de Hom. c. 14. th. 5.* Sed errorem jus Naturæ negantium refutavit *Ampliss. Dn. Præses in laudat. tr. cap. 4. sect. 2. th. 16.* Ego, ne justo diutiùs hac in quæstione morer, oppono saltem illis consensum Gentium & Hominum singulorum, si excipias antè memoratos. Quem consensum ad jus Naturæ probandum, si non certissima, certè admodum probabili fide, sufficere, *Hugo Grotius l. 1. c. 1. num. 12. dict. tract.* ostensurus, *universalis*, ait, *effectus, universalem requirit causam: talis autem existimationis causa vix ulla videtur esse posse, præter sensum ipsum, communis qui dicitur. Tertullianus præscript. adversus hæret. quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum. Aristoteles 10. Nicom. 11. quod omnibus ita videtur*, dicit, *id ita esse dicimus: qui verò hanc fidem velit tollere, nihilo ipse credibiliora dicet.*

XX. Vis vitæ ab injusto aggressore vel jam illata est; vel imminet tantùm. Utriusque rectè opponitur legitima defensio. Illatæ tamen non aliter, quàm si adhuc instet aggressor, propter mox imminentis periculi legitimum metum *l. 3. §. 9. ff. de V. & Vi arm.* Vis imminens, vel morte aggressoris, si aliter evitari nequeat, rectè repellitur. *Si enim insultator arma arripiat, & quidem ita, ut appareat facere eum hoc interficiendi animo, jure eum interficis*, dicit *Grotius dict. tract. l. 2. c. 1. §. 5. Nam in moralibus & naturalibus punctum non invenitur sine aliqua latitudine.* Nec primum ictum ut quis sustineat necessarium est. *l. 4. C. ad leg. Corn. de Sic.* ibi: *inferendæ cædis voluntate. l. 3. C. eod.* ibi: *si quis percussorem ad se venientem gladio repulerit.* Textus est expressus in *Constit. Crim. Carol. art. 140.* So einer jemand mit einen tödtlichen Waffen oder Wehr überläufft / anficht / oder schläget / so ist der Benöhtigt mit seiner Gegenwehr bis Er geschlagen wird zu warten nicht schuldig. Ratio est: quoniam aggressor occidendi animo, dubio procul, veniens, primo ictu adversario animam eripere, intendit; ductum illius triti sequens: quod potest fieri per pauca, non debet fieri per plura. Ast talem patientiam ab aggresso exigere, iniquitatis aliquid saperet. Videatur *Mart. Salon in l. 3. ff. de j. & j. Zoannettus p. 1.*

defens. tripl. num. 44. & seqq. Obrechtus de Nec. Def. c. 11. num. 10. & seqq. Fallunt tamen, multumque falluntur, qui metum qualemcunque ad jus occupandæ interfectionis admittunt. Verè enim *Clearchus apud Xenophontem: multos ego novi, qui calumnia aut suspicione adducti, dum metuunt alios, & prævenire malunt quàm perpeti, atrocissimis malis eos affecere, qui nihil tale facturi erant.* Eleganter, pro more, *Cicero, citatus Quintiliano lib. 5. quis hoc statuit unquam, aut cui concedi sine omnium periculo potest, ut eum jure potuerit occidere, à quo metuisse se dicat, ne ipse posteriùs interficeretur.* Nos, nunquam aliàs occupare factum quod adversarius decreverat posse aliquem, dicto in casu, credimus, quàm si adsit præsentissimum mortis periculum inevitabile: quod indicant verba, *d. art. 140.* überlaufft/ anficht. Quoties ergo qui sibi ab altero metuit cautionem de non offendendo petere potest, toties adversarium malè occidet: de qua cautione vid. *Herculan. in tract. de caut. de non offenden. cap. 3. num. 13.* qui scribit, hanc cautionem non tantùm de die, verùm etiam de nocte, & tempore feriarum, præstari posse. Quod si reus non caveat, cautionem tamen præsens periculum efflagitet, carceri, usque dum idoneè caverit, injicietur. *Const. Crim. Carol. art. 176.* Si itaque talis accideret casus, (quem nobis sæpius quàm decet experientiam comprobare dicit *Card. de Lugo dict. tract. disp. 10. sect. 7. num. 162.*) ut quis illum interficeret, quem certò, non ex suspicione, licèt magnâ, sciret decrevisse se occidere; placeret sententia *Soti*, fundata in *argum. l. 1. §. 2. de jur. deliber. lib. 5. de just. & jur. quæst. 7. art. 8.* ut tunc arbitrio judicis prudentis, quid in istiusmodi sit casu statuendum, spectatis circumstantiis omnibus, definiretur: faceretque pro tali interfectore, certis casibus, si judicis nulla copia haberi possit, illud *Tullii pro Milone: oblivisci non potestis, judices, insidiatorem jure interfici posse.*

XXI. Alterum, in quo consistere moderamen inculpatæ tutelæ dicebamus, erat; ut eatenus vis adhibeatur, quatenus ad vim alterius depellendam necesse est. *Si itaque aggressorem facilè repellere potes,* (verba sunt *Peretzii in Cod. in tit. quand. cuique sine jud. lic. vind.*) *non est, quòd eum interficias; si fugiat, non est, quòd eum sine causa persequaris; si vim absque cæde repellere potes, cædem ne perpetres.* Et hoc desiderant

textus *l.45.§.5. ad L. Aquil.* in verbis: *Si aliter se tueri non possunt. l.2. C. ad Leg. Corn. de Sicar.* ibi: *in dubio vitæ discrimine constitutus.* Scilicet, cùm is, qui vi invaditur, aut non potuit, aut justè se non posse timuit, aliter injustam effugere mortem, atque adversarium interficiendo; nec adfuit, aut non adesse præ metu (qui in se habet ignorantiam, ut *l.14.§.3.ff.quod met. caus.* loquitur) credidit, aliud vitam suam liberandi tutum commodumque, remedium; eaque de re judici constare possit, *arg. l.77.ff. de contr. empt.* statuendum erit, eum cum moderamine interfecisse. *Dn. Struve dict. tract. c. 4. aph. 7. num. 2.* De fuga multi multis disputant. Nos, inter veram fugam, & illam, quæ nostrâ dicitur linguâ, **Einem auß dem Wege gehen** / distinguimus. De hac bene *Baldus, referente Obrechto d. tr. c. 10. num. 18. furor est, si furiosum evitare possis, & nolis; justitia se defendere; temperantia cum moderamine hoc facere; fortitudo est non pavere, sed inculpabiliter resistere; prudentia est, majus malum evitare inter duo, &c.* Hoc autem in casu, cùm quis jam te vi aggressus est, **da dich schon einer mit einem tödtlichen Gewehr überlauffen**/ uti loquitur *d. art. 140. Const. Crim. Carol.* **angefochten/oder geschlagen** / si nequis absque incommodo tuo magno fugere, vel vitæ, vel ignominiæ grave dedecus, incurrendo, non teneris ad fugiendum. Textus est expressus in *art. 140. Const. Crim. Carol.* Quod tamen limita, ut non procedat, si invasus offensionis dedit causam, de qua vid. *Card. de Lugo dict. tract. de j. & j. sect. 8. num. 168.* & apud eundem aliam limitationem *num. præc. 167.* Verba jam jam allegati articuli sunt hæc: **und der benöhtigt kan füglich ohn Fährlichkeit / oder Verletzung seines Leibs / Lebens / Ehr und guten Leumuhts / nicht entweichen / etc.** Quorum ductu in hac quæstione distinguo. Quis, quæso, negabit, Præfectò Militum fugam fore turpem; in tantum, ut etiam hinc monstretur digito prætereuntium? Adde, quod hic declinando unum, alterum, & longè gravius, malum incursurus sit, si ludibria Commilitonum, ob dictam fugam, æquo animo ferre noluerit. Obscuræ autem personæ, si, cùm possent absque vitæ periculo, non fugiant, haud excusabuntur: cessante enim causa, cessat etiam effectus; ut Logici loquuntur. Nec personis Ecclesiasticis turpe erit fugere: illis enim armis non uti, in glo-

gloriam vertitur. Quare fortassis bene, si cum grano salis accipias, & non de Nationibus, ut nonnulli interpretantur, *Dambauderus in praxi rer. crim. cap. 76. num. 9.* ex mente *Cyni in l. 1. C. unde vi.* & *Bartholi in d, l. 3. ff. de j. & j.* dicit: *Si tu es Perusinus, famam ac dedicus metuens, ad actum occisionis usque procedere potes: quod summum sit dedecus Perusino magnanimo & generoso, turpiter, adversario invadenti, cedere. Sed ille, cui nulla est nominis gloria, ac honoris ratio, & commodè fugere potest, neglecta nominis gloriâ, certè modis omnibus fugere tenetur; & si non fugit, punitionis crimen incurrit.* Regulariter etiam aliis Secularibus, & Laicis, literarum Professoribus, & Advocatis, Medicis, Regiis Consiliariis, & similibus, fugiendum credit, inter alios, *Card. de Lugo d. tr. sect. 8. num. 166.* Quod ita indistinctè non admittendum est; cur enim nec his aliquando fuga turpis esse poterit? Neque tamen fugiendo sibi ipsi dedecus inurere nolens, aggressoremque occidens, pro defensione famæ tunc occidit invadentem, sed pro defensione vitæ, quam resistendo eo in casu legitimè suscipit. Atque hanc communem Doctorum sententiam appellat *Jason ad l. 3. ff. de j. & j. num. 38.* & *Cardinalis de Lugo d. tr. de j. & j. disp. 10. sect. 8. in pr.* adde *Molinam de j. & j. tom. 4. disp. 17. in initio tract. 3. Covarruv. tom. 1. rel. clem. si furiosus. de homicid. §. un. num. 4. Obrechtum de necess. def. c. 10. n. 9. & seqq. Paulum Laymann. Theol. moral. l. 2. tract. 3. part. 3. c. 3. num. 2. Peretz in C. tit. de exhib. & de transmitt. reis. num. 4. Dn. Struve d. tr. c. 4. num. 5. Dissentit Dn. Carpzovius in Pract. Criminali part. 1. quæst. 30. num. 59. 60. & seqq.* Illud expeditum est, si aggressor sit Pater, Avus, &c. teneri filium fugere, aut nepotem: horum enim fuga isto casu pietati adscribitur, non formidini; & ita laudis plurimum, dedecoris nihil habet. *vid.* Antonium de Escobar & Mendoza in summa *Tract. 1. Exam. 7. cap. 3. num. 35.*

XXII. Elegans est Quæstio, occasione dictorum ventilanda. An & innocens, qui interpositus defensionem aut fugam, sine qua evadi mors ab injustè aggresso non potest, impedit, transfodi aut obteri possit? Movet illam *Grotius de j. B. & P. lib. 2. c. 1. §. 4.* Cui Quæstioni addendum credo, *sine sua culpa.* Si enim moneret quis aliquem, ut caveat sibi de periculo, & hic admonitionem illam flocci faceret, es-

ſet ſanè is exitii ſui cauſa. Pono caſum. Fugienti injuſtum aggreſſorem in anguſta platea obvius fiebat infans, aut alius: erat à tergo invaſor, nec ulla fugienti niſi in fuga ſpes erat. Itaque, quod unicum ſalutis ſupererat remedium apprehendit, equique curſu obvium contrivit. Factum hoc defendi an poſſit, dubitatur? *Legem dilectionis, præſertim Evangelicam, quæ alterum nobis æquat, planè illud non permittere* ſtatuit *Grotius d. l. 2. c. 1.* §. 4. & quamvis in genere & theſi ibi loquatur, illa tamen noſtræ hypotheſi bene applicatur, uti colligere eſt ex celeberrimo in illum commentatore, *Dn. Bœclero in dict.* §. 4. Leges noſtræ Civiles licèt ad hunc caſum præcisè non reſponderint, vel argumento tamen *art. 145. Conſt. Crim. Carol.* illum à pœna Legis Corneliæ de Sicariis abſolvendum credo: à pœna etiam Legis Aquiliæ utili, & per conſequens ab omni abſolvitur per *l. 45.* §. *4. ff. ad Leg. Aquil.* ibi: *qui cùm aliter ſe tueri non poſſunt, damni culpam dederint, innoxii ſunt.* Videntur quidem dictis contrariari verba legis ſequentia, ibi: *illum enim ſolum qui vim infert ferire conceditur:* ſed reſpondeo, ultima hæc verba loqui de caſu *d. art. 145.* Ratio autem diverſitatis eſt: quòd noſtro in caſu nullum aliud fuerit ſervandæ vitæ remedium, quàm fuga; quódque actio illa non per ſe & ex intentione agentis ordinata fuerit ad occidendum obvium, ſed ad ſervandum vitam propriam, fugiendo per viam communem, ad quod jus habet. Omnem tamen diligentiam & curam adhibeat quis, moraliter ſaltem poſſibilem, ad progrediendum abſque damno & detrimento obvii; declinando à via recta ad aliam partem; & ſi hoc præſens non ſinit periculum, urgeat tamen calcaribus equum, ut per ſaltum obvium relinquat intactum. Denique, nullum non adhibeat remedium, quod mortis terror ſuccurrere ſinet, quo liberare obvium poſſit. vid. *Card. de Lugo d. tr. de j. & j. diſp. 10. ſect. 5. num. 129.* His probè obſervatis, cur injuſtam mortem fugientem, & præter omnem intentionem obvium conterentem, malè feciſſe ſtatuam, non video. Conſentientes, & diſſentientes, habet *Card. de Lugo dict. Sect. 5. n. 123. & ſeqq.* inter hos etiam *Dn. Bœclerum ad d.* §. 4. eſſe, alicui videri poteſt, dum *Grotium in dicta quæſtione eruditiſſimè verſatum eſſe*, ait, *partemq; tutiorem elegiſſe.* Sed noſtro caſui non contradicere Doctiſſimum *Bœclerum* veriùs videtur.

XXIII. Repugnant Defensioni, cùm quis moderamen inculpatæ tutelæ egreditur, quatuor potissimùm modi. Primus est, si quis alteri minanti, & ad se ferro venienti, cùm facilè aliàs declinare periculum, nullo vitæ aut famæ discrimine, posset, se opponit. Quod facit, qui, cùm adversarium occlusâ januâ arcere potest, mavult manum cum illo conferre, forsitan credens, se, nisi manus cum adversario conferat, timidum, non fortem, credi. Sed multùm fallitur. Fortis enim ille demum *Philosopho* est, qui circa maxima pericula intrepidus manet, *3. Ethic. 9.* Et timidus, *teste eodem*, non est, qui Dei & Magistratus iram timet: qui timor etiam in Virum forem & cadit, & cadere debet. Ast, si audacem hunc hominem dixero, parùm, aut nihil, à veritatis tramite aberrabo. Audaces enim, ut *Arist. dict. loc. c. 7.* dicit, præproperi & præcipites sunt, periculumque antequam in periculo versentur adire gestiunt. Nec est, quod te convitia, quibus adversarius te insectatur, ad trucidandum eum moveant. Hæc enim aut jure, aut more sapientum, repellis. Jure quidem per remedia notissima: retorsionem scilicet; aut actionem injuriarum, eamque aut Civilem aut Criminalem. Et herculè, pilulæ, & sæpe injuriæ, leu optimè quisquis dixit, dixit, non masticandæ, sed deglutiendæ sunt. Laude suâ non privanda est illa prudentissimi *Xenophontis* vox, quâ injurianti ita respondebat: *tu maledicere didicisti*; at Ego, conscientiâ teste, didici maledicta contemnere. Et Chrysippus columniatori suo: *Ego*, ajebat, *sic vitam degam, ut tibi nemo sit crediturus.* Alter modus, in quo moderamen inculpatæ tutelæ non servatur, est, cùm quis lethalibus armis non aggredientem, lethalibus usque ad mortem aggressoris repellit, quod probat sæpe all. *art. 140. Const. Crim. Carol.* Si ergo Senex, valetudinarius, aut imbecillo corpore præditus, pugnis à quadrato invaderetur Homine, lethalibus armis, adversarium ejus eum aggressum esse, nemo facilè ibit inficias. Legi Perusinum unico pugno in capite, aut hominem, aut taurum, interficere potuisse, *Wesenbec. vol. 1. Consilior. cons. 18. num. 57, vers. si adversarius, &c.* Neque in culpa erit, qui pugnis invasus eum in finem arma opponit, ne pugnis cedatur: sibi enim imputet, qui pugnis injustè aliquem ferire non desinit, si damnum ex oppositione armorum etiam gravissimum

mum incurrit. Tertius est modus, quo moderamen inculpatæ tutelæ exceditur, cùm quis graviori vulnere, aut cæde alterius, illam propulsat vim, quam leviori modo absque ullo periculo vitæ suæ avertere poterat. *cap. significasti 18. §. fin. Ext. de Homicid.* Huc spectat illa Hebræorum moderaminis inculpatæ tutelæ explicatio, quam exhibet *Seldenus de j. N. & G. lib. 4. cap. 3. ut* scilicet *tutela, si fieri posset, incruenta præstetur; sin verò, id fieri nequeat, etiam cum aggressoris membri alicujus mutilatione, seu abscissione: quæ si neque sic præstari posset, cædes aggressoris legitima habita, non aliter.* Ultimus, quo limites inculpatæ tutelæ transgrediuntur, est modus, si quis cessante offensione, alteri per vim insistere non desinit, de quo vid. *art. 142. Const. Crim. Carol.* ibi: **oder / so der Kläger in diesem Fall eine solche Meynung fürgebe / 2c.**

XXIV. Quâ pœnâ sit afficiendus, qui moderamen transgreditur, videamus. Distinguit *Dn. Carpzovius* inter moderamen Defensionis; & inter moderamen Defensionis inculpatæ tutelæ, *part. 1. pract. criminali quæst. 18. num. 16. & seqq. & quæstione 19. num. 34. & seqq.* secutus, ut ait, *Marium Salomonium in repet. l. ut vim. 3. ff. de j. & j. num. 10.* Nec displicet hæc distinctio *Dn. Bœclero in comm. ad lib. 2. c. 1. §. 3, 4, 5, Grotian.* dum dicit: *moderamen Defensionis, à moderamine inculpatæ tutelæ ICti nostri notis quibusdam insignibus distinxere.* Et discrimen esse inter Defensionem simpliciter ita dictam; & inter Defensionem inculpatæ tutelæ, clarum hoc fiet exemplo. *Titius Sejum* in via publica stricto ferro aggrediebatur, nec vulnerandi nec occidendi animo; sed saltem verberandi quâ parte gladius obtusus est. **Er wolte Jhn mit der Flegge des Degens nur schlagen.** Fit voti compos *Titius*. Quare *Sejus* furore plenus trucidare *Titium* omnem dat operam. Loci situs non patiebatur quenquam fugere. Videns ergo *Titius* vitæ se expositum esse periculo, mutat propositum, & ut se mortis eripiat periculo, punctim contra *Sejum* pugnat, *Sejumq;* interficit. Videmus hic discrimen inter defensionem & defensionem inculpatæ tutelæ. Defendisse se *Titium*, nemo fortassis negabit: erat enim in summo vitæ periculo. Ast à defensione inculpatæ tutelæ longiùs abfuit. Causa namque impulsiva defensionis inculpatæ tutelæ est,

eſt, ut quis lethalibus armis absque ſua culpa ab aliquo invadatur. Textus hanc in rem eſt expreſſus in *art. 140. & 142. Conſt. Criminal. Carol. art. 140.* **So einer jemand mit einen tödlichen Waffen/ oder Wehr überläufft/ anficht/ oder schläget**; *art. 142. inpr.* **auff diese erste tödtliche Anfechtung/ oder Benöhtigung darauff/ ist die Nohtwehr gegründet.** E contra, ſi *Sejus Titium* vitâ privaſſet, dicendum; defenſionem inculpatæ tutelæ commiſiſſe: ratione circumſtantiarum, aut excedendo, aut non excedendo hoc moderamen. Nobis cùm ſermo ſit de defenſione inculpatæ tutelæ, credimus eum, qui moderamen ejus transgreditur, non pœnâ homicidii ordinariâ, ſed extraordinariâ quâdam, puniendum eſſe. Pœna enim homicidii corporalis nunquam habet locum, niſi in homicidio voluntario, **fürsetzlichem Todschlag**: quando nempe ex propoſito, deſtinatâ voluntate, & quidem dolo malo commiſſum eſt. Quippe debet verus & expreſſus intervenire dolus, ad hoc ut pœna Legis Corneliæ de Sicariis obtineat. Textus ſunt hanc in rem clari in *cap. ſignificaſti. Clem. 2. de homicid.* & in *l. 1. C. ad L. Corn. de Sicar.* videatur *Gailius lib. 2. Obſervat. obſ. 110. num. 1. & 15.* & apud eum longus Doctorum ordo. Huc etiam pertinet, quòd quando agitur de excuſandis delictis, principium non finis attendatur *l. 6. C. ad leg. Iul. de vi publ. & priv.* ibi. *placuit in eum vim exerceri, qui alteri vim facere tentaverit, & alterutri parti cauſam malorum dederit.* Conſentiunt *Doctores in l. 1. C. unde vi.*

XXV. Puniendus ergo pro iſto exceſſu, non ut doloſus, quia præcedens provocatio à dolo excuſat, & **auff der ersten tödtlichen Anfechtung/ oder Benöhtigung darauff/ ist die Nohtwehr gegründet**/ *d. art. 142. Conſt. Crim. Carol*; ſed ut culpabilis: quia moderamen inculpatæ tutelæ exceſſit. *d. art. 142.* ibi: **und daß fürter die Straff/ꝛc.** addantur *Gailius d. obſ. 110. num. 18.* qui plurimos conſentientes citat. Verùm, cùm ob infinitam varietatem rerum ad ejusmodi actiones concurrentium, & ex iis emergentium, ſæpe parùm in expedito ſit dijudicatio, Viri prudentis (qui judex erit) arbitrio & definitione opus erit. Quam Ariſtoteles ex ea ipſa cauſa in moralibus regulam facit, ut ait *Dn. Bœclerus ad c. 1. lib. 2. Grotian. §. 3. 4. & 5.*

Faciat autem illud judex sine odio & ira, quorum causas cum *Tacito* nostro *1. Ann. 1. num. 6.* procul habeat. Videntur dictis obstare verba *d. art. 142.* hæc: **und daß fürter die Straff an Leib / Leben / oder auch zur Buß und Besserung erkandt werde:** in quibus Imperator, asserere videtur, excessum moderaminis inculpatæ tutelæ nonnunquam capitalem pœnam mereri. Respondet *Dn. Carpzovius* ad textum illum: *indifferenter ibi agi de excessu defensionis, & excessu defensionis inculpatæ tutelæ: excessum autem defensionis, & nunquam defensionis inculpatæ tutelæ, pœnâ gladii puniri. dict. quæst. 29. num. 34.* Textum dict. art. penitus inspicienti credo clarum fore, loqui Imperatorem ibi de causa impulsiva defensionis inculpatæ tutelæ; quod ostendunt verba, **ist noht gar eben zuermessen / wie viel oder wenig der Thäter zur That Ursach gegeben habe.** Ubi autem vera causa impulsiva moderaminis inculpatæ tutelæ non est; ibi etiam dehinc veræ moderamen defensionis esse nequit. Cæterùm, pœnam excessus Defensionis inculpatæ tutelæ latè tractat *Dn. Carpzovius d. part. 1. quæst. 30.* Punitur verò quis, nunc graviùs, nunc leniùs, juxta rationem & qualitatem commissi excessus, ex dolo, vel culpâ latâ, sive leviori; aut levissimâ, *Carpz. d. loc.* Præter prædictam pœnam arbitrariam, etiam hæredibus defuncti ad omnia damna & interesse, non solùm ad expensas, curationes Medicorum, medicinarum, & similium, tenetur. *Ludolph. Schrader tr. de feud. part. 9. c. 4. num. 78. vers. porrò annotandum est. Farinacius in pract. criminal. part. 4. tit. 14. quæst. 119. num. 102.* ibi: *amplia secundo.* & *numero 124.* ibi: *sublimita secundo*; Sed etiam æstimationem operarum, & lucri cessantis. *Schader d. tr p. 9. c. 4. num. 78. post medium vers. similiter etiam ipse obligatur. Farinacius in sua pract. part. 4. tit. de homicid. 14. quæst. 119. n. 95.* ibi: *amplia primo.* Quomodo æstimanda sint opera, dubitatur. Alii credunt juxta dispositionem *l. hæreditarium 70. ff. ad. L. Falcidiam.* Alii juxta *l. ult. C. de SS. Eccles.* quæ ad centum annos fieri solebat. Pro utraque opinione citat *Berlichius* Authores *part. 4. conclus. pract. concl. 18. num 22.* Ego propter circumstantiarum varietatem, judicis arbitrio, credo relinquendum hoc esse: quomodo etiam his proximis annis sæpe Facultatem juridicam Tubingensem respondisse,

se, ab *Ampl. Dn. Præside* intellexi. Consentit *Alber. in l. 3. ff. si quad. paup. feciss. dic. Ioann. Bajard. in add. ad Julium Clarum lib. 5. sentent. §. homicidium. num. 69. versu, ego verò arbitror.* Fusiùs de hac quæstione agit *Berlichius d. conclus. 18. num. 21. & seqq.* ad quem lectorem remitto.

XXVI. Inculpatæ tutelæ Defensio nihil aliud habet pro Fine simpliciter tali, quàm vitam innocentis injustæ morti eripere. Quo fine obtento, cessant media. Unde clarum est, defensionem nostram nihil commune habere, ratione Finis, cum Brutis: nam, cùm omnino ratio requiratur ad discernendum, utrùm in vitæ quis versetur periculo, vel non; & quando quis illo liberatus, aut non liberatus sit; brutaque animalia ratione careant: consequens est, quod dictum est. Tribuerunt quidem brutis nonnulli rationem, (quos recenset *Ampliss. Dn. Præses in dict. tract. cap. 4. sect. 1. num. 13.*) quod & *Quintilianus lib. 2. Orat. instit. cap. 16.* facit; dum *in brutis moliri cubilia, & nidos texere, educareque fœtus, & c. nonnullius fortassis esse rationis*, ait: *Sed quia careant sermone quæ id faciunt, muta atque irrationabilia vocari. Hieronymus Rorarius, Exlegatus Pontificius*, libris quoque duobus, quòd animalia bruta ratione meliùs utantur homine, defendit: quos edidit è Bibliotheca sua *Gabriel Naudeæus.* Sed his optimè respondit *Chrysostomus Hom. 4. in Acta*: Cujus verba Latinus Interpres ita vertit. *Per Philosophos hoc semper egit Diabolus, ut ostenderet, nostrum genus à brutis nihil differre, quando nonnulli in opinionem tam absurdam venerunt, ut animalia rationis expertia, ratione prædita esse dicerent.* Hinc porrò fluit, nec ratione Causæ Efficientis, quæ est inter alias jus Naturæ, Defensionem nobis cum brutis communem esse. Omnis enim Lex requirit rationem, nec sine ea Lex Naturæ esse potest: quod argumentum frustra eludit *Mastertius de justitia LL. Romanarum lib. 1. dub. 5. Gregor. Lopez lib. sing. animadvers. c. 5. Vngebaur Exercitat. 2. quæst. 1.* Neque esse potest jus, propriè sumptum, inter quos neque Lex est, neque justitia, neque injustitia; uti *Aristoteles* argumentatur *5. Eth. 10.* Rectè ergo *Plato in Men. nostra terra*, dicit, *ex omnibus animantibus Hominem genuit, qui cæteris intelligentia præstat, solusque Deos ac jus animadvertit.* Ut *Divus Thomas 1. 2. quæst. 91. art. 2. partici-*

pationem, ait, *legis æternæ in sola rationali natura vocari Legem Naturæ: in creatura autem irrationali, quia non participantur intellectualiter & rationaliter, ideo ipsam non posse esse Legem; nisi analogicè.* Plura qui de hac quæstione desiderat, videat *Iohannem Seldenum de j. N. & G. lib. 1. c. 5. & 6:* Ubi quæ contra objiciuntur, sollicitè & eâ curâ, cui vix aliquid (teste *Ampl. Dn. Præside dict. Section. 1. n. 24.*) addi potest, diluit. Responsionem, ad *ICtorum* authoritatem, quæ jus Naturæ commune omnibus animantibus facere studuit, liceat mutuari ex *Dn. Bœcleri præfat. Comm. in Grotii lib. de j. B. & P.* Verba illius sunt hæc. *Equidem magna antiquorum illorum Iureconsultorum, ob immensam eruditionem, apud omnes esse debet veneratio, neque sine necessaria causa ab eorum sententiis discedendum esse existimaverim. Non displicuit itaque mihi eorum conatus, qui commodam ejus sententiæ explicationem quærendam sibi esse putaverunt: nisi quòd importuniùs id atque indoctiùs à quibusdam factum esse videtur. Meliorem viam institerunt* Petrus Gassendus, *& uberiùs* Hugo de Roy de eo quod justum est. *Sed nondum præcipuis difficultatibus remedium indè paratur. Bene igitur* Grotius, *puto, à definitione juris Naturalis Vlpianea recedendum existimavit, de j. B. & P. lib. 1. c. 1. num.* 11. *Sicut &* Seldenus, *cum aliis. Licèt enim ille modus inquirendi Naturalem juris Rationem per comparationem, & imaginem quandam repudiandus non sit; (& tractavit hunc locum non perfunctoriè* Porphyrius) *ad definiendum tamen minimè omnium accommodatus est.*

XXVII. Intermedius Defensionis Finis est quandoque, occisio aggressoris: scilicet cùm hunc extrema necessitas vitam propriam servandi efflagitat. Negant hanc occisionem pro Fine posse haberi, *Thomas Aquinas, Cajetanus, Turrecremata, Franciscus Victoria,* & *Abulensis:* uti refert *Obrechtus d. tr. de necess. defens. c. 11.* Quibus adstipulatur *Petr. Binsfeld in tract. de injuriis & damno dato c. 1. quæst. 5. con. 3. vers. circa hanc quæstionem: hunc actum,* statuens, *à malo occisionis fine fieri malum, & ita illicitum videri.* Illustrant opinionem suam *simili,* uti credunt, eleganti. Sicut Medicus, dicunt, adhibens medicamentum utile ad sanitatem, ex quo prævidet secuturam debilitatem ægroti, intendit sanitatem, non debilitatem, quæ ex illo remedio sequitur:

tur: ita aggressus non potest intendere ipsam aggressoris mortem; sed solùm actum necessarium ad sui defensionem, ex quo prævidet secuturam mortem aggressoris, non curando, quòd indè mors sequatur. Sed hi, dum concedunt posse aliquem intendere actum necessarium ad sui Defensionem, vel inviti concedant oportet, debere illum apprehendere illud medium, quod ad illum actum consequendum necessarium est: Si debet apprehendere, qui fieri potest, ut non habeat pro Fine? Neque illud concedo non posse quandoque Medicum intendere debilitationem ægroti: Sed planè credo, si aliter ægrotus quàm per medium debilitationis restitui non poterit, illam Medicum debere intendere: ast perrarò illam debilitationem tanquam medium ad sanitatem restituendam intendere, necessarium erit; Sed evacuationem humorum, cujus Effectus est. Videmus nonnunquam Chirurgum aut manum, aut pedem, ægroti abscindere, ne pars sincera trahatur: & omne quod inutile est Medici præscindunt; optimè Vir doctus dixit. Medicum autem & Chirurgum nemo ideò, mentis compos qui est, reprehendet; quoniam majus malum ex illa abscissione evitatur. Cur ergo tam inimici animi erga defensionem erimus, negando ei, quod Chirurgo facilè concedimus? Finis sit intermedius occisio alterius, oportet: nunquam autem ultimus. Verùm enim verò, an multi, aggressorem cum moderamine inculpatæ tutelæ interficientes, pro Fine solùm intermedio occisionem illam habeant, de eo valde dubito: magis autem an plurimi Hominum, si quando in Defensione Necessaria eis sit aliquis occidendus, sint habituri. Non semel enim audivi jactitantes eos, qui nil nisi magna sibi esse proferenda credunt; se, si ab aliquo in via publica invadantur, illicò aggressorem trucidaturos. Sed videant hi, quomodo hanc intentionem excusaturi sint, judice aliquando illo, qui cogitationum & inutilium verborum reddi sibi rationem imperabit. Bene itaq; à *Thoma* dictum est, *2.2.quæst.64.art.1. si rectè accipias, in vera defensione ex intentione* (ita *Thomæ* verba, *Grotius de J.B. & P.lib.2.c.1.* §.4. recitat) *Hominem non occidi: non, quòd non interdum, si alia salutis non suppetat ratio, non liceat destinato id facere, unde mors aggressoris sit secutura: sed quòd hic mors illa non eligatur ut quiddam primariò intentum, sicut in punitione judiciali: Sed ut unicum, quod*

eo tempore ſuppetit : cùm is , qui impetitus jam eſt , etiam illo tempore , malle debebat aliquid facere, quo alter abſterreatur, aut debilitetur, quàm quo intereat. Quod & nos non ſemel hac in diſputatione monuimus obſervandum eſſe.

XXVIII. Ergo, qui cum moderamine aliquem interfecit, & in foro fori, & in foro poli, ab omni pœna liber erit. Quare errat *Jaſon ad l. 3. ff. de j. & j. in Comm. ad primam Digeſt. vet. part. num. 22.* dum *in omnibus caſibus , in quibus Homicidium de jure Civili & Canonico permittitur ; quamvis hoc Homicidium non poſſit puniri in aliquo foro* (fori:) *tamen quoad Deum peccare Homicidam mortaliter* ait: Illud meritò mirari ſubit, quod ex ore *Ioſephi Scaligeri* excepiſſe *Fratres Puteanos in editis nuperrimè excerptis f. 138.* legitur ; Genevenſes antehac, generalitatem præcepti, *non occides*, ceu credebant, obſervantes, Gallum aliquem, qui ad corporis ſui defenſionem aggreſſorem interemerat ſuum , capitali ſupplicio affeciſſe , nullâ habitâ exceptionum ejus aut transactionis ratione. Quare Barbaricum hoc eſſe optimè dicit Scaliger. Neque pœnam fractæ Pacis incurret , injuſtum aggreſſorem cum moderamine inculpatæ tutelæ occidens. Quia vim vi repellere omnia jura permittunt : aggreſſorque non ab alio, ſed à ſe ipſo , lædi cenſetur *l. 52. §. 1. ff. ad L. Aquiliam.* ibi : *reſpondi culpam penes eum, qui prior flagello percuſſerat , reſidere.* Quibus accedit ; quòd neceſſaria defenſio doli præſumptionem excludat, at delictum fractæ Pacis dolum requirit. *Gailius de pace publ. cap. 7. num. 6.* Nec de expenſis , nec de ullo damno occiſi hæredibus tenetur. *art. 139. Conſt. Crim. Carol.* in verbis : welcher eine rechte Nohtwehr thut / der iſt darum niemand nichts ſchuldig. Sed anne hoc caſu occiſor à ſolutione Wergeldi immunis ſit de jure Saxonico , dubitatur ? Doctorum non pauci (quos vide apud *Carpzovium in part. criminal. quaeſt. 28. num. 34.*) arbitrantur , jus Saxonicum hac in parte à jure communi recedere, condemnando etiam illum, qui nullo modo moderamen exceſſit , in pœnam unius Wergeldi , occiſi proximis Agnatis ſolvendum ; & inſuper in mulctam 60. ſolidorum, judici applicandam. Credunt opinionem ſuam fundatam eſſe in verbis expreſſis *juris Saxonici art. 14. lib. 2.* Landrecht. ibi : man ſoll Jhm ſeinen Hals nicht vertheilen : dem Richter aber ſoll man ertheilen

len/ auff Jhn das höchste Gewette der Pfennige / die man Jhn pfleget zu wetten; und den Freunden Jhr Wehrgeld. Sed hoc non obstante textu, contrariam veriorem credo esse sententiam. Ut scilicet aggressus in omnibus moderamen inculpatæ tutelæ observans, aggressoremque occidens, non teneatur ad solutionem Wergeldi, & mulctæ 60. Solidorum; vulgò, des höchsten Gewetts. Wergeldum enim pœnæ nomine est. *Sneiduvinus ad* §. *in summa* 10. *Inst. de Injuriis. Carpzovius d. quæst*. 38. *num*. 42. Durum autem esset pœnam imponere illi, quem omnia jura absolvunt: & quod regulariter quis jure Naturali præcipiente facit; ceu hoc *th. præced*. 9. affirmavimus, illud pœnâ non est dignum. Nec frustra *articulus* 140. *Const. Crimin. Carol*. Defensorem ab omni pœna liberum esse pronuntiat, ibi: der mag sein Leib und Leben/ ohn alle Straff/ durch eine rechte Gegenwehr erretten. Et hanc sententiam in pronuntiando sequuntur (uti refert *Carpzov. d. quæst*. 28. *n*. 45.) *Electoris Saxonici Scabini*. Prout responderunt ad consultationem Hieronymi Stoltzers adversus Liebenau/ hisce ferè verbis. Daß der Gefangene seine vorgewandte Nohtdurfft bewiesen hat. Derowegen mag Er von wegen der am M. W. am nechsten verschienen grünen Donners-Tage begangenen Entleibung mit einiger Straff nicht belegt werden: sondern wird der gefänglichen Hafft auff einen gewöhnlichen Uhrfrieden billich erlediget.

XXIX. Ad allegati articuli 14. verba respondet. *Dn. Carpzovius d. quæst*. 28. *n*. 37. perpensis ac probè consideratis verbis præcedentibus & consequentibus, apparere manifestè, agi ibi de peculiari antiquorum Saxonum consuetudine, quâ occisor, allegans moderamen inculpatæ tutelæ, & in judicio, antequam quis contra eum ageret, desiderans absolvi, solutionem Wergeldi, & mulctæ 60. Solidorum, quasi pro redimendâ vexâ, & in casum commissi excessus, satisfaciendo per id Agnatis occisi, ut & judici, ab omni ulteriori pœna sese liberare poterat. Secus, si contra eum prius actum fuisset: quo casu pœnam promeritam luere, aut moderamen inculpatæ tutelæ sufficienter probare debebat, Aliter respondet *Berlichius part*. 4. *conclus. pract. concl*. 12. *num*. 5. Statuitque dispositionem *dict. arct*. 14. tunc obtinere, si nullus accu-

accusator appareat: vel appareat quidem; sed civiliter, tantùm ad Wergeldum, agat. Secus autem esse, si criminaliter actionem ad pœnam Legis Corneliæ, vel aliam corporalem, instituat: tunc enim reum probatâ necessariâ defensione, simpliciter secundùm dispositionem juris Civilis venire absolvendum.

XXX. Superest, ut de probatione inculpatæ tutelæ aliquid addam; quæ accusatum à pœna homicidii, & ab omni, liberat. Notandum autem priùs est: quòd si vulnus mortuo inflictum non fuerit lethale & mortiferum, hoc est, si mortuo tale inflictum vulnus, quod plus tendit ad evasionem quàm ad mortem; tunc vulnerantem, licèt de cætero in omnibus peccaverit, pœnâ ordinariâ Legis Corneliæ non affici. Præcisè enim constare debet, mortuum ex vulnere inflicto obiisse. *Carpzovius part. 1. Pract. crimin. quæst. 26. num. 2.* ubi consentientium non paucos videbis. textus est in *art 148. Const. Crim. Carol.* versu **wer aber/rc.** ibi: **gefährlicher weise tödtlich geschlagen/ geworffen und gewundt worden/rc.** & porrò, **von welcher Hand obbestimmter massen der Entleibte nicht tödtlich geworffen ist.** *art. 147.* dict. *Constit.* ibi: **so/rc. Zweiffelich wäre/ ob Er der geklagten Streich halben gestorben wäre/ oder nicht; in solchen Fällen.** Antequam enim alicui supplicium irrogari possit, probationes requiruntur luce meridianâ clariores, *l. ult. C. de probat.* Sæpe enim evenire solet, ut vulneratus accedente alio morbo, vel accidente ad inflictum vulnus, non tam ex vulnere, quàm ex accedente aliâ causâ vitam finiat. Quod rectè monet, & latiùs deducit **Gottfried Welsch/** *Medicus Lipsiensis in* erudito *tractatu de Rationali vulnerum lethalium judicio.* Unde si ex ipsa vulneris accuratâ inspectione, de ejus qualitate, mortem necessariò inferente, non constet, semper meritò ambigitur, an ex vulnere, an ex propria vel Chirurgi culpa, aut ex alio supervenienti gravi symptomate, (ut convulsione, febri, epilepsiâ, sanguinis effusione nimiâ,) vel aliâ causâ perierit. Et eo in casu judex, cujus in dubio munus est absolvere potiùs quàm condemnare, ex LL. præscripto mortis sententiam dictare non potest. Quare rectissimè Lipsienses apud *Carpzovium in pract. crim. part. 1. quæst. 26.* cùm aliquis aliquot horis post acceptum vulnus obiisset, indéque colligerent alii, ex vulnere

nere necessariò mortuum; respondent: Wir halten dergleichen præsumption viel zu schwach zu seyn / die Todesstraff darauff zu erkennen / und dem Gefangenen das Leben abzusprechen: Dann es wol seyn können / daß der Verwundete auß andern Zufällen / als schwerer Noht / Schlag / Verbluhtung / oder aber selbst eigener Verwahrlosung / verstorben. Wie sich dann bey solcher Verwundung offters begeben thut. *Iustus Oldenkop*, ut amat plerumque à celeberrimo Carpzovio dissidere, ita hanc vulnerum inspectionem non existimat necessariam, nisi tum demum, si vulneratus post aliquot dies moriatur. *Tract. Criminal. cont. Carpzovium. Decad.3. quæst. 8. num.* 1. argumento art. Const. Crimin. 147. ubi illa leguntur: Und über etzliche Zeit hernach stürbe: si verò gladio, vel lethalibus armis aliis, vulneratus mox decesserit, vulneris inspectionem non tantùm non esse necessariam, sed etiam ridiculam, autumat Cæterùm, cùm fieri possit, & factum non raro sit, ut ex causis, à Scabinis Lipsiensibus expressis, homines mortui sint; & interdum (tradente *Welschio dict. tract. cap.* 14.) mors ex subita animi consternatione & suffocatione contingat: rectiùs Lipsienses JCti, & Medici, omni casu, etiam eo, quo is, qui gladio aut sclopeto vulneratus, statim concidit & è vestigio mortuus est, inspectionem decernunt. Imò, cùm quis gladio punctim vulneratus, post horæ dimidium mortem cum vita mutasset, & Medicus, qui illud solus inspexerat, vulnus lethale judicasset; tamen Facultas Medica Lipsiensis respondit. Wir können bey so geschehener inquisitione vulneris es pro simpliciter & absolutè lethali nicht erkennen. videatur Gottfried Welsch. *dict. tract. c.* 15. Et Facultas juridica deinde reum sub cautione 200. Imperialium, dimittendum pronuntiavit: ut idem Welsch refert. Atque ita sæpe Faaultatem juridicam Tubingensem respondisse, ab *Ampl. Dn. Præside* accepi. Ut autem legitima hæc sit inspectio; quatuor requiruntur *art.* 149. *Carolinæ Constitutionis.* Ut scilicet fiat à judice, & duobus Scabinis, ac Secretario vel Actuario, præsentibus. *Secundò*, ut fiat adhibitis pluribus Medicis, sive Chirurgis, & quidem juramento obstrictis ad veritatem dicendam, si eorum copia esse possit: sin in loco illo, ubi vulneratus reperitur, unicus saltem sit, eum adhibitum esse sufficit.

 cit.

cit. *Tertiò.* Medici vel Chirurgi unà cum judice & Scabinis accuratè inspiciant cadaver & examinent. *Quartò.* Secretarius circumstantias omnes, & Medicorum & Chirurgorum judicia & rationes diligenter annotet, & Protocollo inserat. In formando autem hoc judicio non parùm refert inter alia, quibus armis, & an cæsim vel punctim, vel in qua corporis parte quis vulneratus sit. Itaque, cujus brachio cæsim inflictum est vulnus, si hic ex intervallo moriatur, non ex vulnere, sed ex alio symptomate accedente obiisse, tantùm non semper dicendum erit. Et ita memini Facultatem Medicam Giessensem, Decano *Dno. D. Heilando,* Medico celeberrimo, pronuntiasse, cùm ibi Studiorum gratia degerem: & reum tantùm ideo, quòd duellum oblatum acceperat, manusque cum provocante contulerat, punitum esse. Quæstionem hanc prosequitur etiam *Dn. Carpzovius. d. part.* 1. *per totam quæst. 26.* & *Molina tom. 3. tract. 3. disp. 31. per tot.*

XXXI. Allegans Defensionem duo ut probet, necesse est. Injustam invasionem; Et quòd aliter vitæ periculum evitare non potuerit. Textus est expressus in *art. 140.* & *141. Const. Crim. Carol. art. 140.* in verbis: **So einer jemand mit einen tödlichen Waffen überläufft/ und der Benöhtigt kan füglich ohn Fährligkeit oder Verletzung seines Leibs/Lebens/Ehr und guten Leumuhts nicht entweichen: Der mag sein Leib und Leben durch eine rechte Gegenwehr/ retten.** *art. 141.* ibi: **Welcher sich aber nach Erfindung der That/ einer gethanen Nohtwehr gebrauchen will/ und der Ankläger deß nicht geständig ist/ so legt das Recht dem Thäter auff/ solche berühmte Nohtwehr/ obgemelter massen/ zu Recht gnug zu beweisen.** Sunt, qui tantùm à reo exigunt probationem aggressionis violentæ, quâ probatum etiam moderamen inculpatæ tutelæ credunt: *& quicquid indè fecerit is, cui vis illata est, præsumendum id omne egisse, ut se à violente impetu tueretur;* dicit *Mascardus de probation. vol. 1. conclus. 490. n. 1.* & magnum pro sua sententia allegat Doctorum numerum. Credunt pro stabilienda sua opinione facere *art. 142. dict. Const. Crim. Carol.* ibi: **Die Nohtwehr ist auff der ersten tödtlichen Anfechtung gegründet.** Sed horum verborum mentem *th. præc. 24.* explicavi. Et

por-

porrò circa finem *dict. art.* Sondern der verklagte Todschläger seiner berühmten Nohtwehr halb außfündig macht / daß Er von dem Entleibten mit einem tödtlichen Wehr/als vor von der rechten Nohtwehr gesetzet ist/erstlich angefochten worden wäre: So ist die Nohtwehr durch den verklagten Todschläger außgeführet. Respondet ad hunc textum *Dn. Carpzovius d. tract. part. 1. quæst. 33. num. 28.* Sed illa responsio, meo quidem judicio, adversariis, pace tanti Viri sit dictum, non satisfacit. Credo ergo, Imperatori non fuisse mentem explicare in *d. art. 142.* requisita, quæ alleganti defensionem inculpatæ tutelæ regulariter probanda sunt, si ab omni pœna absolvi desiderat: fecerat enim hoc *art. 140. & 141.* claris satis verbis. Sed dixit in *d. art. 142.* quid juris sit, quando accusator ultrò recipit probandi in se onus, quod aliàs reo iucumbebat: deciditque etiam hunc casum, (in verbis ab adversariis allegatis, Sondern der Verklagte ꝛc.) quando accusator nequit probare excessum commissum esse à reo circa moderamen inculpatæ tutelæ, reus autem probavit injustam aggressionem, tunc reum ab omni pœna liberum esse, nec ei tunc imponendam probationem dicti moderaminis. Hujus rei causa forsitan est; quòd dum omnes probandi modi, & inartificiales, quos affert accusator, nihil contra reum probent, eo ipso innocentiam ejus ostendant. Et herculè, frustra adversarios *d. art. 142. Const. Crim. Carol.* pro sua allegare sententia, vel vox illa, Sondern ostendit. Quæ indicat, sequentia prioribus jungenda esse. Quod videntes nonnulli adversariorum, cautè satis hac in re versati sunt, & ne facilè erroris possent argui, pro vocula, Sondern / substituerunt vocem, So; ut ita sensus pro illis sit, non inspecto ipso articulo, clarus, dum dicunt, So der verklagte Todschläger: absolutéque illis loquitur, quod aliàs conditionale est. Quod si ex mandato Imperatoris ita mutassent verba, ego etiam in sententiam eorum irem. Cæterùm, dicta duo requisita alleganti defensionem inculpatæ tutelæ, probanda esse, statuit, inter alios *Berlichius part. 4. Conclus. pract. conclus. 14. n. 10. Carpzovius d. quæst. 33. n. 22. practicæ crim. Dn. Struve d. tract. de privat. vind. cap. 4. aph. 8. num. 4.*

XXXII. Probationem Defensionis prolixè tractarunt, *Berlichius d. part. 4. concl. 14. per tot. Carpzovius in pract. crim. part. 1. concl. 33.*

per tot. Obrechtus de Necess. Defens. cap. 14. per tot Gailius lib. 1. de pace publ. cap. 16. num 1. 10. 22. & 23. Farinacius in pract. crimin. p. 4. tit. 14. quæst. 125. part. 7. §. 1. Menochius lib. 2. de arb. jud. cent. 3. cas. 276. Hardevvig. Dasselius in decisionib. quæst. in jure Controve. consilio 24. per tot. Aliique complures. Et sanè, tantus est defensionis favor, ut ob eam quandoque à regulis juris, quantum ad processum, recedere liceat. *Carpzov. d. quæst. 33. num. 10.* Et si ullæ causæ, defensioni certè, & Leges & judices favent. Ne quis autem credat, datam hinc sibi esse liberiùs peccandi ansam, sciat, non tantùm illas esse pœnas, quas judex delictis imponit: nec illas tantùm, quæ morte obitâ scelestos manere, etiam ex ipsis Ethnicis haud pauci non vanè dixerunt. Sed esse etiam externas. Esse internas. Externæ (quales sunt, exilium, dolor, paupertas) in omnium oculos incurrunt: quare de his in præsens non dicam. Internis autem cave compares aculeos ullos, fidiculas, uncos. Quis enim tam projectus ad omne nefas, qui non acria quædam flagella in animo, & velut ictus, senserit, sive in faciendo scelere; seu magis post factum? Erant *Tiberio*, (*Tacitus 1. Ann. 11. num. 5.* ex distinctione Berneggeriana) seu naturâ, seu assuetudine, suspensa semper & obscura verba: ast illum non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris, (quo argumento, inter alia, utitur *Amplis. Dn. Præses* ad probandum jus Naturæ *d. tract. c. 4. §. 18.*) suasque ipse pœnas fateretur. Hinc in Epistola ad Senatum; (quam legere est apud *Tacitum* nostrum, cujus verbis, teste *Plinio Secundo Epist. lib. 2. epist. 1. & 11.* & gravitas & eloquentia inest, *6. Ann. 6. num. 1.*) *Quid scribam vobis P. C. dii me deæque pejùs perdant quàm perire sentio, si scio.* Deorum ille Hominumque contemptor Nero; postquam Matrem suam (horresco referens) trucidari imperarat; *perfecto scelere magnitudinem ejus intellexit: reliquo noctis*, (referente eodem *Tacito 14. Ann. 10. num. 1.*) *modo per silentium defixus, sæpius pavore exurgens, & mentis inops, lucem opperiebatur, tanquam exitium allaturam.* Quare; si recludantur impiorum mentes, possent aspici laniatus & ictus; quādo ut corpora verberibus; ita libine, pessimisque factis, animus dilaceratur. Hinc optimè *Naso lib. 1. Fastor.*

Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit intra
Pectora, pro facto spemque metumque suo,

Hæc, pro ratione instituti, de Defensione, dicta sufficiant.

De

DUELLIS TRACTATUS,

A

D. SAMUELE RACHELIO,

ad hanc formam adornatus,

Qui fuit antehac *Dissertatio*, ab ipso

sub PRÆSIDIO

MAURITIANO

In ACADEMICA KILONIENSE proposita.

I.

OMne omninò animal naturâ expetit bonum, declinat & aversatur malum. *Quia appetitus nihil aliud est, quàm quædam inclinatio appetentis in aliquid: nihil autem inclinatur nisi in aliquid simile & conveniens. Tom. 1. 2. quæst. 8. art. 1.* Atque hoc quod ita appetenti conveniens est aut videtur, vel verum est bonum, vel apparens; juxta illud Philosophi, *Bonum est quod omnia appetunt. 1. Nicom. 1. §. 2. nostra edit.* Illa appetitio boni Aristoteli, δίωξις. Stoicis ὄρεξις; illa aversatio mali illi, φυγὴ, his ἔκκλισις dicitur. Oritur verò illa boni persecutio, & fuga mali ab amore sui. Quodque enim animal à Providentia divina eum accepit instinctum ac propensionem, ut quàm maximè sit cupidum conservationis individui, seu sui, & propagationis speciei. Contrarium si quandoque contingat, vel vitio agentis, vel objecti accidit. Rem ipsam ejusque causam ita eleganter proponit Diodorus Siculus: ἀγαθὴ γὰρ ἡ φύσις διδάσκαλος ἅπασι τοῖς ζώοις ἐστὶ πρὸς διατήρησιν οὐ

μόνον ἑαυτῶν, ἀλλὰ καὶ τῶν γεννωμένων, διὰ τῆς συγγενοῦς φιλοζωΐας τὰς διαδοχὰς εἰς ἀΐδιον ἄγουσα διαμονῆς κύκλον. *Optima quippe magistra natura est cunctis animantibus non tantùm ad sui, sed & ad prolis suæ conservationem, ut cognatâ hac charitate continua successio ad æternitatis circulum perveniat.* Hæc igitur naturalis propensio efficit, ut animalia ea expetant, quæ sibi suæque sustentationi ac incolumitati bona ac convenientia esse putant: illa verò amoliantur & fugiant, quæ quoquo modo calamitatem, destructionem aut interitum allatura videntur. Hinc Metum describit Philosophus, προσδοκίαν κακοῦ, *exspectationem mali. 3. Nicom. 6. §. 3. Quem etiam vide 2. Rhet. 5.* ubi exactior Metus definitio proponitur, quamvis ista etiam Chrysippo placuit. *Salmas. in Epict. & Simpl. p. 62.*

II. Hanc naturalem inclinationem ad bonum, & fugam mali Stoici appellabant τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν, *Prima naturæ*, & ex illorum sententia ita explicantur apud Gellium *l. 12. Noct. Att. c. 5.* his verbis: *Natura omnium rerum, quæ res genuit, induit nobis, inolevitque in ipsis statim principiis, quibus nati sumus, amorem nostri & charitatem*; *ita prorsus ut nihil quidquam esset charius pensiusque nobis, quàm nosmetipsi. Atque hoc esse fundamentum rata est conservandæ hominum perpetuitatis, si unusquisque nostrum, simulatque editus in lucem foret, harum prius rerum sensum affectionemque caperet: ut omnibus scilicet corporis sui commodis gauderet, ab incommodis omnibus abhorreret.* De primis his naturæ elementis (ut ipse appellat) ita differit Cicero 3. *de Finibus: Placet his* (Stoicis) *quorum ratio mihi probatur, simulatque natum sit animal* (*hinc enim est ordiendum*) *ipsum sibi conciliari, & commendari, ad se conservandum, & ad suum statum, & ad ea, quæ conservantia sunt ejus status, diligenda: alienari autem ab interitu, iisque rebus, quæ interitum videantur adferre. Id ita esse sic probant, quod antè quàm voluptas aut dolor attigerit, salutaria appetant parvi, aspernenturque contraria. Quod non fieret, nisi statum suum diligerent, interitum timerent. Fieri autem non posset: ut appeterent aliquid, nisi sensum haberent sui, eoque se, & sua diligerent. Ex quo intelligi debet, Principium ductum esse à se diligendi.* Eundem iterum audire interest. *Principio*, inquit *1. Officior. generi animantium omni est à Naturâ tributum, ut se, vitam, corpusque tucatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur.*

III. Et-

III. Etsi verò Homo cum Brutis hanc sui amoris suique conservandi communem habeat, multùm tamen diverso modo illam Homo & Bruta tueri debent. Bruta enim cùm rationis sint expertia, quovis se alunt & expediunt modo, ut cujusque instinctus & naturalis conditio tulerit: at Homo excellenti naturâ, Rationali præditus, illos actus, quos cum brutis communes habet, siquidem moralitatis capaces sint, certo ordine, ratione ac jure debet definire, adeóque sui conservationem non quovis modo aut nequiter, sed innoxiè consectari, & malorum amolitionem suique defensionem non bruto impetu, sed circumspectè ac cautè suscipere, ut, quanto amore sui defendendi excitatur, tantum absit ab odio aut proposito alterum iniquè lædi. Itaque licèt hæc πρῶτα κατὰ φύσιν naturam animalem adficiant, & propter hujus communionem & homines & bruta hos stimulos motusque sentiant, excellentior tamen in hominibus rationis vis illos instinctus ac motus certo modo legeque dirigit, diregere utique debet.

IV. Huic amori sui Natura germanam junxit sororem, Indigentiam. Ille enim Amor quò magis est sollicitus de individui conservatione, aut speciei propagatione, eò plura sibi vitæ præsidia ac subsidia deesse videt: quæ cùm nemo hominum sibi soli relictus comparare possit, commodè & huic rei Natura prospexit, hominique cuilibet appetitum indidit Societatis ineundæ; sic ut si quis fortè homo ἀκοινώνητος, *insociabilis*, deprehendatur, illum rectè cum Aristotele vel præstantiorem homine, vel bestiam dixeris. 1. *Polit*. 2. Et quamvis homo naturâ ad Societatem sit propensus, eoque fine aptissimum societatis colendæ commercandique instrumentum acceperit Orationem, fortiùs tamen instat Indigentia, & Hominem per se quidem pronum etiam compellit, adstringieque ad Societatem cum aliis ineundam conservandamque: ut meritò cum Cicerone indigentiam *Societatum Vinculum* appellaveris.

V. Cæterùm & in hac naturali Hominis ad Societatem inclinatione videre licet, quantò excellentior sit natura ejus, præ brutorum conditione. Perinde enim ut amore sui aliter debent esse affecti homines, quàm bruta; Ita quoque licèt gregatim aut catervatim vivant pascan-

paſcanturque bruta, multaque exhibeant imitamenta hominum; Societatem tamen propriè dictam inter ſe nec habent, nec etiam ejus inſtrumentum Orationem, ſed vocem duntaxt à Natura acceperunt: quæ quantum diſtent, ex Ariſtotele addiſcete operæ precium fuerit. Ita igitur ille 1. *Polit.* 2. *Orationis tantùm Homo ex omni genere animantium particeps eſt. Vox quidem triſtis rei ac jucundæ nota eſt: Quare cæteris quoque animantibus data eſt. Hucusque enim natura ipſarum pervenit, ut ſentiant, quod moleſtum eſt ac jucundum, & hoc ſignificent ſibi ipſis. Oratio autem inventa eſt ad declarandum, quod prodeſt & obeſt: quare etiam juſtum & injuſtum. Hoc enim præ cæteris animantibus hominum proprium eſt, ſolum ipſum boni & mali, juſti & injuſti, & aliorum ſenſum habere.* Unde manifeſtum eſt, ſi Oratio eſt naturale inſtrumentum, notiones boni & mali, utilis & inutilis, juſti & injuſti explicandi; illa ad ſocietatum naturam & integritatem exigi, quæ illam conſervant ejusque felicitatem promovent; illa verò debere abeſſe, quæ illam impediunt, turbant, evertunt. Eâque causâ Ariſtoteles ſemper vult eſſe ἀδιαλύτως conjuncta, Societatem, Amicitiam, & Jus. 8. *Nicom.* 9. §. 2.

VI. Bene hactenus rebus humanis divina Providentia conſuluerat: cujus mirificam bonitatem ac ordinem cùm durum Deucalionis genus non ſatis agnoſceret, & indies corruptæ ſuæ naturæ ac pravitatis atrocia exempla ederet, homo himini nefario auſu inſidiaretur, frequentiſſimisque cædibus ac motibus ſocietates hominum labefactanretur, alio remedio opus fuit. Nec etiam nihil paſſi ſunt homines à brutis, quorũ feritatem variasq; peſtes cum damno magno ſenſerunt. Varro autor eſt, à cuniculis ſuffoſſum in Hiſpania oppidum: ab locuſtis in Africa: ex Gyaro Cycladum Inſula incolas à muribus fugatos, in Italia Amyclas à ſerpentibus deletas. Citra Cynamolgos Æthyopas latè deſerta regio eſt, à ſcorpionibus & ſolpugis gente ſublata: & à ſcolopendris abactos Trerienſes, autor eſt Theophraſtus. *Plin l. 8. hiſt. nat. c. 29.* Quid faciant leones, tigrides, urſi, lupique, ſi talia audent contemptiſſima animalcula & inſecta? Horum verò omnium perniciem multis modis vicit Hominis aſtutia & malitia. *Huic uni animantium luctus eſt datus, uni luxuria, & quidem innumerabilibus modis,*

dis, ac per ſingula membra; uni ambitio, uni avaritia, uni immenſa vivendi cupido, uni ſuperſtitio, uni ſepulturæ cura, atque etiam poſt ſe de futuro. Nulli vita fragilior, nulli rerum omnium libido major, nulli pavor confuſior, nulli rabies acrior. Denique cætera animantia in ſuo genere probè degunt: congregari videmus, & ſtare contra diſſimilia. Leonum feritas inter ſe non dimicat: Serpentum morſus non petit Serpentes: ne maris quidem belluæ ac piſces, niſi in diverſa genera, ſæviunt. At herculè homini plurima ex homine ſunt mala. Plinius *proœmio lib. 7.*

VII. Naturali igitur amori ſui corrupta Hominum natura oppoſuit Odium erga alterum, Iræque ferociam: & Indigentiæ, rudi, ſimplici, parvoque contentæ, ſævior armis Luxuria ſe adſociavit. Quæ vitia ita homines exercent, & tam fervidè collidunt, ut extra civilem ſocietatem conſtitutus Homo ſit animal omnium peſſimum: *Quemadmodum enim perfectum optimum omnium animalium Homo eſt; ſic ſecretum à lege ac juſtitia, peſſimum omnium. Moleſta enim maximè injuſtitia eſt, quæ arma habet. Homo autem armis munitus naſcitur, Solertia & Generoſitate, quibus ad contrarias res uti licet maximè. Quare ſceleratum & ferum maximè eſt ſine virtute, & ad Venerem ventremque deterrimum.* Proinde Natura non neſcia Homines ferè proclives eſſe ad ejusmodi malitiam ac lubidinem, etiam tanto huic malo medicinam fecit, iisque ad ſocietatem civilem propenſionem impreſſit, in qua & plena omnium rerum eſſet αὐτάρκεια, & Jure, Naturæ ordini maximè convenienti, conſtringerentur. *Iuſtitia enim accommodata eſt civitati. Ius enim civilis ſocietatis ordo eſt. Ius autem Iuſti exiſtimatio;* inquit Ariſtoteles, *Polit. 2. f.* Ubi tamen monendum eſt, quòd licèt civilis ſocietas vel maximè medeatur depravatæ naturæ humanæ, nihilominus verum eſſe, Hominem natura eſſe ζῶον πολιτικὸν, ut etiam cum integritate naturæ conſideretur homo. Quando enim ſocietas dicitur naturalis, origo ejus tribuitur Naturæ, hoc eſt, Deo: cujus Providentia cùm quaslibet res ad ſuum bonum ordinaverit, non ſanè hanc curam deſeruit in Homine, creatura nobiliſſimâ, ſed & illi ſuum bonum propoſuit, mediaque ſuppeditavit, illud adipiſcendi, impreſſo appetitu ſocietatis, & quidem illius, in quo proprium hominis bonum & commodiſſimè & perfectiſſimè haberi queat. Hoc vero eſt εὐπραξία, quæ optimè acquiri poteſt in

ſocietate civili. Sive igitur Mercurius, ſive Orpheus, ſive Linus, ſive Amphion, ſive Theſeus Homines in civilem ſocietatē congregaverit, certoque jure ac ordine eos & regere & regi didicerit; Sanè ὁ πρῶτος συςήσας τὴν κοινωνίαν πολιτικὴν, μεγίςων ἀγαθῶν αἴτιος, *Qui primus civilem ſocietatem conſtituit, maximorum bonorum cauſa fuit.* Ariſtot. d. l.

VIII. Eſt enim Civitas ſocietas perfectiſſima, πάσης ἔχυσα πέρας τῆς αὐταρκείας, *omnis ubertatis ac copiæ faſtigium nacta:* Cujus tres ferè ſunt fines naturales. Prima quidem, ut Hominibus in illa liceat vivere. *Conveniunt*, inquit Ariſtoteles *3. Polit. 4.* homines *vivendi cauſa ipſius; fortaſſe enim huic ipſi ineſt aliqua pars boni. Et tuentur civilem ſocietatem, ſolius vitæ cauſa, niſi inciderint vivendo in res admodum duras ac moleſtas. Perſpicuum autem eſt, tolerare multos mortales graves ærumnas propter cupiditatem vitæ, tanquam inſit in ipſa proſperitas quædam & dulcedo naturalis.* Alter Civitatis finis eſt, ut Homines in ea tutò, ſecurè ac tranquillò vivant: de quo ita Ariſtoteles d. l. *Dictum eſt jam in primis diſputationibus, Hominem eſſe naturâ animal civile. Qua de cauſa homines, non egentes etiam mutuo præſidio, non minus appetunt ſimul vivere.* Significat igitur mutui præſidii opiſque conjungendæ (βοηθείας) gratia homines etiam civitatem conſtituiſſe. Tertius finis, μάλιςα τέλος Ariſtoteli dictus, eſt τὸ εὖ ζῆν, *bene ac feliciter vivere.* Quod ſanè εὖ rectè conſiderandum eſt, videlicet ut bene ſit toti Homini, cumprimis ratione illius partis, quà Homo eſt. Quidquid igitur ad τὸ *bene eſſe* corporis facit, illo εὖ ζῆν comprehenditur: multò magis quod ad τὸ *bene eſſe* Animæ rationalis conducit, eo intelligi debet, videlicet cultura & adſuefactio ejus ad virtutem, ipſaque εὐπραξία, quæ eſt vera propriaque Hominis felicitas.

IX. Quemadmodum verò in omni omninò ſocietate naturali ex Providentiæ divinæ inſtituto cernere licet Ordinē imperantium & parentium; ita ille vel maximè in Civitate obtinet, diciturq; Reſpublica. ἡ πολιτεία τῶν τὴν πόλιν οἰκούντων ἐςὶ τάξις τις, *Reſpublica eſt ordo quidam civitatem habitantium. 3. Polit 1.* Pleniùs deſcribitur *3. Polit. 4.* ἐςὶ πολιτεία πόλεως τάξις, τῶν τε ἄλλων ἀρχῶν, καὶ μάλιςα τῆς κυρίας πάντων. *Reſpublica eſt ordo civitatis, & cùm aliorum imperiorum, tùm inprimis omnium ſummi.* Hunc civitatis Ordinem ad tria præcipua capita refert,

fert,ubi propriè dictum Civem describit. *3. Polit. 1.* videlicet ad administrationem & participationem imperii,Senatus,& Judicii. Missis reliquis,utpote ad propositum nostrum non æquè facientibus,de Judicio ejusque fine nonnihil dicamus.

X. *Quod valet ratione providere,imperans est natura*; inquit Aristoteles *1. Polit. 2.* Etsi itaque ex hoc fundamento ante civitates constitutas aliquod Patrisfamiliâs inter familiares,& Heri inter servos arbitrandi jus & autoritas fuerit; quia tamen propriè dictis Legibus ac Jure erant destituti, Judicium inter illos propriè non erat. Licet igitur, *ut in civitatibus leges & instituta valent,ita in privatis domibus verba moresque paterni & quidem magis valent,cum propter cognationem,tum ob varia in filios collata beneficia*; *patriæ* tamen *potestati non inest aliqua vis, aut necessitas, neque omnino viri unius præcepto ullius, nisi Rex ille fuerit, aut Regi similis quispiam:* inquit Aristoteles *10. Nicom. ult.* §. *44. & 34.* Etsi igitur sæpe liberi patri, servi domino parerent, non tamen semper, aut ex asse morem gerebant: proinde cùm his imperantibus sæpe deesset δύναμις ἀναγκαστικὴ,aut illa propter majoris mali metum uti non possent,vel emolliret disciplinam naturalis στοργὴ, sæpenumerò illorum autoritas concidit. Jam si inter diversas domus,aut diversarum domuum partes,litigii quid fuisset natum, altera in alteram nil juris vel autoriratis habebat; itaque rarò ex æquo bono inter tales fiebat transactio,tantum non semper ad arma conclamatum fuit,adeoque pleræque controversiæ bello diremptæ sunt. Talis fuit illorum hominum confluges ac colluvies,quos inter οὐδεὶς οὐδενὸς ἤκουε οὐδέν.

XI. At Civitatibus institutis, instituta unà fuerunt Judicia, in quibus secundùm leges & æquitatem, per sententiam Judicis quisque, quod sibi fieri deberive comprobasset, consequeretur, sententiam ipsam fortiter urgente executione. ἡ γὰρ δίκη κρίσις τοῦ δικαίου καὶ τοῦ ἀδίκου. *Judicium n. justi & injusti dijudicatio est*: inquit 5. *Nic. 6.* §. *10.* & Judex eidē dicitur φύλαξ τοῦ δικαίου, *custos juris*, eod.c.§.15. & alibi νόμος ἔμψυχος, *viva lex*. In quocunque igitur boni genere,& quomodocunque læsus fueris,in judicio experiri,tuumq; jus tibi ordinariè consequi licet. Unde Callistratus *l. 5. ff. de extraord. cognit.* cognitionem ex variis causis descendere ait; aut enim de *honoribus* sive muneribus gerendis agitari:

ri: aut de *re pecuniaria* disceptari: aut *de existimatione* alicujus cognosci, aut *de crimine* quæri. Aristoteles octo Judiciorum genera facit 4. *Polit. ult.* qui videri potest; non enim exquisitè de Judiciis agere nobis propositum est.

XII. Sicuti verò id, quod Justum est, Naturæ probatur: quod Injustum, ab eadem improbatur; ita facilè Recta Ratio agnoscit, Hominis naturæ convenientissimum esse, ut amore sui ita adficiatur, ne alius iniquè lædatur: & indigentiâ ita expleatur, ne damnum injuriâ alteri inferatur, sed suum cuique tribuatur. Cæterùm, cùm vitiosæ φιλαυτίας trita sit consuetudo, ut potiorem lucri, honoris, & voluptatis corporeæ partem sibi vendicare, *9. Nicom. 8. §. 16.* & sæpe etiam cùm lædens tùm læsus aliquid humani pati soleat, ad Judicium velut δεύτερον πλοῦν confugere, & in eo præsidium quærere debemus. Tam salutarem enim, & à Deo institutum Ordinem nemini turbare fas est, propriove arbitratu illum vi manuque temerare. Præterquam enim quòd nemo suæ causæ idoneus Judex sit: *l. un. C. ne quis in sua causa. l. 10. ff. de jurisd. l. fin. §. pen. C. ubi senat. vel. clariss.* etiamsi de injuria & damno dato liquidissimè constet, non tamen vi, & judicii autoritate posthabitâ, rem suam cuiquam repetere licet. Nam ne judicium privatorum hominum adfectibus corrumperetur, Judicibus in civitate constitutis data potestas vindicandi læsos, juxta illud Lucretii:

Acriùs ex ira quod enim se quisque parabat
Vlcisci, quàm nunc concessum est legibus æquis.
Hanc ob rem est homines pertæsum vi colere ævum,

Demosthenes in Cononem: *Placuit de omnibus his injuriis ex legibus judicium exerceri, non autem ex cujusque impetu atque arbitrio.* Quintilianus: *Injuriæ compensatio non solùm juri inimica, sed paci: est enim lex, forum, judex; nisi quem jure vindicari pudet.* Eleganter quoque hoc ipsum illustrari poterit à memorato JCto Callistrato *l. 13. ff. quod metus causa.* Exstat decretum D. Marci in hæc verba: *Optimum est, ut, si quas putas te habere petitiones, actionibus experiaris.* Cùm Marcianus diceret, *Vim nullam fecit*; Cæsar dixit, *Tu vim putas esse solùm, si homines vulnerentur? Vis est & tunc, quoties quis id, quod deberi sibi putat, non per Iudicem reposcit.* Idem decretum repetitur *l. penult. ff. ad l. Iul. de vi pri-*

privatâ. Ubi Modestinus subjicit hanc *l. ult. Si creditor sine autoritate judicis res debitoris occupat, lege Iuliâ de vi privata tenetur, & tertia parte bonorum multatur, & infamis fit.* Geminum huic est, quod ipse edicit Deus, *Deut. 24. v. 10. & 11. Cùm repetes à proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum ejus, ut pignus auferas: sed stabis foris, & ille tibi proferet, quod habuerit.* Paulus *l. 176.* de *R. I. Non est singulis concedendum, quod per magistratum publicè possit fieri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi.* Et Theodoricus Rex apud Cassiod. Var. Epist. 7. *Hinc est, quod legum reperta est sacra reverentia, ut nihil manu, nihil proprio ageretur impulsu. Quid enim à bellicâ confusione pax tranquilla distat, si per vim litigia terminantur?* Add. *l. 14. C. de Iudæis.*

XIII. Si igitur talia non licet attentare in contractibus spontaneis, multò minùs in συναλλάγμασι invitis ea licebunt, quod in his majus ac pretiosius bonum sit periclitaturum. Et ne ulli dubitationi locus sit reliquus, æternam Verbi revelati veritatem huc adducere consultum est. Apostolus ad *Roman. 12. v. 19. Non vosmet ipsos ulciscentes, charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim, Mihi vindicta, &, Ego retribuam, dicit Dominus.* Remittit nos ad Edictum Jehovæ, quod legitur *Deut. 32. v. 35. Mea est ultio, & ego retribuam.* Gravis etiam sententia est, quæ legitur Ecclesiastici *c. 28. pr. Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam, & peccata illius servans servabit.* Quem textum ita explicat insignis Theologus: *Qui vindictam quærit, hujus peccata Deus vindicabit, caq; non remittet illi.* Miraris & obstupescis? Exemplum è rebus humanis capito. Si quis principis alicujus Jurisdictionem aut Regalia involet, illum ultimo supplicio adfici justissimum esse putas. Si quis privatus cervum aliamve majorem feram telo prosternat, gravissimæ mulctæ non solùm, sed & morti, & nonnunquam cruciatibus, ipsa morte atrocioribus, subjici solet; jure, an injuriâ, nunc non disputo. Quid putas, quantopere Rex Regum Deus sit indignaturus, si quis suum hoc Regale aut Reservatum, Vindictam inquam, temerè involet, si homo hominem, nobilissimam, Deoque charissimam creaturam, & ad ipsius imaginem conditam, & cuj[illegible] gratia reliqua omnia creata sunt, tantoque redemptam, obtruncet?

XIV. Solet autem hoc jus suum Deus his in terris ferè exercere per operam vicariam Regum, Principum, omniumque imperantium & magistratuum: qui cùm alieno munere, Dei inquam, fungantur, Dii in Sacro Codice frequentissimè appellari adsolent. Quo verò loco & autoritate apud nos esse debeant, quo obsequio, & reverentiâ colendi, edisserant Apostoli. Sic igitur Paulus ad *Roman. c.13.* docet: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas, nisi à Deo. Quæ autem sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illâ; Dei enim minister est, tibi in bonum. Si autem malum feceris, time; non enim sine causâ gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram, ei, qui malè agit. Ideoq; necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Et ad Titum 3. v. 1. *Admone illos, Principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse.* In eandem quoque sententiam Petrus scribit, *1. Petr. 2. v. 13. seq. Subjecti estote omni humanæ creaturæ* (τῇ ἀντρoπίνῃ κτίσει, h. e. τάξει legibus & sanctionibus politicis) *propter Deum: sive Regi, quasi præcellenti, sive ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum; quia sic est voluntas Dei, &c.*

XV. Quàm sanctè igitur ille imperantium, magistratuum ac Judicum ordo à subditis est colendus, tàm religiosè ac providè ipsi magistratus & judices officium facere, eique invigilare debent. Dicit enim Apostolus, Dei illos διακόνυς ac λειτυργὺς esse, qui non tàm suo, quàm alieno munere funguntur. Quemadmodum enim summæ in terris potestates civiles, penes quas est τὸ κύριον, variis solent uti magistratibus, & imperii sui administratoribus, quibus sanè non licet mandatum munus pro lubitu exercere, sed debito modo & ex præscriptâ ferè formulâ; ita omnes summo imperio præditi imperantes, si cum Deo contendantur, alienum munus sustinent, omnesque Dei magistratus sunt, cui adeò imperii gesti rationes reddere cogantur. Quocirca dies noctesque id agant, id cogitent, illud sedulò meditentur, ut mandato muneri, adeóque Deo & conscientiæ suæ satisfaciant.

ciant. Nemini justitiam vel denegent, vel protrahant, nullius jus labefactent, culpa ac negligentia sua nemini desint, mittant aliena, curent propria negotia. Imperio enim & hominibus provinciisque regendis qui à Deo est præfectus, sat profectò habet, quod agat. Cumprimis & illud attendatur, quod Ulpianus Præsidibus commendat *l. 13. ff. de offic. Præsid. Congruit bono & gravi Præsidi curare, ut pacata atque quieta provincia sit, quam regit; quod non difficilè obtinebit, si sollicitè agat, ut malis hominibus provincia careat, eosq́ue conquirat. Nam & sacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquirere debet: & prout quisque deliquerit, in eum animadvertere: receptoresq́ue eorum coërcere, sine quibus latro diutiùs latere non potest.*

XVI. Quòd si nonnulli Imperantes sibi fortè persuadeant, Deum nō ita severè rationem muneris gesti exacturum esse, vehementer sibimet ipsis imponunt: quin potiùs meminisse debebant, non minus esse jus Deo in ipsos, quam ipsi exercere solent erga ministros suos, qui vel negligenter, vel fraudulenter delegato munere aut officio functi sunt. Fidem his velim faciat ita loquens ipsa Sapientia. *Audite Reges, & intelligite, discite Judices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cognitiones scrutabitur: quoniam, cùm essetis ministri regni illius, non rectè judicâstis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam judicium durissimum in his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cujusque Deus, qui est omnium dominator: nec verebitur magnitudinem cujusquam, quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatus. Ad vos ergò Reges sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, & non excidatis.* Sapient. 6. v. 2. seqq.

XVII. Atque hæc hactenus. Ex quibus manifestissimum est, per Judicia repressa fuisse latrocinia, cædes, vulnerationes & omnis generis facinora ac bella. E contrario, ubi Judicis aut Judicii copia nō fit, ad primum statum & ad bella ferè reditur. *Nam cùm sint duo genera*

ra decertandi: unum per disceptationem, alterum per vim: cumque illud sit proprium hominis, hoc belluarum; confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiori: inquit Cicero *1. de officiis.* Quandocunque igitur injusta fit læsio, & cessat judicium, Bellum ferè locum invenit. *Cessat verò Iudicium vel momentaneè, vel continuè. Momentaneè cessat, ubi exspectari Iudex non potest sine certo periculo aut damno. Continuè verò, aut Iure, aut Facto. Iure, si quis versetur in locis non occupatis, ut: mari, solitudine, insulis vacuis, & si qua alia sunt loca, in quibus nulla est civitas. Facto, si subditi Iudicem non audiant, aut Iudex apertè cognitionem rejecerit.* Verba sunt Grotii lib. 1. *de I. B. & P. c. 3. n. 2.* Hoc vult, posse aliquando læsum jus aut rem suam per vim repetere, aut imminens periculum avertere, sic, ut vi uti, nullo jure prohibeatur, destitutus scilicet Judiciorum adminiculo, sic, ut vel Judicii copia omninò non sit, vel ejus non sufficiens sit autoritas; in tali igitur necessitate constitutus jus hactenus non habet reliquum, nisi in innocentia & manu sua. Sed & in tali rerum humanarum περιστάσει multa & facere & pati lex charitatis & patientiæ jubebit, & ut certè à vi bellica abstinendum sit.

XVIII. Priscis igitur gentium temporibus cùm Judicia nondum essent constituta, vel non satis benè, imò malè, sive omninò, sive ex parte essent constituta, sic ut illorum non esset sufficiens autoritas: aut si commune judicium non haberent, inter quos de injuria facta erat disceptatio; armis, bellis & duellis se suaque tueri, & cædes aliaque facinora mutuis cædibus & infesta vi ulcisci solebant. Quandocunque enim desinunt Judicia, exortis litigiis nulla bona conditione compositis, incipiunt Bella. *Nec aliundè origo singularium certaminum, quæ ante Christianismum Germanicis nationibus usitata, alicubi necdum satis desueta sunt*; inquit Grotius 2. de J. B. & P. c. 20. n. 8. Ideo apud Vellejum Paterculum *lib. 2.* mirantur Germani, cùm Romanæ jurisdictionis formam conspicerent, quòd injurias justitia finiret, quòd solita armis discerni jure terminarentur. Cæterùm cùm hodie generosissimi quique, *domi bellique duellatores optimi*, ut ait Comicus, haberi viderique velint, & ex frivolis ac sæpe planè injustis causis se confodiant, varia Duellorum genera penitius paulò inspiciemus, & cujusque vel jus vel injustitiam ponderabimus, operæ pretium

satis

satis magnum facturi, si vel unicam animam diabolico huic dimicandi generi & exitio eripuerimus.

XIX. Duellum quodlibet propriè dictum, est aliquod bellum, uti satis apparet cùm ex re ipsa, tùm ex promiscua harum vocum à veteribus facta usurpatione, veterique illa formula, PIO PUROQUE DUELLO. *Ipsum enim Bellum est ex voce veteri Duellum: ut duonus quod fuerat factum est bonus: & duis his. Duellum autem à duobus dictum simili sensu, quo pacem unitatem dicimus*; inquit Grotius *de I. B. & P. lib. 1. c. 1. n. 2.* Cùm verò Bellum aliud sit Publicum, aliud Privatum, hoc sæpe distinctâ significatione Duellum dici adsolet, sive Monomachia. Quin & hæc ipsa potest esse duplex, extra bellum, & in bello: ista & privatam habet causam, & sæpe libidinem: hæc causa nititur publica, adeóque ad propriè dicti Belli naturam accedit. De priori, privato inquam Duello, nostra erit consideratio. Sicuti jam Bellum aliquod vel est Justum vel Injustum, ita etiam Duellum aliquod justum est, aliquod injustum. Demonstratum enim jam tùm fuit, cessante Judicio, Bello & Duello quandoque injurias vindicare licere, & insito amore sui atque indigentia quemlibet justè excitatum se suaque defendere, aggressoresque arcere posse. Doctores hujusmodi Duella Necessaria vocant, quòd quædam quasi necessitas ab invasoribus imponatur, talem defensionem suscipiendi, sic ut, si salvus esse, aut res tuas tibi salvas esse velis, necesse sit hac ratione vim vi propulsare, quandoquidem Judicis nulla suppetat copia. Atque ita hæc Duella differunt ab iis, quæ planè liberè, consultò & ex conventione instituuntur. Etsi igitur talia Duella sint licita; *Nam jure hoc evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur l. 3. ff. de L. Et vim vi defendere omnes leges omniaq; jura permittunt. l. 4. & l. 45. §. 4. ff. ad l. Aquil. l. 1. §. 27. ff. de vi & vi arm.* Non tamen nisi certo modo sunt licita. Non enim quovis modo, & in infinitum, hoc est, donec aggressorem tuum interfeceris, tua semper progredi debet defensio; sed cum modo, seu ut eleganter hoc dicitur in *l. 1. C. unde vi, cum moderatione tutelæ inculpatæ*, hoc est, ut tantam vim opponas, quanta tibi intenditur, aut ingruit, idque facias, tantùm defendendi, non ulciscendi gratia. *Illum solum*, inquit Paulus *l. 45. §. 4. ff. ad l. Aquil. qui vim infert, ferire*

 con-

conceditur: *& hoc. si tuendi duntaxat*, *non etiam ulciscendi causa factum sit*. Addatur Cujacius *5. Observ. c. 18.* Sed hac generali regula nondum satis est explicatum, quid sit moderatio tutelæ inculpatæ; cùm enim culpæ sint gradus, metus etiam & periculum admodum varium esse queat, in quæ incidimus, aliaque singularia in quolibet facto & defensione attentè sint ponderanda, cum Alseno JCto ex *l. 52. §. 2. ff. ad l. Aquil.* responderim; *in causa jus esse positum*, sitne tutela inculpata, an cum aliqua culpa conjuncta. Ut adeò rectè videatur sentire, qui Judicis prudentis arbitrio committendum esse putent, sintne limites tutelæ inculpatæ exactè observatæ, nec ne. Quos vide apud *Carpzov. part. 1. tract. crim. qu. 28. n. 17.* Cui addatur *Georg. Obrecht. de Necess. defens. c. 12. & 13. Farin. p. 5. qu. 125. Berlich. p. 4. concl. 12*

XX. Præter alias verò facti circumstantias, hæc tria cumprimis expendenda esse Doctores monent, Causam, Tempus, Modum. Causa justa defensionis est injusta offensio vel insultatio: absque quasi fuerit, non ad defensionem, sed ad vim iniquam aut vindictam te resistendo vel oppugnando instrues. Ratione temporis ad justam obfensionem requiritur, ut periculum sit imminens, & propter Judicii opem vel continuè vel isto momento cessantem indeclinabile, ac fortè ut irreparabile hinc damnum sit exstiturum. Denique ut tanta in propulsando tali periculo adhibeatur vis ac defensio, quanta vi aggressor iniquè adversus defensurum utitur. Vel uti nonnulli JCti loqui amant, ut defensio sit proportionata offensioni. *Frantzk. lib. 2. resol. 23. n. 7.* His ergò aliisque circumstantiis cautè observatis, si quis aggressorem occiderit, non solùm à pœnâ homicidii ordinariâ, sed & extraordinariâ immunis erit. *Carpz. d. qu. n. 20. seqq.* ubi ὅλω τῷ θυλάτῳ congestos videre licet Doctores alios. Quod si quis limites tutelæ inculpatæ in defensione transgressus aggressorem occiderit, pro varii generis gradusque culpa, varia pœna, eaque ferè extraordinaria facinus expiabitur. *Obrecht. de necess. defens. c. 13. Iul. Clar. l. 5. sent. §. homicidium n. 34. Mascard. de probat. l. 5. concl. 1126. n. 30. Menoch. de arb. jud. quæst. l. 2. cas. 278. seq. Damhond. pract. crim. c. 76. n. 20. Card. Tusch. tom. 2. concl. 129. n. 4. Carpz. p. crim. qu. 219.* Cumprimis autem adeundi sunt, qui commentati sunt in Nemæsin Carolinam, *ad art. 139. & seqq.*

XXI. Mi-

XXI. Miror verò summum JCtum, Carpzovium passum fuisse sibi imponi à Mario Salomonio, qui *in repet. l. 3. ff. de Iust. & Iur. n. 10.* inter moderamen defensionis & inter moderamen inculpatæ defensionis seu tutelæ distinguendum esse docet. Quam distinctionem iste eximiè commendat & in determinatione pœnæ accuratè observandam esse monet. Nam ut occidens ad sui defensionem nullam patiatur pœnam, non solùm necesse esse ait, quòd servaverit moderamen defensionis seu tutelæ, sed etiam inculpatæ tutelæ. Vide illum *d. qu. 28. n. 16. & 17.* Si enim justa lance hanc distinctionem trutines, omninò deprehendes, moderamen tutelæ, & moderamen inculpatæ tutelæ esse ταυτὸν, neque inter hæc aliquod discrimen esse, nisi quòd posterior loquendi modus sit explicatior & quendam contineat πλεονασμὸν, prior autem sit concisior. Si enim quis servaverit moderamen tutelæ, justum modum seu justum moderamen tutelæ observasse intelligendus est, atque sic utique tutela illa fuerit inculpata. Quod si verò non observaverit debitum justumque tutelæ modum, qui poterit dici moderamen tutelæ servasse? Qui enim intra tutelæ modum se continet, intra limites licitæ defensionis substitisse, non autem culpâ quadam illos excessisse putandus est, aut certè hac admissa, modum hactenus non tenuit, utpote quem destituit Justitia & Prudentia. Quemadmodum enim etiam aliis in rebus modum tenuisse dicimur, non si qualicunque modo fuerimus usi, sed si eo, quem præfinit Recta Ratio; ita quoque non alius modus vel moderamen defensionis intelligi debet, quàm qui immunis sit à culpa. Et verò ipsa *l. 1. C. unde vi.* Unde hæc phrasis petita est, huic expositioni favet. Primò enim Impp. sanciunt, rectè possidenti, ad defendendam possessionem, quam sine vitio tenebat, illatam vim propulsare licere, eamque tutelam fore inculpatam, si moderatio accesserit, quæ verò nisi ea, quæ justitiæ & prudentiæ regulis sit attemperata? Ego certè vereor, ne ista distinctio observata in judiciis potiùs erroribus sit apertura, quàm ad veritatem commonstratura viam; quam tamen si quis studio partium pertinaciter tueri velit, huic vim fieri veto.

XXII. Cæterùm, quatenus adversus injustam vim se defendendo progredi liceat, quosdam ex Grotio casus *lib. 2. de J. B. & P. c. 1.*

huc transferemus. Si igitur ab aggressore vi impetatur corpus meum, cum præsente vitæ periculo, idque mihi alia ratione declinare non liceat, duellum ita erga hunc est licitum, ut si in tali consilio & actu perseveret, interficere illum liceat. Tanta enim hic est defensio, quanta infertur violentia; etiamsi disparibus armis simus instructi. *Damhond. pract. crim. c. 76. n. 14. Wesemb. cons. 19. n. 57. Carpz. d. q. 28. n. 27.* Dico non requiri paritatem armorum specificam, ut tamen generica adsit; neque enim aliàs inter offensionem & defensionem erit proportio, aut debita tutelæ moderatio observabitur *Bachov. ad Treut. vol. 1. disp. 18. th. 7. lit. E.* Per iniquam vim in præsentissimum discrimen vitæ adducor; ideoque cum jacturâ vitæ aggressoris mihi me expedire licet, ita ut nec primum ictum excipere vel exspectare tenear. *Gothofr. ad l. 4. C. ad. l. Corn. de sicar. Art. 140. Const. crim. Carol. & ibi. Matth. Steph.* Pertinet huc illud Ciceronis pro Milone: *Non hæc scripta, sed nata est lex, quã non didicimus, accepimus, legimus; verùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus. expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus; ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela latronum, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis.* Add. l. 2. *cum seqq. C. ad. l. Corn. de sicar. Gail. lib. 1. de P. P. c. 16. n. 17. Clar. 5. sent. §. ult. q. 60. Brunnon. ad l. 2. & 3. C. d. t. Dd. ad art. 140. sanctionis crim. Carol.* Atque hoc defensionis jus ait Grotius *d. l. n. 3.* nasci ex amore sui, quo naturaliter quisque sibi commendatur. Quòd ita accipiendum est, commendatam quidem cuique naturaliter esse defensionem adversus imminens & iniquum periculum: ut verò illud propulses nece aggressori illatâ, hujus quidem defensionis jus proximè videtur oriri ex injuriâ invasoris. *Carpz. p. 1. d. qu. 28. n. 21.* Quod si verò talis sit aggressor, qui quidem propriè dictam injuriam inferre nequeat, si tamen hinc periculum vitæ immineat, neque illud nisi nece invasoris declinari possit, etiam talem invasorem ex commendatione naturali occidere licebit. Itaque si homo furiosus in eo sit, ut mihi vitam eripiat, idque periculum aliter evitare nequeam non magis huic, quàm bestiæ me involanti ut parcam, obligor. Sed ut dixi, periculum invasionis præsens esse debet, & quasi in puncto: quod licet aliquando, uti fit in moralibus, cum aliqua latitu-

titudine intelligi possit, non tamen qualiscunque periculi metus jus occupandæ interfectionis jus dat. Deinde & illud cumprimis notari debet, non licere quemquam occidere, si alio præsidio tutus esse, & periculum declinare queam, si vel judicis sit copia, vel temporis mora, ut vel hunc vel alios auxilio vocare, aut fuga vel aliàs periculo me subducere queam. Quod si ipsa fuga sit cum periculo conjuncta, talem arripere nemo tenetur. Periculum enim qui fudere velit; non necessum est, ut in periculum se fugiendo conjiciat.

XXIII. Idem Grotius *d. c. n. 7.* rectè existimat, eum, qui pudicitiam alicujus vi expugnare attentet, neque ista vis ac injuria aliâ ratione averti queat, licitè interfici posse. Paulus 5. *sent. tit. 23. Qui latronem cædem sibi inferentem, vel alium quemlibet stuprum inferentem occiderit, puniri non placuit. Alius enim vitam, alius pudorem publico facinore defendit.* Gemina huic lex est *1. §. 4. ff. ad l. Corn. de Sicar.* Cui addatur *l. 8. §. 2. ff. quod met. caus.* ubi rectè dicitur, bonis stupri metum majorem esse quàm mortis. *Adolescens*, inquit Cicero pro Milone, *qui tribunum occiderat, volentem vim inferre ejus pudicitiæ, à Mario exercitus imperatore obsolutus fuit.* Ratio est, quòd illa atrox quædam vis sit, & injuria, quæ ab aggressore expleta restitui à Judice post nequit, ut nec vita semel amissa, etiamsi animus imminutionem atrocem passæ mulieris sit innocens, nullamque infamiæ maculam contrahat, *l. 20. C. ad. l. Iul. de adult.* Hinc Moses Maimonides notavit, permissam privato homini alterius interfectionem non aliter, nisi ut servetur id, quod est irreparabile, ut Vita & Pudicitia. Hanc quæstionem tractans Grotius, adducit etiam in Annotatis suis textum Augustini *lib. 1. d. Libero arbitrio*, quem ille hunc in modum recitat: *Lex dat potestatem vel viatori ut latronem, ne ab eo ipse occidatur, occidat, vel cuipiam viro aut fœminæ, ut violenter sibi stupratorem irruentem, aut post illatum stuprum, si possit, interimat.* Hæc cùm legerem, protinus mirari cœpi, & ἐπέχειν, & tandem planè ab Augustino discessionem facere. Si enim imminutionem violentam passa post stuprum jam illatum interficiat stupratorem, nil jam nisi ultio est, non autem defensio: atque hanc uti licitam esse diximus, ita istam non

item licere suprà ostendimus. Huic igitur Augustini textui dum immoror, & locum ex Julii Pauli Sententiarum libro 5. allegatum confero, deprehendo Cujacium in suis ad Paulum notis eundem Augustini textum allegasse, sed postremis verbis planè à Grotiana lectione discrepantibus, hoc modo: *Lex dat potestatem vel viatori ut latronem, ne ab eo ipse occidatur, occidac: vel cuipiam viro aut fœminæ, ut violenter sibi stupratorem irruentem, ante illatum stuprum, si possit, interimat.* Præterquam verò quòd hanc postremam lectionem etiam præ se ferant editiones Augustini Basiliensis, quæ prodiit Anno 1569. & Parisina postrema, quæ prodiit Anno *1651.* nullum est dubium, quin vel Grotius ἁμάρτημα μνημονικὸν hic commiserit, aut alia aliqua culpa textus in ejus opere sit corruptus. Augustinus enim licèt fateatur, esse Legem, quæ permittat latronem, aut violentum stupratorem occidere, disertis tamen verbis pronunciat, Legem illam non esse justam: cujus sententiæ sicut rationem haberet, si lex tale quid etiam post stuprum illarum permitteret; ita ut stuprum tali ratione evitetur, non suppetente alio remedio, ratione nulla facilè destruet. Et vix video, quomodo sibi erudissimus Pater constet, quando ibidem ita mox disserit: *Multò est mitius, eum, qui alienæ vitæ insidiatur, quàm, eum, qui suam tuetur, occidi. Et multò est immanius, invitum hominem stuprum perpeti, quàm eum, à quo vis illa infertur, ab eo, cui inferre conatur, interimi.* Ipsa lege divina tale facinus homicidio æquiparatur. *Deuter. 22. v. 26.* Et licèt ibi speciatim Deus loquatur de desponsata virgine per vim stuprata; nihilominus generatim violenti stupratores ultimo supplicio rectè adfici jubentur, *l. 1. §. ult. ff. de extraord. crim. l. 29. §. ult. ff. ad l. Iul. de adult. juncta l. 5. §. ult. ff. ad. l. Iul. de vi publ. art. 119. Const. crim. Carol. Carpz. p. 2. pract. crim. q. 75.*

XXIV. Si quis in præsenti periculo sit, ne membro aliquo nobiliori privetur, aut ab injusto aggressore mutiletur, si aliter vitari nequeat mutilatio, dubiumque sit, annon illa periculum mortis post se trahat, & is licitè interimi posse videtur. *Grot. d. l. n. 6.* Licèt enim privatio membri & vitæ sint disparia damna, adeoque non semper idem liceat pro conservatione membri cujuslibet quod pro conservatione vitæ licuerit; si tamen illud sit è præcipuis, vitæ quodammo-

do æquiparabile, atque is, qui invaditur, vix dijudicare aut proſpicere queat, quo fine aut periculi damnive gradu læſio ſit conſtitura, hactenus pro illo conſervando interimere aggreſſorem licebit; maximè cùm etiam fortunas interdum cum nece invaſoris defendere liceat. Si enim membra ſublata fuerint, hujus damni non datur reparatio, neque illorum per ſe axacta poterit eſſe æſtimatio. Quippe liberum corpus æſtimationem non recipit *l. 3. ff. ſi quadr. paup. fec. dic. l. 7. pr. ff. ad l. Aquil. l. 1. §. 5. & l. ult. ff. de his qui dej. vel effud. l. 2. §. 2. ff. ad l. Rhod. de jact.* Legibus tamen civilibus antiquis, imò, ut puto, antiquatis Anglorum, Werinorum, Friſiorum, Saxonum, valde ſollicita etiam membrorum quorumlibet æſtimatio fuit definita. Et quidem Jure Saxonico qui vulneraverit quempiam, aut mutilaverit, ad tria obligatur, Emendam, Intereſſe & Pœnam, *Carpz. p. 2. pract. crim. qu. 99. n. 28.* Emenda loco ſatisfactionis datur vulnerato vel mutilato pro membro vel amiſſo, vel corrupto, & doloribus hinc perceptis: differtque à mulcta, quòd hæc Iudici detur, iſta actori. Ut etiam intereſſe præſtetur, atque hactenus vel intermiſſæ operæ fiat æſtimatio, vel intermittendæ deinceps propter ſublatum vel corruptum neceſſarium agendi inſtrumentum æquiſſimum, Jurique etiam Romano conveniens eſt. Quò etiam pertinent impendia, quæ in curatione facta ſunt. *l. 7. pr. ff. ad l. Aquil. l. ult. ff. de his qui effud. vel dej.* Denique Pœna infligitur propter ipſum delictum, ut ſatisfiat Juſtitiæ univerſali: quemadmodum Juſtitiæ Particulari ſatisfieri voluerunt per Emendam, ac ſi corruptio vel mutilatio membri ea emendetur ſeu reparetur. Videſis Gloſſarium Somneri.

XXV. Monendum hic interim eſt, Juſtam ſui defenſionem quando eſſe dicimus, duplici hoc poſſe accipi ſenſu. Juſtum enim propriè id dicitur, ad quod vel faciendum vel omittendum ſumus obligati. Impropriè verò Juſtum etiam dicitur, quod non eſt injuſtum, adeóque quod eſt Licitum: quæ poſterior ſignificatio multum à priori diſtat, quòd quæ licita tantùm ſint, ea facere integrum ſit: at illa, ad quæ ſimpliciter vel facienda vel fugienda ſumus obligati, noſtro arbitratui ita relicta non ſunt. Quæritur igitur jam, utro ſenſu Defenſio ſui ſit juſta? Tantùm non omnes Doctores poſteriori ſolùm

lùm ſenſu putant defenſionem eſſe juſtam, hoc eſt, licitam. Ego verò non dubitem adſerere, utroque ſenſu defenſionem eſſe juſtam, non quidẽ ubique, aut in quolibet eventu; ſed quòd modò poſſit eſſe ſolùm licita, modò obligationis nexu juſta. Quemadmodum enim accidere poteſt, ut ne quidem licita ſit ſui defenſio, ſi invaſoris vita multis ſit admodum utilis, & ſit publica perſona, tum meo unius bono multorum majus bonum ut præferam, charitas monet ſæpe, imperat interdum; ſecus atque ſentit Ferd. Vasquius *lib. 1. Illuſt. controv. c. 18.* Ita ſi ejusmodi publicè multisque utilis perſona, & à Deo ſingulari prudentiâ aliisque in uſum humanum bonis locupletata ac ornata impetatur, non dubitem, illam, ſi vim aliter avertere nequeat ad necem deſperati invaſoris occupandam, ſalva in aliis caſibus patientiæ lege, eſſe obligatam. *Carpzov. p. 1. pract. crim. qu. 28. num. 11.* Habet hic locum illud Lucani:

> *Cùm tot ab hac anima populorum vita ſalusq;*
> *Pendeat, & tantus caput hoc ſibi fecerit orbis.*
> *Sævitia eſt voluiſſe mori.*

Cæterùm hæc lex ſicuti non iis omnibus imponenda eſt, quos vivere, aliorum intereſt, nullum tamen invenire locum, niſi ſolùm in perſonis publicis, hautquaquam dixerim. *Grot. d. c. 1. n. 8. & 9. & Cl. Bœcler.* Theologi morales & Caſuiſtæ non uno modo in his quæſtionibus definiendis utuntur. Quippe alii monent, diſtinguenda eſſe Conſilia, ad perfectionem pertinentia, non ad neceſſitatem, ab eo, quod in foro conſcientiæ licet vel non licet. Præterea etiam Legem Charitatis cum Lege Naturæ minimè confundendam eſſe docent. Quę penſiculatiùs jam examinare noſtri inſtituti non eſt. *Vid. Dicaſtillo lib. 2. tract. 1. diſp. 10. dub. 2. Vaſq. lib. 1. contr. illuſtr. c. 18. n. 17.* Illa certè nimis ſunt cruda: quæ ſcribunt *Salomon. ad l. 3. ff. de Iuſt. & Iur. & Fr. Zoannett. de neceſſ. defenſ. part.* 1. *n. 3. ſeq.* ac ſi vim iniquam paſſo ita neceſſarium ſit aggreſſorem interimere, ut non minus hoc intermittens peccet, atque ſi ſibi ipſe manus intulerit. Meliora his docuit Grotius *d. c. 1. lib. 2.* cujus tamen dogmata non promiſcuè probamus, ceu exactiùs illud in Commentario meo oſtendi.

XXVI. Tranſeo ad res ſeu bona fortunæ, quæ ſi nobis à furibus, rapto-

raptoribus & latronibus eripiantur, quæritur, an ad illa conservanda, si ita res ferat, & opus sit, liceat tales facinorosos interficere? Hic quid sit respondendum, valde est ambiguum, cumprimis tam diversas Doctorum opiniones si videas. Dicam tamen quod sentio liberrimè. Primò quidem bona fortunæ quod attinet, si in iis unicè fiat læsio; regulariter neutiquam crediderim, illa bona ut nobis sint salva, lædentem interfici posse, cumprimiss si non magni sint pretii: id quod videtur etiam Servator noster docere nos voluisse, quando monet, tunicam rapienti permittendum quoque esse pallium. Grotius hac de re ita d. c. n. 13. *Si res servari potest, ita ut non videatur periculum esse faciendæ cædis, rectè id quidem, sin aliter, omittenda res est: nisi fortè talis aliqua res sit, ex qua vita nostra & familiæ nostræ pendeat, quæq́ judicio recuperari nequeat.* Concedit quoque in nostram sententiam acutissimus JCtus Bachovius, cujus hæc sunt verba ad *Wesemb. tit. ad l. Aqu. n. 4. Eorum opinionem, qui defensionem etiam usque ad occisionem res invadentis licitam esse putant, ego falsum puto; nisi hactenus, quatenus ex aggressore rerum fit aggressor personæ. Nam si mihi res meas legitimè defendenti incipiat ferrum & mortem intentare, legitimè poterit occidi.* Illud enim meretur præprimis diligenter expendi, quòd vix fiat læsio in bonis fortunæ, quin etiam alia bona in discrimen vocentur. Latrones enim ut spolient homines, vitæ ipsorum ferè insidiari, eosque opprimere ante solent. Adversus hos quid liceat, ex superioribus est liquidum; ab his enim non solùm pecunia, sed propter hanc & vita impetitur. Raptores parùm ab his differre solent. Sed sint tamen illi tales, qui homines quidem obtruncare nolint, metu tamen mortis inferendæ bona ipsis eripiant. Hîc verò notandum est, tali eventu non fieri læsionem in solis fortunæ bonis, sed & in securitate, magno profectò bono, & sine quo nullo alio bono nobis solidè perfrui licet. Præterea omnes Legislatores hunc hactenus morem observârunt, ut quò major est Securitatem imminuendi facultas, eò atrocior illa vis habeatur, graviusque puniatur. Cur enim, qui in via publica seu regia viatorem veste spoliârunt, capite, aut infami suspendio plectuntur, aut rota contunduntur? Cur miles contra edictum ducis gallinam Alphesibœi rapiens globulis plumbeis trans-

transverberandus exponitur? cur furem nocturnum à diurno, eum qui cum telo fuerit, nec ne, manifestum à nec manifesto distingunt? Non sanè aliam ob causam, quàm quòd magnum illud securitatis bonum alii aliis magis lædant. *l. 4. §. 1 l. 5. pr. ff. ad l. Aquil.* Atque hinc raptoribus & prædonibus etiam propter rem minimam ultimum supplicium decerni, locuples testis est *Carpzov. p. 2. pract. crim. qu. 60. n. 43. seqq.* Cui add. Dd. ad art. 126. Const. crim. Carol. Qui enim maximè lædit securitatem, is videtur maximè improbus, maximéque non solùm appetere bona fortunæ, sed etiam odisse societates humanas, quæ sine tranquillitate subsistere nequeunt. Si igitur & hoc accedat, ut metu mortis tibi tua bona extorqueat raptor in via publica, non dubito, quin liceat etiam talem illata nece occupare. Primò enim impetitur mea pecunia: deindè etiam metus infertur & gravis & injustus, de cujus exitu incertus sum; nec enim exempla desunt, quòd bonis jam extortis raptores nihilominus vulneraverint aut interemerint innocentes homines, vel grandi malitia commoti, vel ne facinus ad Magistratum emanaret. Denique læditur securitas, non tàm meum, quàm commune bonum: adeóque tali raptori si parcam, vesano illius appetitui stimulos addo, ut tantò frequentiùs & audaciùs idem malum & aliis intentet. Merentur hic quædam Cl. Bœcleri legi, quæ is ad d. c. Grotii *n. 11.* commentatus est. *Origo*, inquit, *hujus juris* (puta quo res quandoque defenduntur illata invasori nece) *non tàm ab æstimatione rei (quanquam illa non facit nullum momentum) quàm à securitate societati civili & gentium proposita, repeti debet: ut certa & tuta cuique sit rerum suarum possessio & custodia. Quam cum natura sanciat, eadem opera tutelæ & defensioni rerum favet, turbatoresque & violatores arcet, præcipuè quidem ex præscripto ordinis socialis, summæque potestatis & judiciorum autoritate; sed ubi Judicis nulla copia, proprio cujusque domini auspicio & viribus. Quo in actu jure naturæ licito, id quoque naturale est, ut limites defensionis custodiantur, nec ad vindictam saltus fiat. Fieret autem etiam tum, si rei non magnæ causa ad interfectionem usque procederet defensio* Et his etiam de reliquis judicium fieri potest. Quò enim graviùs læditur securitas, eò plus juris nobis adversus tales invasores nascitur. Quod si

verò

verò res sit exigua, & quoque exigua securitatis læsio, potiùs amittenda res est, nec cum cæde invasoris retinenda. Proindè magna Vasquio fuit causa hæsitandi, quatenus defensio rerum progredi possit, an quoque ad necem invasoris; minimè verò idonea satisque gravis, in genere mox pronuntiandi, licere propter rerum defensionẽ invasores occidere, petita ratione ex lege divina circa fures lata: quæ sanè rectè est accipienda, nec ad aliena iniquè transferenda. In qua interpretanda eruditè versatus est *Grotius d. c. n. 12.* ubi etiam nos quædam in nostro commentario adjecimus. Vasquius legi poterit *lib. 1. d. c. 18. num. 5.*

XXVII. Non possum, quin verbo moneam, quid in illos grassatores liceat, qui cursores publicos, Postas dictos, sive equis sive curribus vehantur, sociosque itineris aggrediuntur, & nimis quàm frequentibus jam experimentis miserè non solùm spoliant, sed multis sæpe modis vexant, vulnerant, equos ante currus, & sæpe homines ipsos prosternunt. Quid sentiam ex superioribus satis liquet. Præterquam enim quod læsio fiat atrox in bonis fortunæ, & securitate, viaque publica, etiam Regalia principum tales involant. Cúmque autoritate publica isti cursores publici sint specialiter muniti, sanè eadem & socii itineris omninò gaudere & uti poterunt, adeóque violentiam istorum grassatorum etiam cum nece ipsorum avertere. Legi hic meretur *l. 1. & 2. C. quando lic. unicuiq; sine jud. se vindicare. Liberam resistendi cunctis tribuimus facultatem, ut quicunq; militum vel privatorum ad agros nocturnus populatur intraverit, aut itinera frequentata insidiis adgressionis obsederit, permissa cuicunq; licentia digno illico supplicio subjugetur, ac mortem, quam minabatur, excipiat, & id, quod intendebat, incurrat. Meliùs enim est occurrere in tempore, quàm post exitum vindicare. VESTRAM igitur vobis permittimus ultionem, & quod serum est punire judicio, subjugamus edicto, ut nullus parcat militi, cui obviare telo oporteat, ut latroni.* Altera lex est: *Opprimendorum desertorum facultatem provincialibus jure permittimus. Qui si resistere ausi fuerint, in his velox ubiq; jubemus esse supplicium. Cuncti enim adversus latrones publicos, desertoresq; militiæ, jus sibi sciant pro quiete communi exercendæ publicæ ultionis indultum. Grassatores,* inquit JCtus

l. 28, §. 10. *ff. de pœn. proximi latronibus habentur: & si cum ferro adgredi, & spoliare instituerunt, capite puniuntur: utiq; si sæpiùs, atque in itineribus hoc admiserunt.* Vi igitur istarum Constitutionum non solùm defensio subditis, sed & ultio & pœnæ executio publicâ autoritate est permissa seu confirmata. Quam sanè executionem in societatis humanæ, publicæ pacis & commerciorum hostes satis gravibus moti causis Legislatores etiam subditis extra ordinem committere possunt, ut non solùm illos impunè occidant, sed & justè; secus atque sentit Grotius *d. c. n. 14.* ubi in nostro commentario plures ejus hallucinationes notavimus. Sæpe enim raptores & grassatores ejusmodi habent latibula aut receptacula, ut difficillimè extrahi ex iis possint: sæpe agmine facto stipati, aut armis perniciosissimis instructi infestam habent securitatem & vias publicas, ut prehendi, judicio sisti, & ordinaria via cum illis procedere ad pœnam haut facilè liceat; ut adeò his similibusque causis Magistratus adacti rectè, quibuslibet suum ulciscendi jus permittant. Cumprimis verò Principum, & quotquot territorii jus habent, officium est, ut quantam possunt securitatem viis publicis, iisque incedentibus præstent, & grassatoribus, pessimis hominibus, minimè quidquam indulgeant. Ideò enim eo loco à Deo sunt constituti, ideò à subditis preces pro felici ipsorum regimine concipi jubentur, ut ipsis securis & pacatis sub eo vivere liceat. Germaniæ nostræ Principes & Status quod attinet, illi quidem etiam speciali conventione ac lege ad illud præstandum obligati sunt. Ita enim legere est Rec. Augustano, 1555. **Nachdem aber ein jeder Churfürst/Fürst und Stand/sein Chur- und Fürstenthum/ Land und Gebiet/auch Strassen/rein/und darzu nohtdürfftige streiffende Rotten zu erhalten/und die Versehung/damit sich nicht muhtwillige Leute in seiner Obrigkeit zusammen schlagen/ und andere beschädigen/zu thun schuldig; Was dann einem jeden hierauff lauffen oder auffgehen wird/solches soll auff gemeine Crāyß-Stände nicht geleget werden/sondern es derselbig Churfürst/Fürst oder Stand für sich und auff sein eigen Kosten verrichten.** Sed inquias, quis custodiet & coërcebit ipsos custodes? Vigilans princeps, dux justus, & gravior pœna. Alioqui perpetuò illa

la repetetur Huberti Langueti ep. II. ad Camerarium querela: *Miserum est & penè pudendum in tanto imperio licere cuilibet impunè turbare publicam tranquillitatem, & eos, qui rerum potiuntur, aut non posse aliquot latronum furorem & audaciam compescere.* Adde **Landfrieden** de Anno 1548. tit. **von einspännigen Knechten.** & *Ordin. Camer. p. 2. §. 15. Gailius de pac. publ. l. 1. c. 4. n. 36. seqq.* Tantùm de Duellis necessariis, quæ an pura piaque sint, aut aliquam culpam implicent, ex jam dictis fortè dijudicari poterit; licèt non omnia attulerimus, quæ de iis dici poterant, quòd horum Duellorum jus ferè in causa sit positum: ceu suprà pluribus ostensum est.

XXVIII. Solent, qui de Duellis scripserunt, etiam huc referre Hastiludia seu Torneamenta, quæ Duella ludicra appellant. Sed cùm omne Duellum propriè dictum sit aliquod bellum; eo verò animo istis ludis decertantes non ingrediantur, Duellum propriè non erit. At, inquis, sæpe accidisse, aut alteruter in ejusmodi certamine occubuerit. Nam & exemplo est Galliæ Rex Henricus II. qui à Mongomerio cohortis prætorianæ præfecto transfixo dextro oculo exanimatus est: de quo Thuanus *lib. 22.* Et Franciscus Borbonius Anchianus, qui in infelici ludo, cervice luxata, & cerebro rupto, periit. Ita quidem est, sed distinguendum est inter actus periculosos tristemque sæpe eventum habentes, & actus verè hostiles: isti ut insunt istis ludis, ita hi ab illis absunt. Præstat verò ejusmodi periculosos noxiosque ludos intermitti atque aboleri à Majestate civili, quàm ut vel se vel alios istis discriminibus & casibus subjiciant. Idque tantò faciliùs fieri potest, quòd isti ludi singularem in bello usum vix ampliùs habeant, ratione ejus multum mutata indè usque ab Henrici Aucupis temporibus, cui autori torneamenta accepta referunt: uti ferè jam etiam in desvetudinem venerunt; nisi fortè illustrium personarum nuptiis, aliisve similibus festivitatibus, aut explorandæ genuinæ nobilitati quandoque adhibeantur. Neque enim ad illa admitti consveverunt, nisi qui natales suos ex quatuor generationibus utriusque sexus Nobilium derivassent, **Sie müssen vierschildig seyn / oder beweisen / daß sie von vier Vätter- und Mütterlichen Ahnen gebohren und herkommen.** Munst. in Cosmogr. l. 5. c. 418. Quò etiam ma-

magnam partem ſpectant XII. Leges Torneamentis conditæ: quæ neſcio quâ fide vel autoritate Henrico Imp. acceptæ feruntur, & ab illo in conſilium adhibiti dicuntur Cunradus Comes Palatinus ad Rhenum, Hermannus Sveviæ dux, Bernardus Bavariæ & Cunradus Dux Franconiæ, qui ſinguli ad has ſanctiones tres viros delegerint uſu harum rerum præſtantes, quibus inſuper alios tres viros Imperator addiderit. *Limn. lib. 6. de Iur. publ. c. 5. Draco de Patriciis. lib. 1. c. 11. Bocer. de Bell. & duell. lib. 2. c. 4. Georg. Rixtan.* Thurnier-Buch/ *Franc. Nodius Pandect. Triumphal. Caſp.* Lerch/ *in diſcur. de ord. Equeſtri. Simon. Majol. dier. canicul. tom. 2. colleg. 6.* Et qui primo loco debuiſſet poni Reinhardus Comes Solmenſis in lib. germ. von des Adels Urſprung. Jure ſanè Canonico haſtiludia hæc (quæ *c. 1. X. de torneam. deteſtabiles nundinæ ſeu feriæ* appellantur) ita fuerunt damnata, ut ſi quis in iis antagoniſtam ſuum oppreſſiſſet, teneretur ex l. Cornelia ad homicidii pœnam luendam, tum ut occiſus ſepultura Eccleſiaſtica careat. Poſteriùs videre eſt ex *c. 1. & 2. X. de Torneament.* unde, vel aliis inſuper moti rationibus etiam prius, quod alioqui ibi diſertè non invenitur, colligere ſolent Doctores. Proba etiam eſt ſententia Abb. Panormitani in *c. felicis X. de torneament.* dicentis, *omnes ludos, in quibus periclitatur hominis ſalus, aut animarum, omninò tollendos eſſe; quòd pugnent cum verbo Dei. Brunnemann. ad l. un. C. de gladiat. Perez. ibid. num. 3. & 4.*

XXIX. Videamus jam illud Duelli genus, quod Judiciale vulgò quidem at perperam appellant, quo in ſubſidium deficientis probationis ac purgationis utebantur, vel ſua litigantes voluntate, vel Judicis ad id ſuſcipiendum autoritate adducti. Atque hoc Duellum cum fuerit & antiquiſſimum, & frequentiſſimum, & omnibus Germaniæ populis etiam in vaſtum ſeptentrionem ſe porrigentibus uſitatiſſimum, *Alciat. lib. 2. parerg. c. ult. & conſil. 132. Bodin. de Rep. lib. 5. c. 1. Gilman. tom. 2. ſupplic. Camer. p. 1. vol. 15. num. 9. Thom. Smith. de Rep. Anglor. lib. 2. c. 6. & 8. Saxo Gramm. lib. 14. hiſtor. Danicæ.* ex Hiſtoria quædam præmittamus, ut tantò rectiùs de eo fieri judicium poſſit. Primò quidem certum eſt, in Codice Legum Antiquarum Lindenbrogiano plurimas exſtare Leges, quibus hic probandi purgandique modus confirmatur.

matur. Sufficiat hic unam proposuisse ex *c. 44. legg. Alemann. Si quis liber libero crimen aliquod mortale imposuerit, & ad Regem vel ducem eum accusaverit, & indè probata res non est, nisi quod ipse dicit: liceat illi alii, cui crimen imposuit, cum tracta spatha se idoneare contra illum alium.* Idem legere passim sancitum licet in legibus Salicis, Bajoariis, Francicis, Ripuariis, Frisiis & Longobardicis. Videatur Friderici Barbarossæ cognominati constitutio de *pace tenenda 2. Feud. tit. 27.* ubi hujus moris vestigia à Longobardis in Italiam oblata videre licet. Vix verò rectiùs quisquam hoc Duellum narrabit Christophoro Lehmanno, quo nemo rerum Germanicarum facilè fuit peritior. Ita igitur ille *lib. 2. Chron. Spir. c. 30.* Wer seine Unschuld mit Zeugen nicht erweisen können/oder wollen/der hat noch diesen Weg vor sich gehabt/daß er gegen dem Kläger durch einen öffentlichen Kampff seine Unschuld außfündig machen können. Deinde allegat sequentia ex Stumpfii Historiæ Helveticæ *lib. 3. c. 92.* Es haben die alten Francken auch nach Bekehrung zum Christlichen Glauben die Heydnische unmenschlich Art in übung gehabt/daß sie um geringer Ursach willen/ und fast in jeder Sache sich zum Kampff um Leib und Leben erbotten/und hiemit die Unschuld und Gerechtigkeit an Tag bringen wollen/gleich als hätte der Stärcker recht/ und der Schwächer unrecht. Post hæc ita pergit: In Alemannien hat es auch den Proceß gehabt/wann Partheyen um Acker und andern Feldbau streitig worden/und über eines oder des andern Befügnuß und Recht/am Beweiß Mängel fürgefallen/ist der Grave und Gericht des Orts sampt den Partheyen an den streitigen Ort gangen/ und nach dem sie den Augenschein wol eingenommen/hat ein jeder Theil von dem Ort/da er berechtigt zu seyn vermeynt/ein Hand voll Grund außgegraben und dem Graven zugestellt/derselbe hats in ein Tuch verwahrt und versiegelt/ und einem andern biß zu nechstem Gerichts-Tag zu behalten geben. Wann man dann das Gericht besessen/ haben die Partheyen sich eingestellt/und angelobt/ daß ein jeder seine Gerechtigkeit an dem streitigen Ort mit dem Schwerd gegen seinen Gegentheil wolle außfechten. Wann sie nun sich dazu/ wie

bräuch-

bräuchlich/ mit einem Schild und Schwerd außgerüst/ hat man den verwahrten Grund auffm Platze in die Mitte gelegt/ welchen die Kämpffer jeden mit seinem Schwerd zuforderst berühret/und daneben GOtt angeruffen/daß er dem/ der die Gerechtigkeit für sich hätte/ den Sieg wolle geben. Welcher den Kampff erhalten/ dem hat man das Gut zugesprochen / der ander Theil und sein Beystand haben den Unfug mit Gelde gebüsset und abgetragen.

XXX. Atq; hujus generis duellis nihil priscis Germanis fuit frequentius,ut nõ dubitet Stumphius d.l. sequentibus uti verbis: Diesen Brauch/ also versprochene Kämpff zu thun/ haben die Francken in solcher übung gehabt / daß sie bey nahe um eine jede Sache sich zum Kampf erbotten. Creditumq́ue vulgò fuit, vel omnino non, vel certè neque meliùs neque liquidiùs de veritate aut causæ justitia constare, quàm per Duellum hujusmodi posse: cujus cùm multa in veteribus monumentis exempla exstent, unum ex Frossardi *lib.3. hist.* hîc commemorabo. *Evenit*, inquit, *in Gallius, ut quidam genere nobilis è familia Comitis Alengonii per vim stupraret alterius cujusdam nobilis viri, peregre profecti, uxorem, quæ, simul atque maritus revertisset, lacrymis oppleta, commemorare vim sibi factam: ille crimen deferre ad Alengoninm: alter negare factum pertinaciter. In quem cùm esset aliquantò propensior etiam is, apud quem fuit instituta accusatio; qui injuriam passus erat, ad senatum Parisiensem appellabat. Per annum & eo plus agitata causa, cùm & uxor intentare crimen, & ille constanter negare; statutum est: ut Monomachiâ litem finirent. Certo die, quem aut ipsi delegerant, aut arbitri præscripserant, congressi sunt, equites primùm, deinde pedites. Non hîc cæca fortuna (quæ solet alioqui in ejusmodi rebus dominari) sed æquitas potius & virtus exercere suas vires. Nam qui suæ conjugis pudicitiam vita sua cariorem habuit, & in ea propugnanda capitis periculum non reformidavit, necato adversario, palàm faciebat omnibus, vindicem esse Deum, qui scelerum impunitatem non ferat. Interemptum illum, carnifex pertractum ad patibulum postea suspendit: quem si vincere contigisset, jam ex decreto Senatus illa quidem propterea, quòd falsò credita fuisset accusasse, flammis objecta: maritus autem eo, quo adversarius, ignomi-*

nia

niæ genere post mortem etiam adfectus fuisset. Victorem eximiis laudibus efferre omnis nobilium turba & prodiisse in eo virtutem. Quin & Galliæ Rex, honestissima quâdam animi inclinatione, minimè permittens, egregiè factis honorem suum abesse, præmiaq; & præsenti illum munere non contemnendo, & certis deinde proventibus, quoad viveret, locupletavit auxitq;. Judicat scilicet de hoc facto pro seculi more Frossardus.

XXXI. Non solùm autem moris fuit, ut actor & reus hujusmodi duello colliderentur, sed sæpe etiam testes commissi fuerunt, uti idem testatur Lehmannus d. l. Verba ejus sunt: In der Verhör/ und wann die Zeugen ihre Kundschafft gesagt / haben sie ihr Schwerd beym Knopff in Händen gehalten/ und damit zuverstehen geben / daß sie mit dem Schwerd die Warheit/die sie außgesagt/wolten verfechten/inmassen dann geschehen / wann die Zeugen/die der Kläger und Beklagt geführt / nicht zusammen gestimt/und kein Theil dem andern recht geben wollen/daß alsdann ein jeder Theil einen außgeschossen / die auff freyem Feld mit Prügeln über der Warheit gekämpfft / und haben die Kämpffer kein ander Rüstung dann ein Schild gehabt / welcher unter den beyden überwunden worden/den hat man / wie auch allen seinen Beystand/für meineydig und falsche Zeugen gehalten/und ihme hierum die rechte Hand abgehauen/ die übrige seiner Seiten haben ihre Hände mit Geld müssen lösen / davon zwey Theil dem Gegentheil/und der dritte zum Frevel dem fisco heimgefallen.

XXXII. Et quod mirere, non solùm dubiæ quæstiones Facti, sed & Juris duellis istis decisæ furunt. Ejus rei insigne suggerit exemplum idem Lehmannus *lib. 5. Ch. Spir. c. 4.* Um diese Zeit (Ottone I. imperante) ist im Reich in Erbschafft Sachen hin und wieder Streitigkeit in solchem Fall entstanden. Wann ein Vatter Erben gehabt / die sich verheyraht / und in der Ehe Kinder erzeugt / deren Vatter bey Leben des Alt-Vatters Todes verfahren / ob die Enckel den Alt-Vatter beneben ihren Vettern oder Vatters Brüdern sollen erben. Der mehrentheil hats dafür gehalten / daß die Enckel an ihres Altvattern Nahrung kein Theil haben / sondern

die Söhne allein / so noch verhanden / der Erbschafft fähig seyn. Dieser Irrung und Zweytracht / daher viel Klag und Blutvergiessen erfolget / mit rechtmässigen Entschiedt abzuhelffen / hat Käyser Otto ein allgemeine Reichsversammlung ins Dorff Strela lassen verkündigen / (isto enim ævo etiam sub dio, vel tentoriis, comitia celebrabantur) und daselbst des Reichs Außschuß und Schieds-Männern über angeregte Frage sich zu berahtschlagen / und was sie billich befunden / in gemeiner Versammlung zueröffnen befohlen. Nach gehabtem reiffen Raht haben die Schieds-Männer dem Käyser und Ständen ihren Entschied und Außschlag fürgetragen / und dahin gestelt / daß die Kindes Kinder ihren Eltern gleich / und an derselben Statt eines Stammes und Namens mit ihren Vettern seyn / und derhalben der Erbschafft ihres Altvattern / nach dem Stamm von Rechtswegen fehig. Mit diesem Außspruch hat Käyser Otto nicht gesättiget seyn wollen / sondern damit niemand zu zweifflen / ob berührter Entschied das gründliche Recht sey / etliche tapffere Ritter erwehlet / die durch öffentlichen Kampf sollen bestreiten / ob von den Schieds-Männern recht oder unrecht in angeregter Frag gesprochen. Alß die Fürsten und Stände des Käysers Fürschlag bewilliget / und die gewehlte Ritter zubeyden Theilen gegen einander zum Streit und Kampff kommen / hat der Theil obgesieget / welcher der schiedlichen Richter Außspruch verfochten. Darauff der Käyser sampt Fürsten und Ständen derselben / als ein Gesatz bestättigt / und im gantzen Reich zuhalten befohlen. Eandem historiam paulò aliter recitat Stumphius *d. l.* Atque hæc Duella veteribus venerunt nomine Kampff / & Kampff-Recht: de quibus Wehnerus *tit. 4. part. 5. veter ordinat. Rothvvilensis.* Et Campio vel illa decertatio, vel ipse decertans dici solebat: unde Cimbrorum nomen non absurdè deducit Reinerus Reineccius *lib. 3. syntagm. hist. Cryphian. de Weichbild. c. 42. n. 10. seq.*

XXXIII. Etsi verò hæc Duella pervulgati usus olim fuerint, & quoque Goldastus *Tom. 1. Const. Imp.* testis sit, daß das Kampffrecht noch Anno 1450. im Hoffgericht zu Rothweil gerichtlich erkandt

sey;

ſcη; eſt tamen reverà impium inſtitutum, & cumprimis à veterum ſuperſtitione ortum. Nam in ambiguis cauſis, maximè criminibus, inopiam probationum ſupplere ſe poſſe putabant judicio vel divino, vel humano. Divino, per aquam frigidam aut calidam, nec non per ferrum candens. Humano, per Duellum; ut tamen etiam hoc facinus humanum occulto Dei judicio dirigi crederent. Cæterùm Purgationem per aquam frigidam videtur Diabolus commentus eſſe ad imitationem poculi Zelotypiæ, de quo lex exſtat, *Num. 5. v. 11. ſeqq.* ad quem textum Grotius notatu digna alia conſignavit. Sed cùm hæc Dei ſanctio planè fuerit miraculoſa, &, ut viri docti putant, ipſa quoque propter σκληροκαρδίαν Judæis lata, *Zepper. de LL. Moſaic. l. 4. c. 18.* ad alias ancipites cauſas ſanè illa abſque ſpeciali Dei mandato abuti nefas fuerit. *c. Mennam. 7. c. conſuluiſti 20. cauſ. 2. qu. 5.* Ut adeò ſimilis prava conſuetudo, utcunque inveterata, meritò ſit penitus abolenda (præprimis ubi tam liquidò de Chriſtiana diſciplina conſtat) qua magia ſuſpecti decuſſatim conſtringuntur & in aquam projiciuntur, hoc eventu, ut ſi mergantur, innocentes; ſin innatent aquis, criminis convicti rei judicentur. Tantùm enim abeſt, ut Judices hujuſmodi probandi morem decernere poſſint, ut nec vel accuſatorum importunitate nec ſuſpectorum reorum ſpontanea ſollicitatione hanc ad rem adduci vel commoveri debeant. *Quod* enim *non ratione introductum, ſed errore primùm, deinde conſuetudine obtentum eſt, in aliis ſimilibus non obtinet. l. 39. ff. de legib.* Meritò itaque paſſim ille mos ceu deteſtabilis exolevit, & ubique antiquari debebat: ceu poſt alios eruditè demonſtravit *Vir Conſultiſſ. Dn. D. Mauritius, Collega & Amicus noſter honoratiſſimus*, cùm noſtrum Collegium hac de re fuiſſet conſultum. De aliis ſtrigum probationibus per crucem, nec non per pondera & lancem *vid. Hotom. c. 44. diſput. Feud.* ſolebant enim ſagæ olim etiam lanci appendi, quam ſi ultra certum pondus, fortè 14. vel 15. librarum non depriment, veneficii rei habebantur.

XXXIV. Par penè ratio & origo fuiſſe videtur probationis per aquam ferventem, vel ferrum candens: qua reus in aquam ferventem manum immittebat, aut ferrum ignitum manu illæſa ex uno loco in alium ferebat, in probationem innocentiæ ſuæ. Cujus memora-

morabile exemplum de Othonis III. Imp. conjuge verbis Caroli Sigonii recitabo *ex lib. 7. de Regn. Ital. p. m. 183. Maria Augusta Comitem Mutinensem in amorem sui pellicere conata, postquam libidini suæ reluctari vidit, ira furens se ab illo de stupro tentatam apud Othonem insimulavit. Ejus rei admonitus Comes totam, ut erat, conjugi suæ, mulieri prudentissimæ, patefecit; se citiùs millies moriturum, quàm tantum Imperatoris dedecus palàm facturum: proinde ipsam precibus omnibus obtestari, ut forti atque imperterrito animo apud eum mortui innocentiam sui purgaret. Neque ita multò pòst Comes irati & creduli Imperatoris judicio condemnatus pœnas capite dedit. Conventu indè populi ad Roncalias instituto, quo die jus viduis dicebatur, mulier processit, atque ex lege Imperatorem ipsum ad supplicium, quod maritum suum injustè necasset, postulavit. Qua voce audita mirabundus Otho, At tu, quoniam pacto, inquit, viri tui, quam jactas innocentiam comprobabis? Cui illa, Candenti lamina, inquit. Atque mox inspectantibus omnibus ferrum ignitum jussu Othonis allaturæ sine ulla offensione prehendit. Ea re Otho confusus, se quidem pœna dignum esse dicere: verùm ad eam subeundam spatium postulare. Tum mulier tribus vadimoniis dilatis. Atqui, inquit, ego supplicio reginæ contenta sum, cujus nefaria calumnia maritus est meus oppressus. Otho muliere collaudata reginam igne cremari jussit, mulierem verò propter dilata sibi vadimonia quatuor in Etruria castris donavit. Hujus judicii Gothofredus* (Viterbiensis puto) *est autor.* Fides hujus narrationis sit penes autorem. At jus talium probationum est nullum. Etsi enim etiam in Daniele exemplum commemoretur trium virorum, qui in ardentem fornacem conjecti illæsi manserunt; sunt tamen hæc miracula, quæ divina providentia dispensantur, adeóque humano arbitrio, & audaci arrogantia, ad consequentias trahenda non sunt, neque Deo absque ejus mandato obtrudi debent media, quibus is ad probandam innocentiam nostram occultam judicii sui vim comunicet. *Gronevv. de LL. abrog. ad l. 2. Feud. tit. 27. c. Mennam. 7. c. consuluisti. 20. caus. 2. qu. 5. c. ult. X. de purg. vulg. c. sententiam. 9. X. ne cler. vel monach. Fulv. Pocian. de probat. l. 2. c. 2.*

XXXV. Neque justior his modus est probandi innocentiam per Duellum, quin potiùs omni bonæ rationi & justitiæ contrarium ejus fuisse

fuisse usum non solùm affatim videre est ex allegatis ex Jure Can. *sensibus, Phil. Camer. Medit. Histor. cent. 2. c. 18. & 19. Damhond. prax. crim. c. 42. seqq. Gregor. Tholos. synt. Iur. l. 48. c. 15. & 16. Bodin. de Rep. lib. 4. c. ult. Arnis. de Republ. l. 2. c. 5. Ant. Matth. de Crim. l. 48. tit. 15. c. 6. Rivet. ad decal. qu. 38. Ames. de Casib. conscient. l. 5. c. 32.* totque aliis nostratium Theologorum scriptis, sed idem quoque sequentibus argumentis solidè evincam. Quidquid est species Belli, id ab ordine & natura Judicii abhorret: Atqui tale Duellum, de quo diximus, est species belli, E. tale Duellum ab ordine & natura Judicii abhorret. Propositio, nisi me omnia fallunt, est liquidissimæ veritatis; Bellum enim & Judicium sibi mutuò contrariantur: & alterum ubi locum habet, ibi alterum cessat. Ubi non satis mirari queam illorum scriptorum, qui de Duellis scripserunt (sunt verò propemodum innumeri) rationem, qua Duella more Processus Judiciarii ferè informant; & pessimo facinori hinc colores, & nescio quæ pigmenta atque incrustationes quærunt. *Duellum,* inquit, *Bonav. Ganer. disp. de Duello th. 43. ad instar judicii contentiosi redactum est*; cùm antè jam agnovisset, quæ de Duellis vulgò disserantur, magis Politicè, quàm Christianè dici. Imò neque politicè neque Christianè (liceat barbarè de re barbara cum barbaris loqui) ullo modo defendi possint. Assumptionem quod attinet, nemo, credo, inficiabitur, tale Duellum fuisse speciem Belli. Aut si bellum non fuit, actus Judicialis fortean fuerit: id quod est absurdum, etiamsi à Judice aliquando sit litigantibus decretum aut imperatum, ceu mox demonstrabitur. Quippe in ambiguis causis veritas armis explorari non debet, sed legibus judicandum est, & deficientibus probationibus, reus aut absolvendus est, *l. 4. C. de edend.* aut saltem illi deferendum est purgationis juramentum, *Gronevv. d. l.* aut judicale, si actor nihil probaverit, quam communiorem opinionem esse ait *Brunnem. ad d. l. 4.* aut si actor semiplenè probaverit, in supplementum juret. *l. 3. C. de reb. cred. l. 31. ff. de jurejur.* Quod verò *Gronevv. d. l.* tradit, Juramenti purgatorii nullum esse usum in criminibus, in Belgio fortè moris, non item apud nos est. *Carpz. prax. crim. p. 2. quest. 95. num. 74. 75. & p. 3. qu. 116. num. 60. seqq. Brunnem. de Proc. Inquis. c. 9. num. 6.* Et adhibebantur olim septem compurgatores, qui de innocentia rei credulitatis

juramentum præstabant, *c. quotiens. 5. X. de purgat. canon.* Quod tamen ipsum adhuc in crimine fractæ pacis eluendo requiritur, *Gail. l. 2. de Pac. pub. c. 7. num. 12.* Atque hinc est illa distinctio Purgationis Canonicæ, quæ fit per juramentum, & Vulgaris, cujus exempla suprà proposui, & quò referenda sunt hæc, de quibus jam loquimur, Duella, *t. 1. X. de purg. canon. & vulg.*

XXXVI. Talia ergo Duella à Judicibus non potuisse jure decerni aut saltem permitti, ostendo porrò conclusione præcedentis argumenti usus, quæ jam principii loco erit. Quidquid ab ordine & natura Judicii abhorret, idque evertit, illud à Judice non potest permitti, multò minus imperari: Atqui Duellum, de quo jam disseruimus, ab ordine & natura Iudicii abhorret, E. tale Duellum à Judice non potest permitti, multò minus imperari. Majorem nemo in dubium vocabit, cui notum est, quodnam sit officium Judicis. Minorem suprà jam declaravi: quibus tamen mantissam aliquam adjiciam. Quicunque actus justitiam causæ per se detegendi minimè idoneus est, sed æquè innocentem damnare, quàm nocentem obsolvere potis est, ille ab ordine & natura Judicii abhorret: Atqui Duellum, de quo quæstio est, est talis actus, E. illud Duellum ab ordine & natura Judicii abhorret. Hinc cùm duo, quorum unus alterum furti accusabat, probationis causa inter se pugnarent, justior cecidit, & furtiva res postea inventa fuit apud alium: ut refertur *in c. significantib. 2. X. de purgat. vulg.* Imò ipsi Veteres nonnulli hoc probè viderunt. Cùm enim pessimum illum morem secum in Italiam pertraxissent Longobardi, ibique illum frequentassent, Rex illorum Rotharis ingenuè fassus hunc in modum legitur *lib. 1. LL. Longobard. tit. 9. c. 23. Cod. Lindenbrog. Quia incerti sumus de judicio Dei, & multos audivimus per pugnam sine justa causa suam causam perdere. Sed propter antiquam consuetudinem gentis nostræ legem impiam vetare non possumus.* Fridericus quoque II. Imp. *Constit. Sicul. lib. 2. tit. 31.* ait, *Ridendos potiùs quàm corrigendos, qui naturalem candentis ferri calorem tepescere, imò quod stultius, frigescere, nulla justa causa superveniente, confidant*: Et, cùm etiam Duellum, de quo agimus, damnasset, ejus rei hanc adfert causam *tit. seq. 32. Quòd non tàm vera probatio, quàm divinatio*

vinatio quædam dici possit, quæ naturæ non consonans à jure communi deviet, æquitatis rationibus non consentiat. Vix enim aut nunquam duos pugiles inveniri sic æquales, ut vel in totum non sit alter altero fortior, vel in aliqua parte sui majore vigore & potior virtute, vel saltem ingeniis alter alterum non excedat.

XXXVII. Sed & aliæ sunt rationes, quibus ab ejusmodi Duellis cùm Judices tùm dimicantes debuissent deterreri. Ex multis has duas modò adferam. Quicunque actus directò adversatur Juri divino & Naturæ, illum nec ultro quisquam suscipere, nec Judices aut Magistratus licitè in illum possunt consentire: Atqui Duellum, de quo hactenus actum est, talis est actus, E. hoc duellum nec ultro suscipere quisquam, nec in illud Judices aut Magistratus licitè consentire possunt. Quod attinet Minorem, nota sunt illa præcepta, NON OCCIDES: Quicunque sanguinem humanum effuderit, ejus sanguis vicissim effundetur: Nemo injuria est lædendus. Quandocunque enim Judicii autoritas vim suam exercere potest, & debet, ad bella & cædes humanas nullo modo viam Leges hæ aperiunt, sed præcludunt. Altera ratio hæc est: Quocunque actu Deus tentatur, is sua natura ac simpliciter est illicitus: Duellum hoc, de quo impræsentiarum disputamus, est talis actus. E. Duellum hoc sua natura ac simpliciter est illicitum. Minorem confirmat, c. *monomachiam 22. Caus. 2. qu. 3.* &c. *dilecti X. de purgat. vulgari. Add. l. un. C. de gladiatorib. atque ad illam Brunnemannum. Perez. ad d. l. n. 5.* Quàm inanis & vana hæc sit veritatis explorandæ ratio, vel unico liceat declarare memorabili exemplo, quod Alphonsi Castiliæ Regis imperio contigisse refert Scriptor quidam Gallus in libro, qui inscribitur, *Les diverses leçons* &c. *Quidam Rupas de Vidima, nobilitate & rebus bello gestis clarus alium nobilem Rodigem de Avila apud Regem proditionis falsò insimulaverat, quòd usurparet insignia Lusitaniæ, cùm esset vasallus Castiliæ Regis, idq; se armorum concursu confirmaturum jactaverat. Aberat eo tempore Rodiges de Avila, qui cùm calumniam hanc rescivisset, Regi pari fide rescripsit, nihil opus esse purgatione, quòd Rupas in ipsum conspirâsset Regem, & de eo è medio tollendo consilia iniisset: idq; duello se probaturum adfirmavit. Rex animi pendens copiam tandem iis fecit*

Duelli,

Duelli, quò de tantis criminibus liquida testaretur veritas. *Concurrunt illi magno furore & impetu, totoq́ decertant die æquis viribus, fortuna dubia, donec nox conflictum diremit. Reditum est altero die ad arma & certamen, paribusq́ animis & exitu gestum est, in neutram inclinante partem fortuna. Congressi etiam tertio die, eo animo & conatu, ut tandem alterutro succumbente explicaretur veritas. Cùm itaque diu & pertinacissimè contendissent, cùm alii spectatores tùm Rex in admirationem & misecordiam rapti sunt, virosq́ tam acres se mutuò conficere debere iniquum putaverunt. Rex itaque autoritate sua interposita finem duello imposuit, & utrumque ad se arcessitum criminis insimulati absolvit.* En Duelli utrinque à calumniâ conflati eventum!

XXXVIII. Quia igitur hujusmodi Duella legitima Judiciorum subsidia veritatisque explorandæ aut confirmandæ remedia non sunt, sed omni bene constituto juri prorsus repugnant, & Judiciorum ordinem evertunt & pessumdant: ideò malè dicuntur Judicialia; cùm non spectandum sit, quid à quibusdam Judicibus permissum, aut quid in malè constitutis quibusdam Judiciis factum & decretum sit, quàm quid jure fieri ac decerni debuerit. Pro more igitur ævi hoc est, malè hactenus judicat Witichindus, Othonis I. decretum, de quo suprà egimus, his laudans verbis: *Rex meliori usus consilio, voluit viros nobiles & senes populi honestè tractari, & magis rem inter gladiatores discerni jussit. Vicit igitur pars, qui filios filiorum computabant inter filios, & firmatum est, ut æqualiter cum patruis hæreditatem dividerent pacto sempiterno.* Cùm igitur constet, quòd non solùm veteres Germani, sed & Galli, Hispani, Angli aliique populi crebrò his Duellis fuerint usi, superstitiosa opinione persuasi, non sine numine & arbitrio divino hac ratione vel innocentiam, vel veritatem ac justitiam causæ explorari posse; ideo hoc Duellorum genus superstitiosum appellabimus. Atque ideo hanc Purgationem Vulgarem Jure Canonico dici, & Canonicæ, quæ fit per juramentum, contrà distingui nonnulli putant, non tantùm, quòd vulgati fuerit usus Purgatio per duellum, sed quòd vulgarium & superstitiosorum hominum hoc fuerit inventum, adeoque nullam probationis vim habeant vel à ratione vel à divina autoritate aut voluntate nobis pate-

patefacta, sed à superstitiosi vulgi præcipiti judicio. *Gronevv. l. supr. citat.*

XXXIX. Quia verò vitia eo gradu, quo oriuntur, non solent subsistere, sed ali ac crescere tempore ac consuetudine; ita in Germania quidem tandem ii invaluerunt mores, ut superioribus seculis Judiciorum autoritas propè omnis conciderit. Cùm enim Regia autoritas variis artibus esset pessumdata, Duces Comitesque provincias hereditario jam jure administrarent, viribus suis militeque subnixi, jure cum aliis æquo uti noluerunt. Et licèt controversiæ Principum & Nobilium in Judicium essent deductæ, judicatum tamen vix quisquam solvebat, nisi vi armata compulsus: vel etiam planè judiciis repudiatis bello & armis lites suas dirimebant. Superstitio igitur Duellorum in judiciis olim usitatorum tandem peperit barbariem, videlicet ut quisque sibi jus diceret vindiciasque præstaret armis & Bello, quod Germanica appellatione insigniri solet Faust- oder Kolbenrecht. Audiri de hoc differens meretur Casper à Lerch in *Discurs. de Ordine Equestri German.* Bey verschiedenen civilibus motionibus, Empfindligkeiten/ und in mangel schleunigen handhabigen Rechtens/ hat sich im Reich begeben/ daß vor alters Equestris Ordo Germanicus vielfältig ins gemein/ und insonderheit inner- und eusserlich sich juris belli und Faustrechts wider die/ so ihne betrangt/ allein/ und durch helffers Hülff (als weil es pro juris sui conservatione vornemlich bey den alten Teutschen herkommen/ und Stegreiffs-Nahrung/ sampt dem alten Kampffrecht fast nicht ungleich war) gebrauchet. Welches dann auch ander Ständ unter sich/ und gegen dem andern geübt/ und dieser von jenem gleichsam erlernet und ergriffen hat. Bey welcher Zeiten constitution, auß vielen Geschichten und Schrifften verspüret wird/ ob wol die mächtige und höhere/ nicht eben mit Kriegsrüstung und Faustrecht publicè ihr beginnen und gesuch/ sondern mit anhengender menge Volcks/ oder andern zwangsvortheilen/ offtmals durchgedrungen/ und hiedurch dem Ringern sein Recht und Haab de facto abgenöhtiget haben: Dahero doch zu gegenrettung auff Faustrechts Mittel der Schwächere getrieben/ und also mancherley und viele Empörungen er-

weckt worden / welchem man lange Zeit vergeblich durch viel Land-Frieden/Reichs-Hoff-und Cammer-Gerichts erectationes zu steuren unterstanden hat. Ebenmässig so offt eine Partey gegen die andere / sich vor Chur-Fürsten / Graven und Ritterschafft Außtrag rechtens erboten hat / wann das Recht nicht gedeyen oder erörtert werden können / so dann auch die execution dem ergangenen Spruch gemäß nicht erfolget ist / noch geschehen können / hat man sich des Faust-Rechts Außtrag zu behelffen nichts hindern lassen. Derowegen der Reichs-Adel pro generositate animi und auß Schmertzen seines sichtbarlichen Verlusts / Schaden oder Fortheils/ seine alte Kriegerische Conversations jura des obgesagten Faust-Rechts (welches jure bellico primævo, Teutonicisque militiæ moribus assiduis, in depulsionem aut vindicationem alienæ violentiæ, aut personalis realisque injuriæ im schwang war) schwerlich und viel lange Jahr nicht deseriren / weniger zu unendbaren Proces mehr Geld und Mühe / als Er oder Seinige Nutzen erleben möchten / sich gedulden / weder untergeben können. Wie dann darauß entsprungen / und in vielen judicial protocollis befindlich/ daß durch höherer Stände/gegen manchem vom Adel/rechtlicher/ auch pœnal-und Achtsmittel fortführ-und verfolgung halber/ nach und nach der unterdruckt-oder verarmte Adel / entzwischen an Person/Schlössern/Hauß und Gütern/theils geringert/theils vertilget worden ist / &c.

XL. Quanta rerum omnium perturbatio hinc non potuerit non sequi, perpetuisque motibus concuti Imperium oportuerit, nemo non videt. Cæterùm Duella illa probationi aut purgationi quæ olim inserviebant, in usu apud nos esse per Dei gratiam desierunt. *Vid. Dd. supra th. 35. laudatos.* Illa quoque χειροδίκη saluberrimis constitutionibus fuit sufflaminata & coercita. Bene cumprimis de Germania meritus est Maximilianus I. qui in humanis istis moribus primò quidem Regimentum, deinde Cameræ Spirensis Judicium, denique & ipse & successores ejus glorisissimi Pacis publicæ leges ac sanctiones pragmaticas opposuerunt. Hinc in Recessu Imperii Spirensi de Anno 1529. rectè dicitur, daß das Käyserliche Regiment und Cammer-Gericht darum für-

fürgenommen/Fried und Recht im Heiligen Reich zu erhalten. §. Weiters als hie bevor.

XLI. Ista rerum perturbatio, robur cumprimis nacta tempore interregnorum, occasionem etiam videtur dedisse Austregis, quæ dicuntur. Cùm enim nonnullis Principibus violentia ævi illius displicere cœpisset, aut mutuo metu deterreretur, nonnunquam ancipitem belli exitum vererentur, aut nervis belli gerendi destituerentur, cœperunt sibi arbitraria Judicia constituere, Regum autoritate cùm aliis rebus tùm Pontificum importunissima ambitione & fastu proculcata, adeoque eorum sententia minimè exspectata: quæ hodieque Außträge/vel gewillkührte Außträge appellantur. Quinimo cùm rara essent eo tempore Comitia, nulla Judicia publica, dignitas Cæsarea vel nulla, vel inter competitores ambigua, etiam Civitates multæ in similia judicia & pactiones consenserunt. Etsi enim meliori modo Austregas constituerit Maximilianus Imp. non tamen huic autori illæ sunt tribuendæ; ceu à nonnullis perperam fit. Nam in Constitutione Camerali d. An. 1495. ita legitur: Welche sonderliche gewillkührte Rechtliche Außträge gegen einander haben / die sollen sich laut derselben gegen einander gebrauchen.

XLII. Inprimis verò, uti dictum est, Regimenti & Cameræ Spirensis constitutione illa morum atrocitas & χειροδίκη fuit repressa. Cæterùm cùm inveteratum malum, in tanta Reip. impotentia & discordia, ex voto & quidem uno momento non potuerit exstirpari, multiq; Principum vires suas semper altero oculo respicerent, per sanctiones illas de Pace publica, toties repetitas, bellicis motionibus obviam itum est. Cùmque antehac Reges ferè militaris Ordinis hominibus & illiteratis essent stipati, à Maximiliano autem ejusque successoribus Juris Romani & Pontificii Doctores consiliis & judiciis admoti fuissent, ferrei seculi asperitas horum humanitate & æquitate non parùm mitigata esse videtur. Utinam quæ tam salutari prudentique consilio constituta sunt, morigero animo facilique ab omnibus obsequio excipiantur & præstentur, nec partim vi aperta, partim cuniculis ductis his Imperii fulcris ruina quæratur. Atque hæc de Duellis superstitiosis.

XLIII. Superest tertium Duellorum genus, omnium & olim & hodie

hodie usitatissimum, iniquissimum ac perniciosissimum, quo spreta Judiciorum & magistratus autoritate multi suæ iræ, ambitioni, libidini & adfectibus frena laxant, & plerumque pro honore adserendo, aliave injuria vel contumelia qualicunque depellenda vel eradenda privato ausu ac temeritate furiosè decertant. Doctores, qui de hoc argumento scripserunt, *Extrajudiciale* appellant, distinctum scilicet hoc à *Judiciali* quod vocaret, à nobis *superstitioso* appellato. Ego verò illud *Cyclopicum* nuncupo. Cujus notationis rationem, & ipsius argumenti naturam ac qualitatem expositurus solenniter protestor, me ad nullius hominis, vitæ generis vel ordinis injuriam aut despicientiam quidquam dicturum, sed veritati ac Justitiæ unicè litaturum. Sicuti enim Mathematici numeros & figuras suas à corporibus abstrahunt; ita me ab omni singulari facto animum avocasse, & non nisi ἐν θέσει, ut loqui solemus, hoc argumentum versasse, juraque ei accommodasse profiteor, paratus etiam rectiora monitus mea obelisco configere.

XLIV. Cyclopicam vitam in proverbium abiisse, vulgò cognitum est; ut tamen perquam diverso sensu etiam à doctissimis usurpatur. Erasmus enim *in suis Chiliad. pag. m. 711.* Cyclopicam vitam interpretatur, vitam vehementer efferam ac barbaram, quæ neque legibus neque disciplina civili constet, neque religione deorum gubernatur. Atque hanc sententiam confirmat exemplo Polyphemi, quem sic loquentem inducit Homerus *odyss. 9. v. 273. seqq.*

Stultus es, ô hospes, quòd longè advenisti,
Qui me deos jubes sive timere, atque observare.
Non enim Cyclopes Jovem à capra nutritum curant,
Neque Deos beatos, quoniam multò præstantiores sumus.
Neque ego Jovis inimicitias evitans parcam,
Neque tibi, neque sociis, si me animus jubeat.

Homerum imitatus Euripides Cyclopem hoc pacto loquentem facit.

Atqui, hospes ego fulmen Iovis non horreo,
Neque me Iovem præstantiorem habeo deum.

Hadrianus verò Junius in suo Chiliadum Erasmi auctario contendit, Cyclopicam vitam pro beata & nullius rei indiga apud omnes autores usur-

usurpari: quem vide in *Chil. Erasf. p. m. 105.* Etsi verò autor sit Homerus, singulari terræ felicitate atque ubertate Cyclopes usos fuisse, plura tamen alia etiam commemorat *Odyss 9. v. 106. seqq.*

Cyclopum ad terram superborum exlegum
Venimus, qui sanè diis freti immortalibus,
Neque plantant manibus plantam, neque arant.
Sed hæc inseminata & inarata omnia proveniunt.
Triticum, & hordeum, atque vites, quæ quidem ferunt
Vinum ex magnis uris, & ipsis Iovis imber incrementum dat:
Illis verò neque conciones Consiliariæ sunt, neque jura;
Sed ipsi celsorum montium inhabitant cacumina,
In speluncis cavis, jus autem dat unusquisque
Liberis atque uxoribus: neque se invicem curant.

Mittamus, quæ de fertilitate soli Cyclopum feruntur, & quibus moribus fuerint, videamus. De his ita judicat scholiastes Græcus, Dydimus creditus, Justos fuisse Cyclopas, præter Polyphemum: & quòd Poëta illos superbos dixerit, ad magnanimitatem quod ἀτεμίστους, eò refert, ac si propter vitæ innocentiam & simplicitatem non opus ipsis fuerint leges publicæ: neque enim illos communione civili consociatos vivere, adeoque nec senatu, nec judicio aut jure communi uti; sed quemque patremfamiliâs suæ præesse familiæ, eumque uxori atque liberis jus dicere nulla habita cura communionis civilis. Et verò in eandem sententiam de illis loqui videtur Aristoteles 10. *Nicom. ult.* §. *38.* ubi ait publicæ educationis passim nullam haberi curam, sed more Cyclopum quemque suæ tantùm familiæ curam gerere. Atque ea propter idem Philosophus, *Polit. 1.* ait, vixisse Cyclopas σποράδας familiis & domibus secretos, nulla civitate aut communi civili jure conjunctos. Cùm verò suprà ex Homero intellexerimus, Polyphemum etiam reliquos Cyclopas impietatis insimulare, quod Jovem αἰγίοχον non revereantur; Didymus, ut sibi consentanea loqueretur, ait, Polyphemum per calumniam reliquis Cyclopibus impietatem improperasse. Ἀσεβὴς inquit ὢν ὁ πολύφημος διαβάλλει καὶ τοὺς λοιπούς. Putatque suam sententiam confirmari ipsius Poëtæ autoritate, quis *v. 411. d. lib.* illam animi asperitatem in Poly-

phemo dicit fuisse morbum à Jove immissum & indeclinabilem. Esto ergò, uti vult scholiastes, quòd Polyphemus tantùm omnem bonam mentem ejeraverit, numinis divini omnisque juris contemptor: reliqui verò Cyclopes aliquam juris & disciplinæ in familiis suis rationem habuerint; non absurdè tamen postremum Duellorum genus Cyclopicum à me dictum existimo. Nonnulli enim hujus generis duellatores bene etiam familiæ, liberos, & conjugibus præesse videntur, ut tamen communi judice uti aut civilis vel superioris judicii autoritatem atque opem implorare, ejusque arbitrio ac sententiæ litigia & injurias, quas cum aliis exercent submittere nolint, sed perinde ac si adhuc extra civiles societates & legitimum Judiciorum ordinem viverent, suas injurias manu ferroque decernere malint. Sunt quoque inter hujus generis Duellatores Polyphemi quidam divini humanique juris contemptores, imò Deo & hominibus insultantes, qui jura negant sibi nata, nihilque sibi non arrogant armis: qui pro infamibus habent duella detrectantes mensamque ea parte, qua tales eum ipsis fortè accumbunt, sterni vetant, aut mappam indè removent: quorum hæ sunt voces. **GOtt wolle auch keinen Bernhäuter im Himmel haben/** eos designantes, qui metu numinis divini & reverentia legum à duellis abstinent; **Es sey besser mit** reputation **(zeitlich und ewig) sterben als mit Schimpff das Leben behalten/ man wolle viel lieber die Zeitung von seinen Kinderu hören/ daß ihnen im** duel **die Hälse zerbrechen / als daß sie jenigen Schimpff leiden/oder selbigen andergestalt als mit der Faust außleschen solten;** & quæ sunt ejus generis portenta verborum alia. Sed de notatione horum Duellorum fortè plus satis. Rem ipsam videamus.

XLV. Ut ergò tantò evidentiùs horum duellorum atrocitas Omnibus repræsentetur, primum quidem illos ipsos considerabimus, qui ejusmodi duella suscipiunt: quibus cùm duo committantur, alter horum Provocans, alter Provocatus dici solet. Provocatio ad hæc duella, si usum videas, videtur esse duplex, Proxima & Remota. Hæc, est contumelia seu injuria illata: Ista, ipsa duelli donuntiatio. Anonnullis is unicè habetur Provocans, qui injuriam, & per

hanc,

hanc, quandam quasi necessitatem ad duellum provocandi, intulit: à qua sententia non videtur esse alienus Aristoteles, qui ita scribit 5. *Nicom. 8. §. 26. seq. Quapropter rectè, quæ per iram fiunt, facta non putant de industria. Non enim talium autor & causa est is, qui iratus facit; sed is, qui lacessivit atque irritavit. Ob injuriæ enim speciem animo objectam ira commovetur. add. l. 3. §. 1. ff. de injur.* At si potiùs id spectes, quid fieri tali casu, aut non fieri, fas sit; injuriâ lacessitus non ad duellum, privatamque ultionem, sed ad Judicis præsidium confugere debet: per ea quæ suprà tradidimus *th. 12. seqq. Neque enim singulis concedendum, quòd per Magistratum possit fieri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi*; inquit JCtus *l. 176. ff. de R. I.* ubi vide Jac. Gothofredum, inter alia his utentem verbis: *Idcircò judiciorum vigor, jurisq; publici tutela videtur in medio constituta, ne quisquam sibi ipsi permittere valeat ultionem.* Gravis quoque est sanctio Constantini *M. l. 6. C. ad. l. Iul. de vi*; qua convictus de evidenti violentiæ crimine capite puniri jubetur, sic ut damnatus à sententia Judicis appellare nequeat, &, si fortè homicidia hinc indè commissa fuerint, in illo vindicentur, qui per vim alium expellere voluit. *ad Brunnem. ad d. l. 6. quæst. l. 1. C. Theod. eod. ubi vid. Iac. Gothofr. Grot. 1. de I. B. & P. c. 3. n. 1.* Si igitur injuria lacessitus, illam duello eluere satagit, ad ultionis genus per se illicitum, divinæ voluntati atque ordini planè adversum provocat. *l. 45. §. 4. ad. l. Aquil.*

XLVI. Quæri solet, si injuria lacessitus suum adversarium ad duellum provocet, eumque obtruncet, sitne ordinariâ L. Corneliæ pœnâ adficiendus, nec ne? Siquidem non nisi animo ulciscendi ad duellum provocaverit, cùm Judicis suppeteret copia, nullam satis idoneam causam video, quæ illum ordinariæ pœnæ eximat: qua non solùm Sereniss. Dux Saxo-Gothanus tàm provocatos, quàm provocantes adfici voluit, si alter alterum in duello obtruncasset; sed etiam eandem pœnam Imperator & Imperii Ordines in illos sanxerunt. Non equidem nescio, consuetudine & praxi aliud ferè esse receptum: ceu videre est ex *Carpzov. pract. crim. p. 1. qu. 29. n. 75. seqq.* At tota hæc provocationis ratio incidit in omni jure prohibitam vindictam; quippe injuria adfectus legitimis remediis experiri, non sibi, ipsi jus dice-

dicere debet. *Bachov. ad Wesenb. ad. l. Aquil. n. 4.* Nostramque sententiam etiam disertis verbis confirmat *Hahnius ibid.* eamque adversa rectiorem pronuntiat. Præter alias Carpzovius suæ opinionis hanc profert rationem, *d. qu. 29. n. 77. & 88.* quòd simpliciter ignoscendum sit ei, qui se voluit ulcisci provocatus: quod uti verum est, si legitimo modo ultio quæratur, quo omninò pertinet ab illo citata *l. 14 § 6. ff. de bon. libert.* ita si idem velis simpliciter obtinere, ubi ultio jure omni prohibita suscipitur, non dubito istud principium simpliciter falsum pronuntiare. Adi, si placet, Frantzkium, qui *d. l. 14.* diligenter explicat *l. 2. resol. 23. n. 35. seqq.* & etiam Carpzovio hac in causa contradicit *n. 51. seqq.* Interim si quis injuria perquam gravi sit læsus, eaque ad justam & vehementem iram sit concitatus, qua emotæ quasi mentis fuerit factus, ut subitò & è vestigio ulciscendi desiderium præcipitaverit, neque destinato consilio Judicis opem contempserit, eum ratione talis excandescentiæ interdum fortè à pœna ordinaria absolvi posse existimo, per ea, quæ leguntur apud *Carpzov. p. 3. pract. crim. qu. 147. n. 55. seqq.* Aliàs regulariter Ira delinquentem à pœna ordinaria non excusat. *Carpz. d. l. n. 45.* Certè in *Const. Carol. crim. art. 137.* ultimum supplicium disertè sancitum est in eos, qui inconsulto calore & iræ fervore cædem patraverint. Et quæ homicidia, formaliter talia, absque iræ impulsu committuntur?

XLVII. Quod si accidat, uti sanè fieri aliquando videmus, ut idem, qui injuria lacessivit alterum, eundem etiam denunciatione facta provocet ad duellum, hominem certè eum oportet esse admodum injustum & malum, ut qui non solùm honori aliisve bonis, sed & corpori, vitæ & saluti æternæ insidietur. Præterea qui ita armis congrediuntur, non semper ira subitò incalescentes digladiantur, sed plerumque ex intervallo, & deliberato, ut facilè judicis opem invocare sibi liceret. Vera autem omnino sunt, quæ tradit Cicero *1. Offic. In omni injustitia permultum interest, utrùm perturbatione aliqua animi, quæ plerumque brevis est, & ad tempus, an consultò & cogitatò fiat injuria. Leviora enim sunt ea, quæ repentino aliquo motu accidunt, quàm ea, quæ meditata & præparata inferuntur. Grot. lib. 3. de I. B. P. c. 11. n. 4.* Plenior etiam est divisio JCti *l. 11. §. ff. de pœn. Delinquitur aut proposito,*

to, aut impetu, aut casu. Proposito delinquunt latrones, qui factionem habent. Impetu autem cùm per ebrietatem ad manus, aut ad ferrum venitur. Casu verò, cùm in venando telum in feram missum hominem interfecit. Sicuti igitur ipsa delicta multis modis ac gradibus differunt, aliaque aliis graviora vel leviora sunt; ita certissimum est consultò patrata mereri ordinariam eamque justam pœnam. *l. 5.* §. *ult. ff. de pœn. Wesemb. parat. h. t. n. 8.*

XLVIII. Porrò si rem videas, uterque duellatur, cùm Provocans tùm Provocatus, plerumque animum seu προαίρεσιν habet occidendi: cumprimis si præter condictum facinus propositum etiam arguant tela, quibus utuntur, ad expellendam fortè animam paratissima; adeoque uterque saltem hactenus homicida est. τῦ γὰρ ἤθυς ἐν τῇ προαιρέσει τὸ κύριον. *8. Nicom. 13.* §. *ult.* Mores enim & actiones hominum cumprimis ex illorum proposito seu consilio dijudicantur. Atque hinc Gellio *lib. 7. Noct. Att. c. 3.* gladiatori composito ad pugnandum pugnæ hæc proposita sors esse videtur, aut occidere, si occupaverit, aut occumbere, si cessaverit; ut sanè par voluntas & consilium in duellatoribus non possit non præsumi. Lex utique Cornelia non minùs eum, qui occidendi hominis causa cum telo fuerit, quàm eum qui occiderit, puniri voluit *l. 16.* §. *8. ff. de pœn.* Quanquam hodie conatum sine effectu pœna ordinaria non coërceri debere multi Doctores contendunt, moti cumprimis *Const. crim. Carol. art. 178. Jul. Clar. d.* §. *fin. qu. 92. Brunnem. ad. l. 7. C. ad. l. Corn. de sicar.* At si ad actum proximum accesserit, ut qui animo occidendi hominem vulneraverit, nunc delictum haberi pro expleto, & eum perinde puniri, ac si delictum perfecisset, vult *Matth. Steph. ad d. art. 178.* Cui hac in re contradicit *Carpzov. p. 1. pract. Crim. qu. 2. num. 54.* qui cum aliis in ea est sententia, *Legibus de conatu loquentibus in toto orbe derogatum esse.* Cæterùm etsi conatus delicti in genere ordinaria pœna regulariter non fuerit puniendus; non tamen hinc tutò colligitur, etiam illorum delictorum conatus, in quos à legibus speciatim pœna ordinaria sancita est, mitiori pœna plectendos atque has etiam leges inter abrogatas privato quorundam ausu reponendas esse: qua de re pluribus contra receptam opionem disputat *Faber de Conatu, c. ult.*

XLIX. At, inquis, multi duellis colliduntur, quibus hic animus non est, ut antagonistas occidant, sed potiùs ut hoc more defungantur, & necessitati pareant. Cæterum posterius quod artinet, non est illa vera necessitas, siquidem Judicis sit copia. Itaque locum hic habet illud Comici, *Tua voluntate coactus es*. Necessitas enim jus non dat, si sit evitabilis. Malum hic, quidquid vel minimum abit à necessitate. *Grot. lib. 2. de I. B. & P. c. 2. n. 10.* sed nonne satis magna vis est tyrannicæ consuetudinis? Est utique; ut tamen hæc tanta nemini videri debeat, ut illicita prorsus exempla vindicandæ injuriæ imitari licitè possit. Præterea etsi animo occidendi non te suscepisse dicas duellum, numquid in actu isto furioso omniq́ue jure vetito jam occupatus ita poteris modum tenere, ut ne noceas adversario, sed solùm tibi prospicias, & ictus elidas? Accedit, quòd duellatores sanè vehementer indignum credant sua existimatione, si alteruter alteri significet, sibi non esse animum lædendi. Imò præstaret tali casu planè abstinere ab hoc infausto incepto. Quid ergò præsumet alter de altero ita disposito armatoq́ue, quàm animum lædendi, &, si posit, aut fors ita ferat, occidendi sive propositum, sive occumbendi eventum? Ipsa certè lex, *Non occides*, aliter nec præsumit, nec præsumere potest. *l. 16. §. 8. ff. de pœn. l. 1. ff. ad l. Corn. de sicar. §. 5. Inst. de publ. judic.* Hinc nonnulli Doctores putant, eum, qui alterum gladio adoritur, non equidem ut illum occidat, præter intentionem verò ei vulnus lethale infligat, ex quo mors sequatur, pœna ordinaria æquè adficiendum esse, ac si animum occidendi habuerit. *Quorum sententiam*, inquit *Carpzov. p. 1. pract. crim. qu. 1. n. 28. juri ac veritati consentaneam esse arbitror, eo quod percutiens gladio, animo solùm vulnerandi, æquè in dolo est, & quia scit, aut saltem scire debeat, certo & destinato modo vulnus præsertim gladio vel simili instrumento, ad homicidium perpetrandum apto, dari non posse, in effectu negari nequit, quin talis habet animum occidendi, ut cujus voluntas fertur in percussionem, & in omne id, quod ex percussione dolosa immediatè contingit.* Deinde idipsum variis rationibus ac testimoniis confirmat: quibus add. Gail. *2. obs. 109. n. 3. Brunnem. ad. l. 6. C. ad l. Iul. de vi publ.*

L. Præter Provocantem & Provocatum solent etiam accedere

Duellis his alii, qui vel sint illorum internuntii, vel arbitri, qui de causa, loco, tempore, genere ac conditione armorum constituant, & provideant, ut omnia secundùm cyclopicæ consuetudinis leges instruantur, & ad Orci fauces latissimè fores aperiantur. Alciatus illos appellat *Faciales, Præcones, Heraldos* & *Reges armorum*. Alii non sine insigni impietate illos *Patrinos* appellitant. Vulgò enim Patrini dicuntur, qui de sacro fonte infantes susceperunt, & pro illis stipulationi bonæ conscientiæ fidem obstrinxerunt; ut adeò tam bene de provocantibus & provocatis duellorum arbitros mereri malè sani isti scriptores putent, quemadmodum compatres vel susceptores de filiis suis spiritualibus; uti in Concilio Moguntino, quod temporibus Caroli M. celebratum est, nominantur. *can. 47.* Imò ne quid furoris sit reliquum, ipsi quandoque arbitri non minori feritate, quàm ipsi duellatores contendunt, quoties scilicet visum fuerit, illustriorem reddere duellorum gloriam. Ejus vesaniæ duo nobis exempla suggerit Thuanus, qui *lib. 66. ad Annum 1578.* de Duello Jacobi Levii & Caroli Balsaci hæc narrat: *Rixa in arcano intercedebat, qua ex causa incertum. Cùm verò alter ab altero de injuriis sibi, usurpatâ apud nos inter Nobiles ratione, satisfieri peteret, horam & locum duello condicunt, quo & duos ex amicis, inaudito apud alios more, cæterum vana decoris ostentandi cupiditate, nunc nimis frequenti, secum pugnaturos adducunt. Hi omnes summo silentio in equorum foro Lutetia ad mutuam perniciem vix orto sole certarunt.* &c. Idem Autor de duello Caroli Bironii & Caroli Carancii ista disserit *lib. 85. ad Annum 1586. Occultæ inter rivales simultates alebantur, quæ tandem in exitialem eventum exarserunt. Nam Bironus ex levi causa rixa exorta Carancium perfidum sibi ad duellum provocat, & contra legem & rationem duelli, ut duos secum amicos adducat, monet, de cæterō armorum delectum ei defert. Id secretò actum, quod pravo apud nos more receptum, ne quis conscius destinato duello, re ad Principem renuntiata impedimentum adferat: & quisque ad decus pertinere existimat, ne res evulgetur. Congressu facto Bironus cum suis victor evasit, & Carancium cum sociis interfectum humi stratos reliquit.* Atque hic præter alia, quæso, adverte novas Duellorum leges, vel potiùs Diaboli fraudes, ut Judicem suum non solùm non adeant, qui inter se dis-

ſident, ſed etiam omnibus modis eum fallant, atque hujus aſtutiæ ſingulare decus exiſtiment, ut liberiùs occidere vel occumbere ſibi liceat.

LI. De his quid ſit ſentiendum, docere nos poterit Androcides ex lege Attica: τὸν βουλεύσαντα ἐν τῷ αὐτῷ ἐνέχεσθαι καὶ τὸν τῇ χειρὶ ἐργασάμενον, *Qui conſilium dedit, eum non minus pœna teneri, quàm qui manu rem effecerit.* Et Chryſoſtomus, ad Romanos circa finem: καὶ γὰρ τοῦ πλημμελοῦντος ὁ τὴν ἁμαρτίαν ἐπαινῶν χαλεπώτερος, *Pejor peccante, qui peccatum laudat.* Imò tantoperè adſueta duellis gens Langobardica hanc olim tulit legem; *Qui facinoroſum adſtans hortatur, pro faciente habetur.* Quid multa? compendio dicam. Qui factum vitioſum jubent, qui conſenſum requiſitum adhibent, qui adjuvant, qui receptum præſtant, aliove modo in ipſo crimine participant: qui conſilium dant, laudant, adſentantur, qui, cùm vetare teneantur, non vetant, aut cùm opem ferre injuriam patienti teneantur, non ferunt, qui non diſſuadent, cùm diſſuadere debeant, qui factum retinent, quod notum facere tenebantur, hi omnes delicti ſe participes faciunt, & puniri poſſunt. *Grotius lib. 2. de I. B. & P. c. 21. n. 1.* Addatur Thomas 2. *2. q. 62. art. 7.* ubi etiam vulgares illi verſiculi leguntur, quibus exprimi ſolent modi, indirectè reatum alicujus delicti contrahendi:

Juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

Illud certum uſuque comprobatum eſt, hos duellorum arbitros arbitrariâ pœnâ adfici, & pro re nata hanc ad ultimum ſupplicium extendi poſſe. *Carpz. pract. crim. p. 3. qu. 119. n. 16. & p. 3. qu. 138. n. 19. ſeqq.*

LII. Cauſæ, propter quas ejusmodi duella condici ſolent, variæ ſunt: cumprimis tamen ad illa provolant, ſi quis alterius exiſtimationi, famæ aut nomini obtrectaverit, aut aliaquis perpeſſus fuerit, quæ dignitati ſuæ vel honori videantur eſſe dedecori: Hinc illud ἀξίωμα nimis frequens & φορτικὸν, *Fama & Vita pari paſſu ambulant.* Et alterum illud non minus in hac cauſa crudum: *Crudelis in ſe eſt, qui famam ſuam negligit.* Neque enim per alterius injurias revera mihi eripi poteſt vitæ innocentia, & hinc proveniens honeſta bonorum opinio, ſeu honos. Interim adverſus hujusmodi improbi hominis malitiam & conatum multa

multa prodita sunt legitima remedia, & non una injuriarum actio suppetit. Et licèt fortè hoc des opinioni vulgari, delibari cujusquam existimationi per injurias posse, non tamen eapropter cædem moliri convenit. Sit etiam crudelis in se, qui insuper habeat, quidquid etiam alii de se sentiant vel loquantur, non tamen per duella & homicidia remedia sunt quærenda. Solent etiam colores obtendi istis axiomatibus ex *l. 8. in fin. ff. quod met. caus. & l. 9. ff. de manum. vind.* quos dilutos videre licet apud *Carpz. Jurispr. for. p. 4. const. 10. def. 6.* Graviter Reip. nocent, qui nummos adulterant, multi autem graviùs, qui legum sententiam tàm impudenter corrumpunt, pessimisque errroribus illarum autoritatem obtendere satagunt.

LIII. Primò itaque certissimum est, nullum prorsus injuriæ genus inter homines nasci, cujus disceptatio & dijudicatio non regulariter ad Judices pertineat. *Cùm aliqua de re dissident homines, ad Iudicem confugiunt. Adire Iudicem, adire jus est. Nihil aliud videtur esse Iudex, quàm jus animatum*; inquit Aristoteles *5. Nicom. 4. §. 19. seq.* Rectè quoque Grotius docet *lib. 1. de I. B. P. c. 3. n. 1. Quanquam Iudicia publica non à natura, sed à facto sunt humano; cùm tamen multò sit honestiùs, & ad quietem hominum conducibiliùs, ab eo, cujus nihil intersit, rem cognosci, quàm homines singulos nimium sæpè amantes sui, quod jus putant, id manu exsequi, tàm laudabili instituto obsequendum ipsa dictat æquitas & ratio naturalis.* A quo tamen hactenus dissentimus, quòd judiciorum originem unicè facto humano tribuat. Callistratus JCtus ait, Cognitionum numerum ex variis descendere causis, & in quatuor ferè genera eas dividi posse; vel enim de honoribus gerendis agitari, vel de re pecuniaria disceptari, vel de capitali crimine quæri, vel de existimatione læsa cognosci. *l. 5. ff. de extraord. cognit.* Procul dubio ergò etiam in iis causis jus dici poterit, quæ duellis solent explicari. Quod quod ipsa recta ratio dictitet, neminem in sua causa idoneum esse Judicem, præprimis si ille sit in fermento, & cùm aliis adfectibus tum cœca ambitione æstuet. Atque hinc generali lege pridem ab Impp. decretum est, neminem sibi esse judicem, vel jus sibi dicere debere. *l. un. C. ne quis in sua causa judicet, vel jus sibi dicat. Perez. ibi. 1. & Brunnem. l. 14. de Iud. & Cœlic.* verisimum enim est vetus illud, *Quisque*

que suas injurias plus æquo æstimat. Add. Aristoteles *3. Polit. 6. & 12.* Quo igitur titulo ac jure sibi Nobiles aliique in honore vindicando sumunt ultionem privatam, qua non minus ipsis, quàm generaliter omnibus hominibus extra Judicii locum constitutis interdictum est? Si enim Nobilis ab alio Nobili non vult lædi in suo castro, eaque annexa fortè jurisdictione; sed, si tale quid fiat, vehementer excandescit: quantum indignari Deum putas, si quis Nobilis, aut alius, divinum Regale, Vindictam, privato ausu involet?

LIV. Præterea cùm Honor sit Virtutis præmium, actione injusta prorsus & vitiosa illud exposcere quî poteris? Itaque si tibi quis non adsurgat, nec primum aut digniorem locum concedat, tecto te capite prætereat, aliave reverentiæ signa tibi deneget, aut non satis apta vel luculenta exhibeat, nullum profectò tibi jus est talia importuniùs exigendi, minimè omnium telo lethifero expugnandi. Quod si verò homo improbus (bonus enim non faciet) te calumnietur, dicatque te esse injustum ac prævaricatorem: si te intemperantem dicat, scortatorem, furem, vanum, mendacem, sceleratum; hæc sanè melius tibi conscio Christiana nobilitate patienter devorare & concoquere fas est. *Matth. 5. v. 15.* Sed & ejusmodi calumnias ulcisci non est prorsus nefas, attamen non tua sententia ac manu, sed judicis. Demens profectò ulsciscendi ratio est, si quis contumelia aut injuria læsus ita se vindicet, ut eidem periculo se subjicere cogatur non minus læsus quàm lædens, utpote monitus hanc rem, paribusque armis instructus. Turcæ & Itali sanè hanc stoliditatem agnoscunt, sed non minori tamen acerbitate ultionem explent, sicarios & percussores iis, à quibus læsi sunt, clàm immittentes. Unde jam suo ævo Innocentius IV. sacris abstentos, & à toto Christiano populo perpetuo diffidatos esse jussit, qui per Assassinos quempiam oppressissent. *C. pro humani. 1. X. de homicid. in 6.* Sicuti enim vocabulum Assassinorum, ita rem ipsam Turcis debemus. Sic autem dicuntur conductitii ad alios interimendos, præcipuè viros principes. Legi de his poterit *Nicetas Choriates initio lib. 2.* è Latinis *Matthæus Parisius in an: 1150. & 1257. Guil. Tyrius lib. 20. C. 31. Iacobus à Vitriaco Histor. Orient. cap. 14.* Rectiùs Gentiles ipsi senserunt, qui partim contemptu, partim patientia, partim

tim Judicis subsidio hac injurias optimè vindicari posse existimant. Quid si me âsinus calcitraret? inquiebat ille. Memorabile ultionis depositæ exemplum extat apud *Valerium Maximum. l. 4. c. 1.* de M. Bibulo, viro amplissimæ dignitatis, & summis honoribus functo, cujus duos egregiæ indolis filios Gabiniani milites occiderant. Hos ad eum vinctos regina Cleopatra ex Ægypto misit, ut gravissimæ cladis ultionem arbitrio suo exigeret: at ille oblato beneficio, quo nullum majus tribui lugenti potuerat, dolorem moderationi cedere coëgit, carnificesque sanguinis sui intactos è vestigio ad Cleopatram reduci jussit, dicendo, potestatem hujus vindictæ non suam, sed senatus esse debere. *Itane*, meritò exclamat hæc historia indigitata *Cornelius à Lapide Jesuita Comment. in epist. ad Rom. c. 12. gentilis princeps privatæ injuriæ ejusq; gravissimæ ultionem resignat senatui & Christianus eandem non resignabit Deo suo?* Pudeat Christianos, se probitate ab ethnicis vinci. Et profectò dolendum est, quòd isti nostrates duellatores non soùm negligant officia humanitatis juriumque naturæ, sed planè non meminerint se Christianos, adeoque ad præcepta & exemplum Christi esse obligatos, à quo tàm sedulò Patientia & Charitas omnibus Christianis est commendata, *Matth. 5. v. 44. seq. Roman. 12. v. 17.* Adde quæ in hanc rem disseruntur uberiùs à *Grotio lib. 1. d. I. B. P. c. 2. n. 8. & c. 3. n. 3.* Quibus regulis spretis si iræ & adfectibus suis indulgeant Christiani, indignos se reddunt, pro quibus Christus infami ligno suspensus sanguinem suum effundi passus sit, dum adeò crudeliter sanguinem humanum sitiunt: indignos, pro quibus Christus sit mortuus, dum tàm truculento more eos obtruncant, sine cura vel propriæ ejusque æternæ salutis, quos diligere, & quibus benefacere à Christo jussi erant. *O Domine*, inquit Ambrosius *lib. 10. in Lucam, cur me emere jubes gladium, qui ferire me prohibes? Cur haberi præcipis, quem vetas promi? nisi fortè ut sit parata defensio, non ultio necessaria*: Hanc morum in Christianis perversitatem eleganti libello exhibuit, Franciscus Ridderus, concionator Roterodamensis, & meliora gentilium exempla cùm aliarum virtutum tùm etiam mansuetudinis *cap. 23.* proposuit, qui hoc anno prodiit sub titulo, **den beschaemden Christen övertügt der het leven van Heydenen.**

LV. Jam

LV. Jam quæso videamus, quæ portenta nobis in hac materia produxerint Theologi Morales, & cumprimis Casuistæ Jesuitæ, & quàm longè illa à Justitia & veritate abeant. Sanctius *in sum. lib. 2. c. 39. n. 7.* ita docet: *Melius alii dicunt, licere innocenti duellum acceptare & offerre ad vitam, honorem, & res familiares in notabili quantitate tuenda, quando constat omninò injustè & per calumniam actorem procedere, & certum est omninò fore, ut hæc innocens amittat, nec aliud sibi evadendi remedium suppetat: atque optimè Bannes ait, licere innocenti in his casibus* acceptare & offerre duellum; *imò & non provocando ad duellum* occidere occultè *actorem illum calumniosum: cùm hæc occisio sit vera defensio. Imò benè Navarra n. 290. ait, teneri innocentem non acceptare duellum, nec indicere, si potest* occultè illum occidendo *id vitæ, honoris, rerum familiarium periculum evadere: quippe sic proprium vitæ periculum in duello imminens vitabit, & peccatum actoris offerentis vel acceptantis duellum.* Navarræ etiam hæc sunt: *Ex sententia omnium licet contumeliosum occidere, quando aliter ea injuria arceri nequit.* Audiamus quoque Lessium: *Si nomini*, inquit, *meo falsis criminationibus apud judicem vel viros honoratos detrahere nitaris, nec ulla ratione possem illud damnum famæ avertere, nisi te occultè interficiam. Petrus Navarra inclinat, licitum esse: & Bannez, addens, idem dicendum, etiamsi crimen sit verum, si tamen est occultum, ita ut secundùm justitiam legalem non possit pandere. Idem tenent quidam recentiores. Probari potest: quia si baculo vel alapa impacta velis meum honorem vel famam violare, possum armis prohibere; ergò etiam si id coneris lingua. Nam parùm videtur referre, quo instrumento quis nitatur inferre noxam, si æquè efficaciter noceat. 2. contumeliæ possunt armis impediri; ergò etiam detractiones. 3. periculum famæ æquiparatur periculo vitæ: atqui ob periculum vitæ evadendum licet occidere.* Adjiciat calculum jam suum Franciscus Amicus, qui ita loquitur *tr. 5. disp. 36. n. 118. Unde licebit Clerico vel Religioso calumniatorem gravia crimina de se vel de sua Religione spargere, minantem occidere, quando alius defendenti modus non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus ea vel ipsi Religioso vel ejus Religioni publicè coram gravissimis viris impingere.* Et infrà: *Quo jure licitum est seculari in tali casu calumniatorem occidere, eo jure videtur Cleri-*

eo ac Religioso; cùm in hoc Religiosus & secularis sint omninò pares: cùm nõ minus jus in talem honorem habeat Clericus & Religiosus, imò majus, quantò major est professio sapientiæ & virtutis, ex qua hic honor Clerico & Religioso progignitur, quàm sit valor & dexteritas armorum, ex qua honor secularis nascitur. Quid Caramuel? Ille Amico ita applaudit in sua *Theol. Fundament. p. 544. Doctrinam Amici solam esse veram, & oppositam improbabilem censemus omnes docti.* Idem *ibid. §. 7. p. 551.* sequentia recitat: *Legisti hanc doctrinam, & inquiris: An homo Religiosus, qui fragilitati cedens fœminam vilem cognovit, quæ honori ducens se prostituisse tanto viro, rem enarrat, & eundem infamat, possit illam occidere? Quid scio? At audivi ab eximio Patre N. S. Thologiæ Doctore magni ingenii & doctrinæ viro: Potuisset Amicus hanc resolutionem omisisse; at semel impressam debet illam tueri, & nos eandem defendere. Doctrina quidem est probabilis, sed qua posset uti Religiosus, & pellicem occidere, ne se infamaret. Tu rem accuratè perpende.* Accedat his Sanchez. *Oper. Mor. in Decal. l. 2. c. 39. n. 7. Melius alii dicunt, licere innocenti duellum ad vitam, honorem, & res familiares in notabili quantitate tuenda, quando constat omninò injustè & per calumniam actorem procedere, & certum omninò est fore, ut innocens hæc amittat, nec aliud sibi evadendi remedium suppetat. Quia si hoc duellum rationem desensionis cum moderamine inculpatæ tutelæ induit, & defensio contra invasorem est licita, & pro vita; & pro honore, & pro rebus etiam tuendis. Et ita hanc sententiam tenent Bannez, Manuel, Navarra, qui meritò rejicit limitationem Cajetani, petentis consensum Principis. Nam defensio jure ipso naturali absque alicujus licentia conceditur. Atque optimè Bannez ait, licere innocenti in his casibus acceptare & offerre duellum ob rationem traditam: imò & non provocando ad duellum, interficere occultè actorem illum calumniosum. Cùm hæc occisio sit vera defensio. Imò bene Navarra ait, teneri innocentem non acceptare duellum, nec indicere, si potest occultè illum occidendo id vitæ, honoris, rerum familiarium periculum evadere. Quippe sic proprium vitæ periculum in duello imminens vitabit, & peccatum actoris offerentis aut acceptantis duellum.* Atque ejus farinæ uberiorem etiam messem in scriptorum istorum fundis metere licet. Ut certè vel hinc commonefacti nonnulli Viri docti, qui omnibus aliis

hos novos Casuistas præferunt, haut temerè illorum placitis subscribant, sed cautè ac sollicitè in iis examinandis versentur. Latent sæpe angues in herba. Rectius sentit Grotius: *Si quid aliquis de nobis dicat, quod creditum apud bonos existimationem nostram delibaret? Hunc quoque occidi posse sunt qui doceant. Mendosè admodum & contra naturæ jus. Nam interfectio ista non est modus aptus ad tuendam existimationem lib. 2. de I. B. P. c. 1. n. 10.*

LVI. Dixi de Injuriis verbalibus. Quid verò si quis reali, puta alapa, aliave atrociori injuria lacessatur, licetne hanc duello ulcisci? Adfirmandum hoc esse videtur juxta tritum illud, **auff eine Maulschelle gehört ein Dolch.** At ex superioribus jam satis liquet, nullam injuriam cuiquam privato ulcisci fas esse, nisi via legitima, & ubi Judicis copia & autoritas suppetit. Adagia verò hujusmodi ex malis moribus nota nullum iis jus conciliare possunt. Objici his potest notabilis glossa Juris Saxon. *in art. 78. lib. 3.* **LandR. Wer dich mit Fäusten schläget/ den soltu nicht mit einem Schwerd niederschlagen/ sondern auch mit Fäusten.** Putat tamen Carpzovius hoc casu homicidæ ordinariam pœnam decerni non posse, sed vel relegationem, vel amputationem manus, plerumque autem fustigationem. *p. 4. Jurispr. for const. 10. def. 5.* Interim & hoc considerandum est, si tali pœna extraordinaria adficitur, qui subitò & è vestigio injuriam realem nece aggressoris ulciscitur, multò gravius facinus, si mora quadam interlabente certus dies aut tempus funesto duello ad ulciscendam injuriam condicatur. Distinguendum itaque erit, sitne illa injuria jam expleta, an verò inferri paretur, seu immineat. Si expleta, v. g. alapa jam impacta est, ulcisci eam non licet nisi per Judicem. De posteriori casu ita disserit Grotius *lib. 2. de I. B. P. c. 1. n. 10. Si cui*, inquit, *periculum immineat accipiendæ alapæ, aut mali similis, huic quoq; jus esse id arcendi cum cæde inimici, sunt qui putant. Ego, si mera Iustitia Expletrix respiciatur, non dissentio. Quanquā enim inæqualia sunt Mors & Alapa; tamen qui me injuria parat adficere, is mihi eo ipso dat jus, hoc est, facultatem quandam moralem adversus se in infinitum, quatenus aliter malum illud à me arcere nequeo. Charitas quoq; per se non videtur nos hic obstringere in gratiam nocentis. At lex Evangelica omninò tale factum illicitum*

red-

reddidit; Jubet enim Christus alapam accipi potiùs, quàm adversario noceatur: quantò magis occidi eum vetat alapæ effugiendæ causa? Post aliquahuc speciatim non pertinentia ita pergit: *Mirum autem est, cùm Dei voluntas in Evangelio tàm disertè appareat, inveniri Theologos, & Christianos Theologos, qui non modò cædem rectè putent admitti, ut alapa vitetur; sed & accepta alapa, si, qui eam impegit, fugiat, ad honorem, ut ajunt recuperandum: quod mihi à ratione & pietate valde alienum videtur. Nam honor est opinio de excellentia. At qui talem fert injuriam, is patientem se excellenter ostendit: atque ideo honorem auget magis, quàm minuit. Nec refert, si quidam corrupto judicio virtutem hanc in probrum confictis nominibus traducant. Perversa enim illa judicia nec rem nec rei æstimationem immutant. Nec Christiani veteres hoc tantùm viderunt, sed & philosophi, qui dixerunt, pusilli esse animi, contumeliam ferre non posse, ut alibi ostendimus.*

LVII. Sed uti aliàs non semel, ita & in hac causa à Jesuitis Casuistis, dum illos incautiùs versavit, se decipi passus est Grotius. Etiamsi enim, legem Evangelicam quod attinet (quæ ipsius frequens est hypothesis) ab illis dissentiat; non tamen reliqua omninò bene se habent. Quippe plusculum concedit, dum existimat, eum, qui me paret injuria adficere, eo ipso mihi jus dare adversus se in infinitum, ejus evertendæ gratia. Nec hoc conveniens est naturæ Justitiæ Expletricis, ut ipse putat. Quia enim Justitia διορθωτικὴ est æqualitas, quæ inter injuriam illatam, aut qualis inferri paratur, & ejus declinationem proportionem servare jubet; eo ipso in infinitum defensionem progredi vetat. Dat scilicet facultatem defendendi, non in infinitum, sed pro injuriæ gravitate; cumprimis ubi Judicii copia ac præsidium non continuè cessat.

LVIII. Quid verò si alapam similem ve injuriam imminentem fuga declinare queam, fugere debeo, an injuriam talem imminentem potiùs nece aggressoris occupare licet? Hac de re ita disserit Grotius *d. l. Hinc etiam liquet, quàm non probandum sit, quod à plerisque (novis puta Casuistis) est traditum, defensionem cum interfectione esse licitam, jure scilicet divino (nam de solo naturæ jure quò minùs ita sit non disputo) etiamsi quis fugere sine periculo possit, quia scilicet fuga ignomi-*

 niosa

niosa sit, in nobili præsertim homine. Atqui nulla hic ignominia est, sed falsa quædam ignominiæ opinio, adspernenda ab omnibus iis, qui virtutem & sapientiam sectantur, Qua in re gaudeo me adsentientem habere inter Jurisconsultos Carolum Molinæum. Quod de alapa & fuga dixi, idem dictum volo de aliis rebus, per quas vera existimatio non læditur. Hactenus bene, quòd fugam potiùs arripiendam esse statuat, quàm ut defensionem tui cum nece aggressoris suscipias, aut injurias ejus evites: malè autem docet, ad hoc nos obligari sola Lege Evangelica, quam fingit, cùm declinationem injuriæ cum interfectione aggressoris licitam esse putet Jure Naturæ, licèt illam avertere fugâ possis. Non enim solùm falsa est hæc ignominiæ opinio, quæ in tali fuga vulgò poni solet, sensu Legis Evangelicæ, sed etiam Juris Naturæ, quod ignominiam nemini imputat, nisi propter vitium. Tali verò casu fugere, non solùm vitium non est, sed moderatio Prudentiæ circa iram cohibendam, & temperandam defensionem.

LIX. Quod si denuò hic Jesuitarum dogmata repetere liberet, pius animus non posset non exhorrescere, tàm illa sunt insulsa, impia, absurda. Adeat, cui volupe est compendio ista cognoscere, Ludovici Montaltii *Epist. VII.* & quæ nos in subjecto Examine nostro Probabilitatis Jesuiticæ *cap. 9.* ex variis Doctoribus congessimus. Unum tantùm commemorabo ex *Escob. Tr. 1. ex 7. n. 45.* ubi quæstione tali proposita, An post impactam alapam percussorem fugientem insequi & interimere liceat? liceret ait, hac ratione addita: *Annon alapa percussus censetur tamdiu honore privatus, quamdiu adversarium non interimit?* Imò ut fuga se quis defendat, multis etiam JCtis, qui alioqui non sunt πονηρȣ̃ κόμματος, ceu ignominiosum fuit visum: quos inter nollem etiam esset *Perez. ad tit. C. quand. lic. unic. sine jud. se vind. n. 4.* Cui tamen rectè contradicit *Brunnem. ad l. 2. & 3. C. ad l. Corn. de sicar.* Uti enim verum est, non obligari quempiam ad fugam cum periculo conjunctam; *vid. th. 22. supr.* ita perinde non obligari ad fugam, propter solam fallacem ignominiæ opinionem falsissimum est. *Carpzov. p. 1. pract. crim. q. 30. n. 25. seq.* ubi egregiè nostram sententiam confirmat, & dubitationibus objectis occurrit. *Busius in l. 5. ff. ad l. Aquil. n. 7.* Non possum, quin hic inseram quædam de moribus Sinesium

nesium hanc ad rem pertinentibus, quos describit Johannes Neuhoff der Ostindischen Compagnie Gesandschafft an den Tartarischen Cham und nunmehr auch Sinischen Käyser Hoffmeister/ in der allgemeinen Reisebeschreibung des Reichs Sina/ *cap. 1. pag. m. 243.* his verbis: Niemand mag in den Sinischen Städten Wehr und Waffen tragen/ auch weder die Soldaten und Kriegs-Obersten selbst/ noch die Gelahrten (so höher dann jene) es sey dann daß sie Munsterung halten/ oder im Gewehr sich üben/ oder zu Felde ziehen; wiewol einige Adeliche Persohnen mit Gewehr die Regenten comitiren. So hat auch niemand innerhalb Hauses ein Gewehr/ ohn zuweilen einen rustigen Dolch/ welchen man wieder die Strassenräuber auff öffentlichen Wegen gebraucht. So überauß hefftig erschrecken und fliehen die Sineser vor gewapneten Leuten. Dannenhero selten ein Streit und Tumult entstehet/ der nicht mit Fäusten geschlichtet wird. Wie dann auch kein Sineser so blutdürstig ist/ daß er die ihm zugefügte Unbillichkeit mit dem Tod zu rächen suchet/ und wird der jenige/ so dem andern weichet und ihn nicht zu verletzen begehret/ als ein fürsichtiger und tapffrer Mensch gelobet. Barbariem nostrates duellatores hanc animi æquitatem interpretabuntur, non agnita sua barbarie.

LX. Cumprimis autem verissimæ huic sententiæ obniti videtur *Art. 140. Const. Crim. Carol.* cui ut tantò commodiùs satisfiat, ipsa ejus verba proponemus: So einer jemand mit einem tödtlichen Waffen/ oder Wehr überläufft/ anficht oder schlägt/ und der Benöhtigte kan füglich ohn Fährligkeit oder Verletzung seines Leibes/ Lebens/ Ehr und guten Leumuhts nicht entweichen/ der mag sein Leib und Leben/ ohn alle Straff/ durch eine rechte Gegenwehr retten. Huic sanctioni innixi multi pertendunt, non obligari quempiam ad capessendam fugam, si hinc ex opinione vulgi fugienti aliquod dedecus sit exstiturum, etiamsi arrepta tutò fuga periculum omne evitare potuisset; imò nihil hunc peccare, qui tali fuga omissa aggressorem sive vim aut injuriam parantem obtruncet. Parificari enim ajunt, non posse absolutè recedere, & posse, sed non nisi cum dedecore, recedere, *Ludov. Gilhaus. arbor. Iud. crimin. cap. 2. tit. 12. num. 26.*

Cui etiam ſuffragari videtur *Dion. Gothofr. ad l. 10. ff. ex quib. cauſ. Maj.* At hoc *l. 10.* malè cum præſenti cauſa, utpote multum diſpari confertur. Cùm enim JCtus *l. 9. d. t.* dixiſſet etiam ei per reſtitutionem in integrum ſuccurri, qui in vinculis fuiſſet; ſubjicit Ulpianus *l. 10.* in vinculis etiam eos accipi, qui ita alligati ſunt, ut ſine dedecore in publico parere non poſſint. Quis non videt, æquitatis ratione placuiſſe, ut qui ſine dedecore in publico non poſſit comparere in vinculis hactenus detineri credendum eſſe, ut ei per reſtitutionem ſubveniatur, non autem, ut ea propter quidvis illi vel committere vel omittere, occidere etiam hominem amiſſa fuga fas ſit, quam arripere potuiſſet atque debuiſſet, ne occcideret. Et quoque omninò eſt ἀπροσδιόνυσον, quod porrò addit Dionyſius, Impoſſibilia cenſeri, quæ non niſi cum dedecore fieri poſſunt. Hoc enim uti veriſſimum eſt de iis factis, quæ cum morali turpitudine conjuncta ſunt; ita malè idem adfirmaveris de iis, quibus errore vulgi dedecus tribui fortè ſolet, cùm potiùs laudem mereantur ceu rectè & prudenter facta. De prioris generis loquitur ab illo citata *l. 15. ff. de condit. inſtit.* non autem de poſterioris generis rebus. Itaque cùm fuga talis, de qua diximus, ad hoc, non ad prius genus pertineat, neque impoſſibilis, neque dedecoris alicujus labem adſperſam habere conſenda eſt. Imò ſi hæc mens fuit eorum: qui hanc Conſtitutionem memoratis verbis contexuerunt, quam hinc à multis colligi & defendi jam diximus, moresque gentis noſtræ admodum veriſimiliter arguunt; non dubito illam in foro conſcientiæ hactenus iniquam & intolerabilem pronunciare. Quem ſcopulum ut effugiant alii JCti, qui noſtram eamque veram ſententiam amplexi ſunt, aliis atque aliis adſertis interpretationibus illi opitulari ſtudent. Carpzovius verba memoratæ ſanctionis intelligenda eſſe ait de iis, qui ratione poteſtatis, datæ fidei, & ex ſpeciali obligatione vel adfectione alteri periclitanti ſuccurrere obſtricti ſunt: Qualis eſt ſervus, cui turpe fuerit, ſi dominum ſuum in periculo conſtitutum deſerat: Vaſallus, ſi dominum periclitantem non juvet: & alii, qui proximo in diſcrimine non ſubveniunt, ſed cum dedecore fugiunt. *p. 1. pract. crim. qu. 30. n. 62.* Hunc ſequitur Frantzkius *lib. 2. Reſol. qu. 23. n. 29. ſeqq.* Henricus Bocerus putat, illam Conſtitutionem locum habere in marito & parente adulterum & ſtu-

stupratorem ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehendentibus, eorumque vim turpiter fugientibus. *l. 2. de duello. l. 10. n. 54.* Quod commentum etiam placet Bernh. Græveo. Zieritzius in suo ad Nemesim Carolinam commentario existimat, illa verba conjunctim esse accipienda, ut tum demum occupare necem aggressoris liceat, si periculum ab illo imminens tutò effugere nequeam neque sine periculo vitæ, neque sine periculo læsionis in corpore, neque sine læsione existimationis: in quam sententiam etiam propendere videtur *Matth. Stephani ad d. art.* Struvius *dissert. de vindicta privat. th. 27.* ait, illa, quæ de læsione famæ memorantur, esse intelligenda de summo dedecore, quod quis fugiendo sibi ipsi inureret; neque enim tum, pro defensione famæ occidi invadentem, sed pro defensione vitæ, quam resistendo eo casu defensor legitimè susceperit. Gilhausen *ad d. art. 140.* ita scribit: Licèt vulgò Dd. existiment, fugæ necessitatem nemini imponi, eò quòd non solùm ignominiosa, sed etiam periculosa sit. Eam tamen opinionem, non aliter æquitati & pietati consentaneam esse cum quibusdam censuerim, quàm si provocatus in dubio vitæ discrimine constitutus fuerit, ita ut fugâ saluti suæ citra periculum rectè consulere non potuerit. Alii hujus textus antecedentia & consequentia inter se comparantes observant, præmitti quidem tria, si quis fugere nequeat salva vita, incolumitate corporis, fama & existimatione: deinde verò repeti tantùm duo, incolumitatem corporis & vitæ, **der mag sein Leib und Leben ohne alle Straffe durch eine rechte Gegenwehr retten:** Atque hinc colligunt, Legislatorem illam demum cædem impunem esse velle, quæ corporis aut vitæ defendendæ gratia suscipitur: non autem illam planè impunem fore, quæ fit, cum honoris & existimationis periculo ex vulgari solùm opinione pendente, quis occidere, quàm fugere maluit, cùm tamen tutò, hoc est, salva incolumitate corporis & vitæ fugere potuisset. Quæ explicatio uti vero est consentanea, modò ea circa defensionem corporis attendantur, quæ suprà fuerunt proposita th. 24. ita omnium est optima. Unam enim alteramque è superioribus nimis anxiè quæsitam esse quis non videt? Ratum ergo esto, quod, si tutò quis periculum vel injuriam imminentem effugere possit, omnino obligetur ad fugam arripiendam, neque hac amissa occidere impunè aggressorem potest: quod affatim

de-

demonstravit unus instar omnium JCtus Frantzkius *Exerc. 12. qu. 6.* cui peregregiam de iniquitate duellorum digressionem attexuit.

LXI. Hæc licèt ita sint, dubito tamen, an Nobilium ordo aliive his sint adsensuri: Ut enim quisque est generosior, ita animi magnitudine præcellit, quæ, injurias ut ferat, nescire videtur. Distinguunt etiam nonnulli inter nationes fortitudine præstantes & timiditate famosas. Lepidus sanè est Bartolus *ad l. 3. ff. de Inst. & Iur.* Cujus hæc verba recitat Damhond. *prax. crim. c. 76. n. 9. si tu es Perusinus, famam ac dedecus metuens, ad actum usque occisionis procedere potes, quod summum sit dedecus Perusino magnanimo & generoso, turpiter adversario invadenti cedere. Sed ille, cui nulla est gloria, nominis ac honoris ratio, qualis est Florentinus, & commodè fugere potest, neglecta nominis gloria; certè modis omnibus fugere tenetur, & si non fugit punitionis crimen incurrit.* Hoc scilicet Bartolus amori suo dedisse videtur, quòd Perusii diu docuerit, ibique uxorem duxerit, & odio fortè cuidam adversus Florentinos: quibus gravis causa esset ab omnipotentia Papæ contendendi, ut hæc verba per Indicem Expurgatorium Bartoli operibus eximantur. Ille verò deinceps mutavit sententiam, & missa hac distinctione, statuit, nullum teneri fugere, cujuscunque etiam conditionis sit. Quæ sanè sententia impia est & prorsus injusta: ceu abundè demonstratum est à Franzkio *d. l.* Ut verò Nobilibus tantò magis satisfiat, pauca de ipsa Nobilitate præmittemus. Vel enim illa nititur Virtute in genere, in qua unicè Nobilitatem reponit Poëta Satyricus: *Nobilitas sola est atque unica virtus.* Vel speciatim in Fortitudine: Vel in antiquis natalibus & divitiis. Si quis igitur fit Virtute nobilis, is sanè erit Magnanimus, adeóque verè bonus, qui præter modum & rationem nemini nocere cupiet, sed potiùs injurias leves comtemnet, graviores ad Judicem deferet. Audite generosum nobilemque Philosophum Aristotelem: *Magnanimus vir in honoribus & ignominiis maximè spectatur.* Circa posterius objectum quo modo se gerat, ita explicat: *Ignominiam atque infamiam contemnet, quia in eum jure cadere non possunt. 4. Nicom. 3. §. 33. & 37.* En veram philosophiam, & homini generoso convenientem, si quis Nobilitatem rebus in bello præclarè gestis meruerit, & in posteros eam transtulerit (fortes enim creantur fortibus;)

is

is si verè sit fortis, etiam erit prudens. Si enim cujuslibet Virtutis actiones Prudentia debito modo, & ad debitum finem dirigit, absque dubio & hoc locum habebit in actionibus Fortitudinis. Sicuti igitur Prudens non est, qui neglecto Judice, privatam vindictam arripit, qui, spreta Patientiæ & Charitatis tam sedulò ac seriò Christianis factâ commendatione, quaslibet injurias ferro & nece illata ulcisci parat, ita nec verè fortis est, nec suæ nobilitati convenienter agit. Quippe verè fortis quomodo actiones suas moderetur, idem docet Philosophus peregregiè, *9. Nicom. 8 sub. fin. Negligit*, inquit, *ille opes, honores, cæteraq; bona vulgò magna contentione quæri solita.* Ostenditque mox, illum pro patria & amicis libenter mortem oppetere, & malle unum annum honestè vivere quàm multos τυχόντως: sed omnia hæc facturum virum fortem ait solius Honestatis studio, & ad hanc cynosuram omnes suas actiones relaturum esse. Cùm igitur illa ambitiosa quorundam Nobilium duella germanæ prudentiæ regulis, imò divinis naturæ & civilibus legibus repugnent, vera fortitudo in illis nulla est. Et verò cùm plerique Europæi Nobiles generis sui dignitatem à virtute bellica nacti sint, non profectò his duellis, sed justis, si ita visum fuerit, bellis prudenter & verè fortiter, sine conscientiæ morsu aut æternæ salutis dispendio eam optimè tuebuntur & ornabunt. Bene Martialis:

Nolo virum facili redimit qui sanguine famam:
Hunc volo laudari, qui sine morte potest.

Atque istis, quas dixi, legibus æquè necessario nexu obstricti sunt Nobiles, ac quivis alii homines vel subditi, sic ut nulli vel ordini vel homini Deus hic quandam prærogativam indulgere voluerit. *Frantzk. d. Exer. 12. n. 11. seq.*

LXII. Apage ergò improba Jesuitarum novorumque Casuistarum placita, omni jure damnata. Ita enim Casp. Hartado apud Dianam *part. 5. tr. 14. resol. 99. Pone hominem nobilem ab alio provocari ad duellum, qui si illud recusat, non censebitur illud recusare propter legem Dei, sed propter timiditatem; quia non bene audit de observatione legis, quia se facilè projicit in alia peccata: vel certè alia ex causa consebitur timidus, & ab aliis despicietur, apud quos semper erit inglorius, ex quo non*

levia damna & incommoda sequerentur. Est igitur quæstio, utrùm in hoc casu possit provocatus exire in locum condictum, non cum absoluta voluntate pugnandi, sed cum conditionata, si à provocatore priùs petatur injustè. Provocati autem absoluta voluntas est, tueri opinionem viri fortis, & depellere infamiam timiditatis: quæ objecta per se sunt honesta necessaria vito nobili ad degendam vitam decore inter suos, præcipuè militi, qui ab exercitu censebitur Gallina & non Vir: media autem quæ elegit ad hunc finem sunt indifferentia ad bonum & malum: nempe egredi, in agrum, & in eo deambulare, quæ media honestantur ab eo fine: hac absolutè vult provocatus, pugnare autem non vult. Si ab alio petatur injustè, vult sub ea conditione se inculpatè tueri, si alia ratione commodè non possit: in hac occasione videtur provocatus minimè peccare, neque acceptare duellum: quia acceptatio duelli est voluntas deliberata sui absoluta, qua homo iste caret. Quæso quos ille ludos facit, quas præstigias? Latet hic scilicet specimen Methodi dirigendæ intentionis, ad eversionem Justi & Honesti à Jesuitis excogitatæ: de qua festivè disserentem vide *Ludov. Montaltium epist. 7.* Laymanni hæc sunt *l. 3. part. 3. c. 3. n. 2. Si rarissimo casu res sita sit, ut miles in exercitu, vir equestris in aula regia, officio, dignitate, Ducis aut Principis favore ob ignaviæ suspicionem excidere debeat; non audeo damnare eum, qui meræ defensionis gratia duellum susceperit.* Et quid si ipsi Principes quandoque calcar iis addiderint, qui ad generum Cereris acriter per se properant, probrosis directeriis non planè incognitis, wir wollen keine Bernhäuter an unserm Hofe haben. Sed de his infrà.

LXIII. Nullo etiam jure iis, qui militant, & vel in castris aut stativis, aut præsidio aut in expeditione sunt, Duellis congredi fas est. Quo enim major armorum est abusus, eò graviori pœna is est compescendus. At verò quî possit miles pejus suis armis abuti, quàm si vel se confodiendum offerat in duello, aut ipse suum commilitonem obtruncet, idque faciat tempore tàm necessario, quo minimè Respublica potest orbari aut spoliari aliquo membro, & præstò sint hostes in quos & fortitudinem, si quam habet, & fortitudinis cotem iram justè laxare queat. Si miles sine mandato excurrat in hostem, illum obtruncet, aut aliàs rem bene gerat, capital est; quò igitur severiùs illi fuerint punien-

niendi, qui sine mandato non solùm, sed legibus militaribus & Ducibus Judicibusque spretis in suos commilitones sæviunt! Modestinus *l. 3. §. 15. ff. de re milit. In bello qui rem à Duce prohibitam fecit, aut mandata non servavit, capite punitur, etiamsi res bene cesserit. Itaque Salustius ubi Romanam disciplinam describit, In bello*, inquit, *sæpiùs vindicatum in eos, qui contra imperium. in hostem pugnaverant, quiq; tardiùs revocati prælio excesserant.* Nota est severa Manlii Torquati disciplina, qui filium lictoris manu occidi jussit, quòd injussu imperatoris hostem adortus oppressisset. Hinc Laco quidam cum hosti imminens audito receptus signo ictum repressisset, scitam hanc rationem protulit, ὅτι βέλτιόν ἐστι τοῦ φονεύειν τὸ πείθεσθαι τῷ ἄρχοντι, *quia duci parere satius est, quàm hostem occidere 3. de* Grotius. *I. B. P. cap. 18. n. 1. Si quis commilitonem vulneravit, siquidem lapide, militia rejicitur: si gladio, capital admittit*; inquit JCtus *l. 6. §. 6 ff. de re milit.* C. Marium [at quantum Imperatorem!] cùm Pompejus filo superbè provocaret, diceretque, si magus es Imperator, Mari, descende in certamen. Imò tu, inquit Marius, si magnus es Imperator, coge me vel invitum decertare. Ita vir ille fortissimus inimici injurias & provocationem contemptu repressit *Plutarch. Apopht.* sed & aliarum gentium legibus duella severè militibus sunt prohibita. Es soll ein jeder sich gegen dem andern muhtwilligen Balgens enthalen. *Maxil. 2.* Articelsbrieff *art. 29. seqq. & art. 40.* Ein Soldat/ der den andern / ohn Erlaubnüß dessen/ welcher im Quartier das commando hat/ außfodert / soll am Leben gestraffet werden. Der Corporal oder andere/ die über die Wacht zu commendiren haben/ wann sie zweene Soldaten lassen hinauß gehen / sich zu balgen/ sollen ohne Gnade am Leben gestrafft werden. Hollandisch Kriegsrecht *artic. 42. & 43. & ibi Pappus.* Welcher Officirer / Reuter und Fußknecht in Vestungen oder Lägern sein Gewehr nicht zu seiner Noht- und Gegenwehr/ sondern vielmehr zu offendirung außzeucht / entblösset und zucket/ der sol mit unnachlässiger Leib- und Lebens-Straf belegt werden. Schwedisch Articul-Brieff *tit. 5 art. 35.* Im Läger / Städten und Verstungen soll kein Rauffen oder Balgen verstattet und zugelassen / sondern da einiger Zwiespalt unter

den Soldaten vorfällt / durch des Regiments-Gerichte entschieden werden/ꝛc. Liessen aber Capitain/ Leutenant und Corporalen solches zu und verhinderten es nicht mit allem Ernst/ die sollen von ihren ämptern abgesetzet/ und ihnen auffs neue vor gemeine Soldaten zu dienen aufferleget werden/ auch da Schaden darauß erfolget/ nebenst den Verbrechern vor dem Regiment-Gerichte davor antworten/ und dessen Entscheid erwarten. *tit. 14. art. 67.* Rectissimè etiam hac in causa sapiunt Turcæ, quorum de Duellis militum sententiam operæ pretium est cognoscere ex Busbequii *Epistola 3. Facta paulò suprà rerum in confiniis Hungariæ gestarum mentio, me admonet, ut exponam, quid Turcæ sentiant de Monomachia, unico apud nos præclaræ fortitudinis testimonio. Fuit in regione Hungariæ, nobis contermina, magna virium fama Singianus Arslambegus. Nemo eo validiùs intendebat arcum: nullius ferrum altiùs penetrabat, neque hostibus erat formidolosius. Huic se æmulum comparaverat Velibegus ejusdem laudis affectator, finitimorum locorum & ipse Singianus: æmulatio fortè aliis rebus aucta, ad summum odium, insidias: & vulnera processit. Hac an alia de causa arcessitus Constantinopolim Velibegus, mihi incompertum; venit certè. Ex quo cùm alia multa quæsivissent in Divano Bassæ, postremo de dissidio ipsius cum Arslambego audire voluerunt. Tum prolixè recitavit totam illarum simultatum scenam, causas, progressum, & quò denique evasissent, & ut causam suam faceret meliorem, subjunxit, se ex insidiis ab Arslambego vulneratum: quibus nihil fuisset opus, si se dignum suo nomine Arslambegus præstare voluisset, quandoquidem ipse pugnam cum eo nunquam subterfugisset, ut quem ad singularem pugnam multoties provocasset. Hoc Bassæ aversantes, Tunc commilitioni tuo singulare certamen denunciare ausus es? Deerant quippe Christiani, in quos pugnares. Vivit uterque vestrum pane nostri Imperatoris: nihilominus inter vos de vita decernere parabatis; quo jure, quonam exemplo? An ignorabatis utercunque vestrum cecidisset, Imperatoris damno casurum? Quo dicto duci eum in carcerem jusserunt, in quo multis mensibus maceratus, vix tandem liberatus est, existimatione valde deminuta. Apud nos multi hoste publico nunquam conspecto, quod in civem aut contubernalem strinxerunt ferrum, clari & memorabiles habentur. Quid iis moribus*

bus

bus facias, ubi virtutis locum vitia occupant: & quod pœnam meretur, gloriæ & honori vertitur? Hæc ille. Vos Duellatores, arrigite aures, & probè hæc ex tripode dicta expendite, & tandem à barbaris barbariem exuere discite. Aut certè si tanta dimicandi prurigine stimulamini, desuntne Turcæ, in quos pugnetis? Hic Rhodus, hic saltus. Exemplum quæso capite, vobis quod ex usu sit. *Erant*, inquit Cæsar *5. de bell. Gall. in legione fortissimi viri centuriones, qui jam primis ordinibus appropinquarent, T. Pulfio, & L. Varenus. Ii perpetuas controversias inter se habebant, uter alteri anteferretur, omnibusq; annis de loco summis simultatibus contendebant. Ex iis Pulfio, cùm acerrimè ad munitiones pugnaretur, Quid dubitas, inquit, Varene? aut quem locum probandæ virtutis tuæ exspectas? hic dies, hic dies de nostris controversiis judicabit. Hæc cùm dixisset, procedit extra munitiones; &, quæ pars hostium confertissima visa est, in eam irrumpit. Ne Varenus quidem tum vallo sese continet, sed omnium veritus existimationem subsequitur, mediocri spatio relicto. Pulfio pilum in hostes mittit, atque unum ex multitudine procurrentem transjicit: quo percusso, & exanimato, hunc scutis protegunt hostes, & in illum universi tela conjiciunt, neque dant regrediendi facultatem. Transfigitur scutum Pulfioni, & verutum in balteo defigitur. Avertit hic casus vaginam, & gladium educere conantis dextram moratur manum, impeditumq; hostes circumsistunt. Succurrit inimicus illi Varenus, & laboranti subvenit. Ad hunc se confestim à Pulfione omnis multitudo convertit: illum veruto transfixum arbitrantur. Illic verò occursat ocyus gladio, cominusq; rem gerit Varenus: atque uno interfecto reliquos paulùm propellit. Dum cupidiùs instat, in locum inferiorem dejectus concidit. Huic rursus circumvento fert subsidium Pulfio: atque ambo incolumes, compluribus interfectis, summa cum laude sese intra munitiones recipiunt. Sic fortuna in contentione & certamine utrumque versavit, ut alter alteri inimicus auxilio salutiq; esset; neque dijudicari posset, uter utri virtute anteferendus videretur.* Agite, Duellatores, contra Turcam experimini, & pari æmulatione vestras simultates animosque placate.

LXIV. Sed quid dicam de Studiosorum in Academiis duellis, quorum ut sæpe est summa temeritas & ferocia, ita tristissimus exitus.

tus. Causas si videas, quibus ita exasperentur, sunt illæ adeò plerumque frivolæ, ut satius foret de tribus contendere capellis. Vel enim helluoni non æqua potus mensurâ aut numero, aut non æquè diu respondetur: vel caput non aperuit commilito, nec salutavit alterum, quem sæpe nec vidit: vel non satis demissè erga veteranos cristatosve hoc officio defunctus est: vel spartacus aliquis arte aut viribus præfisus aliis insultat: vel Pamphilus æstuat, quòd Niceratus heri Chrysidem habuerit: vel quòd rivalis cum Clycerio choream duxerit in nuptiis; vel quòd crapula jam gravis aut artis imperitus præproperè alterum saltu præverterit: vel quòd intempestivè alterum monuerit, cive oblocutus sit, quòd acerbiùs disputantem oppugnaverit: quòd de suo cive, aut amico combibone parùm honorificè locutus sit: quòd in via proclamaverit museum præteriens: quòd clamanti alius occlamaverit: quòd se quis æmulum in vestitu aliave re ostenderit: quòd coram Lesbiæ foribus fidibus cantaverit: quòd illi è fenestra prospicienti vultu abblanditus, eamque μετὰ πολλῆς φαντασίας veneratus sit: & sexcentæ aliæ Siculæ gerræ, de quibus calidissimè inter illos contenditur. Nemo, puto, melius horum duellorum immanitatem ac vesaniam explicabit, magisque detestabitur, quàm infelices illi Parentes, quorum Filii virtutis & humanitatis causa ad Academias ablegati, inhumano more occubuerunt, eorumque non solùm naturalem sed & spiritualem (eheu) interitum insolabiliter deflent.

LXV. Fateor equidem quòd non æquè fervidè semper congrediantur, quòd modò cæsim, modò punctim digladientur. Scio etiam, nullam esse aut fore Academiam, quæ non facinus legibus inhibeat, & pœnis delinquentes adficiat. Prius verò quod attinet, tantò minùs juvenilis ille fervor est contemnendus, quô magis illa ætas suis affectibus & temeritati obnoxia est, & quò majori rerum talium imperitia laborat. Satis, proh dolor! multa tragica exempla extant, Studiosos duellis commissos purpuream evomuisse animam. Et si cæsim fiat dimicatio, non tamen omne, nec semper etiam vitæ ab illa abest periculum. O miseros illos, qui tum demum cogitant quàm improbum inconsultumque facinus susceperint, ubi lethali vulnere expulsa animula in extimis oberrat labris, anxia, quæ sit abitura in loca! Miserrimos illos, quibus

bus ne tantillum ſpatii ſupereſt, ſed, ſubtrahente ſuam gratiam juſtè indignante Numine, protinus concidunt, & in mortali ſuo peccato vindictæ virulentiam adhuc ore ſpirantes occumbunt! Leges verò, quibus illos conflictus reprimere ſatagunt in Academiis, impetus juvenilis, veluti aranearum telas veſpæ, perfringit, & ſæpe cùm leges tum Judicem ferociores vix unius æſtimant aſſis, vanam gloriolam ſuam & apud commilitones exiſtimationem ſalute & temporali & æterna pretioſiorem imprudentiſſimè reputantes, ſpemque impunitatis in illorum quandoque præſidio ponentes, qui pietatis vel officii ratione commonefacti juſta indignatione hoc inveteratum malum perſequi & ſtirpitus evellere debebant. Aliis igitur & quidem ſeverioribus remediis opus eſt, quibus hæc peſtis exſcindatur. Duo quippe inprimis carcinomata nonnullas Germaniæ Academias infeſtaverunt, Pennaliſmus qui dicitur, & Duellum. Pennaliſmum per Dei gratiam tandem ex illis profligavit juſtiſſimus Principum zelus: quo utinam, iterumque utinam etiam illi accendantur ad exſtirpanda penitus duella, eaque non ſolùm ex Academiis, ſed conjunctis animis ſtudiiſque ex univerſo orbe Chriſtiano exterminanda. Hoc enim Duellorum horum atrocitas & maniſeſtisſima injuſtitia meretur, atque hoc officium à ſuis in terra Vicariis & Judicibus exigit Rex Regum & Dominus dominantium, qui aliàs non poteſt inultam relinquere funeſtam illam ſanguinis humani effuſionem, ſed eam per civiles motus & Turcarum Tartarorumque aliorumque diram crudelitatem vindicabit. Perquam gravis eſt textus *Numer. 35. v. 31. ſeqq. Non accipietis pretium ab eo, qui eſt reus ſanguinis: ſtatim & ipſe morietur. Ne polluatis terram habitationis veſtræ, quæ inſontium cruore maculatur: nec aliter expiari poteſt, niſi per ejus ſanguinem, qui alterius ſanguinem fuderit.* Geneſeos *c. 4. v. 10.* Deus ait Caino: *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Et *Apocal. 6. v. 10.* inquit Apoſtolus, animas interemptorum clamaſſe voce magna: *Vsquequo, Domine, non judicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis qui habitant in terra.* Imò ſignum jam ſublatum eſt ab Illuſtrisſimis Ordinum Imperii Legatis in Comitiis Ratisbonenſibus, ut bene ſperare liceat. Cùm enim hactenus nulla lege univerſali in magna Rep. Germanica duella fuerint vetita, & tantùm Principes quidam ſuæ ditionis

ſub-

subditis Edictis propositis iis interdixerint, quæ inter eminet Serenifs. Ducis Saxo-Gothani, consilio & calamo summi JCti Frantzkii procul dubio contextum; jam tandem universale Edictum Ratisbonæ conditum, & à S. Cæs. Majestate approbatum est, quo nulli non hominum ordines à duellis prorsus abstinere jubentur, gravibus pœnis in delinquentes sancitis: ut adeò nihil præterea desiderari possit, quàm ejus promulgatio, & observantia, vel, hac defectura, parata in quosvis ἄνευ προσωποληψίας legitimæ pœnæ exsecutio.

LXVI. Etsi autem ex iis, quæ hactenus proposita sunt, rationibus nemini non de inhumanitate & injustitia Duellorum non necessariorum abunde constare possit, nisi quem fugiat omnis ratio jurisque notio, ut tamen etiam simplicioribus ingeniis consulatur, & præcipua argumenta uno quasi fasciculo collecta conspectui cujusvis subjiciantur, more Academico illa dilucidè concinnabimus. Quidquid adversatur Dei præceptis, illud est detestabile peccatum: Duella, de quibus proximè disseruimus, adversantur Dei præceptis, E. illa sunt detestabilia peccata. De Propositione non laboro, Minorem quod attinet, notum est illud Dei præceptum, *Non occides*: & illud, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: & illud Christi, Ego dico & edico vobis, *diligite inimicos vestros, benedicite eis qui exsecrantur vos, benefacite iis qui oderunt vos, & orate pro iis, qui vobis sunt infensi, & vos persequuntur. Matt. 5. v. 44. seq.* Et illud, *Ne obsistite improbo; sed qui te cædet in dexterā tuam maxillam, obverte ei & alteram. Matth. 5. v. 39.* Hæc igitur præcepta partim cohibent prohibentque cruentum homicidii furorem & desiderium, partim proximi amorem, partim patientiam commendant, ac severè inculcant; sic enim ait Magister noster optimus *Matth. 5. v. 45. Vt sitis filii Patris illius, qui est in cœlis* His verò omnibus cùm repugnent hæc Duella, non potest non hinc sequi, ut Duellatores Cyclopici desinant esse filii Dei, & incipiant esse filii ac soldurii Diaboli. Nemo, quæso, ringatur hæc legens, aut vel dentibus vel gladiis concrepet. Hæc quippe tela ex ipsius Veritatis pharetra sunt deprompta, quæ nec à confertissimo duellatorum globo elidi possunt. Ecce enim, si adhuc quid dubitationis superest, idem alio adhuc argumento evincam: Quicunque facit opera Diaboli, ille est filius Diaboli,

boli, Atqui postremi generis Duellatores faciunt opera Diaboli, E. illi sunt filii Diaboli. Majorem suppeditavit ipse Christus: *Iohan. 8. v. 44. Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere; illa homicida erat ab initio.* Minor ex superioribus probatur. Quidquid directè repugnat Legibus & præceptis divinis, illud non potest non esse opus improbum Diaboli: Hæc Duella repugnant Dei præceptis, E. non possunt non esse opera Diaboli.

LXVII. Pergo idem demonstrare. Quidquid Legibus naturæ adversatur, illud sua natura est improbum & damnandum: Hæc Duella Legibus naturæ adversantur. E. sua natura sunt improba & damnanda. Minorem confirmo ex *l. 3. ff. de I. & I.* ubi dicitur, Communem esse cognationem inter homines, adeoque hominem homini insidiari nefas esse. Deinde Juris Naturæ hæc etiam à JCtis inculcantur præcepta. Honestè vivere, Neminem lædere, suum cuique tribuere. *l. 10. ff. eod.* Probo idem aliâ etiam ratione: Quidquid suâ naturâ perturbat & evertit societatem humanam & civilem, illud est contra Jus naturæ: Hæc Duella suâ naturâ perturbant & evertunt societatem humanam & civilem, E. illa sunt contra jus Naturæ. Majorem ita declaro: Quidquid per se ad conservationem societatis naturalis facit, illud est Juris naturæ in illa societate: E contrario, Quidquid societatem destruit & suâ naturâ labefactat, illud est contra Jus Naturæ illius societatis. Si jam scire desideras, quid conservet aut destruat societatem naturalem, finem cujusque inspice. Finis verò societatis humanæ civilis est, ut tutò feliciter ac tanquillè sociati homines vivant: Huic verò fini profectò multis modis hæc Duella obluctantur, eumque destruunt. Nam ne ad alia exempla properem, nonne experientia confirmat, si qua Academia præ aliis duellorum frequentia & atrocitate infamis sit, nonnè boni quique formidant illam adire, aut eò suos mittere? sed non solùm labefactant Duella hanc societatem, ab instituto hominum natam, sed ipsas illas, quas Natura condidit, Ecquis enim cum illo in una domo, aut civitate vivere, ac familiari consuetudine uti velit, qui truculentum gestat sub pectore lupum, quique more calcitrosi equi omnes ferire, imò opprimere, pro ludo habeat? L. insto porrò: Quidquid Judiciorum ordinem pervertit,

tit, eique maximè contrarium est, illud Deo & Naturæ inimicum & exosum est: Atqui postremi generis Duella (de reliquis enim speciebus sigillatim dixi) Judiciorum ordinem pervertunt, eique maximè contraria sunt, E. hæc Duella Deo & Naturæ inimica & exosa sunt. Utriusque propositionis veritatem facilè licet colligere ex iis, quæ fundamenti loco initio hujus Dissertationis jacta sunt. Ipse enim spiritus sanctus *in ep. ad Roman. c. 13.* Magistratus & Judicia *Dei ordinem* appellat, dicitque, quotquot hic obluctati fuerint, illos se Deo ejusque *διαταγῇ ordinationi* opponere. Natura quoque Civilis societatis omninò postulat, ut in ea sint Judicia, eorundemque integra sit & intemerata autoritas. Quòd verò Duellatores illum ordinem pervertant, tam est manifestum, ut, cùm rerum testimonia adsint, nihil opus sit verbis. Ubi enim locum habet Judicium, ibi cessat bellum: at ubi bellum est, ibi cessat Judicium. Duellatores verò, dum hoc agunt, & duellis inter se decertant, ubi judicis copia foret; bellum revera gerunt, & ita Judice spreto ac prætérito, sibi in sua causa jus armis dicunt, suasque injurias privata autoritate vindicant: id quod profectò est ordinem Judiciorum pervertere.

LXVIII. Idem urgeo adhuc alia ratione: Quicunque lædit & divinam & humanam Majestatem, is gravissimi criminis reus est: Atqui Duellatores hi lædunt & divinam & humanam Majestatem, E. hi duellatores gravissimi criminis rei sunt. Majorem sine dubio mihi Duellatores permittent. Itaque confirmanda erit Minor. Et quidem primò lædi Majestatem Divinam, evidenter ex hoc Dei ipsius edicto, à Spiritu S. in epistola ad Romanos repetito, comprobo: *mea est vindicta, ego retribuam.* Quicquid igitur Deus sibi soli reservavit, & privatis quibusque hominibus eô seriò interdixit, illud à privatis attentari sine læsione Majestatis divinæ non potest: Atqui Vindictam Deus sibi soli reservavit, & privatis hominibus quibusque ea seriò interdixit, E. illa à privatis attentari sine læsione Majestatis divinæ non potest. Deinde humanam etiam Majestatem lædi sic ostendo: Quicunque Jura Majestatis humanæ propria privato ausu involat & usurpat, is læsæ Majestatis humanæ reus est: Atqui Duellatores hi jura Majestatis humanæ propria privato ausu involant & usurpant, E. hi Du-

Duellatores læſæ Majeſtatis humanæ rei ſunt. Nam ubi eſt Majeſtas. ſeu τὸ κύριον, ei neceſſum eſt, ut etiam Jus belli competat: absque hoc enim ſi foret, integrum τὸ κύριον non erit. Jam verò Duellum eſt aliquod bellum, adeoque jura Majeſtatis à Duellatoribus temerari certum eſt. Hinc etiam JCtus ait lege Julia Majeſtatis teneri eum, qui injuſſu Principis bellum geſſerit. *l. 3. ff. ad l. Iul. Majeſt.*

LXIX. Plures adferri rationes poſſent, niſi jam allatæ aſſertioni noſtræ probandæ ſufficerent, quarum tantum mihi pondus eſſe videtur, ut qui iis adſenſum deneget, cum ratione inſanire videatur. Cæterùm Duellatores fortè mihi regerant, ſaltem Duella eſſe licita, ubi à Majeſtate civili permittuntur. Ego verò id ipſum pernego, & demonſtrabo, nec Duella poſtremi generis à Majeſtate civili rectè permitti poſſe, nec permiſſa licet à privatis bene ſuſcipi. Prius ut obtineam, Demonſtrationum modò allatarum concluſionibus liquidiſſimis hunc in modum utar: Quidquid eſt peccatum deteſtabile, ſuâ naturâ improbum & damnandum, Deo & Naturæ inimicum atque exoſum, & graviſſimi criminis reatum habet, illud à Majeſtate civili nequaquam permitti poteſt ut fiat: Atqui Duella, de quibus poſtremò diximus, ſunt talia peccata, E. hæc Duella ut fiant à Majeſtate civili nequaquam permitti poſſunt. Cùm enim, ut initio Diſſertationis dictum eſt, Majeſtas civilis vicem gerat Dei, & ordinem Judicii, pacem ac tranquillitatem omni ope ac ſtudio tueri, quæque his adverſantur, arcere debeat; facilè apparet, tales actus, de quibus diximus, Deo & Naturæ maximè inimicos & exoſos, à Magiſtratibus ſubditis minimè permitti poſſe.

LXX. Idem alio evincam argumento: Quicunque actum per ſe deteſtabilem, Deo & Naturæ omnibus modis exoſum permittit, quem prohibere & poterat & debebat, is in talem actum conſentit: Atqui Majeſtas civilis aliquando talem actum, videlicet poſtremi generis Duellum, per ſe deteſtabilem, Deo & Naturæ omnibus modis exoſum permittit, quem prohibere & poterat & debebat, E. Majeſtas civilis in talem actum conſentit. Progredior: Quisquis conſentit in actum per ſe injuſtum, improbum & abominandum, quem prohibere & poterat & debebat, is cauſa ejus moralis eſt: Atqui Majeſtas civilis

lis aliquando in talem actum (videlicet cyclopicum Duellum) consentit, E. Majestas civilis ejus causa moralis est. Quicunque est causa moralis detestabilis alicujus actus, quem prohibere & poterat & debebat, is illius reatum sibi contrahit, adeoque pœnæ illi reatui convenienti se obnoxium reddit: Atqui Majestas civilis aliquando est causa moralis detestabilis alicujus actus, (puta Duelli) quem prohibere & poterat & debebat, E. Majestas civilis illius reatum sibi contrahit, adeoque pœnæ illi reatui convenienti so obnoxium reddit. Repetantur hic, quæ suprà fuere tradita, quot modis quis causa moralis alicujus actus existat, ex *th. 51.*

LXXI. Præterea, Quicunque alieno munere & imperio funguntur, ii, si contra demandantis voluntatem eo abutantur, gravissimè peccant: Atqui Principes & in his terris imperantes alieno munere & imperio funguntur, E. Principes & in his terris imperantes, si contra demandantis voluntatem eo abutantur, gravissimè peccant. Nam ut suprà declaratum est, Dei vicem imperantes sustinent, & ab hoc delegatam potestatem acceperunt, cui ad rationes muneris gesti omnes sunt obnoxii, licèt hic sint ἀνυπεύθυνοι. Quicunque imperantes permittunt id, quod à Deo severissimè est vetitum, illi contra Dei voluntatem imperio suo abutuntur, adeoque gravissimè peccant: Atqui nonnulli imperantes permittunt id, quod à Deo severissimè est vetitum, puta Duellum, de quo postremò actum est, E. nonnulli imperantes contra Dei voluntatem imperio suo abutuntur, adeoque gravissimè peccant. Nec multò minùs peccant, qui quidem non expressè sed tacitè Duella hæc permittunt, citra necessitatem connivendo & dissimulando. Ita enim concludo: Quicunque tractat opus Domini negligenter, illos maledictos esse ipse pronuntiat Dominus: Atqui imperantes illi, qui duella illa cyclopica permittunt, tractant opus Domini negligenter, E. illos imperantes maledictos esse ipse pronuntiat Dominus. Major est petita ex verbo revelato Jeremiæ c. 48. 10. Minor, ut puto, nihil dubitationis habet. Unum adhuc addo: Quo exemplo aut facto subditi ad gravissimum suaque natura illicitum peccatum invitari queant, illud ab imperantibus, si ab eo abstinere possint, non sine peccato potest admitti: Atqui

qui permittere duella vulgaria, est tale exemplum aut factum, quo subditi ad gravissimum peccatum invitari queant, E. illud ab imperantibus, si ab eo abstinere possint, non sine peccato potest admitti. Notum est illud, *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Si igitur illa exempla bona fuerint, bona imitatio; sin mala, illam mala excipiet. Minorem satis superque infelix confirmat Experientia. Dum enim nonnulli Nobiles & Aulici Duellorum permissionem à suis Principibus impetrarunt, jure se suo uti putant, cùm nihil aliud obtinuerint nisi impunitatem: hæc verò impunitas uti in genere peccandi, ita & duella condicendi maxima est illecebra, qua non solùm illi decipiuntur, qui illam impunitatem impetrarunt, sed & alii, qui idem sibi jus competere falsò persuasum habent. Bene sentit JCtus *l. 13. §. 3. de usufr. Cur ad arma, & rixam procedere patiatur Prætor, quos potest Iurisdictione sua componere?* Rectè etiam constituerunt Impp. *l. 7. C. de prec. Imp. off. Rescripta* (atq; hoc exemplo Permissa) *contra jus impetrata, non esse attendenda à Iudicibus, nisi concedant aliquid, quod petenti prosit, nemini obsit.*

LXXII. Restat alterum, ut ostendam, tali impunitate promissa, duelloque ab imperantibus permisso, nihilominus privatis ab iis abstinendum esse, nec isti permissioni inniti salva conscientia aut sine peccato posse. Argumentum esto hoc: Quicunque propter spem impunitatis factam facinus aliquod aggrediuntur divinis & Naturæ legibus vetitum, & ab omnibus bonis damnatum, illi gravissimè peccant: Atqui Duellatores quidam propter spem impunitatis ab imperantibus factam facinus aliquod aggrediuntur divinis & Naturæ legibus vetitum & ab omnibus bonis damnatum, Duella illa puta postremi generis, E. illi Duellatores gravissimè peccant. Deo enim magis obediendum est quàm hominibus, siquidem hi aliquid jusserint aut permiserint, quod suâ naturâ est adversum illius voluntati. *Actor. 5. 29.* Deinde licèt Princeps aliique, qui τὸ κύριον habent, dicantur soluti esse legibus; *l. 31. ff. de legib.* non tamen illud ultra positivas suas est extendendum. Proinde cum Duella hæc graviter in leges Divinas & Naturæ impingant, permissio imperantium illa verè licita non efficit.

LXXIII. Ergo, inquis, Principes & imperantes nullo casu subditis

ditis duellum permittere possunt? Antequam respondeam, monendum est, Permissionem aliam esse nudam, videlicet ut qui ita permiserit aliquid, intelligendus sit sivisse illud fieri neque impediverit: alia verò Permissio cum consensu est conjuncta: atque ita qui permittit, factum approbat. Etsi verò non sim nescius: Remp. & Principes in varias necessitates ac difficultates incidere posse; nullam tamen adeò rigidam & indeclinabilem necessitatem jam quidem prospicio, qua approbando imperantes duella, de quibus hactenus disseruimus, permittere debeant. Hoc verò sæpe accidit, ut nudâ simplicique permissione peccata quædam tolerent, majoris scilicet mali metu coacti, atque adeò pœnam exigere jam nequeant, quæ tamen differri potest, exemplo Davidis, qui pœnam dudum à Joabo meritam demum à filio successore exigi, aut si majoris illius mali metus tamdiu duret, ut pœna in hac vita non possit de delinquente sumi, supremus rerum arbiter ac Judex laborantem imperantium autoritatem sui imperii plenitudine supplebit, tarditatemque supplicii gravitate æternùm compensabit.

LXXIV. Quia autem præmissa Quæstio fortè à nonnullis in dubium vocabitur, age, nonnulla duella, licitè ab imperantibus permissa aliis credita, proponamns, quibus ad Rationis stateram appensis, quisque bonus & prudens arbitretur, uter nostrûm rectius sentiat. Duobus quondam in Hispania dynastis Corbidi & Orsuæ, de principatu contendentibus, & alium Deorum hominumque, quàm Mortem judicem se admissuros negantibus, Scipio Duellum permisit. Malè meo judicio. Quæ enim necessitas Scipionem impellere potuit, qui suam populique Rom. autoritatem nullo negotio interponere potuisset? Livius lib. 28. Alterum exemplum nobis narrabit præclarus Danicæ Historiæ scriptor Joannes Meursius *lib. 3.* ad Annum 1519. *Hanc*, inquit, *gregariorum pugnam alii duo illustres viri excepere, Quorum unus, Ivarus Lungius, gente Danus, ac prosapia nobilissima; alter, Georgius Tengnagelius, è Germania oriundus; uterque, rei militaris laude excellens. Lungius complures annos sub Francisco, Galliæ Rege, ac Burgundiæ Duce Carolo, aliisq; illustrissimis Principibus, militaverat; qui virtutem quoque ejus, atque fidem, aureis catenis singuli honoraverant:*

hasq;

hasq́; ipsi, quoties in pompa Regem comitaretur, equi sui collo appensas, velut fidei in tot Principes monumenta, ostentabat. Isto nomine satis Regi commendatus, ut præterea gratiam ejus sibi obstringeret, armatura affabrè facta, quam è Gallia secum attulerat, muneratur. Tengnagelius, qui stipendia item varia sub Principibus multis fecerat, & militia clarum nomen comparaverat, cum moliri bellum in Suecos Christianum (Christiernum II. aliàs appellatum *) famâ acceperat, ipse quoque Daniam petere, operamq́; ad hanc expeditionem offerre statuit. Ideoq́; itidem egregiam quandam armaturam è Germania apportavit, Regi illam, ad captandam ejus gratiam donaturus. Idq́; fecit; & obtinuit commendatione sua, ut Rex istam supra Lungii æstimaret. Iam utrinque quædam æmulatio erat; cùm & Lungius, hominem sibi peregrinum, si armorum laude æqualem, tamen non superiorem, anteponi, ægrè ferret: & indigenæ quantumvis Tengnagelius, cui parem sese crederet, nihil esse concedendum existimaret. Et hæc res majorem in modum animos exasperabat: multò magis, quòd uterque peditatus universi præfecturam adfectaret. Rex dissidio intellecto, quemque, quæ donarat, arma induere jubet: atque hastis concurrentes experiri, utra meliora essent: qui vicisset, illum sui peditatus ducem fore. Placuit conditio utrique; & concertant, die, ac loco præstituto, in corona spectatorum frequentissima: cum, impacta in oculum hasta, adversarium Lungius sternit, qui victoriæ tamen fructum, vitæ paulò post ereptus, non percepit.* Malè & hi commissi fuerunt. Qui enim ignarus jurium illius Regni ac Status, qualis quidem eo ævo erat, est, nihil dubitabit, quin Lungius præferendus omnino fuerit Tengnagelio. Et, quæso, quæ Regem necessitas compulit, ut hi ita committerentur? Nullam sanè Historicus memorat. Nec enim militem huic aut isti adhæsisse legitur. Et si æmulatio ista expeditioni noxia fuisset futura, cum removeri oportuerat, cui minus jus competebat.

LXX. Solenne admodum Duellum etiam ex Ponto Heutero Delfio recitat Camerarius *Hor. Subcisiv. Cent. 2. c. 21.* duorum Hispanorum, Petri Torellii, & Hieronymi Ancæ. Orta ipsis primùm lis est ex aleæ lusu. Hi itaque cùm depugnarent, aliquot hinc indè acceptis illatisque punctim cæsimque sine vulnere ictibus, Torellio gladius manu excutitur. Præsentem ille mortem videns, concedit

Ancæ

Ancæ victoriam, victum se fassus, ea tamen lege, ne ulli mortalium quæ gesta erant, aperiret, sed perpetuo silentio sepulta manerent; malle enim se mori, quàm cum ignominia vivere. Quod licèt sanctè promisisset Anca, brevi tamen omnis res gesta in ore fuit omnium. Gravior hinc recruduit inimicitia, quæ, ut ipsi putabant, non nisi singulari certamine sopiri posset: itaque Cæsari Carolo V. libellum supplicem offerunt, petuntque, pro Regni Arragonici ac Castellani more, (ô pessimum morem!) utriusque petitioni subscribere; locum diemque certamini statuere dignetur. His à Cæsare ad Conestablium remissis, Duellum illis in foro Valledoletano solenni pompa ac ritu instruitur, funestoque actui illi Cæsar spectator & arbiter interfuit ac præfuit. Cæsar tandem luctuosum ejus duelli exitum opperiri nolens, sua autoritate illud diremit, & invitis reluctantibusque severè eo interdixit, *Posse enim eos, qui vires experiri, pugnisq; honorem quærere velint, id contra Mahumetistas, Christiani nomis perpetuos hostes, majori cum honore, ac certa animæ cum salute facere.* Omnia hic gesta sunt contra Dei Naturæque leges, etiamsi peracta fuerint more regni Arragonici & Castellani. Nam & duplex inter illos fuit Duellum, prius ex frivola aleæ causâ, alterum ex vana existimationis læsæ opinione ortum: posterius tantùm abest ut permittere eo modo potuerit Cæsar, ut potiùs obligatus fuerit prius illud severissimè punire. Ipse enim Cæsar hunc actum suamque approbationem rectè arguit, dum cum iis hostibus, qui fortes haberi velint, congredi vult, quos impugnare justum sit, & ubi in nullo versetur discrimine anima: quo ipso indicavit, Duella ista conjuncta esse cum periculo æternæ salutis. Atque ita omnino se res habet. Quicunque igitur actus ita per se illicitus est, ut cum periculo æternæ salutis sit conjunctus, is à Principe subditis suis minimè potest licitè permitti; Atque hoc Duellum fuit ejusmodi actus, E. illud Duellum à Principe suis subditis licitè non potuit permitti.

LXXVI. Ludovicus quoque Bavarus Duellum permisisse legitur duobus Nobilibus, Hectori von Trautmansdorff/ & Sigfrido Fraunbergero, de antiquitate nobilitatis & natalium contendentibus. Et hoc malè. Qua enim de re inter illos contentio fuit? & num aliâ ratio-

tione illa decidi non potuit? Lehmannus quoque *lib. 7. Chron. Spir.* solenne Duellum duorum Nobilium permissu Senatus Spirensis Anno 1433. perpetratum graphicè describit. Imò nonnulla Germaniæ oppida sibi speciali privilegio quoddam Judicium Duellicum, Kampff-Gericht / Kampff-Platz / Kampff-Ort / vindicant, veluti Hala Suevorum, Herbipolis. Et Melchior Goldastus *part. 2. Constit. Imper. tit. 71.* meminit des Kampffs- oder Kolben-Gerichts des Burggraffthumbs zu Nürnberg. Non possum quin inseram, qua solennitate Judicium illud duellicum adornari solitum fuerit; descriptione illius petita ex Sebastiani Munsteri *Cosmograph. lib. 5. c. 248 edit. noviss.* ubi de Hala Suevorum disserit. In dieser Stadt ist ein Kampff-Gericht / wann zween Edel Rittermässige mit einander kämpffen wollen um Ehr und Glimpff. Und wird diese Ordnung darin gehalten. Nachdem ein Erbahr Raht daselbst von Käysern und Königen vor vielen Jahren gefreyet ist. So sich also zwey Edel Rittermässige mit einander verwilligen / und beyde ein Raht um Platz und Schirm bitten; schreibet ihnen ein Raht der Meynung: Ihr Schreiben und Begehr habe ein Raht gehöret / und der Unwill zwischen ihnen sey ihm leyd / wolten gern / daß sie von ihrem Fürnehmen abstünden / und bitte sie mit allem Fleiß deß zu überheben / und sich sonst in ein ander ehrlicher und ziemlicher Weiß / Mittel und Wege zu vereinigen; deß wolle sich ein Erbahr Raht zu Ihnen versehen / das begehrt ein Raht um sie zu verdienen. Und da sie beyde wieder schrieben / und bäten der Meynung wie vor / und nicht wollen abstehen; auff das schreibet ihnen wieder ein Raht wie vor. Und ob sie weiter auff ihrem Fürnehmen beharren / so benennet ihnen ein Raht einen Tag / darauff zu erscheinen / ihr beyder Klag / Ansprach und Anliegen gütlich zu verhören. Und so sie den Tag annehmen zu kommen und alsdann darauff zu erscheinen; so höret ein Raht ihr Anliegen / und nach Verhörung thut ein Raht möglichen Fleiß / sie in ein ander Mittel und Wege gütlich oder auff das Recht zuvereinigen. So das aber nicht seyn will / und sie nicht von ihrem Führnehmen abstehen / und ein Raht nicht verlassen wollen; so saget ihnen ein Raht

Platz und Schirm zu/ und benennet ihnen einen Tag zu kommen. Und so sie kommen/ und ist ihr Begehr wie vor/ so müssen sie beyde schweren zu GOtt/ ihrem Fürnehmen gestracks auff den bestimmten Tag Folge zu thun; Und benennet ein Raht einem jeden ein Anzahl Leute/ die er möge mit ihme bringen/ und nicht mehr Personen/ dann ein Raht ihnen zulassen gefällig ist. Auff dieselbige Zeit lässet ein Raht den Marckt oder Platz mit Sand beschütten und umschrancken/ und jedem eine Hütte/ da er mit dem Griesswarten und seinen Verwandten seyn möge/ machen; auch jedem ein Todtenbar mit Kertzen/ Vortüchern und andern Dingen/ die zu einer Leiche gehören. Es wird auch einem jeden seines Gefallens ein Beichtvatter/ zwey Griesswarten/ und einem als dem andern gleich Harnisch und Wehr zugelassen/ oder mögen sich deß als selbst zu Roß oder Fuß vereingen/ wie sie deshalben in Schrifften versprochen und zugesaget haben. Und alsdann in Gegenwart ihrer beyden läst ein Raht gleich Schutz und Schirm öffentlich außruffen und verkünden/ daß niemand schreye/ deute/ wincke/ oder sonst Zeichen thue und gebe; und welcher das nicht thuet/ dem wolle ein Raht durch den Nachrichter/ der dann gegenwärtig seyn soll/ mit einem Handbeil und Block die rechte Hand und den lincken Fuß abhauen lassen ohne Gnad. Es werden alle Thor verschlossen/ alle Thürm/ Wehr und Mauren besetzt/ und alle Gassen mit einer Ketten durchgezogen bewahret und versehen; Weiter wird verbotten daß kein Frauenbild noch Knab unter 13. Jahren alt darbey zu seyn oder stehen gestattet werde. Alsdann bestimt ein Raht ihnen beyden Stund auff dem Platz in seiner Hütte zu kommen mit seinem Beichtvatter und Griesswarten/ und verwechselt alsdann einen Griesswarten/ und befihlt jedem in seiner Hütten zu gehen/ und auff das allerhefftigste mit allem Fleiß Auffmerckung zu haben/ daß keiner wider den andern Untreu sonder Gefehr noch Vortheil der Wehr und Waffen suche zu thun noch hab in kein Weis noch Weg. So das alles beschicht/ alsdann lässt man sie gegen einander außtreten/ und wird mit lauter Stimm dreymahl geruffen/

sen/zum ersten / zum andern / zum drittenmahl: So wenden sie einander ein/welcher verwundet wird und sich dem andern ergibt/ der soll hinführo geachtet werden Ehrloß / auff kein Pferd mehr sitzen / kein Bart scheren / noch Waffen oder Wehr tragen/auch zu allen Ehren untauglich seyn. Und welcher todt ligen bleibt/ und also/ wie lautet/überwunden wird / der soll ehrlich zur Erden bestattet werden. Und dieser der also obliegt / der soll seine Ehre gnugsam bewehrt haben / auch forthin ehrlicher gehalten werden. Deum immortalem, quanto apparatu quanta hic impietas celebratur! Quid opus est Confessionariis cyclopico Duello devotis; Quæ hoc est Judicii elusio? Cur tam severè in illos animadvertitur, qui nutu gestuve Duellatores ferè turbant, cùm potiùs hi, si à proposito revocari nequeant, manu pedeque truncandi sint? Si qui igitur malè providi Principes urbibus nonnullis ejusmodi privilegia impertiti sunt, illa quantocyus aboleant, utpote quòd talia nec rectè concedere, nec temerè concessis rectè uti subditis liceat.

LXXVII. Si quis olim alteri grave crimen objecisset, nec sufficienter probasset, injuriâ lacessito licebat criminis infamiam duello depellere: ceu suprà pluribus expositum est. Inter ejusmodi crimina relatum etiam fuit in Gallia tempore Francisci I. (ante enim ejus imperium illud non obtinebat) si quis alium mendacii arguisset. Cùm enim Rex ille cum Carolo V. Cæsare graviter collisus esset, & utrinque aspera prolata essent verba, in corona Principum Regem dixisse ferunt, *Virum bonum non esse, qui mendacium oblatum non vindicasset armis*. Postquam igitur ille mos in Gallia invaluerat, Henricus II. Rex, Nobiles viros Violum Cabotium Jarnacium & Franciscum Vivonum Castaneum, in publico solenni theatro duello experiri passus, & Rege & Proceribus multis spectantibus. Cabotius mendacii crimen Castaneo impegerat, in quo maxima credebatur inesse injuria. Exitus illius conflictus is fuit, ut succubuerit Castaneus, ictu in poplite accepto; cùm enim præ dolore ac mœrore animi sanguinis cursum sisti, & vulnus à chirurgis obligari non pateretur, accedente vitæ tædio decessit. Rex Castaneo favens, præterque spem & opinionem rem evenisse videns, tantum hinc cepit dolorem, ut religiosissimo sacramento se obstrinxerit,

ſua voluntate aut conſenſu nullum poſthac Duellum commiſſum iri. *Thuan. lib. 3. ad Ann. 1547.* Cæterum quàm graviter, hujus Duelli permiſſione facta, Rex peccaverit, à Prudentibus probè obſervatum eſt. Scribit enim idem Hiſtoricus, *lib. 22. ad ann. 1559.* à curioſis rerumque intelligentibus obſervatum, *Regem, qui ſerium duellum, rem religione Chriſtiana vetitam, infauſtis regno auſpiciis approbaſſet, in ludicro vitam amiſiſſe.* Vide quæ ſuprà ſcripſi th. 28. Sed & hunc errorem pro vero arripuerunt Jeſuitæ Caſuiſtæ. Putat enim Baldellus *l. 3. diſp. 24. n. 24.* licere contumelioſum, & qui te fortè mendacii arguerit, occidere: cujus ſententiam laudat & ſequitur Eſcobarius. Sed ut ſuprà monui, cum his Doctoribus non eſt in tenebris micandum.

LXXIIX. Sed cum Duellatores ferè magis adfici ſoleant exemplis quàm rationibus, videant ſanè Henricum II. & Carolum IX. Galliæ reges, qui perpetua lege duello damnato, exiſtimationis læſæ periculum eorum nomine, qui mendacium aut ſimilem criminationem gladio ulti non fuiſſent, in ſeſe receperunt. Audiant Principem Condæum belli paciſque artibus excellentiſſimum. Anno enim ſuperioris ſeculi octogeſimo ſecundo, *Monpelii injecta de nimia jam tum deteſtabilium duellorum frequentia mentione; cùm Iſaacus Valdræus Mojus, qui cum aliis è nobilitate aderat, ea decoris tuendi, cui vitam verè nobilis animus poſthabere teneatur, neceſſitate excuſaret, Condæus ſumma & tanto faſtigio digna gravitate interfatur, & magno errore homines in eo decus & veram gloriam reponere dixit, quòd gloriæ Dei, ad quam omnia noſtra conſilia & actiones dirigere debemus, & mandatis ejus, in quorum obſervatione vita æterna conſiſtit, adverſaretur: nec niſi pro patria juſſu Principis, aut inculpata corporis tutela cuiquam gladium ſtringere fas eſſe, pronuntiavit. Converſaque ad paſtorem, qui poſt ſedile ſtabat, facie, quò majorem ſententiæ ſuæ fidem adſtrueret, ab eo coram quæſivit: An ſalva conſcientia privatis injuriis ulciſcendis liceret ad certamen venire? & cùm ille non licere, nec niſi cum certo damnationis æternæ diſcrimine id fieri reſpondiſſet; hoc jam conſtanter, inquit, tenete, & autore me, qui pro decore veſtro & gloria ultrò me ſponſorem & prædem offero, illas de decore & gloria erroneas opiniones ex animis veſtris inpoſterum delete.* Thuanus de Vita ſua, lib. 2.

LXXIX.

LXXIX. Cùm igitur illa postremi generis Duella sint prorsus improba & detestabilia, nihil ego addo de Patrinis seu arbitris, nihil de sanguinolentis provocationis symbolis, annulo dato, aut chirotheca projecta, nihil de chartis, nihil de jure provocantis aut provocati, nihil de delectu armorum, de loco, tempore, aliisque damnati actus ritibus, in quibus alii ita multi sunt, & illa tam promptè decurrunt, ac si in stadio versarentur, aut actum aliquem legitimum describerent. Quorsum enim de his? Si enim constat hæc Duella simpliciter esse illicita, ejusdem necesse est notæ sint omnia illa, quibus illa juvantur, instruuntur ac promoventur. Nihil quoque scribam de illis Duellis, quæ Principes, τὸ κύριον Reip. in sua manu habentes, condicunt: quale fortè fuit illud inter Carolum V. Imp. & Franciscum I. Galliæ Regem superiori seculo agitatum. Nihil etiam de duellis in justis bellis, ab utriusque adversæ partis ducibus aut militibus delectis susceptis, utpote causam diversam habentibus, ceu suprà jam monitum est th. 19.

LXXX. Redeo ad Duella Cyclopica à me appellata, quo illa pacto quibusque pœnis hactenus fuerint coërcita. Laudari hic cumprimis meretur justus quorundam Pontificum, Julii II, Leonis X, Clementis VII, Pii IV, Gregorii XIII, Clementis VIII, & Concilii Tridentini zelus, quô Principes aut Duces militares subditis sive militibus suis duella permittentes, ipso facto absteti sacris esse jubentur, perpetuò infames, diffidati, læsæ Majestatis rei, intestabiles, puniuntur ut rebelles ac seditiosi, suaque jurisdictione ac dominio excidunt. Duellatores verò injustissimum hunc actum condicentes & absolventes, ipso jure excommunicati sunt, omnibus suis bonis privantur, perpetuam contrahunt infamiam, superstes victor apprehensus ut homicida punitur, in conflictu cadenti sepultura Ecclesiastica denegatur. Iisdem se pœnis obnoxios reddunt, qui ad duellum alterius nomine quem provocant, illi intersunt, vel præsunt, aut quovis modo Duellatores committunt, iisve in actu hoc detestabili favent. De quorum Pontificum constitutionibus præter alios prolixè egit Gregorius Caraffa *Tract. 2. de Duello.*

LXXXI. In Gallia cùm Duella hæc essent frequentissima, meri-

tò etiam gravissimis in illa edictis pœnisque animadversum est. Vetita Duella sub vitæ pœna, & eorum, qui intersunt, bonorum confiscatione in occisos, supplicium Majestatis additum; ut cadavera per urbis vias infami crati imposita ad scalas Gemonias à carnifice pertrahantur, & patibulo suffigantur. *Thuanus lib. 129. ad ann. 1602.* Hunc de eodem argumento ita disserens excipit Barthol. Gramondus *lib. 1. histor. Gall. ad Ann. 1614. Interdicta item certamina singularia, adjectaque veteribus novæ pœnæ. Incassum. Vana in id remedia legum, nisi desuper mutentur adfectus. Pravitate naturæ excidio suo in vetitum nituntur Galli, gens in sui perniciem nata, prodigaq; sanguinis, Deo & Patriæ debiti.* Hac causa motus Galliæ Clerus cùm rem ad Regem detulisset, & severius Edictum ab illo contenderet, ita narrare pergit idem Gramondus *ad Ann. 1615. Rex edictum promulgari jubet majori, quàm anteà, severitate, in monomachos. Verùm ex vetito gliscit autoritas crimini, majoreq; post legem licentia grassatur iste furor. Mirum, Gallos, qui passim mutabiles sunt, in eo pugnæ genere adeò constantes esse, ut non Dei, non Regum legibus, non mansuetudine flecti possint, ut ex gladiatoria palestra transeant in mores Christianos.* Idemque iterum *lib. 3. ad Ann. 1617. In Nobiles pleraque congesta: primum de effreni in lanienam libidine, per quam se mutua internecione delent prælio singulari; quæ pestis præcipuè grassatur in Gallia. Barbara sanè nationis aliàs mansuetæ crudelitas, qua se mutuò necant vano honoris aucupio homines. Nec satis, provocatum pro libidine provocantis in arenam descendere, nisi ab utraque parte vocentur, qui nullo invicem dissidio ferrum stringant, & sæpe amico sanguine cruententur. Cleri præcipuum studium fuit, in eam pestem Comitiis Galliæ generalibus sub annum 1615. habitis. Malo ingravescente renovatum Edictum Regum proscribendis, qui legem infringerent; testes, patibula, omnis demum infamia collata in noxios; sed hæc in irritum. Prævaluit libido in sanguinem, gladiatorum virtus; agnitumq; tandem malo experimento Monomachiam apud Gallos pro virtute acceptam Nobilibus, unumq; e criminibus esse, quæ vetabuntur semper, & semper valebunt.*

LXXXII. Non possum quin pauca Gramondo reponam, & quidem ex Poëta.

Quid

Quid tristes querimoniæ,
Si non supplicio culpa reciditur?
Quid leges sine moribus
Vanæ proficiunt?

Si enim quælibet lex habet δύναμιν ἀναγκαςικὴν, *facultatem cogendi*, mirum sit, eadem autoritate Edicta tantorum Regum non pollere. Certè si ejus ingenii sunt Duellatores Galli, uti Gramondus significat, ut eos insanire juvet, atque ut omnino sint ἀνίατοι, *insanabiles*, cum talibus quomodo agendum sit, jamdudum viderunt nosque docuerunt veteres Philosophi. Ego verò crediderim, illa Edicta Regia autoritatem suam paulatim perdidisse, quòd magno loco positi quidam Duellatores, aut singulari gratia florentes factum suum impunè tulerint: qualia impunitatis exempla in publicum sunt perniciosissima. Notum est illud,

Omne animi vitium tantò conspectius in se
Crimen habet quantò major, qui peccat, habetur.

Hodie verò Galliæ Rex hæc Duella tàm seriò vetuisse & tam severè punire dicitur, ut nullus gratiæ locus, nulla facinori huic venia sit. Scilicet ita Legibus & Legislatoribus sua constat autoritas, si obsequium à bonis eliciat ipse honestatis amor, ab improbis illud & invitis formido pœnæ extorqueat. Ubi hic legum est vigor & sacrosancta autoritas, ibi profectò Duella non & vetabunt semper Legislatores & tamen eadem valebunt.

LXXXIII. In Belgio etiam aliquoties Edicta fuerunt lata, quibus Duellatorum coërceretur furor. Et quidem Philippi II, Anno 1589. & plenissimum Alberti & Isabellæ Anno 1610. idemque repetitum fuit Anno 1624. quo provocantes & in Duellum consentientes infamia notantur, Nobilitatis insignibus ac prærogativa exuuntur, officiis, honoribus ac muneribus omnibus spoliantur, ac dimidia bonorum pars proscribitur ac publicatur. Duellatoribus verò si lubitum sit, ut modò in constituto duello loco compareant ac conspiciantur, ultimo adficiunter supplicio, bonaq; tum omnia fisco applicantur. Cautum quoque est edicto Alberti & Isabellæ, se eos, qui provocationi non pareant, in suam fidem & protectionem receptu-

ros, & si quis eis hanc mansuetudinem contumeliosè exprobret, arbitraria in eum pœna animadversuros esse. Item in regno & provinciis Sueciæ ante annos haud ita multos gravissima Lex & pœna in duellatores hos prudenter fuit constituta. Universalis verò Germaniæ Constitutio in Comitiis Ratisbonensibus qua formula sit concepta, cognitu cumprimis est necessaria: quam adeò integram huic Tractatui ex Diario Europæo subjungemus, & propter rationum momenta Saxo-Gothanam adjiciemus. Faxit Deus, ut cùm Imperantes vera prudentia & sollicitudine, tùm parentes placido obsequio excitati, Judiciorum ordinem atque autoritatem tueri ac revereri discant, & cum aliis, tum Charitatis & Patientiæ Christianæ legibus devoti, perturbationibus suis efferatis litare & infensissimo humani generis hosti victimas immolare dediscant, pro quibus victima factus est JESUS CHRISTUS.

Käyserliche RESOLUTION
Auff das
Reichs-Bedencken
wegen der DUELLEN.

Dictiret auff dem Reichs-Tage zu Regenspurg den 22. Sept. Anno 1668.

DEr Röm. Käyserl. Majest. unserem Allergnädigsten Herren/ hat deroselben zu gegenwärtigem Reichs-Tage ad interim gevollmächtiger Käyserlicher Commissarius, der Hoch-Wohlgebohrne Graff und Herr/ Herr David/ des Heiligen Römischen Reichs Graff und Herr von Weisenwolff (tot. tit.) gehorsamst referirt und eingeschickt/ was des Heil. Römischen Reichs Chur-Fürsten und Stände bey erstbesagtem Reichs-Tage versamlete Rähte/ Bottschafften/ und Gesandte ihme sub dato den 30. nechst verwichenen Monats Julii bey der für gut befundenen Verbesserung des Policey-Wesens für ein Reichs-Bedencken zu eröffnen beliebig gewesen. Wie nemlich fürs erste im Heiligen Römisch. Reich dem hochschädlichen duelliren/ Balgen und Kugelwechseln zu begegnen/ und was ihres vernünfftigen Dafürhaltens zu nachtrücklicher Abstellung solchen allzuweit eingerissenen unchristlichen Beginnens für ein durchgehend/ ernstliche Verordnung von nöhten seyn wolle/ damit aller Vorwand/ Anlaß und Ursache zu dergleichen Excessen benommen/ und das frevelmühtige Schmähen und injuriren als der Ursprung solchen Unheils verhütet werde/ oder da dawider gehandelt würde/ dem Beleidigten schleunige billigmäßige Satisfaction wiederfahren möchte/ also daß wo einer entweder mit Worten oder mit That geschmähet oder beschimpffet worden/ kein ordentlicher Proceß verstattet/ sondern wann der Beleidigte solches bey gehöriger Instantz anzeiget/ darinnen

innen gantz Summariè und dergestalt verfahren werden solte/daß wann sich befindete/daß der Injuriant sich zu dem Beleidigten ohne Ursach genöhtiget/ der Injuriant nebenst Refundirung der Unkosten zu gebührender Satisfaction vermittels einer Ehren Erklärung/ und öffentlichen Abbitte oder Wiederruffs mit der dabeygefügten Erklärung daß ohne grosse erhebliche Ursachen einiger reservation honoris, wordurch die infamiam zu evitiren per indirectum gesuchet würde/nicht Statt zu geben / so gar daß auch der Richter/ da Er die Ehre ohne gnugsame erhebliche Ursache vorbehalten solte/ selbst darum zu straffen wäre/ohne alle weitläufftigkeit vermöcht/ und darzu ohne Respect der Persohn mit einer empfindlichen Geld- oder Gefängniß-Straf/oder nach Beschaffenheit des Verbrechens und anderer Umstände/wol gar mit der Landes Verweisung oder noch schärfferen Straffen angesehn/ ja da einer den andern mit thätlichen Injurien/ bevorab mit Prügeln uñ dergleichen harten Tractamenten vor sich selbst oder durch andere zu beschimpffen angestifftet/ in solchen Fällen gegen den Thäter/Anstiffter/und Helffer nach Gestalt des Delicti und qualität des Injuriati wol gar mit Leib- und Lebens-Straffe verfahren werden/ daß auch die Obrigkeit/ da sie ohn vorgehende Klag des Injuriati von dergleichen Injuri-Händeln etwas vernehmen würden/ ex officio solche Injuri-Sache durch gütliche Vergleichung/ oder rechtmäßige schleunige Entscheidung beylegen/und dadurch aller Anlaß zu weiterer Rachsuchung auffgehoben seyn/ und dem Beleidigten nicht unbenommen seyn solle/ sich mit dem Injurianten absonderlich in der Güte zuvertragen / jedoch der Obrigkeit verwürckter Straffe ohnabbrüchig. Und was fürs andere vorbesagte/der Chur-Fürsten und Stände/ Rähte/Bottschafften und Gesandte zu desto mehrer Benehmung der nunmehr fast eingewurtzelten opinion des puncti honoris für gut und nohtwendig ermessen/ daß in bevorstehender allgemeiner Reichs-Constitution, und von Chur-Fürsten und Ständen/in deren Landen außgehenden Edicten und Mandaten mit mehrem außgeführet werden solte/ wie das blutige Balgen und Kugelwechseln/wider

der Gottes Wort/die natürliche/geistliche/und gemeine geschriebene Rechten / alle Ehrbarkeit / gute Policey und dem gemeinen Ruhe- und Friedens-Stand lauffe / nicht weniger der Obrigkeit in ihr Ampt gegriffen/ und dardurch ärgerniß gegeben werde.

Welches alles wie vor Allerhöchst. ged. Jhre Käyserl. Majest. sehr vernünfftig/ und dabey insonderheit diß wol überlegt befunden/daß, die angethane Injurien keinem an seinen Ehren oder erworbenen ehrlichen Namen ichtwas von Rechtswegen schaden/ vielweniger dergleichen verdamliches Blutvergiessen entschuldigen/zumahlen dem Injuriato schon in andere Wege per viam juris gebührende hülffe und Satisfaction beschehen könne/auch dem provocato, da er gleich nicht erschiene / an seiner Hertzhafftigkeit und Ehrenstande nichts abgehe/und ein jeder/welcher der Christlichen Religion zugethan ist / von selbst billig betrachten solte/ daß ein solch unchristlich Ehren-Rettung ohne das sehr gefährlich und ungewiß sey/ dergestalt/ daß die provocanten selber öffters unterliegen/ und in Einbüssung des Lebens / welche sie zu Dienste des Vatterlandes hätten ersparen können / mit Leib und Seel jämmerlich zu Grund gehen/ bevorab aber/ daß auch die Secunden/ ohne daß sie einander das wenigste Leyd zugefüget / dannoch mit einander unmenschlich/und fast Teuflischer Weise kämpffen thun. Also lassen Jhre Käyserl. Majest. diß reifflich und wolerwogne Reichsgutachten Jhro nicht allein alles seines Jnhaltes Allergn. gefallen / sondern haben sich auch nach Anleitung desselben dahin allergnädigst resolvirt.

Erstlich daß alle und jede fürsetzlich angestellte Duella und Bälgereyen zu Roß und Fuß im gantzen Römischen Reich ohne Unterscheid der Personen / wes Standes / Würden oder Wesen die seyn / bey nachgesetzten Straffen sollen verbotten seyn / also/ daß (ausser der rechtlichen Nohtwehr / darzu einer in continenti äusserst benöhtiget ist) männiglich sich nicht alleine aller gewaffneter Handanlegung/sondern auch aller Außforderung zu Duellen und Balgen zu Fuß und zu Pferd/der Außgefodert aber aller Erscheinung/und die gesuchte Beystände alles Rahts und That-

handelung / Beywohnung / Vorschubs und Beystands enthalten sollen. Fürs andere / gleich wie eine jede Obrigkeit um alles menschliche Blut / so durch conniventz unzeitig vergossen / Rechenschafft zu geben schuldig ist / also sollen alle und jede Obrigkeiten und Beampte / wie die Namen haben mögen / so bald sie von einigen angestellten Kämpffen Nachricht erhalten / den Balgern und ihren Secundanten solchen bey Verlust Leib und Lebens nicht alleine zuverbieten / sondern auch solches sträfliche Vorhaben durch arrestier- oder Verhafftung ihrer Personen / sie seynd ihrer des Orts Obrigkeit Jurisdiction unterworffen oder nicht / und sonsten durch alle mügliche Wege und Mittel zu verhindern schuldig und gehalten seyn. Drittens soll nicht weniger denen Wirten und Haußvättern / in deren Häuser bey Mahl- oder Hochzeiten / oder andern Zusammenkunfften sich einige Zänckereyen erregen / bey unaußbleiblicher Straffe aufferlegt werden / daß sie nicht alleine die interessirte zu Fried bringen / sondern auch auff Verspüren / daß es zu würcklichem Duell kommen dürffte / solches der Obrigkeit anzeigen / damit dem Provocanti und provocato alsobald Einhalt geschehen möge / wie dann auch sonsten aller Orten / auff die Friedenstörer / Auffwickler / Haderer und Tumultuirer gute Auffsicht zuhaben / und wo sich dergleichen etwas zutragen möchte / denen Obrigkeiten unverlängt anzeigen / welche dann folgends die Thäter zur Verhafft bringen und nach Beschaffenheit des delicti abstraffen solle. Solte sich aber fürs vierdte jemand solchen Verbotts ungeachtet unterstehen / und vermessen einen andern unter waserley Schein es immer geschehen möchte / außzufordern / der soll bloß des Außforderns halber / wann gleich das würckliche Balgen oder Kugelwechseln darauff nicht erfolgete / noch vielmehr aber wann Er den Kampff und Duell mit seinem Gegenpart / wiewohl ohne Entleibung außübet / ipso facto seiner Ehren entsetzet / und nach befindenden Dingen / mit würcklicher Landes Verweisung / ja auch nach Gelegenheit der Umstände / mit Leibes oder Lebens Straff / auch nicht weniger die Provocati wann sie erscheinen / die Secunden / gegen welche / da sie

gleich-

gleichfals miteinander schlagen / die Bestraffung noch mehrers / als gegen die principalen / selbst zu schärffen. Item, die / welche sich zu Außfodern und Cartel-tragen / öffentlich brauchen lassen / oder mit Verhelffung Pferd / Waffen oder sonsten mit Raht und That / sich des Wercks theilhafftig gemacht / und endlich auch die / so einen / der außgefodert worden / aber nicht erschienen ist / wegen seines nicht Erscheinens schelten / und solches schimpfflich vorwerffen / angesehen werden.

Es sollen auch ferner die jenige / welche die vermerckte Provocationes nicht also gleich der Obrigkeit angezeiget / oder die Duella zuverhindern vermöcht / und nicht verhindert haben. Item, auch diejenige / welche durch ihre Beywohnung und Concurrentz die Duellanten in ihrem Vorhaben mehrers stärcken und animiren / als abwehren / gleichfals der Gebühr nach unnachlässig gestrafft werden.

Da es dann weiters nicht nur zu würcklichem Duell und Balgen oder Kugelwechseln kommen / sondern dadurch auch eine Entleibung erfolgt / so soll alsdann die ordentliche Straffe des Todtschlages wider den Thäter oder Entleiber ohne Unterscheid / ob derselbe gefordert hat oder außgefordert worden / Er sey Beleidiger oder Beleidigte / ohne Respect der Persohnen / des Stands und Freundschafft erkennet und ohne Mittel vollstreckt / und dawider einiger appellation, intercession oder Fürbitte / nicht Statt gethan / denen Balgern aber / welche im Duell todt blieben / kein Begräbniß in Kirchen oder Freydhöff zugelassen werden.

Und demnach die Erfahrung allzuviel bezeuget / wie sich mancher den eitel Ehrgeitz / eingebildete Ehren-errettung / oder Privat-Neid und Rachgier mit solchem Eyfer angelegen seyn lassen / daß Er zu Erfüllung seines bösen Vorhabens / damit er nicht daran gehindert werde / oder auch denen außgesetzten Straffen / desto mehr entgehen möge / in des dritten Territorio, den Kampff veranlassen / und anstellen / oder sich nach vollbrachter That dahin salviren thut / so solte / wann der Kampff in Teutschland vorgangen / und der Thäter intra fines imperii zubetreten ist / die Obrigkeit

desselben Orts/wo Er anzutreffen / selbigen dem Judici Domicilii seu commissi delicti auff Begehren unweigerlich liefern und abfolgen zu lassen/ schuldig seyn/auff den Fall aber/er sich gar außer dem Röm. Reich retirirt hätte/gegen Jhn nach Außweisung der Rechten in contumaciam verfahren / auch die Execution in Effigie vorgenommen/ und nichts destoweniger / wann derselbe nachgehends über kurtz oder lang betreten würde / die angesetzte Straffen ihme realiter erfüllet / und vollzogen werden.

Damit auch dem Duellanten die Mittel zu Ergreiffung der Flucht / so viel müglich benommen werden / soll bey den Posten und sonsten/ein für allemahl die ernstliche Verordnung geschehen/ daß bey Vermeidung unaußbleiblicher schweren Straffe keinem/ der sich mit Duellen vergriffen / einig Vorschub zu entkommen/ mit Pferden/noch in andere Wege gegeben werde.

Was im übrigen mehr besagte der Chur-Fürsten und Ständen Rähte/Bottschafften und Gesanten von denen auff Universitäten und Academien vorgehenden Excessibus angereget / daß sich die Studenten bald um einer liederlichen Ursachen wegen mit einander schlagen/und balgen / also und dergestalt/daß mancher entweder in der besten blühenden Jugend zeitig um das Leben kommt / oder mit der Eltern höchsten Betrübnüß an Gliedern so weit zu schanden gemacht und übel zugericht wird / daß er seine Tag ein elender Mensch/ und das ihme etwa von GOtt verliehene gute Talent deßwegen ohne Nutzen seyn muß.

Als lassen Jhre Käyserl. Maj. Jhro allergn. gefallen/ daß künfftiger Reichs-Ordnung specialiter auch einverleibet werde/ daß Chur-Fürsten und Stände/welche über gemelte Universitäten und Academien zu gebieten haben / nach Anleitung besagter Reichs-Ordnung gleichfals solche Führsehung thun wollen / daß auch daselbst unter den Studenten/in allem Außfodern/und balgen/ein ernst und gute Disciplin erhalten/und der Unschuldige für Gewalt und Thätligkeit geschützet werde.

Welches auß Allerhöchstg. Jhrer Käyserl. Maj. Allergnädigstem Befehl anfanges ged. Herren Käys. Commissarii Excellentz

Jhnen

Jhnen der Chur-Fürsten und Stände gevollmächtigten Räh-ten/ Bottschafften und Gesanten zuverläßlichen Käys. resolution hinwiederum anzufügen nicht unterlassen wollen/ und verbleiben denenselben respectivè freundwillige/ auch angenehme Dienst und Willfährigkeiten zu erzeigen jederzeit willig und geflissen/ Sign. Regenspurg/ den 19. Sept. Anno 1668.

David Graff von Weisenwolff.

(L.S.)

Von Gottes Gnaden / Wir / ERNST/ Hertzog zu Sachsen/ Jülich/ Cleve und Berg / Landgraff in Thüringen/ Marggraff zu Meissen/ Graff zu der Marck und Ravensberg/ Herr zu Ravenstein/ ꝛc.

Entbieten unsern Prälaten / Graven und Herren/ auch denen von der Ritterschaft/ Haupt- und Amptleuten/ Ampts-Verwesern/ Schössern / Ampts-Verwaltern / Bürgemeimeistern und Rähten in denen Städten / Schultheissen / Heimbürgen und Dorffs-Vormündern / auch allen und jeden unsern Unterthanen/ wes Standes und Würden sie seyn/ Unsere Gnade und alles Gutes/ und ist uns in unentfallenem Gedächtniß / daß in dem/ bey der jüngsthin den 25 und folgenden Tage des Monats Junii auff unser gnädiges Außschreiben / allhier gehaltenen Zusammenkunfft unser getreuen Land-Stände und darauff gehabten reiffen deliberation, auffgerichteten Recess unter andern auch wegen des leidigen Balgens/ wie demselben durch ernste Bestraffung zu steuren/ ein gewisser Schluß gemacht worden.

Welches bey diesen ohne das noch immerwährenden grausamen Krieges-Zeiten / darinnen viel Christen-Blut wie Wasser vergossen wird/ sehr überhand nehmen / und besonders bey denen von der Ritterschafft dermassen gemein werden will / daß auch von

von vielen davor gehalten wird / wann einer die ihme etwa zugefügte injurien durch ordentlichen Weg Rechtens von der Obrigkeit ahnuten solte / es ihme ein grosser Schandfleck / und er dahero gleichsahm nicht mehr vor ehrlich zuachten sey / sondern es lege ihm Standes halber ob / alles mit denen Waffen außzutragen / solte gleich Leib und Seel jämmerlich darüber auffgehen.

Diesem nun zu Folge / haben wir in Betrachtung unsers tragenden hohen Lands-Fürstlichen Ampts uns nichts weniger schuldig erachtet / GOtt zu Lob / und zu Abwendung allerhand Blutschulden von unserm Fürstenthum und Lande / die durch das leidige Balgen zugeschehen pflegen / auch zu Erhaltung unsers Obrigkeitlichen Ampts / und Beförderung des Christenthums / so durch solche Thätlichkeit nicht wenig gehindert wird / vorgedachtem Schluß durch dieses gegenwärtige Ausschreiben zu männigliches Nachricht zu publiciren. Und ist demnach unser ernster Wille und Meynung / daß die ohne das in GOttes hochheiligem Wort und denen beschriebenen Rechten so hoch verbottene provocationes und Außforderungen / auch darauff erfolgende Duella und Balgereyen / es geschehen gleich dieselben von was vor Standes Persohnen es immer wolle / in unserm Fürstenthum gäntzlichen abgestellet / und dafern einer order der ander diesem unserm Verbott in unserm Fürstenthum und Landen ins künfftig wieder kommen / und vorgeregte Duell und Balgereyen würcklichen antreten / auch dadurch einer oder der ander entleibet würde / die ordentliche Straffe des Todtschlages ohne Unterscheid wider den Thäter oder Entleiber / es habe derselbe gefordert oder sey außgefordert worden / erkennet / er auch alle diejenige / so zu solchem Ausfordern und Balgen Raht und That gegeben / oder sich zu Beschicks-Leuten gebrauchen lassen / oder sonsten / wie sie es zu thun vermocht / nicht abgewehret / extra ordinem mit Ernst gebührend gestrafft werden sollen.

Würde aber jemand von unsern Unterthanen außer unserm Fürstenthum und Landen solche Duellen und Balgereyen verüben / so können wir zwar desselben Orts Obrigkeit dißfals der Be-

straffung

straffung halber kein Ziel setzen: Wir seyn aber nichts desto minder gemeynet / wofern solche Thätlichkeit daselbst der Gebühr nach nicht geahnet werden solte / den Thäter in unserm Lande nicht ungestrafft zu bleiben lassen / sondern vielmehr entschlossen / die Straffe der gemeinen dißfals waltenden Rechten nach Befindung anzuordnen.

Und beweget uns zu dieser unser also vorhergesetzten Meynung nicht allein ins gemein / die in das Gewissen tieff eindringende helle Stimme des Göttlichen Worts: Wer (ausser der blossen Nohtwehr) Menschen-Blut vorsetzlich vergeust / dessen Blut soll wieder vergossen werden / und die traurigen Exempla, welcher gestalt der gerechte GOtt zu allen Zeiten / wegen der nicht gestrafften Blutschulden gantze Länder umgekehret hat / sondern auch insonderheit / daß mit unverletztem Gewissen dißfals keine limitation, declaration, conniventz oder Nachsehung Statt finden könne.

Dann so viel erstlich den Provocanten oder Außforderer belanget / so hat derselbige sich im geringsten auff eintzige Nohtwehr nicht zu beruffen / sintemahl er von Niemanden mit Gewalt angegangen wird / welches die Natur einer jeglichen rechtmässigen Nohtwehr erfordert / und ob wol etwa schimpffliche oder sonsten andere anzügliche Worte von dem Gegentheil gefallen seyn möchten / so wird doch durch dieselbige weder ihm am Leibe noch an seinen Ehren ichtwas geschadet / sintemahl keines weges davor zu halten / daß in eines jedwedern privati Macht oder Gewalt bestehe / durch solche Worte oder Nachrede stracks des andern Ehre in der That abzuschneiden oder zuverletzen / welche gleich wie sie auß tugendhafften Thaten entstehet / also wird sie auch nicht dann durch lasterhaffte Bezeigungen verlohren oder verringert / dann sonst würde wol einer oder der ander böse Bube in einer Stunde gantze Communen durch solche anzügliche schimpfliche Nachrede um ihre existimation und guten Nahmen bringen können.

Es ist zwar nicht ohne / daß wann allemahl zu solchen injurien still geschwiegen werden solte / es bey vielen das Ansehen gewin-

nen dürffte / ob wüste der injuriatus sich der bezüchtigten Thaten schuldig / aber dieweil wider solches Beginnen schon zu Recht gewisse Verordnung geschehn / daß der Injuriant dem verletzten Theil über die unterschiedlich verwürckte Straffen / auch Verlust seiner Ehren / in welche er gefallen / durch Abbitte / Wiederruff / oder auch wol nach Gelegenheit der Fälle / gar schrifftlichen Revers, gnugsame satisfaction, Kehr und Wandel thun muß: So hat es einigen Außfoderers und Balgers nicht von nöhten. Welche vermeynte Ahntung der Ehren auch ohne das sehr ungewiß und gefährlich ist / alldieweil die Erfahrung bezeuget / daß zum öfftern solche Außförderer unten liegen / und ihrer Seelen Seeligkeit verlustig / auch wol die obsiegende Injurianten in ihrer Intention der vermeintlich von ihnen gethanen Beschimpffungen bekräfftiget werden.

Und ist diese böse hißhero in unserm Vatterland teutscher Nation eingerissene Meynung / bey dem hellen Glantz des heiligen Evangelii / und in demselben uns vorgestellten sanfftmühtigen Exempel unsers Heylandes und Erlösers / nachdem wir Christen genennet werden / um so viel destomehr zubeklagen und abzuschaffen / alldieweil dergleichen leichtsinnige Duella und Balgereyen weder in der Türcken noch anderer Barbarischen Heydnischen Völcker annalibus zu lesen / ja wol dieses drinnen zu finden ist / daß sie mit harten Straffen wider solche Außforderer verfahren haben.

Es greiffen solche Provocanten ferner der ordentlichen Obrigkeit in ihr Ampt / und nehmen wider GOttes außdrückliches Verbott das Rach-Schwerd in ihre Hand / das ihnen nicht gegeben ist / dahero dann nicht unbillig es in unsers Chur- und Fürstl. Hauses Landes und andern constitutionen verordnet worden / daß solche Außforderung / auch die ohne Ehrenrührige Wort geschehen / wann es gleich darauff zum würcklichen Duell nicht gelanget ist / willkührlich gestrafft werden / welche Constitutiones wir auch in unserm Fürstenthum und Landen hiermit erneuret haben wollen.

Be-

Betreffend aber die jenigen / so von andern provocirt und außgefodert werden / so befindet sich auch bey denselbigen / wann die provocation gleich mit Ehrenrührigen Worten geschehn / keine erhebliche Ursache / warum sie gelinder anzusehen / sintemahl sie ebenmässig / indem es in ihrer Willkühr stehet zuerscheinen / oder die Sache vor die ordentliche Obrigkeit zu bringen / keine Nohtwehr anzuziehen haben / und der Schimpff / der ihnen ob dem nicht Erscheinen / vermeindlichen entstehen würde / eine blosse Einbildung ist / und nicht weniger / als wann einer wegen zugefügter schimpfflichen Wort außfordert / wider GOttes Wort und der Obrigkeit Verbott laufft. Und dieweil auch der Provocant und Außforderer gemeiniglich nicht ohne gefähr / sondern nach dem Er vorher durch gegebene Ursach und offtermahls Ehrenrührige Worte und Nachreden irritiret und bewogen worden / den andern beschicket / und zum Duell außfodert / und nichts desto minder auß obangeregten Ursachen / solcher beschehenen exacerbation unerachtet / auff erfolgte Entleibung vor einen Todtschläger gehalten / und daher mit der ordentlichen Straffe des Todtschlages beleget wird / so kan auch dem Provocato in keinem Wege zu statten kommen / daß er durch die beschehene Beschickung und Außforderung von dem provocante irritiret und zu Erscheinung gleichsam auffgebracht worden / bevorab in Fällen da er / wie es offt geschicht / sich zu dem provocanten mit harten Worten und schimpflichen Reden und Gebährden / auch wol sonst in andere Wege genöhtiget. So ist es auch ein übel eingebildeter Wahn / als wann dem provocato an seiner Hertzhafftigkeit und Geburts-Ehren / oder professions-Standt / was abgienge / wann er zu dem Duell nicht erscheinen solte / sintemahl die Hertzhafftigkeit und Mannheit nicht darinnen bestehet / daß man ohne Vernunfft sich blind hinein nach der Affecten Auffsteigung in Gefahr begeben / sondern daß man vorher die Umstände der Honestät und Ehrbarkeit / auch eines besondern Nutzes und ehrlichen Lobes wol betrachte. Und gleich wie der keines Weges für feig und kleinmühtig zu achten / der sich derer Thaten enthält / dar-

auß ihme sonsten ein sonderbahrer Schimpff und Schaden unfehlbahr entstehet: So wird ja von ihm dergleichen viel weniger mit Fug und Warheit gesaget werden können / wann die vorgefallene Occasion also beschaffen / bey welcher nicht allein kein rechtes Lob der Mannheit / sondern auch darzu die höchste Gefahr Leibes und der Seelen Seeligkeit / so allen irdischen Gütern weit vorzuziehen / unfehlbahr zu besorgen ist. Welches alles / weiles ins gemein einen jedwedern / auch hohen Personen und die im Adelstande begriffen / angehet: So kan auch das Verbott der Balgereyen / und die auff dasselbe gesetzte Straffen mit Fug / und gutem Gewissen nur auff die plebejos und gemeine Leute nicht restringiret und gezogen werden. Und gilt darwieder keine Opinion und Gewohnheit / wie alt und eingewurtzelt die auch immer seyn möge / also gar / daß sie als dem Göttlichen und natürlichen Recht auch aller Ehrbarkeit zuwider / in Ewigkeit nicht verjähret werden kan.

Derowegen wir dann auch unsers Orts nicht unbillig obigem Schluß zu Folge ohn Unterscheid der Personen diese Verbrechung zu anthen gemeynet seyn.

Und befehlen darauff obgedachten unsern Land-Ständen und andern Unterthanen / wes Standes die seyn / daß sie sich solches Lasters bey Vermeidung unser höchsten Ungnade und unnachlässigen Bestraffungē gäntzlich enthalten / und darzu niemand einigen Raht / That oder Vorschub heimlich oder öffentlich / in was Wege oder Weise es auch immer geschehen könte / leisten / sondern vielmehr ein jedweder / so viel an ihm ist / dasselbige mit rechtem Ernst und Eyfer abwenden helffen solle; Gestallt dann unser ferner Wille und Meynung ist / daß alle Gerichts-Herrn / Beampten und andere Obrigkeiten / in deren Gerichten solche Duella und Balgereyen fürgehen / bey Zeiten inhibition thun / auch die Wirthe / Haußvätter in denen Häusern und da etwan bey Conviviis, Hochzeiten / oder andern darzu Ursach und Anlaß gesuchet wird / Friede gebieten / und da demselben nicht statt geben wird / wie man solcher Zäncker und Stäncker sonsten in andere geziemende Wege loß wer-

werden könne / mit Zuziehung der andern geladenen Gäste (als dann dißfalß unserm Christlichen Desiderio nach / die von der Ritterschafft uns unterthänig an die Hand zugehen / jüngsthin zugesaget und versprochen haben) zusehen: Da aber über dasselbige das Balgen fortgestellet wird / bey der Pflicht / damit sie uns verwandt seyn / sich äusserstes Fleisses und Ernstes bemühen sollen / daß die Thäter / insonderheit / da etwan einer oder der ander gar entleibet / zur Hafft gebracht / oder der Thäter flüchtig würde / derselbige verfolget / und davon uns oder unser Regierung also gebührende Anzeige gethan werde.

Wie nun dieses alles dem Göttlichen Wort gemäß / und zu Verhütung vieler Ungelegenheit / auch zu Erhaltung guter Disciplin und Zucht / gereichet: Also vollbringen sie hieran unsern zuverlässigen Willen / und wir seynd ihnen sampt und sonders mit Fürstlichen Gnaden wohl beygethan. Signatum Gotha den 4 Septembr. 1646.

MANTISSA
EX
MINISTERII CARDINALIS RICHELII
LIBRO III. CAP. VIII.
adjecta.

PAce cum Exteris & Religionariis constabilita Gallia jam gaudebat. Eandem Cardinalis Equestri Ordini, qui quotidie in multos enses necemque ruebat, conciliaturus, intelligebat, frustra doceri, de summa viri sapientis adeóque Christiani gloria, per imperium in motus animi, ut & inimicos benevolentia amplectatur, acquirenda: itaque Regi, ad justitiæ fervorem propensissimo, ostendit, nihil adeò legibus divinis, & Reipublicæ adversum, quàm duella: quibus nobilitatis flos, summum Galliæ fulcrum, periret: sic facilè persuadetur fre-

frenum ex terrore pœnarum in reos, Edicto irrogante in quoscunque criminis affines, provocantes, provocatosve, nihil obstante quacunque gratia, quæ ullo modo impetrari posset, munerum privationem, stipendiorum, quorumcunque beneficiorum. Quod si & in munerum successores commoverentur, equestri ordine expungerentur, infamia, adeoque supplicio extremo sequentibus: quadrans fortunarum fisco cederet: provocantes triennali exilio, aggressores tanquam crimine præmeditato plecterentur: extra Galliæ solum idem ausi, mulctam absentes fortunarum, & reversi, corporis ferrent, nihil minus quàm alii: mortis supplicio etiam statuto in amicos secundarum aut tertiarum partium, æquè ac in eos, qui duellum iteratò provocarent.

Summa isthæc supplicia edicto Rex per jusjurandum sanxit, omni gratia præcisa, Ministris jussis, ne gratiam fortè importuniùs extortam animadverterent, etiam Mareschalcis Galliæ, ut dissidia nobilium terminarent, ea autoritate, quò sententiæ negligentes, & carcere, & aliis mulctis coërcerentur, insignibus nobilitatis exuti. Cumque metui posset, ne provocati, nisi comparerent, imbelles audirent, unde omnis mali origo, Rex eodem edicto asseruit, sese illam repulsam pro fortitudine ducturum & generosum animum prudentiæ capacem, muniaque militaria meritum, juratum benevolè amplexurum.

Politica Reminiscentia.

Principes Duella non possunt impunita transmittere, nisi criminis participes; cùm autoritatis compos, legumque irritamenta negligens, eâdem cum vitioso involvatur culpa. Nam populi non tantum jus commune in persona Principis violant; sed & Principes, crimine manifesto non castigato, idem peccant. Nihil autem injustius, quàm duella impunè ferri, cùm Deus jam sententiam mortis tulerit, ut sanguinem profundens, suum sit profusum spectaturus: cui lex nova suffragatur, ut qui gladium rapuerit, gladio pereat.

Dicam, nullum gravius crimen, cùm autoritas summa, quam Deus sibi reservavit, violetur. Sic enim ipse per D. Paulum, Mea est vindicta,

cta, ego reddam cuique meritum supplicium. Accedit etiam ratio Reipublicæ, quæ graviùs affligi nequit, quemadmodum enim ampla sangniuis profusio corpus debilitat, pallore & languore inducto, ita Duella generosissimum Nobilitatis sanguinem, quo Respulica maximè nititur, exhauriunt, ad diminutionem virium, extincto vivido colore adeoque splendore, cui imbecillitas succedat.

Summo tamen malo, qui succumbunt, involvuntur, salute animæ projecta, unde vindictæ divinæ semet constituunt scopum, victoribus etiam plerumque evidentissimè punitis, nisi veram pœnitentiam occupent.

Ægerrimè enim fert, suum opus destrui, tanto redemptum, Adversario animas, quarum bono omnem potentiam, adeoque miracula amoris exseruit, raptante.

Causa tanti mali in errore damnato, qui mentes mortalium subivit, gloriam in vindicta, honoris detrimentum in lata injuria, nisi armis satisfiat, constituens. Nihil autem gloriam merebitur, quod cum rationis lege, Deique voluntate pugnat. Equites quidem fortitudinis laudem hinc maximam aucupantur; extremum tamen differunt istæc virtus & raptus animi, cùm illic absit furor legibus divinis & humanis invisus; adsit verò fortitudo ex æmulatione laudata, quæ omnis periculi contemptrix, auspiciis Principis it in hostem Reipublicæ.

Suis enim finibus describitur, ad modum cæterarum virtutum, quos qui excedit, ad extrema vitii prolabitur. Unde olim Agesilaus apud Plutarchum dicebat, Fortitudinem, nisi justitiæ jungeretur, non æstimandam. Vindicta igitur privata autoritatis ipsi, etiam sanæ rationi adversatur, cùm viri cordati sit, seipsum in litibus privatis subigere, hostem conculcare. Vindicta sanè in Republica beluinum quid est; unde Socrates percussus dicebat, Asinus ego si forem, recalcitrarem; sed homo, patientiam colo. Malè collocatur honor, quod nec apud Deum, nec legem locum invenit. Ruinoso staret honor fundamento, si motui inordinato niteretur, cùm non nisi virtuti adhæreat, mentesque perversæ eùm aliunde quærant.

EX
EJUSDEM MINISTERII
LIB. IV. CAP. VI.

Rex quidem ſeveriſſimo Edicto coërcuerat duella, furor tamen Equeſtribus familiaris nonnullos exagitabat. Iſte error, gloria per vindictam quæſita, duella virtuti adſcribens, adeò profundas in animis egerat radices, ut penitus evelli nequiret. Apud Macedones olim infamiæ notam ferebat, qui hoſtem patriæ nullum occidiſſet: & apud Gallos Generoſi nomine carebat, quicunque à ſede ſocii abſtinuiſſet. Id Rex latis caverat edictis, ne flos fortiſſimorum virorum, quod à temporibus Henrici II. frequens erat, porrò periret.

Quemadmodum verò fruſtra feruntur leges, niſi ſuppliciis conſtitutis ſanciantur; Rex nihil parcebat transgreſſoribus. Marchio Pralinus, filius Mareſchalci defuncti, auſus erat cum Barone Becio congredi; unde præfectura ſecundaria Champaniæ caruit, per aliquot annos aula remotus. Sic ex ſuſpicione gravi Liancurtius, quod in gratiam Ducis Halvini Preſſianum provocaſſet, conjectura valente, ab Aula arcetur; Rege ad munus primi Cubicularii transferendum, quod Liancurtio debebatur, propenſo, niſi à fide dignis, negotioque immixtis, comprobatum fuiſſet, rem provocatione caruiſſe.

Iſta ratio coërcenda ad exemplum inſtituta, ſpem faciebat nobilitatis erudiendæ, quomodo ſiniſtrè leges honoris virtuti, Chriſtianoque characteri opponantur. Temeritati tamen nulli limites: itaque Butevillanus & Chapellanus eò provehuntur, ut Rex nolens volens juſtitiam, majore quàm unquam rigore, in eos exerceret, ne venia coronam læderet, rabie cœlum & judicium quodvis irritante. Butevillanus quidem fortitudine eximia pollebat, etiam inimicorum teſtimonio; quæ prudentiæ inops in eum furorem proruperat, ut aulæ fortiſſimum quemque provocaret, nulla ratione ſolennium ſacrorum, locive reverentia publici; adeò nihil apud ipſum valebat regium Edictum.

Poſt promulgatum illud anno ſuperiore Comitem Thorinnium duello ſuſtulerat; hoc ineunte, cum Fretæo congreſſus, ſocio cadente, in frequens Magnatum diſſidium. Hinc à Rege ſupplicium conſtitutum:

tum: quod ille præſentiens, in Flandriam abit, ubi ab Archiducis Conjuge, in gratiam Momorantiæ, interceſſionem impetrat abolendæ pœnæ. Id Rex à confeſſario monitus, ut tantum crimen per læſam conſcientiam transmitteret, Archiducis petitum eò usque ratum habuit, ut præteritorum gratia facta, reditum in Galliam permitteret, modò Aulam & Lutetiam vitaret: neque amplius à juſta clementia poſtularet.

Eadem tamen rabies, Butevillano ad duella familiaris adeò irretiebatur abolitionis indulto, ut palàm ferret, quod fama retulit, ſeſe propediem Lutetiæ, in campo regio duellum initurum. Non diſtulit ſanè Lutetiam petere, ubi Marchioni Beuuroni, inimico nuntiat adventum, ſatisfacturus de lite, quam in Flandria, ob fidem Archiduci datam, quò Beuuron excurrerat, decidere nequiviſſent. Ex utriusque voluntate deſcenditur in campum regium: terni congrediuntur, Butevillanus Chapellanus & Bertius, cum Bevrone, Buſſio Ambroſiano, & Buqueto. Sternitur Buſſius à Chapellano lethaliter vulneratus: Bertius à Buqueto graviter ſanciatur: Butevillanus & Beuvron in amplexus prolapſi, poſt abjectos enſes, pugiones expediebant; ſed æqua ſorte vitam reciprocabant, ad amicos ſeparandos uti fuerunt. Tantum audet contemptus Regis per furorem.

Rex certior, matrem Buſſii Butevillanum miſſo Nobile quodam attinuiſſe, Chapellanum Vitriaci hærere; eos Lutetiam bene cuſtoditos reduci jubet, Parlamento judicandos tradit, gratia propinquis omnia tentantibus negata, quam ſalva juſtitia indulgere non poſſet. Ex ſententia igitur Parlamenti capitis ſupplicium ſubeunt in campo Grevæ.

Politica Reminiſcentia.

Qui juſtificat improbum, & qui juſtum condemnat, eandem apud Deum incurrunt abominationem, teſte Salomone in proverbiis. Lubentiſſimè hinc in Chryſoſtomi transeo ſententiam, cui juſtitia ſine miſericordia, non eſt juſtitia, ſed crudelitas; & miſericordia, ſine juſtitia, non miſericordia ſed extrema imprudentia. Non minus errorum committitur in condonandis criminibus, quàm in frequentiſſimo juſti-

tiæ rigore, cùm utrinque prudentiæ regula requiratur, ne idem incommodum ex lenitate & severitate fluat.

Philippus filium Alexandrum monebat, subditis sese humanissimum ante regiam dignitatem exhiberet, cùm postmodum ea lenitas non foret opportuna: sapientissimè reputans, non facilè Principem erga omnes clementiam exserere, cùm subditorum salus sæpe rigorem suadeat, & autoritas sine suppliciis improborum constare non possit, Gentilium est proverbium, Ne Jovem quidem absque justitia gubernaturum. Unde Plutarchus in vita Demetrii, nihil Principi magis convenire præ ista virtute. Et Salomon, cujus testimonium omni exceptione est majus, docet, thronum regium per justitiam constabiliri. Suffragatur D. Cyprianus in libello de duodecim erroribus, cùm justitiam dicit populorum pacem, puerorum custodiam, provinciæ tutelam pauperum consolationem, sibi ipsi spem beatitudinis futuræ. Ea profectò Principi, admodum fuerit necessaria, ad aulam repurgandam à litigiosis, qui nobilium sanguinem hauriunt.

Duellum mortales infra belluas dejicit, quæ per naturam à suo genere abstinent. Neurii feruntur per sex menses, quotannis induere naturam luporum, cæterum homines: verius dixerim, gladiatores istos omni humanitate posita semper lupos tigresque humani sanguinis sitientes: pro corde ipsis furor, adeoque cupido manus in sanguine fratrum colluendi: non fortitudo, sed rabies deliberatò corpus neci, animam damnationi æternæ exponit: non lex armorum justa ad hanc barbariem obligat, sed fascinum Diaboli, rationis usum tollens.

Stulta cupido honoris fictitii, quo agitantur, monstrum est vanitatis genimen, furoris soboles, sanguinis alumnus, de quo Habacuc refert, cùm summos nobilissimos, adeoque fortissimos prædam faciat. Nulla ratio suaserit, ut priscorum sacra impunè reducantur, ubi homines ad simulacrum, quasi Moloci aut Saturni, fictitii Honoris immolentur: ut impunitas adversus sententiam Dei clarissimam valeat, à qua cœlum abhorreat, Edictis mortem, lege inferni ignes irrogante. Extremæ vel indè fuerit imprudentiæ, cùm contemptus regiæ autoritatis accedit, qua conculcata populi obsequium facilè exuunt, ad diluvium confusionum.

De

DENUNTIATIONE SAGARUM

Dissertatio.

QUæ ſint Magorum in rebus humanis vires, quæ Lamiarum, longa fuit omnium ſeculorum diſputatio. Unde & pœnæ modus, & quæ reliqua indè normam capiunt, Inquiſitionis ac judiciorum ratio, Denuntiationum vel certa vel vana fides, ambiguitate ſæpe ſua non mediocriter exercuerunt homines literatos. Excitavit, fateor, ea res, omnis ævi viros eruditos, qui non obiter in curam omnis hujus negotii incubuere: Ex antiquis quidem Michaëlem Pſellum, exactiſſimæ doctrinæ virum: è ſuperioribus & proximis ſeculis, Nidderum, Sprengerum, Spinæum, & autores alios Mallei maleficarum, Bodinum, Remigium, Jacobum Angliæ Regem, Wierium, ac Martinum Del Rio è Societate Jeſu. Quando tamen nec ſic quidē circa ſeculi hujus initia defuit, qui omnem Magicam artem eliminatum ivit, ſcriptis in eam rem ſeptem libris integris: lamias autem niſi melancholicas mulieres, vel de-

deceptrices nullas agnoſcit; & in Belgio idem Dogma ferè communi conſenſu, etiam eruditorum, hodieque, receptum videre eſt; quod & publicè edito in eam rem libello, quem inſcripſit urbis Harlemenſis Senatui, ne ſine convitiis in omnes Judices, qui graviorem illis pœnam merito ſtatuunt, defendere aggreſſus, non integro abhinc quadriennio Abraham Palinghus: unde tota recepta hactenus Judiciorum civilium ratio ac Dd. hucusque probata, ſiquidem illa veritatis aliquid habeant, vel ruunt, vel certè ruinam minantur; Ideo non exiguæ, ut quidem exiſtimo, utilitatis fuerit, de Sagarum denuntiatione, ejusque præcipuè efficacia pro ingenii inprimis & temporis ratione nonnulla literis mandare cupienti, circa initia, quæ confuſionis præcipuā in omni hac diſputatione cauſam dare viſa ſunt, duo hæc, disquirere; *quàm diverſa de Sagis eruditi Viri omnium ætatum ſenſerint*: tum *an quales hodie plerumque à vulgo, & Iudicibus quoque, eſſe exiſtimantur, tales ſint? an quales, Wierius, Scotus, Palinghus ac alii tradunt.* Inde ab inquirendi modo, ad Denuntiationum fidem delatus, ubi qualis illa hiſce Sagarum aſſertis debeatur, explicavero, finem diſſertationis faciam. Omnia enim exhaurire velle, quæ hic diſputantur, id verò eſſet volumen, non diſputationem, quod Nobiliſſimus & Ampliſſimus Ordo JCtorum poſtulat, conſcribere. Deum T. O. M. rogo, ut ſancta ſua ope hæc cogitanti, adeſſe ne dedignetur.

CAP. I.

Quo, quid de Sagis Eruditi diversorum seculorum, & Gentium, ad nostram usq; ætatem senserint, disquiritur.

I.

MAgiæ vocabulum à Persis Europa accepit. Hinc ignota ejus ob Persicæ linguæ ignorantiam significatio, diversa de vocabuli origine ac significatione etiam sentiendi authoribus nostris causa fuit. Jacobus Angliæ Rex, qui ob commercia suæ gentis cum Persis, omnium optimè scivisse vocabuli sensum videri posit, Dæmonologiæ, ut quidem illam inter opera Regia Londini 1619. latinè edidit Jacobus Montacutus Wintoniensis Episcopus, (nam illa Hanoviæ edita, & ex Anglico versa non utemur, quòd sæpe mentem Regis non satis assecutus sit, qui latinè reddere tentavit) lib. 1. cap. 3. *Magus*, ait, *in lingua Persica divinarum scientiarum contemplatorem sonat & interpretem.* Jul. Cæsar Scaliger in Exercit. de subtilitate ad Cardanum exerc. 327. nomen, ait, *magi apud vulgum odiosum facit colluvies impostorum, at apud Persas nihil aliud quàm sapientem notat.* Hinc Philo Judæus *libro quod omnis probus liber*, cum Græcorum Philosophis, Indorum Gymnosophistis, & Hebræorum Essæis Persarum magos componit, *qui naturæ*, ut ait, *opera scrutantur, veritatis cognoscendæ studio, per otium divinas virtutes clarioribus & expressioribus rationibus docentur & docent.* Martinus DelRio è Societate Jesu, disq. mag. *lib. 1. c. 2:* §. *ult.* id initio proprium nomen apud Persas fuisse vult sacrorum Antistitibus, Regum Moderatoribus, Philosophis ac Theologis, ex Hieronymo, Apulejo, Hesychio & Suida, quibus adde non observatum ipsi Ciceronem lib. 1. de divinatione. Melchior Goldastus in tractatu postumo inscripto Rechtliches Bedencken von Confiscation der Zauberer und Hexen Güter. *p. 6. lit. a.* ex variis, sed sequioris ævi scriptoribus, quos, quòd rei probandæ minimè idoneos

neos credamus, nominare omittimus, *virum doctissimum*, *sapientem, ac peritum physicum* eo indigitari scribit.

II. Eduardus Pocockius, quo neminem hodie Arabicæ ac aliarum Orientalium linguarum ac literaturæ illius omnis post Seldeni fata doctiorem habet Anglia, ex Abulfarei Specimine historiæ Arabum p. 146. Alfiranzabadii scriptoris Arabis sententiā de origine vocis Magus recitat, ac à Mije Gush, quod Persarum lingua aures breves exprimit, dictum censet, eo quod breves essent primo Magorum & Magiæ inter Persas doctori aures. At Elichmañus Persicæ linguæ peritissimus, ac civitatis Lugdunensis in Batavia Medicus, vocem μάγος, Persicè sonare Mog, Gisberto Voëtio scripsit, ut quidem ille tomo 3. selectarum disputationum, disp. 38. th. 1. tradit, idque proprium fuisse ipsius Zoroastri nomen, primi autoris, vel saltem inter Persas instauratoris Magiæ. Nos, quin quod Jacobus Rex, & DelRio, ac cum illis scriptores alii censent, si de antiquo vocabuli sensu, Elichmanni verò sententia, si de origine quæratur, probari possit, causam videmus nullam.

III. Wilhelmus Zepperus in explicatione LL. Mosaicarum Forensium, Magiæ generali vocabulo ita utitur, ut dæmoniacam solùm intelligat, eamque lib. 4. c. 4. describit: *Pactionem cum diabolis, DEI hostibus, ut illorum ope, cognoscantur, vel efficiantur, res non necessaria, vel ad explendas malas cupiditates, vel ad ostentationē, vel ad vitæ commoditatem, spectantes; vel ut ab ipsis accipiantur, quæ à solo DEO petendæ & expectanda sint:* Eamque sententiam etiam Thomæ Erasto, viro magni alioquin Judicii, placuisse, ex disput. contra Paracelsum *part. 1.* apparet, ubi dicit, *nullā magiam inveniri licitam*; quamvis cautiùs non nihil deinceps, ea de re loquatur, *in Repetitione disputationis de lamiis pag. 12.* Sed & Jacobus Rævardus *in cap. 23. ad LL. XII. tabb.* ubi *magiam* definit, *rem occultam, non minus tetram, quàm horribilem, plerumque noctibus vigilatam, ac tenebris abstrusam, & arbitris solitariam & carminibus murmuratam, cui non modò servorum, sed & liberorum pauci adhibentur*, in malam solùm partem Magiam accipit. Et Ludovicus Mylichius tractatu Germanico, quem inscripsit Zauber-Teuffel/ Magiam & germanicum Zauberey/ ut patet ex *cap. ejus 2. initio*, perinde

inde accipit. Verùm enim verò generali vocis sensu, non dæmoniacam solam, verùm Naturalem quoque, ac quam tertiam speciem aliqui addunt, (aliis eam sub naturali comprehendentibus) Artificialem contineri, satis, tum ex his, quæ in præcedenti thesi diximus, tum ex iis, quæ Philo Judæus libro *de special. legib.* & Plinius *lib. 30. Hist. nat. c. 1.* & è recentioribus post Azorium, DelRio *lib. 1. c. 2.* Carolus Molinæus *ad Consuet. Paris. tit. 1. de matiere feodal.* §. *30. n. 38.* Torreblanca *in libris de magia lib. 2. c. 1.* observavit, liquidò apparet: Quamvis nec id diffiteamur, quod vir doctus in Historia Magorum scripsit, *vulgarem & usitatissimam esse acceptionem, qua magi, maleficos & præstigiatores, Dæmonum ope commercioq; utentes, significant.*

IV. Est ergo, ut rectè dividit Voëtius *d. disp. 38. th. 2.* vel *licita vel illicita.* Illa Naturali constat, & si quis strictiori sensu vocem accipere velit, etiam Artificiali. Ita Naturalis periti celebrantur Democritus, Cardanus, Lævinus Lemnius, Joh. Baptista Porta (nam, quod Bodinus in Refutatione Gallica opinionum Wierii, illum ideò quòd magicum unguentum describit, inter maleficos refert, immeritò fieri ab eo omnibus constat, & ipse Porta de injuria conquestus est postrema editione) ac alii, quos prolixiùs cæteris recenset Goldastus *d. tr.* §. *6.* Artificialis cognitione celebrantur Archimedes, Architas Tarentinus, Albertus Magnus, paulo ante nostram ætatem Cornelius Drebbelius, mirabilium inventorum laude conspicui. Ast *illicita* illa est, *quæ mira ope & auxilio dæmonis patrat*, cujus exempla habemus certissimorum Historicorum fide Zythonem Magum, in Wenceslai, (vide de eo Dubravium Episcopum Olmuziensem *rerum Bohemicarum lib. 23.*) ac aliquandiu Scotum in Rudolfi II. Imperatoris aula, & passim in Germania & Italia, (vide Jacobum Regem Angliæ *in Dæmonologia lib. 1. cap. 6.*) Sagas & maleficos nostra ætate alios. Sunt autem hujus species iterum plures, quas omnes recensere instituti nostri non est. Videat, cui volupe est, præ cæteris Goldastum *d. tr.* § *9. p. 35. & seqq.* & §. *30. p. 79.* DelRio *lib. 2. qu. 3.* Henricum Cornelium Agrippam ad Nettesheim *de incertitudine & vanitate omnium scientiarum cap. 45.* Zepperum de LL. Mosaicis *lib. 4. c. 4.* Bodinum *de la demonomanie des sorciers lib. 2. c. 1.* & passim, quorum tamen non omnia

mnia probamus; Goldasti, Agrippæ, Zepperi illa inprimis, cùm non pauca illorũ, accurati judicii censuram haud ferre, non difficile probari posse existimemus. Nobis, missis in præsens cæteris, de illa saltem, cujus rei vel reæ, Malefici, Lamiæ, Striges, Sagæ Latinis, ac barbarè Sortiariæ hodie aliquibus dicuntur, disquirere mens est: ita tamen, ut quæ de fœminis, siquidem viris competere possint, de illis etiam, si Malefici sint, intellecta velimus.

V. Quas Latini Maleficas & Sagas, ii Græcis hodiernis accepto à Latinis nomine striges ac Gellones, Leone Allatio in epistola de nonnullis Græcorum opinationibus teste, Hispanis Bruja, Castro Palao *tom. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 16. §. 5.* Italis Jannara, maga, fattucchiera, striga, strea, incantatrice, Wier. *c. 1. lib. 3. de præstigiis.* Gallis sorciers, Germanis variis nominibus, plerumque tamen **Hexen/Zauberinnen/Alrauen/Trutten/Unholden** appellantur; vide de germanicis eorum nominibus Goldast. *d. tr. germ.* §. 28. Eorum vetustissima apud bonæ notæ autotes est memoria: ut de Mosaicis antiquissimis scriptis, & aliis Scripturæ locis, ex quibus Bodinus contra Wierum, Danæus in dialogo de veneficis *c. 2. p. 37.* ac Theodorus Thummius tractatu theologico de Sagarum impietate q. 1. testimonia colligunt, nihil dicamus. At quid eo significetur, non conveniunt invicem, qui nomen agnoscunt: quare diversis primùm collatis hoc capite sententiis, altero quid verè sint, dispiciendum nobis erit.

VI. Antiquissimus è profanis scriptoribus, quorum hodieque inter Græcos quidem & Latinos certa scripta existant, haud dubiè Homerus. Is quin Sagas & Lamias sciverit, dubio vacat, ex iis, quæ de Circe & mutatis Ulyssis sociis commemorat. Atque isthæc quòd longa nimis sint, hic exhibere prohibemur, quæ quivis apud eum legere potest. Proxima post illum, hujus Magiæ Dæmoniacæ à nobis quidem observata mentio est, apud Hyppocratem, circa Seculi quarti finem, post annum ab orbe condito secundùm Scaligerum 3000. Ejus in libro de morbo sacro hæc, ut quidem latinè versa, verba sunt: *Mihi certè, qui primi hunc morbum ad Deos retulerunt tales esse videntur, quales sunt Magi, Expiatores, Circulatores ac arrogantes ostentatores, qui se valde pios esse, plurimumq; scire simulant. Hi quippe divinitatis obtentu*

tentu

tentu ac prætextu, cùm nulla opera prodesse possent, ne inscitiam suam proderent, sacram hanc esse affectionem censuerunt. Et paulò pòst: *Quanquam mihi quidem non de pietate, verùm de impietate potiùs verba facere videntur, & Deos non esse profiteri, eorumq́ pietas & divinitas, sicuti docebo, in impietatem & nefarium scelus vertitur. Si enim lunam deducere & solem obscurare, tempestatemq́ & serenitatem inducere, & imbres ac siccitates, mareq́ sterile & terram facere, cæteraq́ id genus se scire profitentur, sive ex sacrorum mysteriis, sive ex alio quovis consilio aut cura hanc sibi potentiam vendicant, qui his rebus operam navant, mihi quidem impii esse videntur, neque Deos esse existimare, neque si sint, quicquam posse, neque aliquod summum malum propulsare posse, cujus rei gratia, cur non ipsis infesti sint? si quis enim magicis artibus & sacrificiis lunam deducet & solem obscurabit, tempestatemq́ & serenitatem inducet, non equidem horum quicquam divinum sed humanum esse censuerim, siutique divina potentia humano consilio superatur, & in servitutem asseritur.* Unde satis apparet, & quid ea ætate sibi tribuerint malefici, & quid senserit de illis Hyppocrates.

VII. Ex Philosophis antiquioribus Plato *lib. 2. de Legibus*, post legem de illis, qui pharmaco exhibito nocent scriptam, addit alteram de incantationibus, quibus ipse tamen an noceri possit, dubitavit. Videatur in locum hunc Platonis Erastus *pag. 8. & 9. Repetitionis.* Aristoteles nihil quidem admodum disertè de Sagis memoriæ prodidit, quia tamen & ipse & communiter Peripatetici antiquiores, Alexander, Simplicius, Averroës, ut monet Binsfeld. de Confess. malefic. præludio 1. quod & de Aristotele probat Pomponatius Bononiensis Professor, libro *de incantationibus*, dæmones negabant: & pacta cum illis negasse, ac Sagas quales verè sint, esse non credidisse controversia caret: quin *lib. 8. de Historia animalium c. 24.* incantamenta muliercularum figmenta esse putat.

VIII. Augusti Imperatoris ævo, ipso seculo in quod incidit Nativitas Salvatoris nostri, vixit Virgilius, is de Sagis his ecloga 8.

Carminibus Circe socios mutavit Vlyssis.

Ac eodem loco:

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

libro 4. Æneid. apud eundem, Regina Carthaginis Dido ad Annam sororem de Saga hujusmodi:

Hinc mihi Maßilæ gentis monstrata sacerdos,
Hæc se carminibus promittit solvere mentes,
Quas velit, at aliis duras immittere curas,
Sistere aquam fluviis, & flumina vertere retro,
Nocturnosq; ciet manes: mugire videbis
Sub pedibus terram, & descendere montibus ornos.

Canidia, quam ipse cognoverat, ut ex sermon. *sat. 8. v. 5.* apparet, eodem ævo invitavit Horatii calamum, ut quid posse crederetur describeret *lib. Epodon, Ode ult.*

Quæ movere cereas imagines
Vt ipse nosti curiosus, & polo
Deripere Lunam vocibus possum meis,
Possum crematos excitare mortuos
Desiderique temperare poculum.

Sed & duarum aliarum ætate sua famosissimarum *Ode 5. Epodon* meminit. Quin Ovidii etiam lib. 14. Metam. de Circe, Epistola Hypsypeles de Medea Circis nepte, quæ exstant, ut & Tibulli, Propertii, Petronii Arbitri, Nemesiani veteris Bucolicorum scriptoris, Lucani, Senecæ, Claudiani, collectas jam à DelRio & carmine expressas sententias, (quos omnes, paria cum Virgilio & Horatio de sagis his sensisse apparet) brevitatis studio præterimus. Merentur tamen legi omnes, inprimis Ovidii, & præ iis Lucani illa, quæ de Thessalica saga Erisichto lib. 6. prolixius & reliquis accuratius memorat.

IX. Plinius Senior naturalis historiæ scriptor quid de Sagis senserit nemo dubitare potest, ex iis quæ de Magia tradit, *libro 30. cap. 2. ibi: quæ omnia ætate nostra Princeps Nero vana falsaq; comperit: quippe non cytharæ tragiciq; cantus libido illi major fuit, fortuna rerum humanarum summa gestiente in profundis animi vitiis. Primumq; imperare Diis concupivit, nec quicquam generosius voluit, nemo unquam ulli artium validius favit. Ad hæc non opes ei defuere, non vires, non dicendi ingenium, aliaq; non patiente mundo. Immensum & indubitatum exemplum est falsæ artis, quam dereliquit Nero:* Et paucis interjectis pergit:

git: *Magus ad eum Tyridates venerat, Armeniacum de se, triumphum afferens, & ideo provinciis gravis. Magos secum adduxerat, magicis etiam cœnis eum initiaverat: non tamen cùm regnum ei daret, hanc ab eo accipere artem valuit: Proinde ita persuasum sit, intestabilem, irritam, inanem esse, habentem tamen quasdam veritatis umbras, sed in his veneficas artes pollere non magicas.* Nec aliter idem *lib. 28. c. 2. ex homine remediorum primum maximæ quæstionis, & semper incertæ est, valeant aliquid verba & incantamenta carminum. Quod si verum est, homini acceptum ferri oportere conveniet. Sed viritim sapientissimi cujusque respuit fides.* & libro 29. c. 3. *Magorum solertia occultandis fraudibus sagax est.* Haud dubiè in reliquis illis quibus temporum iniquitate caremus libris, plura leguntur, unde apparere liquidò possit existimasse Plinium, nihil eorum, quæ patrare se credunt, efficere Sagas.

X. Coævus Plinio fuit & Seneca Philosophus. Is Naturalium Quæstionum *lib. 4. c. 7.* de Maleficis sequentia scripsit: *Apud nos in duodecim tabulis cavetur, ne quis alienos fructus excantassit. Rudis adhuc Antiquitas credebat, & attrahi imbres cantibus & repelli: quorum nihil posse fieri tàm palam est, ut hujus rei causa nullius Philosophi Schola intranda sit.* Apulejus Madaurensis Philosophus Platonicus, qui sub Antoninorum, Pii & Philosophi imperio floruit, ac aliquibus etiam Magus fuisse creditur, libris Metamorphoseon totus ferè est in sagarum suæ ætatis actionibus describendis. Merentur inprimis illa ipsius legi in eam rem quæ habet *lib. 1. Metam. editionis Hamb. Iohannis Wovverii pag. 143.* de caupona Meröe anu, quæ ipse à Socrate quodam acceperat, atque quorum nonnulla sibi visa ipse deinceps commemorat. Socrates is ad illum, concitatiorem in Meroen, *Tace, tace,* inquit, *parce in fœminam divinam, ne quam tibi lingua intemperánte noxam contrahas*: excipit Apulejus; *ain tandem,* inquam, *potens illa & Regina caupona quid mulieris est? Saga,* inquit, *& divina, potens cœlum deponere, terram suspendere, fontes durare, montes diluere, manes sublimare, Deos infirmare, sidera extinguere, tartarum ipsum illuminare.* paulò pòst, *quod in conspectu plurium perpetravit, audi. Amatorem suum, quòd vi aliam temerasset, unico verbo mutavit in feram castorem, quod ea bestia captivari metuens ab insequentibus, se præcisione genitalium liberat: ut illi quoque*

 simile,

simile, quod venerem habuit aliam, proveniret. Cauponem quoque vicinum, atque ob id æmulum, deformavit in ranam. & nunc senex ille dolium innatans, vini sui adventores pristinos in face submissus officiosis ronchis raucus appellat. Alium de foro, quòd adversus eam locutus esset, in arietem deformavit, & nunc aries ille causas agit. Eadem amatoris sui uxorem, quod in eam dicacule probrum dixerat, jam in sarcinam prægnationis obsepto utero, & repigrato fœtu, perpetua prægnatione damnavit, & ut cuncti numerant, octo annorum onere misella illa, velut elephantum paritura, distentitur. Longior est oratio, quam ut integra adjici possit, inprimis corũ quæ ipse ibi se vidisse scribit: unde & Sagas existimasse, & vidisse Apulejum, satis liquidò constat: ut prolixè, quæ de sua mutatione & unguento magico Photidis commemorat, adducere nihil necesse sit.

XI. E nostris Arnobius inter seculi quarti Patres, cujus initio ætatem egit, de Maleficis his, *Quis enim*, ait, *hos nesciat, aut imminentia studere prænoscere, quæ necessariò (velint nolint) suis ordinationibus veniunt, aut mortiferam immittere quibus libuerit tabem, aut familiarum dirumpere charitates, aut sine clavibus reserare, quæ clausa sunt, aut ora silentio vincire, aut in curriculis equos debilitare, incitare, tardare, aut uxoribus & liberis alienis inconcessi amoris flammas (sive illi mares sint, sive fœminei generis) & furiales immittere cupiditates.* Augustinus Patrum haud dubiè doctissimus, eximiis illis libris de Civitate Dei, quibus tantùm ex deperditis veterum, etiam Varronis Romani scriptis continetur, ut incomparabilis thesauri loco pridem eruditis habiti sint, *cap. 18. lib. 18.* Lamiarum hujusmodi meminit: *Si dixerimus ea non esse credenda, non desunt etiam nunc, qui ejusmodi quædam vel certissima audivisse, vel etiam expertos se esse asseverent. Nam & nos cùm essemus in Italia, audiebamus talia de quadam regione illarum partium, ubi mulieres stabularias his malis artibus imbutas, in caseo dare solere dicebant, quibus vellent, seu possent viatoribus, unde in jumenta ilicò verterentur & necessaria quæque portarent: postq̃ perfuncta opera iterum ad se redirent: nec tamen in eis mentem fieri bestialem, sed rationalem humanamq; servari: sicut Apulejus in libris, quos Aurei asini titulo inscripsit, sibi ipsi accidisse, ut veneno accepto, humano animo permanente,*

asinus

asinus fieret, aut indicavit aut finxit. Hæc vel falsa sunt: vel tam inusitata, ut meritò non credantur. Deinceps & alia subjungit, inter ea quoque quibus facilius fidem adjungere videtur, *quædam*, addit enim, *ad nos non quibuscunque qualibus credere putaremus indignum, sed eis referentibus pervenerunt, quos nobis non existimaverimus fuisse mentitos:* Unde Reinaldus Scot Anglus, vix abstinet à contumeliis in illum *lib. 4. c. 3. p. 105.* Verba illius latinè versa hæc sunt: Bodinus & alii judices Sagarum valde superbiunt ideo, quòd B. Augustinus similia videatur concedere. Et in libris sanè ejus harum rerum nimia est copia, ut mihi quidem videatur satius esse dicere, à Pontificiis nonnulla hic addita esse, quàm à Viro adeò erudito scripta; quicquid sit non visa sed audita refert. Quæ tamen prior Scoti conjectura corruptorum librorum, constanti fide editorum & MSS. codicum facilè refellitur.

XII. Qui secuti sunt Augustinum, vel eadem cum illo ætate vixerunt, nihil ferè diversum ab illo, aut aliis quos memoravimus, quod dignum memoria sit, & constet, satis longo temporis intervallo tradiderunt: nisi quod Hieronymus nonnullis visus est, in Commentario in Epistolam ad Galatas c. 3. ℣. 1. negare sortilegos. Sed non negasse, verùm de fascinationis negotio dubitasse Patrem eruditum, satis illa ipsius ostendunt, *hoc utrùm verum nec ne, Deus viderit.* At seculo duodecimo, Michaël Psellus, Græcus, Vir Doctissimus, & Philosophus sine pari aliquot in Græcia seculis, novi aliquid circa hoc negotium molitus est. Is à Marco Monacho & sene, Magicam artem plurimis annis edocto, & deinceps ad Christiana sacra salubriori consilio iterum converso, multa quæ de Dæmonum natura, de Magis, Sagis morbisque ab illis immissis acceperat, literis tradidit, peculiari in Dialogi modum edito libello, ubi ipsi percunctanti & objicienti respondet Marcus. Ejus libri partem, sed valde mutilam, jam olim nactus erat & latinè versam edidit tom. 2. operum suorum Marsilius Ficinus: sed longè auctiorem, ex Regiæ, quæ Lutetiæ Parisiorum est Bibliothecæ, immenso illo græcorum Codicum MSStorum thesauro, seorsim edidit Fredericus Morellus Professor Græcarum literarum Regius. Sanè luculenter indè, si usquam, patet, illum cum

Marco suo & Sagas credidisse, & eorum affectus plures. Unde nec difficili conjectura quid reliqua Græcia tum senserit, colligere licet, perspecta Viri inter illos doctissimi & Philosophi & Episcopi primarii sententia.

XIII. Scholasticorum mentem in hoc negotio non difficilè ex Sprengeri Maleficarum malleo qu. 1. & Binsfeldio *de Confessionibus Maleficorum*, *præludio sexto* aliquis collegerit, inprimis p. 24. & 25. ubi Thomæ, Scoti, Guilhelmi Parisiensis, Silvestri, Gabriel. Angeli, Gersonis, Martini, Arles, Victoriæ, Castrensis, Turrecrematæ sententias, approbantium dari verum & reale pactum cum Diabolo & Maleficis, recenset. Sed & Sorbonæ nihil diversum placuisse anno 1318. *ex Determinatione Parisiis facta, per almam Facultatem, super quibusdam superstitionibus noviter exortis, ejusque 28. articulis*, quam integram edidit, & tractatui suo de la Demonomanie præmisit *Ioh. Bodinus*, cuivis cognoscere integrum est.

XIV. Sed nec tunc vel insequentibus seculis alia mens Romanis Episcopis. Ex illis Innocentius VIII. Bullâ Henrico Institori & Jacobo Sprengero concessa anno 1484. potestatem facit inquirendi in Lamias hujusmodi. Ipsa constitutio integra præmissa est editioni Venetæ Mallei maleficarum anni 1576. ac aliis. In Septimo enim decretalium sub titulo de Maleficis & Incantatoribus, quæ exstat cap. 4. fine mutilata est; Cujus verba, quia quid tum in Germania fecisse crederentur, in plurimis ejus provinciis Sagæ exponunt, adjicimus: *Sanè nuper ad nostrum non sine ingenti molestia pervenit auditum, quæ in nonnullis partibus Alemanniæ superioris, nec non in Moguntinensi, Coloniensi, Treveriensi, Saltzburgensi & Bremensi provinciis, civitatibus, terris, locis, & diocœsibus complures utriusque sexus personæ, propriæ salutis immemores, & à fide Catholica deviantes, cum Dæmonibus, Incubis, & Succubis abuti, ac suis incantationibus carminibus & conjurationibus, aliisq; nefandis superstitionibus & sortilegiis, excessibus, criminibus, & delictis, mulierum partus animalium fœtus, terræ fruges, vinetarum uvas & arborum fructus, nec non homines, mulieres, pecora, pecudes & alia diversorum generum animalia, vineas quoq; pomeria, prata, pascua, bleda, frumenta & alia terræ legumina perire, suffocare & extingui facere & procurare, ipsosque homines,*

nes, mulieres, jumenta, pecora, pecudes & animalia diris tam intrinsecis, quàm extrinsecis doloribus & tormentis afficere & excruciare, ac eosdem homines ne gignere, & mulieres ne concipere, virosq́; ne uxoribus, & mulieres, ne viris actus conjugales reddere valeant, impedire. Fidem præterea ipsam, quam in sacri susceptione baptismi susceperunt, ore sacrilego abnegare, aliaque quàm plurima nefanda, excessus & crimina, instigante humani generis inimico, committere & perpetrare non verentur, in animarum suarum periculum, divinæ majestatis offensam, ac perniciosum exemplum ac scandalum plurimorum. Similia circa initia seculi decimi sexti repetunt d. tit. in Decret. Septimo, Adrianus Sextus, ad Inquisitorem Comensem, (unde quid in Lombardia nocuerint tum Sagæ patet.) Et in Concilio Lateranensi, & ad Ordinarios dominii Venetorum Leo X. Quin ipse Sprengerus, (quod nomen autoris cùm antè ignoraretur, Malleo huic ex Trithemio restituisse, Raffaëlem Maffeum, in Veneta editione anni 1576. testatur typographus) quid effectum sit in Germania, variis exemplis, quæ exhibet Malleus maleficarum, satis superque ostendit. Nidderus ac ferè reliqui, qui in ultima ac altero tomo aucta Mallei editione anni 1628. accesserunt, Sprengerum sequuntur, ut de eorum sententia seorsim disquirere nihil opus sit. Sed, & Trithemius Spanheimensis Abbas, eo tempore libello, quo respondit 5. quæstionibus à Maximiliano Imperatore propositis, Sagas, earum pactum cum Dæmone, ac ab illis hominibus illatas noxas & agnoscit, & pluribus de illis ac diversis Dæmoniorum generibus, magnam partem ad eundem cum Psello modum, agit.

XV. Circa seculi hujus XVI. medium, ut omnibus literis novus splendor accessit, certatim ad eas excolendas ingeniis melioris notæ se accingentibus, quòd multis jam & melioribus libris typis descriptis colligere Bibliothecas promtum esset, non pauci tunc in ipsa etiam Italia inquirere in rei hujus veritatem cœperunt, diversis, ut plerunque inter homines consuevit, sententiis. Ex iis Andreas Alciatus jam anno 1536. edidit libros Parergon, ac *lib. 8. c. 22.* quid ipse in hujusmodi causis, perspectis diligenter actis Sagarum, contra quas agebat, Inquisitori Vallium Subalpinarum responderit, cùm ipsum consuluisset, exponit. Eum locum, quia Wierius mutilum adduxit, & adducunt ita ferè omnes (ut con-

conferendo notavi) qui veneficas mulieres solùm melancholicas esse existimant, non inspecto Alciato, ex ipso Alciato subjungam: *Cùm primùm Doctoreis insignibus ornatus domum me contuli, prima in qua mihi de Iure respondendum fuit, hæc oblata est causa: venerat quidam hæreticæ pravitatis, ut vocant, Inquisitor in subalpinas valles, ut adversus hæreticas mulieres, quas veteres Lamias, nos striges vocamus, inquireret: is jam plurimas, & quidem supra centum, flammis consumpserat, quotidieque ceu nova holocausta, alias super alas Vulcano offerebat, è quibus non paucæ helleboro potiùs quàm igne purgandæ videbantur: donec rustici acceptis armis vim illam inhiberent, & negotium ad Episcopi judicium deferrent.* Hucusque Wierius *c. 22. de lamiis*, atque illa quæ sequuntur, & præcipuè mentem Alciati continent, omittit: *is missis ad me actis, petiit ut consilij mei copiam hac in re ei facerem. Non una erat earum species: aliquæ in crucem imminxerant, Christum Deum abnegaverant, præsentes ipsæ & vigilantes veneficiis atque devotionibus infantes extinxerant: Respondi, in has suo munere fungeretur Quæstor. Aliquæ cùm interdiu matribus minatæ essent, noctu ad earum filios, quamvis obseratis, clausisq; valvis, irrepserant, fascinàverantq;: constabat eos repentino morbo, & Medicis non cognito decessisse; & de his respondi idem dici posse: etenim etiamsi demus personaliter eas non accessisse, tamen id Lemuribus suis mandasse videri possunt: hoc enim casa extra somnium peccatum fuit. Aliqua nil ultra egisse arguebantur, nisi quòd sub arbore Tellina Choreas duxisse & ad ludum illum accessisse dicebantur, idq; aliquot ex sociis adtestabantur, cum tamen ipsæ hoc negarent.* De tertia hac specie ait, sibi solũ cum Inquisitore litem intercessisse, qui ipsas ad torturam postulabat, se reluctante, quòd putaret hæc dormientes vidisse, & in somniis, accedente inprimis testimonio maritorum nonnullorum magnæ fidei hominum, ut ipse judicat, qui eo tempore, quo hæc accidisse dicebantur, uxoris secum in lecto fuisse decerent.

XVI. Viginti circiter annis post, Hieronymus Cardanus Mediolanensis Medicus & Philosophus, suos de rerum varietate edidit Commentarios. Illius operis lib. 15. cap. 80. *Striges* seu *Lamias & fascinationes* inscripsit. Ac postquam ex Hectore Boëtio historiam Duffi Regis à Sagis afflicti, ac alias nonnullas, inter eas quasdam ex

Fran.

Francisco Mirandulano adduxisset, addit demum quid ipse de Lamiis his existimet: *Quòd autem genus hoc hominum sit, quas Lamias vocamus (vulgò strigas, à strige ut opinor, ave nocturna & infausta, quod utrumque his conveniat deductum) scire primùm decet: sunt hæ mulierculæ mendicæ, miseræ, in vallibus victitantes castaneis & aggrestibus oleribus, & nisi lactis quippiam adesset, vivere omnino non possent. Ideo etiam macilentæ, deformes, oculis emissitiis, pallidæ, & subobscuræ, bilem & melancholiam ipso intuitu præferentes. Sunt taciturnæ, amentesq; ac parùm ab his quæ dæmonio teneri creduntur, differunt. fixæ in suis opinionibus, atque adeò firmæ, ut si solùm ad earum verba respicias, quàm intrepidè qua constantia ea referunt, quæ neque unquam fuerunt, neque esse possunt, vera illa esse existimes. Vnde nil mirum ab his moribus, his qui Philosophiæ expertes sunt, egregiè imponi. Laborare autem eas atræ bilis morbo, tum victus ratio, tum aëris qualitas, tum forma atque effigies ipsa vultus & corporis, tum verba ipsa stultitia & (ut ita dicere liceat) impossibilitatis plena, ipseq; torvus in dicendo aspectus, tum casus quidam, qui Philippi Vicecomitis Mediolani Principis ætate contigit, declarant.* Addit historiam curationis Malefici hujusmodi Bernhardi factæ, quam indè qui velit repetat. At longè diversa eodem tempore Joh. Franciscus Picus Mirandulanus Comes Concordiæ de Sagis existimavit, quod ex opere ipsius *de Ludificatione Dæmonum*, quod in Germania deinceps Weinrichius edidit, luce meridiana manifestius est,

XVII. Inter Gallos ea ætate Bodinus claruit. Is cùm ingenium variis rebus applicasset, etiam librum *de la Demonomanie* gallicè scripsit, qui deinceps latinè ac etiam germanicè editus est. Occasionem scripti ipse comemorat. Vocabatur in judicium Johanna Harvielleria, veneficio procuratæ mortis plurium personarum rea, ac id confessa, post variationes, & negationes plurimas. Ei ipse inter alios Judex dabatur anno 1578. atq; quod mirabilia, quæ de Veneficis memorantur multis incredibilia viderentur, tentasse se, ait, quædā eo de negotio memoriæ posterorū consignare, ut ipse rem exponit in præfatione. Capite primo agit de la definition des sorciers, *Sorcier*, ait, *est celuy, qui par moyens diaboliques sciemment s'efforce de parvenir à quelq; chose.*

XVIII. In Germania aliquot annis ante, Wierius, Guilhelmi

Cliviæ Ducis Medicus, & ob eruditionem valde sua ætate celebris, Tractatum de Præstigiis Dæmonum ediderat, cujus *lib.3.cap.1.* Lamiam definivit: *quæ ob fœdus præstigiosum aut imaginarium cum Dæmone initum, qualiacunq; mala vel cogitatione vel imprecatione, vel intuitu, vel re ludicra, atque ad institutum opus inepta designare putatur: velut aërem insolitis ignire fulminibus, tonitru terrifico concutere, damnosa grandinis insueti multitudine ferire, tempestates excitare, segetem in agro lætam alio transferre aut depopulari, morbos præter naturam hominibus bestiisq; ciere & mederi, paucis horis longissimè evagari, choreas cum Dæmonibus ducere, epulari, succubam agere, vel cum dæmonibus coire, seipsam & alios in bestias commutare, & mille monstrosa rerum ludibria ostentare, ut hinc facilè constet quàm longo intervallo à Magis infamibus nostra distet Lamia: qualem* nempe illum definierat *cap. 1. de Lamiis.* Eadem repetit *cap.5. de Lamiis*, nisi quòd circa initia verba illa addat: *propria, ex suo delectu, voluntate, vel maligno dæmonis instinctu, impulsuve, illiusque ope.* Atque passim tum in illo, tum in libris de præstigiis Dæmonum. Is liber de Lamiis simulac incidit in manus Bodini conscribentis tum suum de Dæmonomania tractatum, ab ipso peculiari libello quem inscripsit; *Refutation des opinions de Iean VVier*, acri stylo & peracerbo, ut erat igneum Bodini ingenium, oppugnatus est, atque inprimis hæc definitio: *breviter*, ait, *hoc dicit VVierius, Lamiam esse mulierem, quæ existimetur fœdus pepigisse cum Diabolo, ejusq; auxilio facere, quæ minimè facit.* Deinceps duo præcipuè in ea reprehendit, 1. quòd definitio essentiam rei veram explicare debeat, non imaginationem; deinde quòd sex disjunctivis constet, cùm vel una idonea sit ex Aristotelis *top. sexto* definitionem nullam reddere. Cæterùm totum hoc de pacto imaginario ipse rejicit, & verum, reale pactum intercedere veneficis cum Dæmone probare d. tractatu contendit.

XIX. Eodem tempore in Heidelbergensi Academia omnis doctrinæ laude conspicuus vixit Thomas Erastus, Medicus, Vir maximo in pretio Electori suo, ac Eruditissimis viris habitus, videantur saltem elogia, quibus Seldenus illum ornat *lib. 1. de Synedriis veterum Hebræorum cap.10. pag.429.* & ipse ejus adversarius Theodorus Beza, in Epistola præfixa Tractatui *de Excommunicatione*: Is ut ipse in præfatione

fatione Repetitionis de Lamiis scribit, cùm antè *in Disputationibus contra Paracelsum de Lamiarum arte & viribus* disseruisset, ac quædam de earum pœnis literis mandasset, hortantibus Theologis, [inter eos Joh. Jacobo Grinæo haud dubiè, cum quo familiaris ipsi intercedebat amicitia,] utramque dissertationem conjunctam in lucem edidit. Atque ille utrobique verè esse Lamias, vera pacta Diabolica, noxias etiam illarum ope verè hominibus infligi, atque ideo capitalia contra illas locum habere judicia defenderat. Hæc occasio fuit certaminis cum eo Wierii; *Is enim*, ipsius Erasti verba de hac lite, quamvis Wierium ibi non nominet, recito, *Vir doctus miseratione infelicium muliercularum permotus, pio magis, ut arbitror, quàm recto studio earum defensionem suscepit*, ipsumque Erastum *de consilio suo certiorem reddidit*, atq; cùm *rem sibi gratam* Erastus rescriberet, hinc eruditæ illæ concertationes inter utrumque, ac tandem etiam Repetitio Disputationis de Lamiis nata est: In ea postrema ergo Disputatione, ubi reliqua repetuntur, & clariùs explicantur pag. 24. Sagam definit; *Mulierem magam, vel incantatricem vel præstigatricem* (vel quomodo appellare cuique libet) *quæ, abjurato priùs Deo & Religione vera. Cacodæmoni manifesta se stipulatione mancipavit, ut* (*præter alias pollicitationes ac spes*) *ab eo doceatur carminibus, herbis, rebus aliis per se innoxiis, elementa turbare, tempestates ciere, hominibus, jumentis, agris, frugibus nocere, aliaque mirabilia & naturæ impossibilia facere*: Singula deinceps definitionis membra probat & explicat. De Magis verò p. 13. notat: *Pro Magis semper & ubique habitos esse, qui vel scire, vel facere posse visi sunt, quæ à naturalibus causis effici nequeunt, quia videlicet majora & admirabiliora sunt, quàm ut modo naturali fieri queant*: Deinceps pag. 15. rectè eas Magas appellari tradit, inter illas tamen & Magos infames, id discriminis pag. 35. & seqq. statuit, quòd 1. Striges expressa, & manifesta modis omnibus, stipulatione, societatem paciscantur cum Satana, seque in ejus tutelam & patrocinium totas tradant, abjurato priùs Deo: Magi autem, si qui inter Christianos vivant, maxima ex parte vel obscurè & nescientes involvi ejus societati consueverint, vel non æquè apertè maxima ex parte se eis dedant. 2. Quòd Sagæ sciant cui fidem jurarint, ac serviant, nec divina virtu-

te, ſed Diaboli potentia ſe omnia agere confiteantur : cùm contra plerique Magi opinentur, Dæmones poteſtate verborum, characterum, rituum, nominis Dei, conceptis verbis, & ceremoniis, comprehenſa invocatione, nolentes cogi ad ea facienda, quæ facere jubentur. 3. Quòd Striges ab ipſo Diabolo brevi tempore de iis quæ ad Dæmoniacam ſuam artem faciunt, ſi non verè, falsò tamen erudiantur: Magi ſua plerumque myſteria ab aliis Magis accipiant, vel ex libris diſcant. 4. Quòd Sagarum finis plerumque malus ſit, & cum noxia proximi conjunctus: cùm ſæpe à Magis nihil aliud quæratur, quàm ut vel delectent vel miracula efficiant: Non eſſe tamen certis terminis Lamiarum & Magorum artes ita deſcriptas, ut non alteri in alterorum fines ſubinde tranſiliant.

XX. Michaël Seigneur de Montaigne, (Is quem in moralibus Platoni & Ariſtoteli conferre in bibliographia Politica non dubitat Gabriel Naudæus) *au livre troiſieſme des Eſſais chap. XI.* quod inſcripſit *de Boyteux*, ac anno 1588. edidit, pluribus etiam de Lamiis diſſerit: Ac primum quidem cauſis ex natura humani ingenii altius non nihil repetitis, quæ multa incredibilia etiam hominibus doctis perſuadere poſſint, (quas utile fuerit apud ipſum legere) miraculorum etiam falſitate, & fraude hominum, qui Spiritus ſatis exacte fingunt, & imitantur, dubitatione Judicum propter rerum obſcuritatem, deinceps ſcribit, quæ eo quo ſcripſit ſermone, quòd verborum ipſius pondus latino ſermone aſſequi dubitemus, adjicimus: *Les ſorciers de mon voiſinage courent fortune de leur vie, ſur l'advis de chasque nouvel autheur, qui vient de donner corps a leurs ſonges: pour accommoder les exemples, que la divine parole nous donne de telles choſes, tres certains & irrefragables exemples, & les attacher à nos evenemens modernes, puis que nous n'en voyons, ny les cauſes, ny les moyens, il y faut autre engin que le noſtre: il appartient a l'avanture, a ce ſeul tres puiſant tesmoignage de nous dire ceſtuy cy en eſt, & celle la, & non cet autre. Dieu en doit eſtre creu: c'eſt vrayement bien raiſon: mais non pourtant un d'entre nous, qui s'eſtonne de ſa propre narration (& neceſſairement il s'en eſtonne, s'il n'eſt hors de ſens) ſoit qu'il l'employe au fait d'autruy, ſoit qu'il l'employe contre ſoy meſme: je ſuis lourd, & me*

& me tiens un peu au maßif, & au vrayſemblable, evitant les reproches anciens, majorem fidem homines adhibent iis quæ non intelligunt: cupidine humani ingenii libentiùs obſcura creduntur. Ac quibusdam interjectis, pergit: *Hy a quelques annees, que je paſſay par les terres d' un Prince ſouverain, lequel en ma faveur, & pour rabatre mon incredulitè, me fit cette grace, de me faire voir en ſa preſence, en lieu particulier, dix ou douze priſonniers de cette nature, & une vieille entre autres, vrayement bien ſorciere en laideur & deformitè, tres fameuſe de longue main en cette profeßion: je vy & preuves & libres confeßions, & je ne ſç ais quelle marque inſenſible ſur cette miſerable vieille, & m' enquis & parlay tout mon ſacul, y apportant la plus ſaine attention que je peuſſe, & ne ſais pas homme, qui me laiſſe guiere garotter le jugement par preoccupation: en fin & en conſcience, je leur euſſe plus tot ordonne de l' ellebore, que de la cicue:* Addit tandem: *c' eſt mettro ſes conjectures a bien haut pris, que d' en faire cuire un homme tout vif.*

XXI. Ex Gallis tum quoque Lambertus Danæus, Dialogum de Veneficis, quos olim Sortilegos nunc Sortiarios vocant, conſcripſit: quæ ſcripti fuerit occaſio, promptum eſt ex Dialogi initio colligere, ibi enim ad Theophilum Antonius: *Mira ſunt*, ait, *Theophile, quæ nuper quidam Lutetia Pariſiorum redeuntes narravere, nimirum tribus abhinc menſibus infinitum penè veneficorum hominum numerum in Gallia deprehenſum eſſe, de quorum crimine à ſummo ipſo Pariſienſi Senatu jam pronunciatum eſt, quotidieque judicia exercentur, prout hujus ſceleris rei, ad eum ex variis provinciis adducuntur varii. Et quod magis mirere, hujusmodi etiam ex quolibet hominum ordine annotantur quidam, inprimisq́; nobiles, tum viri, tum fœminæ, docti etiam, & qui rerum cognitione habentur inſignes? quid enim de vulgo hominum imperito illo & ignaro dicam? quales agricolæ, vinitores, paſtores, coloni, artifices, reliquiq́; ejusdem generis, & ii etiam vel jam ſenes, & adhuc juvenes, è quibus certo certius eſt, penè innumerabiles eſſe veneficos & ſortiarios.* Ibidem Theophilus commemorat inter illos *Honoratum Cæcum, Decreto Senatus Lutetiæ capitis ſupplicio affectum*: ac deinceps pag. 8. Venefici meminit *Gennabi ad Ligerim*, ubi ipſe Danæus vivebat, *accuſatum, deprehenſum, & ab urbis Magiſtratu poſt juſtam legitimamq́; criminis inqui-*

quisitionem damnatum, sed deinceps provocatione ad Summum Parisiorum Senatum liberatum; cùm in scelere perstitisset, jussu Magistratus Genabi suspendio vitam finisse. Ipse Sortilegos describit *qui Satanæ ita addicti sunt, ut commercium cum eo, amicitiamq; contraxerint.* Nec prætereundus Nicolaus Remigius Ducis Lotharingiæ Consiliarius, qui hoc quoque tempore eleganti stilo quæ ipse in Magos exercuerit judicia recitat, ac planè ratione summæ rerum, cum iis quæ de Binsfeldio & DelRio deinceps dicemus, convenit.

XXII. In Germania tum Binsfeldius Theologiæ Doctor & Suffraganeus Trevirensis: DelRio antehac Hispaniarum Regis Philippi II. Consiliarius, & Supremus Judex Belgici exercitus, tum Jesuita ac in Lovaniensi, Grecensi, Salmanticensi Academiis, Professor, è Romanæ Religionis hominibus: Godelmannus in Rostochiensi Academia Professor verò, è nostram religionem professis, omnes celebris famæ scriptores, quid ipsi de hoc negotio existimarent, scriptis libris abunde docuerunt, excitati, ut ipsi scribunt, maximo Veneficorum in Germania numero. De iis Binsfeldius in præfatione ad Joh. Ballam Abbatem Ordinis S. Benedicti in Ardenna: *Quia hoc vitium,* ait, *proh dolor! plurimùm invaluit in diversis Germaniæ nostræ Provinciis, multi Iudices nunc experientia malorum excitati diligentiùs inquirunt.* DelRio in Proloquio *de difficultate & necessitate hujus Tractationis; Vbiq;*, ait in principio, *grassante præcantatricum & maleficorum colluvie dirissima; medicinam facere necessarium*: & postea, *si quis superioris ævi Annales non indiligenter evolvat, statim comperiet, nunquam tot ubique provinciarum examina maleficorum deprehensa, quot se hodierna die Iudicibus vel levem aliquam quærendi curam adhibentibus offerant, & à non quærentibus etiam reperiuntur.* Et plura quoque exempla recenset Godelmannus *lib. 1. cap. 1.*

XXIII. Quid sint ipsis Sagæ ex ipsorum descriptionibus liquet. Binsfeldius in eadem Epistola, *Deum*, ait, *inprimis abnegant, suscepto Baptismatis sacramento renunciant, fœdus cum morte & inferno ineunt, dæmoni cultum reverentiamq; exhibent, ejusq; perpetuo ministerio non rarò se devovent, dæmonibus, incubis, & succubis abutuntur, iisdemq; evehentibus, per aërem ad longinqua loca de nocte transportãtur, ubi conventi-*

venticula celebrant & conspirationes faciunt, adversus communem omnium prosperitatem, ut nimirum suis incantationibus, sortilegiis & diabolicis conjurationibus elementa concutiant, tempestates & cœli injurias moveant, terræ & arborum fructus destruant, homines jumentaq; interimant, partus humanos suffocent, suffocatos igne in cineres resolvant, & sic resolutis utantur in nefandis suis maleficiis, viros impotentes reddant ad generandum, & mulieres ineptas ad concipiendum, nec non alia plurima horrenda & abominanda operantur, quæ mens humana recti conscia memoria comprehendere erubescit, ut Pontificum, Patrumq; Decretis, Legibus, rationum firmamentis, propriis maleficorum confessionibus, Iudicum testimoniis, plurimis experimentis exemplisque, tam in hoc Tractatu de Maleficiorum Confessionibus, quàm in Commentario in tit. Cod. de Malef. ac Math. adjuncto, contra multorum errores, ac perniciosas, falsasque opiniones declaramus, demonstramus & usque ad satietatem omnium oculis subjicimus. DelRio eadem ferè est sententia, ut ex multo plurimis ejus Librorum locis apparet. Ast Godelmannus nonnihil aliter, postquam Magos, Veneficas, Sortilegos & Lamias ratione criminum distinxisset *Lib. 1. cap. 2. 7. & 9.* ipse Lamiam *c. 1. lib. 2. n. 14.* definit quòd sit: *Quæ ob fœdus præstigiosum cum diabolo initum, dæmonis persuasu, inspiratione & præstigiis eluso, qualiacunque mala vel cogitatione, aut imprecatione designare se existimat, veluti aërem insolitis fulminibus & tonitru concutere, grandinem & tempestates excitare, segetes aliò transferre, ab amasio, qui præstigiosam formam hirci, porci vel vituli induit, in montem aliquem vel brevissimo temporis spatio bajulari, partim in baculo, furca, aliove instrumento aliquo advolare, totam deinde noctem, ludis, jocis, commessationibus, choreis & variis libidinibus cum amasio consumere, milleque rerum monstrosa ludibria ostentare.* Ipse enim Magorum fœdus cum Diabolo verum, at Lamiarum præstigiosum putat *lib. 2. cap. 2.* ac si sortilegiis & Magicis artibus homines & jumenta interficiat, è Lamia fieri Magam & Veneficam, ac in alia castra transire putat, *d. l.* Lamias per aërem volitare *cap. 4. lib. 2.* & concumbere cum Dæmone, & tempestates excitare *c. 5. & 6.* negat.

XXIV. De nostri seculi Scriptoribus, quando res est manifestior,

or, & cuivis obvia, tanto brevius agemus; nisi quòd quædam rei illustrandæ inprimis idonea, nec perinde omnibus obvia, attingemus. Vix illud incœperat cùm in Anglia Reinhald Scotus, Nobilis, libros suos ederet, inscriptos *Discoverie of Withcraff*, quod idem est ac si dicas, Detectio artis Magicæ. Iis omnem Magiam 7. libris oppugnat, ac nullam esse vult. De Sagis autem id Anglorum plurimis ac Belgis primus persuasisse videtur, nullas esse. Versus enim anno 1609. in vulgatam Belgarum linguam prodiit iterum anno 1638. Bevervici, nec sine elogiis. Operæ pretium est, quando ipsius sententia planè nova est, ac à Wierii, qui Dæmonem intervenire sæpe agnoscit nulla Sagarum culpa, planè alia, quid senserit ex capitulo ipsius tertio, libri primi, latinè à nobis verso, quod integrum ideo adscribemus cognoscere. *Vnum*, ait, *eorumgenus quos judicamus Magiæ sacris initiatos, mulieres sunt plerumque vetulæ, pedum aut manuum usu destitutæ, pallidæ, oculis profundis fronte rugis obsita, pauperes, loquaculæ, superstitiosæ, Pontificiæ religionis, vel certè religionis ignoræ, quarum animum curis gravem aptum sibi domicilium eligit diabolus, ita ut nihil infortunii accidat, nulla cædes liberorum, amicorum, pecoris jactura, quin se ei causam dedisse existiment, impressa certa & immutabili ejus rei in animi imaginatione. Sed deformi aspectu atram bilem facie ostentant, ac aspicientibus terrorem incutiunt, quin rixosas eas, furiosas, mobiles, obsessis similes reperias, ea opinionum suarum pertinacia, ut si constantiam & verba earum respicias, facilè credas, vera esse quæ dicant. Has miserabiles creaturas odio persequuntur, & timent vicini, ut nemo id iram temere illas provocare, nemo iis quod desiderant, negare audeat: unde earum aliquæ judicant, res se expedire posse, quæ humanæ naturæ vires excedant. Ipsæ ostiatim lac, panem, jus, cerevisiam & similia colligunt, sine quibus vivere nequeunt, nihil enim illis pro servitio suo, vel ex ipsa arte, vel à diabolo (cum quo ipsis pactum perfectum, visibile intercessisse dicitur) lucri est, utpote quas nec forma, nec divitiis, nec commodiori vita beatiores reddit. Aliquando accidit, ut negentur ipsis quæ desiderant ab iis, quos stipem vel opem rogant, ac contra a vicinis eorum objurgentur, contemnantur, rejiciantur, aut odio habeantur: unde illarum etiam in vicinos invidia, contra patrem matrem familias, alias personas, familias quandoque uni-*

universas, execrationes: Sed & illud dubio vacat, tandem aliquando unum vel alterum eorum mori, morbo decumbere, aut liberorum aliquos morbis non omnibus cognitis affligi, id ignari parentes confestim vindictam putant Sagæ, confirmantibus inprimis, secundùm commune proverbium; Inscitiæ pallium maleficium & incantatio, *illorum opiniones Medicis ignaris; cùm tamen maligni humores, non peregrina verba Sagæ, vel Spiritus, causa morborum sint. Accedit etiam, mori quandoque animalia bruta, nonnulla infectione aut alio infortunio, confestim culpa in adversarium conjitur: animo repetunt malam mulieris hujusmodi famam, ac verba, odia, execrationes cum ipsorum infortunio convenientes, ita ut non amplius autument solùm, sed certos se esse credant, id omne ab iis procuratum. Ex altera parte Saga videns infortunium vicini, idq́ congruere animadvertens cum imprecatione, voto, adjuratione sua aliquando, (ipse enim Bodinus vix ex centenis imprecationibus eventum malum sequi duas ait,) ad judicem evocata, & modo recepto examinata, fateri necessum habet, execrationes suas præcessisse vicini infortunium: fatetur ergo (Deæ instar) se hæc effecisse. Quæ in parte non ipsa solùm, sed etiam delator & judex valde falluntur, utpote ipsius confessione & aliis circumstantiis persuasi, magno divinæ gloriæ detrimento, eam fecisse aut facere posse, quod Deo soli competit. Alterum genus Magorum solis deceptoribus constat: hi homines persuadent ambitione vel lucri cupidine ducti, se ea facere posse, quæ Deus potest, aut quæ relicta Diabolo potestate efficiuntur, prædicendo futura, secreta pandendo, morbos curando, miracula faciendo.* Satis quidem ex his quid sentiat Scotus apparet, quia tamen in manibus paucissimorum est, descriptionem ipsius, Artis Lamiaram, ut mens ejus tanto magis pateat, addemus. Exstat ea *libro 7. cap. 4.* ex Belgico exemplari versa: *Vt dicam*, ait, *quod res, Ars Lamiarum ars est deceptoria, quæ nomine Dei abutitur, id blasphemat & profanat, ejusque potentiam creaturæ adscribit: utque vulgus existimat, est concubitus præter naturam corporalis fœminæ cum Spirituali Diabolo, modus ejus ita obscurus, occultus & ignotus, ut nullius hucusq́ bonæ fidei testis autoritate confirmatus sit. Sapientibus, Doctis & Orthodoxis res est incomprehensibilis, sed ab infantibus, stultis, Pontificiis credita. Totum negotium judicatur impium. Effectus & finis aliquando malus, qualis hominibus, bestiis, gramini, arboribus*

ribus vel frugibus nocere; nonnunquam bonus, ut sanare morbos, patefacere fures, ut que suum consequantur Domini, efficere. Instrumenta & modus quibus perficitur, verba sunt, imprecationes signa, figuræ, characteres &c. quæ verba licèt alius pronunciet eo modo, quo ipsi, citra omissionem ullius circumstantiæ, nihil tamen perficiet, nisi sit vel ipse Magus, aut à se, aut aliorum existimatione pro tali habeatur.

XXV. Ut primùm is, de quo diximus Scoti liber, in Hollandia prodiit, confestim celebratus fuit Carmine Petri Scriverii, (illius qui tot eruditis operibus famam sibi paravit æternam) ad Wilhelmum de Bont, Criminalis judicii Lugdunensis, præcipuum Judicem, quod & postremæ editioni præfixum est, unà cum ejusdem Carmine ad Lectorem. Gerhardus quoque Tuningus, Juris in Academia Lugdunensi Professor, qui, ut Scriverius memorat, editionis & versionis Rainaldi Scoti præcipuus autor Bassoni interpreti fuerat, suum Belgico sermone Carmen addit ad Judicem incautum, cujus initio quærit Judicesne hodie incantati sint; incipit Belgicè:

O Rechters! Sit ghy selfs al Vry
Van dees ghenoemde Tovery?
Desinit
De blintheyt is te byster groot,
Die spoedigt nae d' onnoosle doodt,
d' onnooselste der landen,
Die siet men (laes!) verbranden.
Wel! hoe soo fel en Wredt van aerdt
Jae, of ghy selfs betovert Waert?
Alleen is by de blinden
De Toovery te vinden.

Pinii, Delmenhorstii, clari Medicinæ Doctoris, Costeri & aliorum prolixiora Carmina in eandem sententiam ibi legere est.

XXVI. Paulo post Joh. ab Heemskerck, JCtus eximius, ac dum viveret in supremo Hollandiæ Consessu Senator, libello quo explicat Belgico sermone, & elegantia eximia, sub Historiæ Arcadicæ umbra, Jura & Antiquitates Hollandiæ, varia quidem Judicum antiquis temporibus in Hollandia & Germania errata circa hoc negotium exagitat,

tat, plurima ad imaginationes, phantasmata refert *à pag. 61. ad p. 116.* tandem tamen ubi desinit, non negare se ait Magos, & homines dæmoni addictos, & si reperiantur tales, pœna dignos. At Abraham Palingus, Haerlemensis urbis Magistratui Anno 1659. inscribere ausus est vulgato idiomate libellum, Amstelodami apud Joh. Riewertum excusum, inscriptum T'afgeruckte Momaangesicht der Tooverie, hoc est, Larva Magiæ detracta. Is ubique Rainaldum Scotum sequitur, ejus argumenta describit, nisi quòd historiolas quasdam addit sui temporis, ubi compertum fuit deceptrices fuisse fœminas, Dæmonis obsessionem simulantes, colloquente Tymone & Eusebio. Cæterùm fœminas has quas vocamus Lamias, vel atra bile agitari vel deceptrices esse, asseverat, ac ideo Germaniæ superioris eas condemnantibus Judicibus, nimis quàm audacter insultat, quos homicidas, temere sanè appellat.

XXVII. E nostris Theodorus Thummius, Academiæ hujus Theologus non incelebris, quid Sagæ sint, quas ipse etiam Veneficas appellat, in hunc modum, in Tractatu Theologico *de Sagarum impietate, nocendi imbecillitate, & pœnæ gravitate, partim ex privata experientia, partim veris historiis & relationibus aliorum conscripto*, expedit, quæst. 2. in fine quòd sint: *Qui scienter, prudenter, vivi videntesque à Deo desciscunt, fidem Christianam, baptismaque sacrum negantes, idque non vulgari & momentanea ad diabolum transitione; qualis evenit, quoties humana imbecillitate in vitium quoddam regnans labimur, sed quadam conceptis verbis mancipatione &c. pacto prius inito corporis animiq́, in jus proprietatis perpetuumq́, officium & obsequium traditione, ut ope diabolica freti, sceleratam artem exercere, mira præstare, hominibus, jumentis & terræ nascentibus damna inferre, ipsi verò omnigenis carnis voluptatibus, nocturno inprimis silentio, perfrui valeant.* Unde liquet injuriam ipsi fieri ab Editore secundæ editionis Thesauri Practici Besoldi, quem sequitur tertia, quando scribit voce Hexen: *Theodorus Thummius est Wierianus, quæ species hæresis & atheismi.* Sed nimirum id pluribus locis accidit Besoldi Thesauro, ut, qui secundam editionem curavit, plurima nostræ Ecclesiæ & Reipublicæ adversa passim adjecerit,

rit, sublatis illis, quæ prima editione vera scripserat Besoldus, quod pluribus 50. locis ostendi posset, nec animadversum à nuperis editoribus in tertia editione, incautè secundæ ubique, neglecta prima, insistentibus.

XXVIII. Gabriël quoque Naudæus, Mazarini Cardinalis Bibliothecarius, Vir orbi notus, libello Gallico, quo Magiæ crimine Viros nonnullos Illustres & literatos liberat, inscripto *l' Apologie de pleusieurs Illustres* &c. non quidem Magos esse negat, sed Zedechiam Judæum, Scotum (ipse le petit Scot appellat) Trois Eschelles, Bodino memoratum, Magos agnoscit *p. 57.* De Lamiis tamen pleraque non credidisse præfatio ipsius abunde testari potest, ubi nimium elevare Bodini, Remigiique fidem tentat, ut de ipso opere, ubi etiam Sylvestrum II. Agrippam ac alios certo Magos creditos, excusare audet, nihil modo dicamus.

XXIX. Communi tamen Eruditorum sententia, ea credita fuerunt de Lamiis hisce, illas renunciare Trinitati, pacta inire vera cum dæmone, verè nocere infantibus, adultis, pecori, inferre noxias alias. Ita Angliæ Rex Jacobus ipse edita Dæmonologia, re optimè examinata, & experientia probata, *Fecit*, ait in præfatione, *ipsa Sagarum in hoc regno formidabilis multitudo, Satanæ ex asse devota, Amice Lector, ut hunc tibi tractatum deproperarem:* quin primo capite; *Nulla*, ait, *in Gente aut seculo, tam claras aut perspicuas auditas opinor reorum confessiones.* Quid sint ac quid possint *c. 6. l. 1.* ubi de eorum pactis, *c. 4. lib. 2. & c. 5.* explicat, scribit: *Inter viros & fæminas amoris & odii auctores sunt venefici, deinde in alterum transferre possunt alterius ægritudinem, possunt quoque cerea aut fictilia assantes simulacra, homines morte afficere, possunt quoque tempestatibus & procellis eos terrarum marisq; tractus agitare, quos illis Deus transcripsit ad tempus inquietandos, possunt etiam hominibus sanis maniam inducere & phrenetidem, possunt denique malis geniis, qui nunquam discedant à latere, homines exterrere, & ædes spectris facere inhabitabiles: quod hoc tempore à nostris veneficis scimus esse factitatum, possunt aliis spiritus immittere, ut verè fiant dæmoniaci.* Quin in Scotum Anglum, & Wierium Germanum graviter invehitur, eorumque opiniones *pestiferas* appellat, ac Wierium etiam, dum con-

texta pro his artibus Apologia, illis impunitatem quærit, ſe eorundem ſacrorum ſocium prodere putat. Quod à pio & docto Rege ſcriptum nollem, ipſe enim qui hominem cognoverat ejus adverſarius Thomas Eraſtus, & doctrinam & pietatem in Wierio eximiam agnoſcit, nec aliud nobis illa cum Brentio ipſius familiaritas, pluribus epiſtolis hodieque teſtata, perſuadet.

XXX. Quod in Anglia ipſe Rex Jacobus, hoc juſſu Regio in Hiſpania fecit Don Franciſco Torreblanca Villapondo, Cordubenſis JCtus, & in Granatenſi Cancellaria Advocatus Regius, is libris quatuor de Magia, de Magis, Sagis eorumque pœnis agit, quos inſcripſit Paulo V. Pontifici, & Philippo III. Regi Hiſpaniarum. Et quidem ratione ſummæ rerum plerunque non diverſum ipſe probat, ab iis, quæ communiter Jacobus Angliæ Rex, DelRio, & alii ejus generis tradunt, vid. *lib.2.* ejusdem. In Gallia eodem tempore datus à Rege Judex cauſis Veneficarum in Bearnia, (cujus effuſa multitudine omnes angulos occupaverant, certis, ſingulis ſeptimanis, diebus, cultui dæmonis deſtinatis) de l'Ancre, libros de Artibus Maleficorum conſcripſit; Horrenda ibi de iis ex conſtantiſſimis plurimorum teſtimoniis commemorat, atque hiſtoriam Gaufredi Magi, ac quæ in ejus cauſa acta ſunt, ſubjungit, & quid ipſe ſenſerit, ex ſuppliciis irrogatis Maleficis utriusque ſexus magno numero, & quæ in libro diſputat, ſatis apparet. Conſentit Henry Boguet, au Discours execrable de Sorciers, Præface, in verbis: *Et certes je ne doute point, qu' il n'y en ait, & crois qu' il fasche quelques autres d' ad mettre les ſorciers, pour ce qu' il peut eſtre, qu' ils en ſont deſcendu: de façon que pour excuſer leurs predeceſſeurs, ils voudroyent qu' on creut fermement, qu' il n' y a point de ſorciers au monde.*

XXXI. Sed & è Græcis modernis Leo Allatius quid ipſi de Strigibus hodieque credant, memoriæ prodidit, *Epiſtola ad Paulum Zacchiam, Medicum Romanum, de Græcorum hodiernorum nonnullorum opinationibus*, ubi illarum in Græcia hodierna inſidias contra infantes nondum ſacro fonte tinctos, quos ſæpe interimunt, & in adverſum uſurpata Græcis remedia & quædam è MSStis & ineditis adhuc autoribus deſumpta, Zacchiæ recitat.

XXXII. Quid anno 1635. instituto conventu meliorum ingeniorum & Colloquio Lutetiæ, loco appellato *Bureau d' addresse* apud Eusebium Renaudot, Consiliarium & Medicum Christianissimi Regis, ubi mentem sæpe suam etiam inter alios Gassendum & Hobbæum, de gravibus negotiis exposuisse scimus, Gallorum eruditis placuerit, monstrat *la Conference 77. tom. 2.* Ex Collocutionibus ejus diei primus definit sortilegium, *speciem Magiæ per quam alteri nocetur auxilio dæmonis:* confer quæ disserit secundus & tertius. In Germania communi consensu Magos, Sagas & Striges esse, traditum reperio, quod ne ipse quidem Autor Cautionis Criminalis negare audet, inter ea, quæ proponit dubia, primum est, *an Sagæ, Striges seu Maleficæ revera existant?* ita resolvit? Respondeo quòd sic. Ut de plurimis aliis, Goldasto, Dn. Reinkingio, Lerchemeiero, Dn. Carpzovio, Berlichio, Manzio &c. quibus subinde utemur deinceps, nihil dicamus.

CAP. II.

Quo, quid sint Sagæ declaratur, eas quales describuntur, tales verè esse, contra Wierium, Scotum, Palinghum, Montanum, Cardanum ostenditur, eorumque argumentis respondetur.

I.

QUàm varia de Lamiis senserint viri docti, primo, ut reor capite ostendimus. Aliis omnem Magiam imposturam solùm humanam credentibus: quod post Sadducæos, Aristotelem, Cornelius Loosæus Callidius, DelRio in fin. Append. 1. lib. 5. memoratus, Rainaldus Scotus, Abraham Palinghus, & alii faciunt: Aliis cùm Magiam infamem agnoscant, ac Dæmonis cum homine commercium, Sagas tamen ab eo misere solùm dementari, nec pacto ullo ipsi conjungi nec eorum quæ confitentur quicquam præstare: Sed imaginationis corruptæ vitio laborare, ac vel melancholicas, vel deceptrices, vel certè vero exhibito veneno (quod quivis alius homo perditus

possit)

possit) noxiam hominibus inferre existimantibus, quæ Wierii ac qui sequuntur illum, Godelmanni & aliorum mens est. Alii ita de hoc negotio loquuntur, ut quæ plurimorum & diversorum confessionibus fecisse dicuntur, ea omnia singulis videantur Sagis tribuere, in quam fere sententiam alicubi Binsfeldius & Jacobus Angliæ Rex discedere videntur. Bodinus, eum quem Gallicè vocat *sorcier*, describit, *qui medio diabolico sciens aliquid efficere conatur*, ita ut & Maleficus hac descriptione ipsi contineantur. Danæus, qui Satanæ ita addicti sunt, ut commercium amicitiamque cum eo contraxerint, Sortiarios vocat. Galli in conventu suo Parisiensi, apud Renaudot, Sortilegium speciem Magiæ volunt, qua alteri nocetur, auxilio Dæmonis.

II. In tanto sententiarum dissidio rei expediundæ illa nobis optima videtur ratio, si quæ facere se profitentur Sagæ, ea in illa distinguamus, quæ omnibus communia esse, ac nunquam à Saga abesse consueverunt: & quæ plerumque faciunt quidem vel patiuntur, sed non omnes tamen, nec eodem modo. Prioris generis sunt, DEO & cultui ipsius renunciare, cum diabolo pactum inire, ejus ope noxiam rebus creatis inferre promtam paratamque ad Dæmonis Imperium esse: hæc enim si de muliere quadam prædicentur, eam Sagam esse, si de viro Maleficum, credimus. Sin ope Dæmonis ad alia utatur solùm, Maga erit quidem, non speciali tamen Lamiæ, Strigis vel Maleficæ vocabulo, strictiori sensu, designabitur. Interim plerasque Sagas horrenda illa, infantium interitus, Sodomiticos cum Diabolo, ac invicem, congressus, Incestus patrare, comessationibus Diabolicis interesse, morbos hominibus præter naturales & insolitos Dæmonis subsidio immittere, ita tamen ut non singulæ ex his omnium, sed singulæ aliquando singulorum vel plurium hujusmodi delictorum reæ sint, existimamus, quin his indiciis manifestè plerumque criminis sui convincuntur. Ita tamen ut hæc etiamsi absint, ut absunt eorum quædam, ac plura etiam simul interdum, si tamen verè adesse priora constet, ea Jure meritoque inter Sagas reputanda sit.

III. De pacto res consensu Scriptorum, & ipsarum Sagarum unanimi confessione, plana est, id requiri. Martin. DelRio *Disquis. Magic.*

gic. lib. 2. qu. 4. concl. 1. Omnes operationes Magicæ veluti basi innituntur pacto, per Magos cum Dæmone inito, quod Patrum, Legum, & Parisiensis scholæ, Thomæ, Guilhelmi Parisiensis, Scoti, Gabriëlis, Gersonis, Trithemii, Abulensis, Alphonsi de Castro, Victoriæ, Valentis, Spinæi, Angeli, Navarri, Grillandi, Remigii, Controchovii, Cæsalpini, ac Theologorum adeò, JCtorum, & Medicorum autoritatibus confirmat. Bodinus *in Refutatione opinionum Wierii, Quinque*, ait, *Inquisitores in Maello Maleficarum, qui literis mandarunt, numerum infinitum Sagarum, quas morte affici curarunt in Germaria, omnium confessione compertum habuerunt, fœdus ipsas inire cum Diabolo.* Binsfeld præludio sexto in principio; *Omnia*, ait, *opera Maleficorum effectum sortiuntur ex pacto expresso vel tacito cum Dæmone, ita ut semper quando vult maleficus operari, expressè vel tacitè invocet Dæmonem in auxilium ut concurrat ex pacto.*

IV. De abnegatione Dei & Religionis quam antè profitebantur, res itidem dubio vacat, disserte DelRio *d. l. His pactis omnibus quædam sunt communia, primum est abnegare fidem & Christianismum, Dei obedientiæ se subtrahere*: Ipse Dæmon (in relata à Binsfeldio ex Cæsare Heisterbacensi Historia, juvenis à villico suo Malefico ad Diabolum adducti, sed deinceps sponte sua pœnitentis, & ad fidem nostram reversi, quem ipse noverat) ad villicum pro juvene quæ is desiderabat, rogantem, *si voluerit*, ait, *illa à me consequi, abrenuntiare debet in instanti Altissimo.* Et conveniunt hac in parte confessiones Sagarum omnes & scriptores.

V. Cæterùm cùm duo hæc etiam Magis competunt, videndum quid sit, quòd Sagas ab his etiam distinguat. Noxias illatas ergo plures addunt: Cæterùm cùm Lamias & Sagas ex Theologorum & JCtorum sententia in duas classes separet Melch. Coldastus Tract. quem inscripsit, **Bedencken von** confiscation **der Zauberer und Hexen Güter**/ quarum aliæ cum Diabolo pactum expressum vel tacitum inierunt, apostasiam fecerunt, Deum abnegando, seque Diabolo mancipando, cum eove coëundo, nec tamen alicui nocuerint; Aliæ etiam nocuerint: Ex numero Sagarum omnes eximendæ fuerint, quæ noxiam nullam intulerint, quod pugnat cum recepto loquendi

quendi usu, tot Ordinationum Provincialium, Theologorum, JCtorum, ac aliorum. Ne ergo inter Magos & Sagas nihil sit discriminis, ac ne nostra descriptione eximantur à Sagis, quæ verè tales sunt, non nocendi factum quidem & ipsam noxiam, animum tamen nocendi rebus creatis aliis, idque Dæmonis auxilio requiremus, qui si absit Magam esse judicemus, quamque non Sagam, pœna tamen & ipsam corporali, & si de re certo constet, illis in locis, ubi morte crimen hoc plectitur, etiam capitali supplicio afficiendam. Scimus quidem Sprengerum in Mallo Maleficarum *p. 2. qu. 1. c. 2. in prin.* triplices statuere Maleficas: Triplices, ait, apparent Maleficæ scil. lædentes sed curare non valentes: curantes & ex singulari pacto cum Dæmone inito non lædentes: lædentes & curantes: sed ille Maleficorum vocabulo ibi latè uti videtur, ut Magiam infamem omnem comprehendat, alioquin quomodo sine confusione eorum, verè quæ differunt, hæc asseri possint, non videmus.

VI. Non deerunt quidem qui existiment, etiam signum à Dæmone Sagis impressum tale esse, quod omnibus commune sit. Sed quando res illa valde ambigua fide nititur adhuc, an nempe universis Sagis id inprimat, nonnullis id negantibus, ideo nec tale id nos agnoscere possumus hactenus: Sanè Danæus *Dial. de Sortiariis c. 4.* quosdam velle notat, non omnes Sortiarios esse aliquo stigmate à Satana notatos & cumpunctos; sed eos tantùm, de quibus ipse dubitat: quos autem sibi fidos ducit, eos absque nota relinqui: quod & probat DelRio *lib. 5. Disq. mag. Sect. 4,* confer Bodinum *lib. 2. Dæmon. cap. 4.* ubi tamen falsò Danæo hanc sententiam tribuit, ipse enim illam recenset solùm & improbat. Reliquorum actuum, quando cum Satana concumbere, conventui Sagarum interesse, fruges excantare, imbres & tempestates immittere se fatentur, eadem est ratio, neque enim omnes se ista adhuc patrasse profitentur, & capi potest aliqua, antequam quod animo destinaverat, post initum cum Diabolo pactum perfecerit, quod factum pluribus exemplis constat.

VII. Sed quando hæc etiam negant Eruditi Gallorum & Belgarum plerique, id præcipuè, nunc nobis agendum est, ut esse fœminas tales, quæ pactis etiam expressis cum Diabolo conveniant, Deum ve-

rè abnegent, ac creaturis noxias inferre paratæ ſint, aliaque miranda Dæmonis auxilio præſtent, evincamus. Quod diſtinctis in certas claſſes argumentis facilius efficiemus. Oſtendit ergo id primum, ipſa Scriptura Sacra, cujus quia congeſta & vindicata abunde ſunt à Theologis ac aliis noſtris loca ad eos ſolùm remitto, videantur Thummius *de Sagarum impietate qu.1.* Millichius im Zauber-Teufel *p.4. & ſeq.* Voëtius *tom.3. Diſp. ſelect. 39. p.565.* Malleus Maleficarum *quæſt.I.* Danæus *dict. Dial. c. 2.* Binsfeld. *prælud. 1. & 6.* Eraſtus in *Repetitione Diſputationis de Lamiis.* Bodinus in *Refutatione Wierii.* Scimus quidem quid objiciat Wierius & Scotus, vocabula Hebraica ſex, quibus Magos, Maleficas, Sagas, denotari credunt Eruditi, ſignificare nihil tale. *Chaſaph* enim, veneficium, vel veneni exhibitionem, Scotus *lib. 5. c. 1.* At Hebræum O B, ſignificare ventriloquam (quod naturaliter fieri poſſe exemplis monſtrat Scotus *lib. 6. c. 1.*) & ad reliqua ita reſpondet Wierius, ut nulla earum Sagam ſignificari velit, *de Præſtig. lib. 2. c. 1.* Sed Wierio quidem reſpondent abunde Eraſtus & Bodinus: Scoti autem illa, quid veri habeant, ex illis quæ tradit Perckins & ipſe Anglus in *Baſconologia* abunde patet; & videri poteſt de locis his Lexicon utrumque Buxtorfii. Sollicitat quidem etiam exempla Scripturæ Rainaldus Scotus, inprimis illud de Pythoniſſa, quæ nec Samuelem nec Diabolum oculis Saulis exhibuiſſe, ſed compoſita fraude, cum quodam alio occultato fraudis ſocio, decepiſſe Saulem autumat, idque probare variis indiciis contendit *lib. 6. cap. 8. 9. 10. 11. 12. 13. & 14.* Sed & illis argumentis repoſuit nonnulla Jacobus Angliæ Rex, quamvis præterito Scoti nomine, *lib. 1. c. 1.* & petenti Beverovicio luculenta epiſtola Gerh. Joh. Voſſius, anno 1644. ipſis Kal. Januarii, quæ exſtat inter Epiſtolicas Quæſtiones cum Doctorum Reſponſis, editis à Joh. Beverovicio Roterodami anno eodem.

VIII. Sed & probat rem abunde Experientia. Diverſis enim ætatibus, in diverſis Gentibus, non auditu ſed viſu, & aliis corporeis ſenſibus, ea, eodem modo à pluribus ſimul, dæmoni etiã non addictis, percepta ſunt quæ ab ipſis Sagis, in quibus nulla emotæ mentis vel melancholiæ ſigna apparebant, conſtanter ſine tortura, & in tortura, aliquando etiam ſe ipſas, antequam in judicium vocarentur, aut ſuſpectæ eſſent,

essent, indicantibus, verè facta esse asseruntur. Atque operæ pretium est, quod diximus bonæ fidei testimonio non uno confirmare, ut ipsi lectori judicare de re universa integrum sit. Paulus Grilandus ex Italis JCtus & Processus in hujusmodi causis, functus ipse Inquisitoris munere per Italiam, admodum peritus, *lib. 2. de Sortilegio* recenset quod subjicio: *Mulier quædam Sabinensis Diœcesis hanc profitebatur Diabolicam artem, de qua cùm maritus suspicionem haberet, interrogavit eam pluries, quæ semper negavit: Maritus verò in suspicione sua persistens anxiè veritatem perquirebat: qui adeò astute se gessit, quod vidit illam quadam nocte se unguento quodam ungentem, qua unctione peracta vidit illam celerrimè, quasi avem, recedentem, & ex superiore domus solario ad inferiora descendentem: illum maritus sequens, ut videret quo tenderet, amplius non vidit, & accedens ad portam Domus invenit eam clausam, quæ res magnam præbuit illi admirationem. Die vero sequenti iterum maritus uxorem interrogat, quod anxiè scire cupiebat, & illa constantur, ut ante, se nescire dixit. Maritus verò, ut amplius negare mulier non posset, apertè ei dicit omnia, quæ nocte præterita illam fecisse viderat: Deinde fustibus illam percutit graviter, & duriora minatur verba, nisi veritatem dixerit, quam si apertè exposuerit, veniam se illi daturum promisit. Mulier igitur se jam celare non posse intelligens, veritatem aperuit, veniam à marito petiit, quam illi maritus hac conditione indulsit, ut illum ad tales congregationes adduceret: illa verò ut veniam impetraret, facilè petita promisit, & promissum ex licentia Sathanæ implevit. Adductus igitur ille ad locum, ubi ludi fiebant, ludum & choreas & cætera omnia contemplatus est, & tandem ad mensam cum reliquis, ut vesceretur, sedens, cùm cibos insipidos judicaret, petiit sibi dari sal, quod in mensa deerat, & quamvis iterum petiisset, nunquam illi dabatur. Tandem, cùm post importunam petitinem, prolixamq; expectationem, sal illi daretur, dixit: nunc laudetur Deus, quoniam jam venit sal. Quibus verbis prolatis Dæmones, quia laudes Dei audire refugiunt, statim recesserunt, & reliqui omnes disparuerunt, luminaribusq; extinctis, mansit ille solus nudus, quousque mane facto vidit quosdam pastores, quos interrogavit, quænam esset illa patria in qua erat, illi verò responderunt esse agrum Beneventanum, in regno Neapolitano, qui locus distabat à patria viri per centum miliaria, ob quam causam,*

ſam, licèt dives eſſet, coactus fuit per viam mendicare, ut ad Domum ſuam redire poſſet: ad quam poſtquam pervenit, ſtatim uxorem ſuam ob Lamiæ crimen accuſavit, & totam rem geſtam, ut narrata eſt, coram judicibus expoſuit, qui rem totam plenè, ut oportebat, examinantes, vera eſſe omnia quæ diximus invenerunt, quæ etiam ejusdem mulieris confeſſione confirmata ſunt. Acceperunt à Grilando, & propter rei evidentiam & ipſi recenſent DelRio, Binsfeldius ac Franciſcus Alphonſus de Caſtro, libro *de juſta Hæreticorum punitione c. 16.* ubi addit à Caſtro, gravis ſcriptor, multa ſe poſſe alia referre teſtimonia, quæ per fideliſſimos teſtes in Hiſpania contigiſſe cognoverat. Plura recenſet ibi Grilandus memorabilia, inprimis illud de Sabinenſis Diæceſeos puella 16. annorum, quæ à vetula ad ludum diabolicum ſeducta, cùm ſtupefacta ſigno ſe crucis muniviſſet, dicendo, *Ieſu Benedetto che coſa e queſta,* cuncta evanuiſſe. Ipſam ſolam, nudam deinceps in remoto quo hæc geſta erant à patria loco, à ſene repertam, qui accepta ab illa rei ſerie, eam patri, qui raptam à milite exiſtimabat, reſtituit: Malefica, re à judicibus comperta, igni cum ſociis aliis tradita. Quin idem Grilandus *de Sortilegiis ſect. 7. n. 24.* quod Bodinus contra Wierium notat, vidiſſe ſe ait, Romæ Sagam igne perdi, cui nomen eſſet Franciſcæ de Sienna, quæ in omnium conſpectu efficeret canem in hominis modum loqui.

IX. Joh. Bodinus *lib. 2. Dæmonomaniæ cap. 8.* inter plures ejus generis hiſtorias recenſet illud, quod recenti hominum memoria acciſſe ait, in Galliæ, & ex actis juridicis Sagæ Lochianæ prodit: *Vir quidam,* inquit *tenuis, cùm uxorem interdum abeſſe noctu perciperet, bonamque noctis partem emanere, præterea dicentem ſe, aut ad deonerandum alvum egredi, aut ad lavandum cum vicina ſua, aliquoties falſi eviciſſet, ſuſpicionem concipit de perfida ejus libidine, & necem interminatus eſt, niſi locum quo proficiſcebatur indicaret. Illa ſibi à periculo metuens, rem ut erat confeſſa eſt, atque ut explores & videas hæc ita ſe habere, ſi volueris, eodem pervenies. Tunc tradidit ei unguentum, quo ſe uterque inunxerunt, & pronunciatis aliquot vocibus, Diabolus eos Lochiis in Arenarias Burdegalenſes, magno ſpatio diſtantes exportavit, videns itaque vir ſe in ignota Magorum & Dæmonum humana ſpecie, aſpectus tamen hor-*

horrifici, frequentia versari, dicere cœpit: Deus mi ubinam sumus? hoc dicto, repente cœtus disparuit, ille verò cornens nuditatem sui corporis, oberravit per agros, donec mane rusticos invenit, qui ipsum in viam deduxerunt: Reversus Lochias, ad Quæstorem rerum capitalium recta via contendit, qui audita probè historia fœminam prehendi jussit: illa verò minutatim omnia confessa est, & ultro agnovit peccatum.

X. Nicolaus Remigius, (qui de se ipso *lib. 1. Dæmonol. cap. 25.* affirmat, se quæ tradit, plurima testata habere, spontanea, ac libera assertione plus minus ducentorum hominum, qui ipso Duumviro damnati, incendio crimen sortilegii luerunt) tam multa manifesta ac plurium testium oculis, ac certis indiciis testata exempla habet, ut quod potissimum eligamus anxii simus. E pluribus illa legi merentur *lib. 1. cap. 14. & lib. 3. cap. 12.* quæ ubi quis evolverit, dispiceat secum, an ultra de Sagis dubitare possit. Addit ipse *d. lib. 3. cap. 12. Quid nostris moribus vulgatius, quàm sint frequentes & assiduæ Sagarum de ea re assertiones: tum iis consentanea hominum testimonia, qui non per somnum, aut Magicis artibus aversos sensus, sed oculis suis vidisse se illas nubibus excussas, vel summis arboribus ac tectis perplexas hærere, vel humi attonitas jacere, constanti sermone affirmaverunt? nec id quidem in trivio confabulantes, sed in jure sacramento sanctissimo rogati atque adacti, ut in superiore disputatione non semel est demonstratum,*

XI. Petrus Binsfeldius postquam ex Italia exempla quædam Sagarum translatarum, ac à pluribus repertarum in loco translationis, multis recensuisset, *Concl. 12. pag. 263. editionis secundò recognitæ*: Multa in Germania similia extare in Malleo Maleficarum monet, tum ex sua Trevirensi Diæcesi recentissima quædam & notissima, ut vocat, subjungit *ad pag. usque 266.* concludit demum: *Plurima similia facta adferre possem, sed hæc sufficiant, abundant enim his nostrorum Iudicum acta.*

XII. Et quando res hæc præcipuè à Gallis, Belgis, hodie in dubium vocetur, quamvis proliziorem nonnihil Balduini Ronssei, rei quæ in Hollandia suo tempore acciderat narrationem, subjicio, extat ea *Epist. Medic. 50. Erat in pago Oostbrouk non procul à Trajecto mulier vidua, cui servus convixerat, ad obeunda, ut res postulabat, munia domestica:*

is cùm jam sæpius, ut solent esse curiosoli servi, per transennam animadvertisset, heram, nocte intempesta, statim ac quieti se tradidissent domestici, quotidie in stabulum, ad certum præfixumque locum venire, atque exporrectis manibus præsepi contiguum fœnile apprehendere: admiratus tandem ille quidnam hoc negotii esset, statuit & ipse inscia hera idem semel experiri, atque eandem pertentare alcam: Igitur hera ex consuetudine ad solita veniente, atque sicuti videbatur digressa, subsequitur & ipse, locum contemplatur, atque exemplo heræ fœnile complectitur: ibi ille ex tempore in aëra raptus defertur in oppidum VVyck, in abditum & subterraneum specum, ubi cœtum Maleficarum de maleficiis conferentem inter sese reperit. Hera cum suis inopinam famuli sui præsentiam admirata, rogat, quo astu aut qua tandem ratione momento temporis illuc appulisset? Respondit ille ordine, ut res transacta esset. Tum illa indignari primùm atque excandescere cœpit, verita ne nocturni atque clandestini illi conventus hac ratione tandem eliminarentur: cum consortibus igitur deliberandum censuit, quid in ambiguo hoc negotio faciendum suadeant: Convenit tandem inter eas, ut amicè exciperetur, silentium stipularentur, atque arcana hæc, quæ illi, præter meritum atque opinionem videre contigisset, nulli communicaturum, se aut revelaturum sanctè dejeraret. Ille interim quidvis non pollicetur, abblanditur, & ut mitiùs agant, simulat se omnibus votis hoc unum expetere, ut cum illarum gratia liceat posthac Sortilegarum interesse collegio. Interim dum consultatur, labitur hora, & jam abeundi tempus instat. In dubium iterum, instigante hera, jam vertitur, remittendusne domum sit totius cœtus periculo, an bono publico enecandus. Communi tandem omnium consensu mitior placuit sententia, quæ juramento adactum, domum deferendum decerneret. Suscipit eam provinciam hera, atque fide data in humeros receptum domum delaturum pollicetur. Accinguntur operi, atque euro ocyus per aëra feruntur. Sed ecce, emensis jam bonam partem itineris, conspicuum sese dedit lacus arundineto obsitus. Ibi malefica illa anus occasionem nacta, verita ne juvenis pœnitentia ductus, quod furialibus istis feriis (quemadmodum simulabat) initiatus esset, visa tandem eliminaret, provolans, à se disjecit adolescentem, sperans, ut suspicio est, eundem partim casus violentia enectum, partim lacus ipsius altitudine absorptum iri. Verùm, ut est DEVS misericors prorsus, non volens

mortem

mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, vesanæ illius mentis metas constituit, neq; passus est juvenem insontem submergi, sed aliquanto æquiore conditione permisit, ut in hunc usq; diem vita protraheretur, dum forte fortuna in arundinetum decidens lethalẽ plagam ex casu non accepit, violentia impetuq́; casus per arundinetum quodammodo refractis. Interim miser ille, qui solius linguæ ministerio jam utebatur, dum illucesceret, mille distorquebatur cruciatibus, ac suspiria trahens tantisper ingemiscebat, dum prætereuntes insolita lamentatione attoniti, facta indagine, compererunt hominem prorsus elumbem, & cui utraq; excidisset coxa. Rogant unde sit, quomodo eo calamitatis devenerit? narrat ille ordine singula, defertur tandem curru Vltrajectum. Ibi Nobilis Vir Ioan. Culemburg, Vrb. Præt. rei novitate quodammodo perculsus, admirabundus singula perquirit, atq; indagine facta fascinatricẽ heram comprehendi jubet, vinculisq; constringi. Illa simul ac in manus Præfecti venisset, nihil negavit, singula fassa est &c.

XIII. Cumanus in Lucerna Inquisitorum, exhibuisse artis suæ specimina, etiam Judicibus in Medresio oppido Comensi commemorat, sed eventu infausto: *In Medresio*, inquit, *oppido Comensi contigit, jam fere annis quinquaginta elapsis, ut cùm ibi quidam Inquisitor nomine Magister Bartholomæus de Homate. D. Laurentius de Concoretio Potestas, & Ioannes de Fossato, Notarius, contra has Striges procederent: una die ipse Potestas, quadam curiositate ductus, volens experiri, an verè & corporaliter Strigæ irent ad ludum: facta conventione, accessit quodam die Iovis sero cum Notario suo, & quodam alio extra oppidum ad quendam locum, sicut illi Striga prædixerat: & dum ibi propè essent illi tres, viderunt ibi plures personas congregatas, coram quodam (qui erat Diabolus in forma hirci) ad modum cujusdam magni domini sedentes: & ecce subito omnes illæ personæ congregatæ, jussu Diaboli, adeò illum Officialem & omnes ejus socios, DEO ob eorum curiositatem permittente, baculis percusserunt: quòd ex talibus percussionibus ille Officialis, & Notarius, & Tertius ille alius, infra quindecim dies mortui sunt.* Quomodo Grilando id desideranti in præsentia Magistratus & omnium Assessorum, Syndicorumque, horrendis gestibus, ac evocatis dæmonibus, immissa in Scrobem aqua, confestim nubes, tonitrua excitaverit, inque locum ab ipso Grilando destinatum averterit, ipse recitat, & ex eo Johan. Jacobus Boissardus *de Divinatione & Magicis Præstigiis cap. 9. in fine.*

XIV. Ad-

XIV. Addemus unum & alterum ex recentioribus. De Nicolao Claudio Fabricio Peireskio, summo viro, Petrus Gassendus (alioquin Democraticæ & Epicureæ Philosophiæ addictus, ac harum rerum, si quisquam alius, minimè credulus *l. 1. de Vita ejus pag. 5.* ista scribit: *Cæterùm vix erat bimestris, cùm ferunt anum maleficam ingressam in cubiculum, projecisse coram matre securim, quam manu tenebat, ajebatque se reddere: atque ex eo tempore, tum ademptam matri vocem, & ploratum infantulo, tum depressum utrique caput in alterum humerum, ea rigiditate, ut flecti non posset: addunt patruum, re cognita, vapulare anum jussisse, quæ & ipsa detorto collo sub camino inventa est; ac illam, cum primum caput extulit, ut satis plagarum esse diceret, renunciasse id, quod fuit, matrem infantemque valere. Id factum non modo ex aliis, sed ex ipso Peireskio accepi, memorante, ut patruus enarrare solitus fuisset.*

XV. Henricus ab Heers, Electoris Coloniensis Medicus Cubicularius, *Observationum medicarum oppido rararum, libro unico, Obs. 8.* de puella novenni anno 1625. Trajecti ad Mosam à veneficio, sua industria curata, illa commemorat, quæ sola rei probandæ sufficiant: *Ea à Venefica stipem rogante folio acetosæ donata, cùm id deglutivisset, doloribus alvinis torqueri, toto corpore contremiscere, convelli animo, linqui in formas incredibiles corpus rotare, stercora equina, acus, pilos, plumas, fili glomeres, vitrea fenestrarum fragmenta, clavos rotis bigarum vel quadrigarum eductos, cultrum ferreum spitama longiorem, ovorum putamina, conchilia spuere cœpit, observantibus interim parentibus filiæ & vicinis, appropinquante venefica,* quæ veneficium illatum deinceps confessa & flammis tradita est, *longè pejus vexari puellam.* Probat deinde experientia sua, & plurium Clericorum, & Philosophorum adstantium, ipsius etiam ægrotæ confessione, ex imo corpore hæc omnia educta fuisse, quod ipse ante experientiam hanc semper negaverat. Et ne quis vana referre putet, postquam narrasset, se illam aliquot septimanas eo in statu penes se habuisse, *Quæ tum viderim,* pergit, *audiverim, tetigerim, quia scio fore, ut multos inveniant Medicos, maximè à Pontificia fide alienos, incredulos, & fidem narrationi meæ non habituros, ita me Deus amet, ut verissimè scribam, quæ vidi.*

XVI. Hermannus Gœhausen in inclyta Rinthelensi Academia Pro-

Professor, libro quem inscripsit *Processum Iuridicum contra Sagas*, quæstiones subjunxit ad hanc materiam pertinentes 20. Rintelii typis Petri Lucii Academ. typogr. anno 1630. excusas; In earum tertia p. 48. cùm pactum cum Diabolo verum esse dixisset, ac reale, ac hac in parte inter Doctores Protestantes & Catholicos dissidium non esse, subjungit; *Ac mihi constat ex actis à vicina Republica nostræ Facultati transmissis, Veneficam quandam fuisse confessam*, Sie hätte einmal puellæ NN. einen Buhlen in ihrem Hause zugeführt/und ihr denselben freyen wollen/ und alß das Mägdlein ungefehr geantwortet/Ey JEsu / der Gesell ist mir viel zu stattlich ꝛc. Diabolum statim ad nomen Jesu evanuisse, sey zum Fenster hinauß geflogen/und habe ein Glas Ruthen mit genommen: *Veneficam verò rogasse, ac muneribus sibi puellam hanc conciliasse, ne factum deferret, attamen cùm justo Dei judicio post aliquod tempus in alias Veneficas Inquisitio instituеretur, ac illæ Veneficam hanc denunciarent, hæc capta, factum istud confessa fuit, quod & puella NN. verè sic accidissi confirmavit*. Eadem Quæstione pag. 54. *In facto memini quandam Veneficam in eadem custodia, cum alio quodam Reo, ob crimen grassationis ac furti incarcerato, fuisse detentam, illa prima nocte incarcerationis, cum Diabolo se commiscuerat, id vidente ac observante Reo, cùm postmodum ex legitimis indiciis torqueretur, Diabolum in carcere sibi adfuisse, seq; cum illo rem habuisse confessa fuit, ac cùm alter Reus, de veritate hujus confessionis interrogaretur, eam voce sua confirmavit*, Solches wäre des Morgens frühe geschehen/und hätte er darneben gehöret/ daß sie den Buhlen/ welcher ein schwartzer Kerle gewesen/gefragt/ob er ihr darvon helffen wolte/und hätte ihr derselbe solches auch zugesagt. *Atque Similia exempla Iudicibus occurrunt tota die plurima, ac mihi suppeterent alia, quæ tamen in medium afferre lectoris pudor prohibet, ac minus necessarium est*. Simile quid in MSSto quodam Consilio Ampliss. Facultatis Juridicæ Tubingensis exstat, uti ex transmissis actis à Judice Criminali Göppingensi, & propria reæ & voluntaria confessione constitit: Mariam Braitengeriam ex Bermaringen in agro Ulmano anno 1629. septendecim tunc annos natam, & cum adolescente quodam in Holtzhausen nimis familiariter consuescentem, ac quan-

doq; concubentem, cùm ad gramen colligendum exiisset, à Diabolo sub forma adolescentis quam assumpserat illam fallente compressam fuisse: Qui cùm deinceps quæsivisset ex ea, an ipsi addicta esse vellet, eaque nondum cognosceret Dæmonem, idque ei concessisset, eique annulum suum donasset, ei demum qualis esset ostendit, ac evanuit.

XVII. Unum adhuc adducam ex Bened. Carpzovio Jurispr. Forens. Rom Sax. *part. 4. Const. 2. def. 9.* Scabinorum Lipsiensium Responsum anni 1621. unde & capro adductos invitos juvenes Magicis incantationibus à Dæmone constat, verba ejus sunt: **Hat die Gefangene A. B. bekant und gestanden/ daß sie durch Zauberey/ indeme sie Kräuter gekocht/ und gewisse Wort darzu gesprochen/ Urban Volcken/ einen Bauersmann/ vom Dorff hinnein/ in ihr Hauß auffn Bock holen lassen/ zu dem Ende/ daß er ihres Willens mit ihr pflegen sollen/ so er aber/ alß er zu ihr gebracht worden/ nit thun wollen rc.** Quod si fides iis, quæ Diarium Europæum parte 9. ad annum 1662. mens. Septemb. 367. 268. commemorat Marieburgi in Borussia, Sagas in conspectu Magistratus ex certis granis mures (verè an præstigiosè!) produxisse, forma longè alia, quàm quæ murium naturaliter productorum esse solet, eoq; quo collibitum esset colore, nigro, rubro, ac vario, easque iterum in grana mutasse, fertur. Plura certissima exempla exactius prosequi non licet, illud inprimis, quod certissima fide sibi compertum DelRio lib. 5. sect. 3. dum Caleti commoraretur accidisse scirbit: quæque Weinrichius refert in Præfatione ad Strigem Joh. Pici Mirandulæ, Dæmonis, cujusdam humati sutoris, & Johannes Cuntii, sibi addictorum hominum corpora, in conspectu plurimorum hominum, media luce, cum multorum noxia in Silesia circumferentis: Et quæ de Bucolacis Græciæ hodiernæ eodem modo commemorat Allatius *in Epistola ad Zacchiam de Græcorum opinationibus*. Joh. Gerh. Vossius, *in Addendis ad l. 1. de Idololatria p. 57.* de Tapuanis eorumq; cum Dæmone commercio. Zeiler. *in Theatro Tragico* passim, inprimis *Hist. 3.* Tum illa, quæ Carolo Ogerio Secretario Comitis d' Avaux, in legationis ejus ad Septentrionis Reges de An. 1634. Ephemeridibus, nuper Lutetiæ anno 1657. editis, p. 429. observata sunt. Ac illa, quæ 18. quæstione de Strigibus com-

comemorat Bartholomæus Spinæus, Sacri Palatii Apostolici Magister.

XVIII. Sunt sanè hæc omnia talia, non solùm, quæ ratio non capiat, quomodo naturaliler fieri possunt, sed etiam quæ percipiat, non posse nisi præternaturaliter, ac viribus aliis, quàm humanis solis, effici. Nec Deum tamen, aut Angelos bonos auctores habent, quòd fœda sint, quæ fiunt, Deo adversa, ab impiis alioquin etiam hominibus & Dei comercio indignis: & ipsorum confessione, qui rem optimè sciverunt, non Deus, sed diabolus ex pacto eorum autor indicetur. Nec de Historica fide dubium, cùm illa, quæ ipsi & plures alii viderunt, & quidem Viri graves, eodem quo acciderunt tempore, literis mandarint, ubi nihil facilius quàm tot testes in rebus publicè gestis advocantes, falsitatis, in re sensus judicio manifesta convincere.

XIX. Accedit tot Gentium consensus: Ebræorum de quibus eorumque Lilith (quam strigem interpretantur, quamque infantes occidere vel auferre volunt) vid. Buxtorf. *in Synag. Iudaic. edit. tertia pag. 80. & seqq.* Græcorum, de quibus inprimis consulendus Leo Allatius de Græcorum nonnullorum opinationibus, ac Jesuita Gallus nuperus Descriptor Insulæ St. Eri in Archipelago, ubi de Græcorum Sacerdotibus agit: Latinorum, ut ex *primo capite* pluribus patet. Italorum, quod Follerii, Grillandi, Pici: Gallorum, adhuc ante annos 50. circiter, quod ex Bodini, Ancræi, Michaëlii: Anglorum, ut ex ipsius Regis Jacobi, Perkinsii: Suecorum, quod ex Ogerii Ephemeridibus post Historicos ipsorum: Danorum & Septentrionalium populorum, ut experientia abunde nostra ætate compertum est. Quod & extra Europam persuasum habere Asiaticos, Africanos, & Americanos populos ex eorum monumentis, illustribus testimoniis disci potest. De Malefico, qui paulo ante adventum Anglorum Legati anno 1626. Regi Persarum Schach Abbas urbem Mogorum, quam nulla alia superare Rex poterat, Diabolica arte, territis propugnatoribus, & de Saga Tartarica vide ipsum Thomam Herbertum Itineris per Asiam & Africam pag. 64. 65. & 119. De Maleficis Tartaricis Vincent le Blanc, dans ses voygages part. 1. chap. 38. De Japanensium & Bonzarum Maleficis, vide passim Epistolas Jesuitarum editas ab Ægidio Albertino, Anno 1609. Monachii sub titulo

Historicæ relationis. Adde ex parte prima Descriptionis Itinerum Vincentii Blanci, quæ ipse de iis, qui in Insula Zeilan & Regno Peguano cum Dæmone pacti erant, recenset in fine cap. 20. confer. cap. ejus 24. & 29. inprimis 32. de Saltationibus Diabolicis. Conjunge Historiam memoratu dignam de Mago, ut certam Magicæ artis fidem faceret, transmisso à Rege Cherobonensi, vicino Gubernatori Hollandico in Batavia urbe majoris Javæ ab Heemskerkio pag. 112. memoriæ commendatam, qui tamen præstigiatorem & deceptorem fuisse putat.

XX. De Ægyptiacis Sagis, quales superiori seculo erant, & quid præstarent, vid. Villamontius *in sui Itineris Descriptione*. De Æthiopiæ hodiernæ Magis & Maleficis, quæ ipse vidit in urbe Moradar, requirenti tradet Vincentius Blancus, Marsiliensis, cujus Itinerum Historia beneficio Peireskii lucem primùm adspexit, *part. 2. cap. 15.* Recenset ille ex Annalibus Æthiopicis Historiam de Sorore quadam viduæ Principis Rostan Domini Janamoræ, quæ Æthiopiæ est provincia, visitante Sabbatha Dæmoniaca, & Principem Joël adolescentulum Diabolo offerente, ac cùm is renueret, eum præstigiis suis forma simiæ hominibus aliis exhibente, certa fide Orientalibus creditam, *part. 2. cap. 18.* vide eundem *cap. ult.* ubi de Sagis Marocensibus, quæ ipse se vidisse ait, commemorat. De Americanis res expedita, eos Maleficos innumeros habere. Et, qui aliter fiat? ubi Peruenses cum Dæmone colloquium miscent, ut Benzo *Hist. Novi Orbis lib. 3. cap. 20.* de Urabensibus Peruviæ populis idem testatur Petrus de Cicca di Lione, *part. 1. Chron. Peruviani cap. 8.* quod de novæ Mexicæ incolis Laërtius: do Tapuanis, Vossius loco supra alleg. quoque commemorat.

XXI. Quid, quòd tot meditatis legibus, exigente rerum usu, & poscente invalescente malo medicinam de Maleficis & Sagis cautum sit: Inter Romanas XII. Tabb. Leges, legitur illa de eo, qui fruges excantassit: & Justiniani Imperatoris Leges, inprimis *l. 4. & 6. C. de Malef. & Mathem.* Exstant Constitutiones Pontificum: Adriani VI. Innocentii VIII. Leonis X. in Septimo. Decret. *lib. 5. tit. de Malef. & Incantat.* leguntur. Constitutiones plures passim habentur, quarum ex plurimis aliquas saltem adduco: Hispanicæ adductæ à Castro Palao, *tom. 1. tract. 4. Disp. 9. punct. 16. §. 5.* Anglicæ à Simone van Leeuwen

Cens.

Cens. Forens. lib. 5. c. 15. in fine, Peinliche Halßgerichts Ordnung *art. 109. Constit. Augusti Electoris part. 4. Constit. 2.* Churfürstliche Pfältzische Lands-Ordnung *tit. 9.* Würtembergische Lands-Ordnung tit. 90. §. 3. Fürstliche Bambergische Halßgerichts-Ordnung art. 131. Fürstliche Hessische Ordnung und Reformation anno 1572. edita fol. 5. Nassau Dillenburgische Policey Ordnung n. 3. p. 6. Schauenburgische Policey Ordnung cap. 9. Lübisch Stadt Recht lib. 4. tit. X. art. 1. Stadt Worms Reformation part. 2. tit. 6. & aliæ plures.

XXII. Quin Sagæ diversis seculis, diversarum ætatum, diversis locis, eadem tamen de pacto hoc, ejusque modo, eadem de noxiis illatis & inferendi ratione, confitentur, & sponte, & in tortura, cùm sciant ejusmodi confessionem sibi exitio futuram. Legat, qui dubitat, saltem Carpzovii Jurisprudentiam Criminalem parte primâ in fine, & Bodini Dæmonologiam passim. Quare nec somniare illa, nec fingere possunt. Plures enim uno eodemque tempore, idem & semper statis diebus, & quod verè acciderit, consentiente interim eventu, & læsis pueris, ac aliis, morbis præternaturalibus, cùm antea essent boni habitus, quod ex actis plurimis Judiciorum plurimorum requirenti constabit, somniare non solent. Etiam qui fingunt, in idem, nisi secum ea de re contulerint ante, non conveniunt. Et ne quis melancholiæ adscribat hujusmodi confessiones, pueri, puellæ, Juvenes, adolescentulæ, mares & fœminæ, senes & vetulæ, in quibus nec ante nec post noxias illatas, nec in ipso facto sæpe vel suspiciunculam reperias mentis insanæ, hæc dicunt. Addo consentientem effectum, & consensum confitentium in eadem; cùm vix duo reperiantur integro seculo, in rebus ab humanis cogitationibus remotioribus, quales hæ, qui idem imaginati fuerint: spiritibus omnium non æquè aptis ad recipiendum quælibet phantasmata, ut ostendit Erastus in *Repetione de Lamiis p. 123.*

XXIII. Tot insuper in Judiciis, Facultatibus Juridicis, Scabinatibus, singulis, ex pluribus Jurisperitis, simul assidentibus, & rei perspiciendæ idoneis, compositis, minimè crudelibus, aut impiis, ac ideo in dubio ad absolutionem quàm condemnationem promtioribus,

 ribus,

ribus, perſpectis diligentiſſimè actis & probationibus, ac, ubi minimum ambigerent, ſemper dilucidiora requirentibus, ſecutæ mulierum, ut Sagarum, tot in locis condemnationes, certum rei argumentum præbent. Ut Hiſpaniæ, Italiæ, Galliæ, & Germaniæ verera taceam, Malleo Malcficarum, Torreblancæ, Giraldo, Bodino, DelRio, obſervata; videatur ſententia Parlamenti Aquisſextienſis, contra Gaufredum Marſilienſem apud Franciſcum de Roſet *Hiſtoria 3.* Dolani, apud Grivellum *Decis. 33.* Scabinatus Lipſienſis, apud Carpzovium *Prax. Crim. part. 1. Qu. 50, in fine*, ubi 36. confeſſiones à Scabinis illis ex actis examinatas exhibet, & *Iurispr. For. par. 4. Conſt. 2.* Jenenſis Facultatis, apud Richterum *part. 1. Dec. 57. in fine* & anno 1660. apud Tabor. *de Confrontatione par. 3. th. 13.* Tubigenſis, in Collect. Conſiliorum à Beſoldo *par. 4. Conſil. 184. & paſſim*, & conſtat de recentibus ejus Facultatis in ſimilibus cauſis, poſt plures deliberationes, præjudiciis: Gripswaldenſis, de Anno 1653. apud Taborem *de Confrontatione par. 3. th. 5. & th. 17.* Roſtochienſis, apud eundem *th. 15.* Argentoratenſis, in cauſa plurium Sagarum in vicina Eslinga igni traditarum, ut alias prætereamus.

XXIV. Sed &, qui ipſi maturo judicio, ætate, rerum uſu, res has tractarunt & comperta memoriæ accuratè tradiderunt, non pauci ſunt. Ex illis (ut Autores plures, qui in Mallei Maleficarum editione poſtrema Lugdunenſi de anno 1628. continentur, prætereamus) nominare ſufficiat in Gallia Bodinum, & Petrum de *l'* Ancre, utrumq; hunc etiam plurimarum hujusmodi cauſarum Judicem: Remigium inter Lotharingos earundem: DelRio in exercitu Regio Hiſpaniarum: Regem Jacobum ipſum in Regno ſuo plurimarum hujusmodi cauſarum, inſpectis accuratè actis, Judicem; Principem Erneſtum Schawenburgicum & ipſum *cap. 9. Polit. ſuæ Ordinationis* ad experientiam propriam provocantem: DNN. Taborem, Carpzovium, Manzium, Bocerum, Beſoldum, Harprechtum ex inſpectis multarum hujusmodi cauſarum actis, accuratè conſideratis earum definitores. Quibus adde Stauchium *Diſſ. 19. ad Ius Iuſtin. priv. th. 8.* Autorem Religionis Medici, Thomam Browne *ſect, 29.* ubi, *Monſtri*, ait, *mihi ſimile videtur hæc omnia, quæ paſſim de oraculis referuntur, nondum*

dubi-

dubiam illam de spiritibus & Sagis sententiam expulisse. Et deinceps: *Equidem certò credidi, jam verò certò comperi, Sagas esse:* Henricum ab Heers, qui Wierianam, cui in multis addictus erat sectam, cum meliori, experientia monitus, mutavit. Hieronymum Jordanum Medicum & Physicum Gottingensem, qui quid ipsi sibi acciderit in ea, quam libro *de eo quod divinum est in morbis* præmisit, *rari, admirandi & plus quàm ferini veneficio illati affectus Historia* recenset: Hermannum Conringium in Programmate in Festo S. Michaëlis Archangeli: Thomam Erastum, qui *Repetitionem Disput. de Lamiis* ita concludit: *Mihi vehementer doleret, si inveniri certius aliquid posset. Mori enim malim quàm in re tanta sciens & prudens errare.* Plures autores ex iis, quæ hactenus scripsimus, quivis facilè adjiciet. Quæ omnia, nisi fallimur, Sagas esse, & esse quales descripsimus, efficiunt.

XXV. Supersunt, quæ objiciunt, qui in alia omnia eunt, breviter attingenda. Animus quidem fuerat, & illa repetitis ex ipsis autoribus verbis, ne dissimulare argumentorum pondus videremur, adducere, quando tamen id non patitur disputationis modus, bona fide, quæ ab illis in adversum disceptantur ex Rainaldo Scoto inprimis, adversariorum præcipuo, tum Wierio, ac Montano repetemus, additis sed verborum compendio, quæ ex Cardano, Godelmanno, ac qui Scotum ferè describit Palingho, confirmandæ priori sententiæ accedere possunt. Quòd si non omnia illorum à nobis confutata quis existimet, is sciat, quæ ab Erasto, Bodino, Binsfeldio contra Wierium, (cum quo communia reliqui argumenta habent,) jam satis examinata sunt, ea nos, ut vulgata vel præterire, vel leviter attingere ac Scoti recentioribus saltem pleraque reponere.

XXVI. Non esse Sagas, verè ita dictas, ergo indè probat Scotus; quia, quæ mala hominibus ab illis inferri dicuntur, morbi, pestes, tempestates, illa omnia à Deo sunt, indicantibus id diversis Scripturæ locis, quare Dei opera impiè Diabolo ab illis, qui Sagas statuunt, tribuuntur, eruntque hæc mala humani generis etiam omnibus, quæ existimantur esse Maleficæ, combustis. Scotus *lib. 1. c. 1. & c. 8.* Wierius *de Lamiis cap. 12. & de Præstigiis cap. 16.* Godelman. *de Mag. lib. 2. cap. 6.* Palingh. *pag. 208. & passim.* Cæterùm nec nos ad Sagam

ut

ut tempestates excitet, aut productas agitet, ut necessarium requirimus: & qui requirunt, quid reponant argumentis Scoti, apud DelRio, *Disq. Magic. lib. 2. qu. 11.* post alios allegatos, Voëtium *Disput. de Natura & Operat. Dæmonum p. 696.* ac Autores plurimos Goldasto im Bedencken *pag. 96.* commemorat, legi potest, confer Binsfeld. *qu. 4. ad L. 4. C. de Malef. & Math.* Urget præterea, nullam in Sacris fieri in Veteri Testamento, Scotus *lib. 1. cap. 5.* nullam à Salvatore nostro in Novo, earum mentionem, nullum à Saga læsum, à Christo restitutum ibi legi, Scotus d. l. Wierius *lib. 6. c. 22.* Sed de Veteri rem falsam esse evincunt peritissimi Hebraicæ linguæ, vide præter Bodinum, Buxtorfium, ante allegatos, DelRio hæc persequentem *l. b. 1. c. 2.* & ad alterum rectè respondet Erastus *Repet. de Lamiis pag. 85.* nec podagricum, nec colicum, speciatim & explicatè sanatum legimus: Unde tamen non esse his morbis laborantes minimè conficitur.

XXVII. Pergit *cap. 6. lib. 1.* Si Dæmon & Sagæ hac ratione nocere possent, semper & omnibus nocerent: At, qui Sagas credunt, nonne Deum inhibere ipsarum & Dæmonis potentiam sæpius alioquin nocituram addunt? At instat *eodem cap. 6.* ad omnem actionem hominis plura requiruntur, 1. ars, tum facultas facientis, 3. facultas recipiendi in patiente, 4. debita & possibilis applicatio. Lamiæ autem sunt mortales, & potestas illarum dependet à vi corporis & animi illarum, quare nec illa corpore efficere possunt, quæ fortioribus, nec animo, quæ prudentioribus impossibilia: & quærit deinceps. quale instrumentum volandi mulier edentula? Sed quis non videt, non tribuere Sagæ solùm hæc Doctores, quæ ille commemorat, sed Sagæ & Diabolo simul, pacto sibi invicem devinctis.

XXVIII. Pactum impugnat deinceps & acriter *lib. 3. cap. 2.* quia Diabolus pacisci nequeat, utpote corpore destitutus, quod ideo vel ipse creare dicendus, vel à Deo in ipsius usus creatum accipere: utrumque absurdum, primum enim Diabolum efficere creatorem, secundum Deum creare aliquid de novo, idque quo Satan ad fraudes suas abutatur. Respondemus, pacisci etiam Deum dici cum homine, non ergo requiri necessariò hac acceptione, ex utriusque paciscentis parte corpus, vide post plures Binsfeld. *De Conf. Mal. Præl. 6.* &

nec

nec necesse est, si corpus assumat Diabolus, ut id vel Deus, vel ipse ex nihilo creet; datur enim tertium, assumptio alterius corporis jam compositi, & quartum ex creatis plurimis minutis corporibus, aut ut aliqui volunt ex aëre, corporis majoris, in humanam similitudinem ficti, compositio. Ast pactum hoc fatentur, solæ vetulæ, fœminæ, deliræ, atra bile laborantes, tormentis adactæ, nullæ ante capturam voluntariè & pœnitentes, quæ singula objicit *cap. 8. lib. 1. cap. ult. & cap. 4. lib. 2.* Scotus, & ex parte Cardanus *de Rerum Varietate lib. 15. cap. 80.* Montaigne *liv. 3. des Essais chap. 11.* Wierius ac Palingh. passim. Verum id de vetulis & fœminis solum hoc crimine infectis, recentia in vicina Eslinga & apud Scriptores Dæmonologiæ plerosq;, quæ reperiuntur exempla, falsum ostendunt. Delirii in plerisque nulla apparent indicia: Atræ bilis effectus quidem memorabiles plures, vide apud Philippum Ludwigh. *Dæmonomagiæ qu. 12.* Goulart *en ses Histoires admirables & memorables de nostre temps, vol. 1. p. 256.* D. Junctis *Tractatu belgico de Viribus Imaginationis*: Ipsum Scotum *lib. 3. c. 7. 8. 9.* At, qui ea laborant non eadem & semper, destinatis diebus sibi imaginantur, & apparent in illis morbi indicia. Quod verò de tormentis ait, nullum est. Multæ sponte confitentur: vide plurimas apud Remigium confessiones, & in hac Provincia ejus exstant exempla. Quin quædam etiam antequam ad Judicem rapiantur, ipsæ culpam suam Judici profitentur, vide Malefici confessionem apud Binsfeld. *prælud. 6. pag. 31.* & Sagæ cujusdam apud Goldastum *d. Tr. pag. 117.* & ibi allegatos plures.

XXIX. Progreditur Scotus *lib. 3. c. 6.* Valde stultæ essent Lamiæ, quibus judices tamen astutiam tribuunt, si diabolo animam & corpus perpetuò cruciandum traderent, nullis receptis divitiis, vel commodis aliis. Sed & hac ratione omnes impiæ stultæ, & reperiuntur tamen plures; Tum Satan, ut non præstet hæc plerumque, semper tamen promittit, & voluptatibus, choreis diabolicis miseras dementat. At, ait, pactum non credebatur antequam Niderus id promissione veniæ, à simplici quodam rustico, qui id confinxit ideo, expressisset, idque memorat Sprengerus in Malleo Maleficarum *p. 2. qu. 7. cap. 2.* Sed in laudato Sprengeri loco nihil tale est. *cap. 2. qu. 1.* pacti exempla varia, idque etiam de rustico ejus seriem exponente recenset; sed tantum abest ut

primam originem pacti illius huic confessioni adscribat, ut similium plurium ante meminerit, ac ideo de illo Scoti addit: *nota, quòd ille modus cum aliis recitatis concordat*. Nec ipse à Nidero mutuatus est, quæ de rustico hoc scripsit, sed à Judice in Beautillen. Quid, quod ipse Scotus inter pactum hoc agnoscentes refutat Aquinam & Psellum? utrumque integris seculis Nidero antiquiorem.

XXX. Sunt illa, quæ affert Montaigne d. l. cum Scoto & Wierio passim nihilo meliora. Impossibilia ait, fateri Sagas, potiùs ergo credendum mentiri, qui hujusmodi historias recitant, quàm facta esse. Respondemus enim primò: Esse diabolo possibilia quædam, quæ quomodo fiant, non capiunt homines, sæpe etiam Eruditi. Unde, quod capere nequeunt, hoc impossibile pleriq;, nulla consequentiæ ratione, pronunciant. Deinceps, fac præstigiis illudere illos, quod sæpius facit Dæmon, non ideo tamen vel omnia præstigiosa sunt, vel hæc præstigiosa Sagas à pacto, abnegatione, nocendique animo liberant. Quia, quòd diabolus illis solùm hæc somnia, has choreas, concubitus dæmoniacos tam constanter immittit, tot aliis accedentibus circumstantiis, pacti indicium est: Tum tot seculis, in tot locis, à tum multis, visu & auditu comperta, si quis neget, nescio an non de eo Delrio illud *lib. 2. qu. 6. in principio. Pepo sit, non homo, qui vel asserat omnes effectus esse præstigiatorios, vel credat omnes veros*, non immeritò dici possit.

XXXI. Provocat demum ad Experientiam Scotus, *lib. 3. cap. 4.* Se, ut sciret, quid veri subesset, in Anglia hujusmodi fœminarum conversationem sectatum, simulasse, quasi artis se præstare vellet discipulum, illas semper in aliud tempus distulisse, se excusasse, nec unquam se artis specimen habere potuisse. Sed quàm multa ex actis ab aliis Viris doctis & sagaci judicio præditis, adde etiam antea de Sagis dubitantibus, & experientia convictis, se obtulisse antea ostendimus. Atqui respondeat hic Anglo, Anglus, Thomas Browne *de Religione Medici pag. 183. Qui ad incredulitatem hanc amovendam spectra videre cupiunt, nulla procul dubio unquam visuri sunt, imò ne Magi quidem esse, ut velint, poterunt, Hæresi eos non minus capitali jam dudum implicuit diabolus, ab eadem ipsos conversurus si appareat*: Demum *cap. 2. & lib. 6.*

enume-

enumerat exempla mulierum deceptricum, quæ se obsessas, immissis à Sagis diabolis simulabant, ut Elisabethæ Barton anno 1533. Germani cujusdam in Anglia in civitate Madoton. Quibus adde, quæ de Johannis Ulmeri Eslingensis, filia, præstigiis suis cum aliis Medicis etiam Leonhardum Fuchsium, celeberrimum hujus Academiæ Medicum anno 1546. decipiente, ut obsessam crederet, narrat in prodigiis Lycosthenes, & recentia, quæ Harlemi, Ultrajecti, ac alibi in Hollandia contigerunt, exempla, pœna ideo affectorum Palingho *pag. 50. 200. 268. 270. 284. & 298.* memorata. Judicum & Medicorum inscitiam huc omnia referentium, sæpe etiam Judicum avaritiam invadentium in bona aliorum, tandem defendendis Sagis advocat, post Cardanum, Scotus; sed frustra; Ut enim hæc aliquando se ita habuisse concedamus, non tamen efficiunt nullos esse morbos à Sagis immissos, contra manifestam, citra ullam, quæ intervenire potuit, fraudem, Experientiam: & Judices periti, ac iis in locis, ubi nec ipsis nec Fisco bona Sagarum addicuntur, de causis his in plurimis Europæ locis jus dicunt.

XXXII. Pugnat præterea Wierius *lib. 6. de Præst. cap. 3.* & Scotus *lib. 3. c. 13.* Autoritate Concilii Ancyritani, ut ipse vocat. Est autem illud, quod Anquirense vetusti Codices, Burchardus & Ivo verius Ancyrense vocant, cujus Decretum exstat *Can. Episcopi XXVI. qu. 5.* Sed de loco hoc in notis ista leguntur: *In Concilio Ancyrano Græco aut Latino neque impresso neque MSto est inventum*, ac sunt & alii ex ipsis Pontificiis, ut ex Barbosa ad dictum Canonem videre est, qui Spurium existimant. Aliter respondet DelRio, *Disq. Mag. lib. 5. sect. 16.* Certat insuper Autoritate Parlamenti Parisiensis, quòd causas hujusmodi repudiat, Duarenus *in tit. ad Leg. Corn. de Sicariis.* Petrus Erodius *l. 5. Rerum Iudicatarum tit. de Maleficiis c. 2. edit. 2.* quibus addere licet Belgica hodie judicia, in quibus de hoc crimine nihil auditur: Ac concludit demum Scotus, Autores omnes sua describere ex Malleo Maleficarum, libro scripto à Sprengero & Henrico Institore, hominibus mendacibus. Cæterùm quo tempore Danæus vixit, condemnavit Parisiense Parlamentum Maleficos, si ipsi fidem habere licet, & exstat hodieque elegans oratio *aux Playdoyes du Louys Servin*,

ibi ipse, Regis jam Advocatus, causam agit Johannis Breton. & Joannæ Simoniæ, anno adhuc 1601. veneficii in Gallia condemnatorum; sed provocantium coram Parlamento Parisiensi, quod necesse non fuisset, si nullas Sagas esse putasset Illustris ille Judicum Consessus. Atque ideo de Duareni asserto fortassis non immeritò sua adhuc ætate dubitabat DelRio, *in princ. Append. 1, Disq. Magic.* Sit tamen ita, Parlamento huic opponi possunt tot alia; ac in ipsa Gallia, ex Gallicanarum Curiarum actis congessit hujusmodi multa, quæ nec in Francia quidem Parlamenti Pariensis Judicium illud receptum ostendant Petrus Oranus, Epistola quam scripsit ad DelRio in fine. In Belgio ante annos circiter 60. Gorcomi adhuc Anna Maggen ignis supplicio hoc crimen luit. Et Ultrajecti unam & alteram vivam combustam memorat Voëtius, quod & Harlemi factum ex ipso Palingho discere est. Cessarunt autem Processus illi postquam fœmina quædam Gorcomensis Sortilegii accusata, à supplicio capitali, acta coram Judicio Provinciali Hollandiæ causa, exemta fuit; vide Voëtium *part. 3. Disp. sel. 39. in fine.* Sed nec consequentia ulla est, in uno vel altero judicio nullæ causæ in quibus condemnatæ sunt Sagæ, intra annos 50. in acta relatæ sunt, Ergo nullæ sunt. Qui legerit acta omnia, Processus editi anno 1661, lingua Belgica à Jacobo Landtmanno Secretario Abbekerkensi, inscripta *Verhaël vant Abbekerker Wyff*, vix dubitabit, non deesse in Hollandia Sagas. Id verò, mendaces esse Autores Mallei, sanè cum gravium, qui illa ætate vixerunt hominum, testimoniis pugnat. Ut taceam ab ipso Pontifice & Academia Coloniensi lectos huic muneri, & satis quidem pro illo seculo, quod libri ostendunt, doctos Inquisitores hos: Et Bodinum, Remigium, DelRio sua ex ipsis omnia desumpsisse, sola illorum inspectione refellitur. Reliquis abunde satisfecere, quos suprà nominavimus.

CAP.

CAP. III.

Quo de Processu in causis Sagarum observari solito nonnulla attinguntur: Indicia ad Specialem Inquisitionem, Capturam, Torturam idonea distinguuntur: Quatuor in art. 44. Ord. Crim. commemorata Indicia explicantur, & falsa quædam à nonnullis pro certis habita, rejiciuntur.

I.

CUm tales ergo quales descripsimus Sagæ sint, facili consequentiæ indè efficitur, eas gravissimi criminis reas esse, quod vide probantes collatione aliorum criminum DelRio, *lib. 1. sect. 1.* Binsfeld. *de Confess. Malef. membr. 2. concl. 1.* atque & ideo destinata iis legibus pœna afficiendas. Est enim ea *malum passionis ob malum actionis*, ut rectè definit Hugo Grotius *de Iure belli & pacis lib. 2. cap. 20.* & pœnæ fines à Grotio *d. l. n. 6.* explicati, omnes tres hic locum inveniunt: nam & in ejus utilitatem vergit, qui peccavit, DelRio *lib. 5. Disq. Mag. sect. 16. §. accedat.* Layman *Processu Iuridico contra Sagas tit. 1. n. 4.* Bodinus *Dæmonol. lib. 4. cap. 1. in princ.* Ubi *id etiam verum esse de pœnis temporalibus asserit, quas Sagis graviores ignis pœna à Dæmone inferri* scribit: & ejus cujus intererat non peccatum esse, ne posthac tale quid patiatur ab eodem: & quorumlibet, ne, qui uni nocuit, aliis noceat. Unde disertè hanc etiam divinæ & humanæ leges requirunt. Antequam verò ad pœnam perveniri possit, de delicto ejusque autore constare debet.

II. Cui fini instituta sunt Judicia, & in iis legitima de criminibus cognoscendis ratio, quam *Processum Criminalem* vocant. *Is verò duplex vulgò Dd. esse creditur, Ordinarius*, qui & per accusationem, & *Inquisitorius*, qui aliquando etiam Summarius dici solet, vid. Rubr. P. H. O. *art. 6. & art. 11.* Carpzovium im Peinlichen Sächsischen Inquisitions und Achts Proceß (is enim libelli illius Autor est)

in Princ. & *Prax. Crim. par.3. Qu. 107.* Clarum *l.5. sent. § fin. qu.3.n.1.* Brunneman *de Proceß. Inquis. c.1.n.1.* quamvis hodie ferè Inquisitorius ex generali consuetudine veluti pro Ordinario habeatur remedio Coll. Argent. *ad tit. de Accusat. th. 19.* Oldekop. *Observ. Crim. 5. tit. 2. obs. 3. n. 6.* Quibus *addi videtur posse tertia species Processus ex Inquisitorio & Accusatorio mixti*, qualis ferè est in gravioribus criminalibus causis ille, qui in Würtembergico Ducatu & in aliis locis obtinet.

III. Qualiscunque autem instituatur Processus, id præcipuè omni opera curandum est, ne vel noxios pœnæ eximat, vel innoxios damnet neglecta earum, quæ observari ex natura cujusvis processus debent regularum ratio. Atque illa omnia modo exequi nec temporis nec instituti ratio permittit. Videri possunt de Ordinario quidem vulgati libri de Processu: Carpzovius inprimis, Hiltropius, Brunnemannus in Processu civili, Fridericus, Fibigius. Ex illis, qui de Inquisitorio memoriæ aliquid tradiderunt, Brunnemannus in Processu Inquisitorio, Carpzovius tum in Tractatu inscripto Peinlich Sächsischer Inquisitions Proceß/ tum in Praxi Crim. *p.3. q. 107.* Ex Italis Franciscus Ambrosinus Processu Informativo. Ex Ordinationibus Germanicis, post Carolinam, Ordin. Bavarica inscripta Malefitz Ordnung; Peinlich Land-Gerichts-Ordnung in Oesterreich: De utroque autem Inquisitorio & Accusatorio plurima tradens Farinacius in Praxi & Theoria Criminali, & Manzius peculiari libello de Processu Criminali. Sed &, cùm multa habeat à communi utriusque Processus modo diversa, Processus in causis Maleficarum, consuli è re erit illos, qui hæc reliquis diligentiùs annotarunt, DelRio *l. 5. & in 2. ejus appendice.* Binsfeld. *de Confeß. Sagarum membr. 2.* Bodinum *l. 4. Dæmon.* Laymannum *in Processu contra Sagas.* Gœhausen *in notis ad Processum Laymanni.* Godelman. *de Magis l. 3.* Autorem Cautionis Criminalis *passim*: Magn. Dn. Tabor; *in Tractatu de Confront. passim.* Nicolaum Brandt. *Disputatione Inaugurali* de Legitima Maleficos & Sagas investigandi & convincendi ratione, Giessæ nuper habita. Hartz *de Veneficarum Inquisitione.* Ac passim Dn. Brunneman *in Processu Inquisitorio.* Besoldum *in Thesauro* voce Hexen. Dn. Reinking *in Responso juris in ardua & gravi quadam causa, concernente*

Pro-

Processum quendam contra Sagam, nulliter institutum & indè exortam diffamationem. Crusium *de Indiciis delictorum specialibus lib. 2. c. 32.* Quos si quis contulerit invicem, immane quantum dissidere sententiis, legendo facilè comperiet.

IV. Quòd si quis tanti dissidii causam roget, is indè esse deprehendet, quòd in Speciali Inquisitione (de Generali n. ferè conveniunt) cujus hodie usus frequentissimus, multi Indicia, quæ in Judicis arbitrio relinquuntur, confusissima ratione tractent, dum veris falsa miscent, nec in classes suas singula distinguant, cùm alia ad Inquisitionem Specialem, alia ad Capturam & Incarcerationem, alia ad Torturam requirantur. Et, si qui hæc ex parte distinguunt, illi etiam, an unum eorum indiciorum ex mente ipsorum, vel ad Specialem Inquisitionem vel Capturam sufficiat, an plura requirantur, non idoneè, nisi fortassis admodum raro explicant: Sed &, cùm in Praxi, Jus, Factum, ac conjunctio utriusq; concurrant, facta autem utpote infinita, atque ideo etiam conjunctiones facti cum jure, scripto complecti non possint, fortassis nec possibile fuerit JCto, accuratè hoc munere ubique defungi, quod quamvis non addita ratione hac, ex usu tamen se ita deprehendisse Fachinæus *l. 9. c. 56.* observat. Quando autem ea est materiæ Indiciorum in Crimine hoc amplitudo, quæ integro tractatui sufficiat, eorum facta ad autores quos commemoravimus remissione, quorum tamen omnia absit ut probemus, de nonnullis mentem nostram breviter saltem explicabimus.

V. In Inquisitione ergo delicti hujus primum ferè fit à Generali Inquisitione initium: Quæ in causis, de quibus inquiri potest, instituitur ideo, ut sciatur an delictum verè sit commissum, & à quo, Brunneman. *de Process. Inquis. c. 2. n. 2.* Carpz. in Peinlichen Inquisitions- und Achts-Proceß *tit. 3. art. 2. in princ.* Bäyerische Malefitz Ordnung *tit. 2. art. 1.* Farinacius *Praxi Crim. l. 1. tit. 1. qu. 1.* Novimus quidem Godelmannum distinctionem in Generalem & Specialem Inquisitionem rejicere *lib. 3. cap. 3. tract. de Magis*, ac somnium appellare, sed nullo idoneo fundamento niti, & labi in acceptione vocabuli, quod aliter ac Dd. reliqui accipere illum, omnes vident. Atque Generalis illa facilius ac etiam ex rumore & levioribus causis institui potest, cùm citra ullius noxiam ad usum fiat publicum. Carpz. *d. l.*

&

& Praxi Crim. par. 3. qu. 107. *num.* 15. dummodo observetur ne de ullo in specie inquiratur, sed interrogatoria formentur generaliter, v.g. quis fecerit? vid. Nic. Brandt *d. Disp. Inaug. th. 8.* ratio est in *l.* 1. §. 21. *D. de Quæstionibus.* De corpore tamen delicti, de quo in aliis delictis necessariò apparere debet, antequam vel Generalis instituatur Inquisitio per *l. 1. §. item illud. D. ad Setum. Sylan. & ibi DD. l. 1. §. si quis ultro. D. de Quæstion.* Farinacius *d. l. n. 6.* Metzger *Cons. Crim. 1. num. 3.* In hoc tamen delicto, quod occultum est & difficilis probationis, sufficere saltem per conjecturas & indicia constare de facto, notant DD. vid. Brandt *d. l.* post Clarum, Bossium, Metzgerum, Hartz *de Veneficorum Inquisitione conclus. 2. num. 2. conf.* Bayerische Makefitz Proceß Ordnung *tit. 3. art. 7.* Dn. Tabor. *de Confrontatione part. 4. pag. 120.* Unde diligentissimus Farinacius cum de casibus in quibus non ita exactè requiritur, constare de delicti corpore *lib. 1. tit. 2. qu. 2.* agit, *n. 26.* inter eos etiam ex Dd. aliis refert crimen Lamiarum, quæ eo ipso, quòd dicant, se visitare ludos, possint absque alio etiam indicio condemnari. Id, quod tamen, non ita indistinctè in crimine hoc asserendum, ut ostendunt suprà à nobis laudati Autores, sed omnino intelligendum ea mente, qua scripsit Farinacius, nempe verum esse, si Lamia fateatur hæresin, quæ verificari non possit extrinsecus, & in sola voluntate consistat: Secus si fateatur infantem unum vel plures suis Maleficiis vel aliàs occidisse, tunc enim ei non est credendum, nisi verè & realiter illos occisos aliter constet, quàm ex ejus confessione, quod & optimè monet DelRio *lib. 5. sect. 2. in princ.* Aliquando tamen Specialis Inquisitio confestim suscipitur, nec opus Inquisitione Generali præcedente, quod non solùm tum fieri, censuevit si reus in flagranti crimine deprehensus sit, quod notat Brunnem. *d. cap. 2. num. 15.* ex Carpzovio: sed etiam semper quando de crimine & autore ejus, sine instituta Generali Inquisitione abunde constat, & Judicia ad Specialem Inquisitionem idonea sunt.

VI. Postquam ex Generali Inquisitione, vel aliunde, de autore delicti hujus, & delicto ad eum effectum ut Specialiter inquiratur, pro conditione ejus, satis constat, Specialis succedit, in qua de probatione inprimis agitur. Quæ si quidem plena sit, in Ordinariam, quæ fit per instru-

instrumenta & testes, & Subsidiariam, quæ fit beneficio Torturæ, dividitur. Licèt enim delicta plurima per instrumenta probari non consueverint *l. 3. §. 3. D. de Testibus.* Cujac. *in Comm. Dig. ad tit. de fide instr.* Mascardus *vol. 2. de Prob. quæst. 5. num. 12.* secus tamen est in delictis, quæ per scripturam admittuntur, *l. 2. C. quorum appellatio non recipiatur l. ult. C. de probat. l. 22. C. ad l. Corneliam de falsis l. 15. C. de fide Instrumentorum* Umm. *Disp. 15. de Processf. th. 4. num. 20.* Farinacius de Reo confesso, *quæst. 84.* vide aliter nonnihil Matthæum *de Criminibus ad lib. 48. tit. 15. cap. 5.* Est verò actorum testimoniis testatum, fuisse Sagas & Maleficos, qui mediante scriptura cum Dæmone paciscerentur. Exempla habes tum apud Bodinum *lib. 4. cap. 2.* tum recentissimum apud Brandt, *excerptum*, ut ait, *ex MSS. consiliorum volumine Clarissimi ICti*, qui haud dubiè est D. Joh. Otto Tabor, Cancellarius Academiæ Giessenæ, olim de hoc casu ex Bremensi ditione consultus, quo Brandius Hospite & Præceptore Giessæ usus est. Tales sunt literæ quibus se ad ludus nocturnos aliquando invitant, vid. Dn. Brandt. d. Disp. Inaug. th. 2. part. 2. Perinde etiam certò probatur hoc crimen testibus duobus vel tribus omni exceptione majoribus, & de uno vel pluribus actibus conjunctim attestantibus, si viderint quem exercere artes certò Magicas, *arg. l. 12. D. de Testibus* P. H. O. *art. 67.* ibique Stephanus, Manzius, Brandt *d. l. Quamvis enim* ut verè Vasquius *Illustr. Contr. lib. 1. cap. 14. num. 2. non tale hoc sit probationis genus, quod judicem ex toto certum reddat, ea de re, quæ in controversiam vertitur: nam ut Lex noluit integram fidem adhibere uni testi, quia potest mentiri, ita quoque duo & etiam mille testes mentiri possunt, sed tamen duobus vel tribus omni exceptione majoribus fidem adhiberi jubet, eo, quòd verisimile sit (ut legi visum est) duos vel tres verum dicturos, sicque huic conjecturæ & verosimilitudini fidem adhibemus, quam fallere posse non ignoramus.* Quod si ergo hujusmodi probationes adsint, quin ad Inquisitionem Specialem, Capturam, Incarcerationem perveniri possit, dubio vacat: Tortura tamen, ad condemnationis effectum, ideo uti non poterit, eo quidem casu, Judex, quòd torqueri reos, de delicto cujus convicti sunt, juris ratio non permittat. *l. 9. D. de Quæstionibus arg. l. 51. §. 1. de Acq. Hæreditate l. 10. §. 1. D. de Testamentis quemadmod.*

mod. aperiantur. P. H. O. *art. 69.* ibique Manzius. Leſſius *de Iuſt. & Iure cap. 29. dub. 17. num. 152.* Clarus §. *fin. qu. 64.* Gœhauſen *notis ad Proceſſum Laymanni tit. 4. lit. i. pag. 224.*

VII. At ſi certæ probationes, ex quibus ad condemnationem Judex pervenire nequeat, deſint, proxima eſt de indiciis Judicis diſpectio. Quæ autem indicia Torturæ, quæ Carcerationi, quæ Inquiſitioni ſpeciali idonea ſint, quòd certis omnia & brevibus regulis comprehendi nequeant, Judicis prudenter rem æſtimantis arbitrio relinquunt, *l. 1. D. de Cuſtodia & exh. reorum. Art. 18.* ibi: **Dieſelbe Sach oder Warzeichen/ ſo ein redlich genugſam Anzeigen/ Argwohn oder Verdacht geben/ ſeynd nicht möglich alle zu beſchreiben.** Et *Art. 24.* Quicquid autem non determinatur lege vel conſuetudine in Judicis arbitrio relinquitur, *l. 1. §. 2. D. de Iure deliber.* Manzius *ad art. 18. n. 5.* poſt Zieriz, Stephan. ac alios Damhaud. *Pr. Crim. cap. 36. num. 1.* Unde diſertè de Tortura *Art. 27.* diſponitur, **Es ſollen die jenigen/ denen Peinlicher Frage halber zu erkennen gebühret/ ermeſſen** &c. Carpzov. *Pr. Crim. p. 3. qu. 123. n. 27. & ſeqq.* Binsfeld. *Comm. in Tit. C. de Maleſ. & Mathem. ad l. ult.* DelRio *lib. 5. Diſq. Magic. ſect. 3.* Fachinæus *lib. 9. Controv. 55. & 56.* ubi plures. Videri quidem queat, non poſſe id de indiciis ad Torturam idoneis in Univerſum aſſeri, cùm in ipſo inter cætera Magiæ crimine *Art. 44.* exprimantur indicia quædam: quorum unumquodque ſufficiat ad Torturam: ex quibus neceſſariò tortura Judici ideo irroganda videri queat: Et *Art. 27. Ordin. Carolinæ*, (cui ſtandum eſt, *Art. 81. & 83.*) arbitrio Judicis, locum duntaxat facit in illis indiciis, quæ ſola locum Torturæ non faciunt. Cæterùm nec ſic arbitrium Judicis excludi, aut auſſeri Judici ſimplicem Torturæ decernendi neceſſitatem, diſertè probat *Art. 47.* **P. H. O.** Quia autem diverſimode Judicis arbitrium accipi poteſt, id præcipuè hic notandum, quando aliquid relinquitur Judicis arbitrio, non eſſe ejus ſenſum, ut fortaſſe indocti Judices & Juris imperiti intelligunt, quòd quisque Judex poſſit pro ſuo ſenſu & cerebro decernere, ita ut pro ratione ſit voluntas propria, ſed quòd Judex conſideratis circumſtantiis rerum & perſonarum, nec non etiam Legum Decretis & Doctorum ſententiis arbitretur, quod juri & æquitati conſonum erit, quando lex expreſſè de juſtitia

non

non statuit. Unde arbitraria, quæ dantur Judicibus, intelliguntur concedi secundùm mentem legis & arbitrium intellectus rationis vid. *l. 1. D. de Vsuris*. Carpzov. *d. l. n. 39*. Farinacius, *Pr. Crim. lib. 1. qu. 37. n. 194.* ubi alleg. plurimi. & Mascardus *de Probat. concl. 1385. n. 18.* Binsfeld. *ad l. fin. C. de Malef. & Mathem.* Et sanè in arbitrariis his sæpe falli, & contra etiam communes Dd. opiniones plusculum Judici tribuere, etiam ipsum DelRio, non ineptè ostendit Adamus Tannerus *tom. 3. Disp. 4. de Iustitia quæst. 5. dub. 3.* ubi multa in eam egregiè de hac materia disputat.

VIII. Indiciorum hujusmodi aliquot collegit Imp. Carolus *Art. 44.* verba sunt: **Wann jemand sich erbeut/ andere Menschen Zauberey zu lehren/ oder jemand zubezauberen bedraut/ und dem Bedrauten dergleichen geschicht / auch sonderliche Gemeinschafft mit Zauberer oder Zauberinnen hat / oder mit solchen verdächtlichen Dingen / Gebärden / Worten und Wesen umgehet / die Zauberey auff sich tragen/ und dieselbige Person / desselben sonst auch berüchtiget/ das gibt ein Redliche Anzeigung der Zauberey/ und gnugsame Ursach zu Peinlicher Frage.** Remus Paraphrastes ita reddidit: *Si quis infelices Maleficorum artes profiteatur: aut hominem incantationibus malisq́ carminibus se fascinaturum aut læsurum minetur: & paulo post eveniat, ut is, cui minatus est, detrimenti quid acceperit: atque is, qui minatus est, cum Magis, Lamiis, Sortilegis versetur, tum ejusmodi res, characteres, libros, Schedas, signa habeat, verbaq́ carmen in se continentia effari, ritus & gestus insolitos exprimere soleat: quem itidem fama vulgi pro Mago, & quia Magia delectetur, eiq́ adhærescat, collaudet, excuset, ferat, hæc Magiæ certa indicia sunt, ad quæ subjici quæstionibus delatus possit.*

IX. Unde primum idoneum ad Torturam indicium esse volunt, *si quis docere alterum velit artes Magicas.* Plerumque enim Magi & Veneficæ liberos suos & alios Diabolica hac arte instituunt Stephan. *ad Art. 44.* Bodinus *lib. 4. cap. 1.* his verbis: *Car le plus souvent ils' est trouvè, que les jeunes filles de sorcieres estoyent instruites par leurs meres, & menees aux assemblees.* Godelman. *lib. 3. c. 10. n. 13.* Binsfeld. *ad l. ult. C. de Malef. & Mathem.* Berlich. *part. 4. concl. 4. n. 144.* Gilhausen

ſen *in Arbore Iudic. Crim. cap. 6. part. 7. de quæſt. & tort. ſect. 2. Incipit porrò Tortura. n. 103.* Dn. Carpzov. *Pr. Crim. par. 3. qu. 122.* Quod enim aliquis neſcit, id alios docere nequit, Manz. *ad h. art. n. 5.* Carpz. *d. l.* Dn. Tabor, *de Stellionatu pag. 27.* E. quibus Manzius hoc ex Weizenneggeri *diſſert. 6. cap. 7. n. 106.* ita declarat, dum tamen cum aliis Sagis verſari conſueverit, vel aliter de Veneficio fuerit ſuſpectus: ſed & diſtinguendum ibi putat inter artes Magicas: quædam enim, ait, artes plebi ſuperſtitioſæ familiares ſunt, atque ſine ullo pacto expreſſo (cum Dæmone) adeò frequentari (ac doceri) ſolent, ut maximam totius provinciæ partem ſuſpectam haberi neceſſum ſit, ſi generaliter hoc indicium accipiamus. Bernhardus Zierizius, *in notis ſuis* hoc etiam extendit ad illas, quæ glorientur ſe didiciſſe artes Magicas, quem ſequitur Manz. *d. l. n. 6.* ac probat hanc ſententiam textus *l. 8. C. de Maleſ. & Mathem.* ubi Impp. Valent. & Valens, *Culpa*, ajunt, *ſimilis eſt, tam prohibita diſcere quàm docere.* Et alioquin confeſſio extrajudicialis concurrentibus cæteris adminiculis facit indicium ad Torturam *Art. 32.* P. H. O. ibique Remus, Manzius, Zierizius, Buſæus, Stephani. Talis autem oblatio & gloriatio, confeſſionis vim habet, ut poſt Zangerum *cap. de quæſt. n. 204.* monet *d. l.* Manzius,

X. Ut tamen ex hoc indicio, quemadmodum etiam ex reliquis, quorum in hoc articulo mentio, Torturæ locus ſit, præterea diffamatio requiritur, *dict. Art. 44.* ibi: **jemand und dieſelbe Perſon deſſen ſonſt auch bezüchtiget** & ibi Stephan. Manzius: ubi addit rationem, quia indicia ibi relata, ſunt ut cunque remota & nulla conſequentia neceſſaria vel probabilis (probabiliſſima credo dicere voluit) ex iis inferri poteſt, neque delictum immediatè inferunt. Zanger *d. cap. 2. n. 201.* Carpz. *Pr. Crim. part. 3. qu. 122. num. 67.* Diffamationem autem intelligimus non quamlibet. Cùm enim fama res ſit fragilis & valde pernicioſa, & ſæpe per libidinem ab adverſario effuſa, ad nocendum quandoque à malevolis ſparſa, vana plerunque nec audienda, ac unius dictum ſæpius ſequatur multitudo *l. 28. D. de Inoffic. teſt. l. fin. D. de hered. inſtit. l. 3. C. de officio Rectoris Provinciæ l. 12. §. 1. C. de pœnis. c. cum in juventute. X. de purgat. canonica.* Requiritur ut à perſonis honeſtis & fide dignis orta ſit, *Art. 25.* P. H. O. ibique

Man-

Manzius *n. 7.* post Zangerum Gilhausen, Vigelium, Carpz. *Pr. Crim. p. 3. qu. 120. n. 23.* Unde rectè scribere videtur ex Weitzeneggeri *dissert. 6. cap. 7. num. 113.* Mantzius *ad d. Art. 44. n. 25.* quòd in iis locis, ubi maledicendi, detrahendi & comminiscendi libido dominatur veluti vana & fallax parùm debeat attendi. Rectè enim dicunt nostri, non tantùm famam sed etiam ejus originem attendendam, & videndum esse, an non fortè sit vana vox vulgi tantùm, quæ nullos certos habet autores, aut causæ suæ rationes probabiles. Hinc plurima famæ requisita passim apud DD. reperire est, ac Cothmannus 10. hujusmodi recenset *vol. 1. Resp. 12.* quod & facit Stephan. *ad Art. 25.* DelRio ea contrahit, ac sex ex plurimis Criminalium Scriptoribus exhibet *Disq. Magic. lib. 5. sect. 3.* Sed si omnia illa strictè quis requirat, veremur ne eveniat, quod conquestus est Grammaticus Senator Neapolitanus, eodem DelRio ex Farinacio teste, se nunquam vidisse processum, in quo repererit famam publicam legitimè fuisse probatam, quodque dictum cum aliis egregiis JCtis, Julio Claro & Vulpello etiam tribuit. Quare si 1. ratione personæ diffamantis superioris *Art. 25.* requisita, in quibus causam etiam comprehendimus, ut honestæ sint personæ nec inimici *c. 19. X. D. accusat.* & 2. ratione rei diffamati ut vilis & levis persona sit *d. Art. 25. l. 3. §. 12. l. 5. §. 6. D. de Re Milit. c. 8. de R. I. in sexto.* sufficere illa existimanus, vid. Carpz. *Pr. Crim. d. qu. 120. num. 24.* Zanger *d. cap. 2. num. 83.* Bocer. *de Tortur. cap. 3. n. 27.* Menoch. *lib. 1. Præsum. qu. 89.* & quædam jam ante in nostris requisitis comprehenduntur. Interdum tamen & famæ locum alia indicia subeunt, Carpzov. *d. quæst. 123. num. 67.* Quibus id demum addimus, ut innocentiam suam ante quæstionem Judici legitimè deducere, aut hæc indicia ante quæstionem elidere non possit *Art. 47. & 29.* P. H. O. ac ibi Manzius post Remum, Gilhausen, Zieriz, & Stephanum, Si ergo *seriò quis alterum artem verè Maleficam docere voluerit, ac ea qua diximus ratione diffamatus antea de ea fuerit, nec se innoxium ante torturam in defensione sua Iudici ostendere possit*, is ex legitimo & sufficienti indicio Tortura ex primo indicio *Art. 44. Ord. Crim.* affligi potest.

XI. Alterum Indicium est, si hominem incantationibus & fascinatio-

nationibus se læsurum quis minetur, & minas, malum imprecatum quod Magicum videri possit, mox insequatur *dict. Art. 44.* ibique Remus, qui tamen plura conjunctim requirere videtur, Manzius, Stephan. Bulæus. Zieriz *d. Art. vid. & Art. 32.* Carpz. *d. qu. n. 63.* ubi adducit Nic. Boërii *Decis. 166.* Gœhausen *in Processu Iuridico contra Sagas tit. 2. pag. 106.* Binsfeld. *ad. L. fin. C. de Malef. & Mathem. Indicio quarto.* & præ reliquis meliùs Farinacius *de Indiciis & Tortura lib. 1. tit. 5. qu. 50. num. 14.* ubi requirit delictum sequi in continenti vel paulo post. Unde si post minas illatas ex intervallo secutum fuerit delictum, id non faciunt Indicium ad Torturam Farinacius *d. l.* & DelRio *lib. 5. sect. 3. in fine*: quid tamen dicatur ex intervallo, Judicis arbitrio relinquit uterque. Requirit insuper DelRio ut minæ sint specificæ seu de eodem, quod subsecutum fuit delicto; ut sint absolutæ non sub conditione prolutæ, ut sint per duos testes efficaciter probatæ & alia, quem vide omnino. Si ergo ad hoc etiam indicium fama *h. Art. 44.* requisita accedat, ac nihil eorum, quæ *Art. 47. & 29.* Torturam impediunt, quæstioni locus erit: Junge tamen egregium locum Paridis de Puteo *in Tract. de Syndicatu, in verbo Tortura, vers. & an si.* Ubi judicem circa hoc indicium valde prudenter & cautè se gerere debere monet, propter fallaciam quam sæpe ingentem hoc in casu subesse ipse adducto egregio suæ ætatis exemplo, ubi mulieri, adversario alta voce minitanti, illata ei ab altero nece, post Torturam, & in ea expressam falsam confessionem, supplicium immeritò irrogatum scribit.

XII. Indicium cujus deinceps *in d. Att. 44.* mentio fit est, *si quis familiariter conversetur cum Maleficis.* Id tamen diversa ratione explicant Interpretes. Remus, tria posteriora indicia *Art. 44.* ita conjungit, ut omnia simul & conjunctim requirere videatur. Stephanus conversationem cum Veneficis certis & convictis intelligit, in eamque sententiam Damhauderum & Menochium adducit, in quam etiam Carpz. descendit *dict. qu. 122. num. 64.* ac ita etiam Busæus. At eam explicationem rejicit Gœhausen *de Proc. tit. 2. p. 117.* qui intelligi vult de personis ob Magiæ crimen infamatis, si quis cum iis strictam colat amicitiam, ac assiduè converseтur; qualis cum Ve-

Veneficis jam convictis aut confessis nemini esse potest. Zieriz hunc nodum non attingit. Weizeneggerus apud Manzium *ad Art. hunc n.9.* Indicium nimis generale putat, ad diffamationem potiùs, quàm ad Indicium per se ordinatum, nec ergo ad quæstionem viam aperire, nisi persona, quæ cum Maleficis frequenter versa est, etiam aliunde de Maleficio suspecta sit, cùm variis de causis in aliquo municipio vel pago inter vicinos stricta amicitia conciliari possit, atque etiam secretarum collocutionum (quas inprimis aliqui putant attendendas,) variæ possint reddi rationes. Quæ sententia etiam Binsfeldio non displicet *d. l. pag. 712. Indic. 5.* ubi cum hac conversatione alia Indicia vel adminicula concurrere vult. Nobis, secundum & tertium Indicium, verba Constitutionis conjungere videntur, atque securius tertium hoc, in praxi, propter Manzii rationem, vel cum secundo, vel aliis indiciis componi existimatur: ut verba etiam intellexit Remus; quamvis is plura etiam addat. Interim Gœhausii sententiam, textum non de convictis & confessis, sed fama comuni saltem pro talibus habitis Sagis intelligentis, præ Carpzovii, Stephani & aliorum probamus.

XIII. Addit & illud Ord. Criminalis *d. art. 44. Si quis res de Veneficio suspectas secum habeat, & alioquin de Maleficio diffamatus sit.* **Der mit solchen verdächtigen Dingen / Gebärden / Worten und Wesen umgehet.** Remus, minas, fascinationis effectum, conversationem cum Magis, res Magicas, famam vulgi conjungit: ut hæc conjunctim pro uno Indicio sufficienti ad Torturam requirere videatur. Reliqui verò, duo hæc, res hujusmodi, & famam conjungunt. Vid. Manz. *n. 10. 11. & 12.* Stephanum. Res autem ejusmodi esse existimant, si penes Sagam in illius conclavi reperiatur olla impleta bufonibus, hostiis, membris humanis, imaginibus cereis acubus transfixis: vide præter Interpretes ad hunc Art. Berlich. *part. 4. concl. 4. num. 147.* Carpzov. *Pr. Crim. par. 3. qu. 122. num. 65. & 66.* Bocer. *in Tr. de Quæst. cap. 3. n. 96.* Inprimis Torreblancam *tit. 3. cap. 17. Dæmonologiæ*, ubi res has reliquis accuratiùs enumerat *num. 34. usque ad 39.* Binsfeld. *ad L. ult. C. de Malefic. Indic. 8.* ubi idem de libris Magiæ verum esse existimat, post alios: qua de re vide Besoldum *in Thesauro*

Pra-

Practico voce Heren *in Addit.* & DelRio *Disq. Mag. lib. 5. sect. 17.* Ubi tamen notandum est quod addit; *Intellige præterquam ab illis, quibus prohibitorum librorum Generalis lectio in bonum publicum Pontificis autoritate fuerit concessa.* Malè enim actum fuisset cum ipso DelRio & Inquisitoribus alioquin, qui libros hujusmodi se perlegisse plures ait, non probandi sed commodiùs rem contra quam scribere destinaverat refutandi animo: vide eum in Proloquio hoc fatentem. Quare id etiam cautè addit Torreblanca *d. l.* Sed hæc de libris solùm Magiam docentibus, non de illis, qui in detestationem Magiæ, vel de Magis scripti sunt, qui libri Theologis, JCtis, Medicis, Philosophis omnino legendi, nec de libris de vitæ Magorum, Fausti vel aliorum intelligenda sunt, ut eleganter respondit Facultas Juridica Argent. apud Dn. Taborem de Stellionatu p. 27.

XIV. Hermannus Gœhausen *in Processu contra Sagas tit. 2. in notis pag. 92. lit. O.* novisse se ait, JCtos sibi amicos, qui præter Indicia in Carolina Constitutione *Art. 44.* expressa, alia in crimine Magiæ (ad Torturæ ut existimo effectum) non admittant; sed rectè addit, *Quibus non assentior: est enim argumentum illud nihili & merè negativum,* ac adducit consentientes secum ex Peregrini *Cons. 2. num. 206.* JCtos Patavinos, & Danielem Mollerum: Quæ Gœhausii sententia satis probatur *Art. 20. 30. 31.* P. H. O. & ex aliis ejus locis passim. Unde & Stephano, Manzio, Busæo ad h. Art. placuit: vide pro eadem & Berlich. *d. concl. 4. n. 148. & seqq.* Godelman. *lib. 3. c. 10.* passim. Quòd si illa, quæ Manzius ex Berlichio, Zangero, Besoldo *num. 29. & 30.* recenset, secundùm Weizeneggerum, quem ibi probat Manzius, inter Indicia recensenda sint, non dubitamus & illa ad Torturam sufficere. Sanè ita censet & Bocerus *de Quæstionibus cap. 3 num. 96.* qui numero sequenti etiam Bodinum, refutat, quòd Indicia hæc ad mortis condemnationem sufficere existimet, ideo quòd ex *Art. 22. Ord. Carol.* ex nullo Indicio pœna mortis aliquis plecti possit. Sed, quæ Bocerus ibi recenset inter Indicia ex Bodino *lib. 4. cap. 2.* ea ipsi Bodino non sunt Indicia, *preuves necessaires & indubitables*, ut vel corrupta versione vel ab alio Autore male adducente Bodinum ipsi impositum esse necesse sit. Inter Indicia autem hujusmodi & probatio-

bationes multum interest, quod eleganter post alios docet Farinacius *Pr. Cim. lib. 1. tit. 3. qu. 37. num. 5.* Quæcunque autem Indicia Torturæ idonea sunt, ea etiam ad Carcerationem, Capturam & Inquisionem apta esse omnes facilè intelligunt.

XV. Ad Capturam tamen etiam enumeratis his minora sufficiunt; gravia tamen & magna, ac illis, quæ ad Inquisitionem specialem requiruntur majora. Quod ex ipso Naturæ jure probare licet. Ex parvis enim causis aliquem in non parvum incommodum, qualis est Captivitas, conjicere, inhonestum esse, ipsum rationis dictamen docet. Unde egregiè Ferdinandus de Castro Palao, Jesuita doctissimus, ac in Regno Hispanico Inquisitorum Consulens nostra ætate, Operis moralis *tom. 1. part. 4. Disp. 8. puncto 4.* scribit: *Ex levibus indiciis non moveri judex potest ad Capturam Rei; Hæc enim Captura cùm sit ita delinquenti molesta, damnosa & infamatoria, necessariò expostulat, aut delictum esse plene probatum, aut saltem de illo esse indicia dispositionesq́ue vehementer probatas, imò si est persona nobilis, religiosa, honestæ vitæ, non debent Inquisitores absque consilio supremi Senatus ad Capturam procedere*, & adducit Consentientes, Eymericum, Pegnam, Farinacium, Rojam, Simancam, Ludovicum à Paramo, & Sigismundum Scacciam. Quod & repetit eodem *Tract. Disp. 9. punct. 16. §. 5.* Ubi: *Ad Capturam Lamiarum quas vulgò,* Bruxas *vocant, gravissima indicia, & probationes liquidiores, & clariores, quàm in aliis delictis requiruntur, ob periculum falsitatis, quod experientia teste compertum est.* Unde non solùm famam, ut supra descripsimus, vel ejus loco, ut mox dicemus, Indicia fortiora alia, sed etiam præterea alia quædam adminicula rectè requrit ex mente Dn. Taboris Brandt *dicta Disp. Inaug. th. 13.* in quam sententiam etiam Ordinationem Criminalem Provincialem Austriacam adducit. Confer Godelman. *de Magis lib. 3. cap. 6.* DelRio, *lib. 5. sect. 3. & sect. 7.* ubi tamen à Simancæ sententia discedit, cujus nos causam videmus nullam, inprimis cùm nimiæ severitatis potiùs quàm humanitatis incusari soleat Inquisitio Hispanica, cujus consulens Castro Palao, hic tamen mitiorem hanc, nisi justus fugæ metus subsit omnino probandam judicat. Atque hanc sententiam contra DelRio etiam multis probat Gœhausen

sen

ſen *Proceſſu contra Sagas tit. 1. lit. d.* poſt Paulum de Caſtoro & Jodocum Damhauderum, quam & pluribus rationibus firmat.

XVI. Ad Specialem Inquiſitionem verò citra Capturam pervenitur etiam ex minoribus adhuc Indiciis, ita tamen ut Diffamatio præcedat, *c. qualiter & quando* x. *de Accuſat.* Caſtro Palao *d. l. n. 2.* ubi addit, *De crimine hæreſeos*, (ſub quo illud de quo agimus complectitur) *quæ autem diffamatio ſufficiat, non eſt conſtans apud omnes: Putarem oriri debere ex gravibus indiciis, ex levibus enim quæ delicto gravi annexa non ſunt, moveri non debet judex ad ſuſpicandum tam grave crimen de homine Chriſtiano.* Vide diffamationem hanc etiam requirentem Carpzovium *Pr. Cr. p. 3. qu. 108. n. 5.* Menoch. *lib. 1. conſ. 100. n. 58.* Farinac. & ibi plurimos allegatos Dd. *Pr. Crim. lib. 1. tit. 1. qu. 9. in princ.* Unde communiter Dd. tradere notat, nullam & invalidam eſſe Inquiſitionem, quæ fiat non præcedente fama: ita Rolandus à Valle, Bruno à Sole, Boſſius, Cothmannus, Hondedeus, Tiberius, Decianus, Burſatus, Gigas, Menochius adducti à Carpz. *d. l.* Cæterùm Julius Clarus ſent. *lib. 5. §. fin. qu. 6.* monet, hanc ſolennitatem diffamationis conſuetudine abrogatam: *Quicquid ſit*, ait n. 2. *de jure, totum contrarium docet practica, quæ communiter obſervatur.* At Rolandus, *Conſ. 57. num. 26. vol.* 4. licèt teſtimonium Clari ſit magnum, hic tamen ſpernendum eſſe putat, quia omnes Dd. tàm antiqui, quàm moderni, concludant & exclament, in Inquiſitione famam debere præcedere: ubi addit Lud. Catt. (Gœhauſen hæc eadem verba ipſi Rolando malè tribuit) *in Conſ. Crim. diverſ. 99. n. 1. lib. 1.* dicentem: *Totum mundum ſequi* (ita ipſe loquitur) *quòd Inquiſitio non præcedente diffamatione facta, nulla & invalida ſit*: unde Clari ſententiam ad Mediolanenſem praxin reſtringit. Quod improbat Farinacius *lib. 1. tit. 1. qu. 9. n. 21.* & oſtendit, Clarum de Generali ſolùm Inquiſitione, vel caſu, quo in locum famæ ſuccedant alia Indicia, accipiendum: qua ratione id, non de praxi Mediolanenſi ſolùm, ſed Romana etiam & aliorum locorum verum exiſtimat. Atque ideo nihilominus ratùm manet, in Speciali Inquiſitione, de praxi hodierna, requiri diffamationem, vel ejus loco Indicia, quæ loco diffamationis interdum ſuccedunt. Gœhauſen *de Proceſſu tit. 1. lit. n. p. 44. in notis.* Farinacius *d. l.* Manz. *ad Conſt. Carol. Art. 44. num. 15.*

Brandt. *d. Disp. th.10.* Carpz. ibique allegati. Heigius, Bartolus, Paris de Puteo, Hartz *in Tract. de Venefic. Inquisitione concl. 4. num. 2. p. 49.*

XVII. Atque hæc breviter admonuisse sufficiat, de idoneis nonnullis ad Torturam, ad Capturam, & Inquisitionem specialem, Indiciis, in quibus præcipua in Processu Sagarum hactenus difficultas Judices occupatos tenet. Pauca nunc de illis & brevissimè subjiciemus, quæ Indiciorum vice, multis, cùm talia minimè sint, esse videntur. E quibus I. Aquæ frigidæ proba. Ea sanè olim ita recepta fuit, ut apud plurimas Europæas Gentes, inter certissimas Veneficii probandi rationes haberetur. De locis Rintheliensi Academiæ vicinis, ibi adhuc obtinuisse, docet nos Gœhausen *quæst. 1. An proba aquæ frigidæ sit licita.* De vicinis Arctoo mari Germaniæ locis, res hodieque manfesta est: ut & de Livonia, ibi frequenti usu probari. Et defenderunt illam superiori seculo Wilhelmus Adolphus Scribonius Marburgensis, *lib. 2. de Sagarum natura & potestate*: ac hominum memoria Jacobus Angliæ Rex *in Dæmonologia lib. 3. c. 6. in fine.* idque *Non naturæ ope*, ut ait, *sed divina voluntate institutum videri* putat, *prodigiosæ in Veneficis impietatis signum*, *tanquam aqua suum in sinum eos non admitteret*, *qui excussa baptismi aqua se omni illius Sacramenti beneficio ultro orbarunt.* Id quod etiam Henrico Kornemanno *in libro de Miraculis vivorum* hoc seculo placuisse video. Quin & Rudolphus Goclenius, quamvis ex aliis rationibus, *in Oratione de Natura Sagarum*, illud orbi persuadere aggressus est. Neque de summa negotii hujus dubitat Crusius *de Indiciis lic. 2. cap. 32. num. 85.* qui passim nimis profectò leviter ac sæpe ridiculè indicia delictorum cumulat. Quin destinaverat pro hujus probæ defensione librum edere Jacobus Richius anno 1598. Coloniæ, ut quidem recenset Petrus Heigius *part. 2. qu. 39. n. 60.* Id expeditum est, olim probam hanc Germaniæ Populis atque jam Juliani Apostatæ Imper. ævo, ut ex Epistola ejus ad Antiochum Misopogona patet, non ignotam fuisse, sed in alios usus. Discernebant enim ita spurios à legitimis, imponendo eos Rheno; diversa tamen ratione, ut spurios mergi, legitimos innatare vellent. Quod ex Claudiani in Ruffinum loco, & Lipsii ad Germaniam Taciti notatis abunde liquet: magno indicio diaboli proba hac homines ludos facien-

cientis. In Frisiorum quoque & Longobardorum legibus, mentio est probæ hujus. At Francicæ leges jam Caroli M. ævo illam rejiciunt, Capitularis cap. 183. in addit. quarta sancitur; *Ut examen aquæ frigidæ, quod hactenus faciebant, Missis omnibus interdicatur ne hactenus fiat.* Superiori seculo increbescentem iterum malum morem, primus in Italia tribus his rationibus, 1. quòd ex diabolica invidia sit excogitatus, 2. quòd Deus tentetur, 3. quòd multi innocentes hac ratione condemnentur, impugnavit in Compendio Judiciarii Processus Andreas Alciatus: quem secutus in Gallia Bodinus *lib. 4. c. 4. Dæmonol.* ac deinceps Louys Servien egregia Oratione, in casu cujus jam meminimus ante, anno 1601. persuasit Consiliariis Parlamenti Parisiensis, ut planè abolerent per totum Galliæ Regnum consuetudinem hanc. Ac in Hollandia anno 1594. Curia Suprema Joanni Heurnio, Gerhardo Bontio, Petro Pawio, Medicinæ, Antonio Trutio, & Pero Molinæo, Philosophiæ Professoribus id negotium dedit, ut, An quicquam subesset naturalis causæ, indagerent; quorum suffragiis illa planè rejecta est: vid. in Hollandica Scoti editione p. 314. sub inscriptione, *T' Ghevolen van de Heeren Professoren der Universitet tot Leyden, neopende de proeve der Toovere ssen int Water.* Sanè nec Naturæ illa, nec Divinis, nec aliis legibus convenit, & *c. Mennam. II. q. 5. & c. 8. X. de purgat. canon.* disertè prohibetur. Plures contra eam rationes vide cum Refutationibus Scribonii & aliorum argumentorum apud allegatos, tum DelRio, *lib. 4. cap. 4. q. 5.* Binsfeld. *de Confess. Malef. membr. 2. concl. 7. dub. 1.* Gœhausen *quæst. 1. de Sagis.* ubi omnia omnium Academiarum Germaniæ Collegia contra eam pronuntiare scribit. Reinking. *Responso de Sagis qu. 3. n. 499. & seq.* Mornac. *ad L. 5. §. 1. D. de jurejur.* Godelman. *lib. 3. de Magis, cap. 4.* ubi in fine experientia convinci hanc probam erroris, luculento, quod ipse viderat, exemplo docet. Voëtium *Disp. select. tom. 3. Disp. 39.* Similis est ratio purgationis per aquam ferventem, vel ferrum ignitum *d. c. Mennam:* aut ejus, quam olim in Belgio apud Oudenwater, in præfatione Belgicæ versionis Cautioni criminali præfixa, me legisse memini, ut ad stateram explorarentur Sagæ, & cui aliquot libræ ad centum librarum pondus deessent, illa certo indiciò talis esse crederetur. Confer

fer de hac proba per lancem & stateram DelRrio *lib. 4. cap. 4. quæst. 6.*

XVIII. Certius Indicium ex stigmatibus à Dæmone impressis aliqui repetunt: Malleus Maleficarum passim. Bodinus *lib. 2. Dæm. c.4. & lib.4. cap.4.* Danæus *de Sortiariis.* Berlich. *part.4.concl.4. n. 154.* Rex Jacobus *in fine Dæmonologiæ.* Crusius *de Indiciis part. 2. c. 32. n. 40.* Atque hac ex causa inter cætera inprimis motum fuit Parlamentum Aquissextiense, ut Gaufredum condemnaret, seu observat Gassendus in vita Peireskii: ac & alibi secundùm ejusmodi stigmata sæpe judicatum refert Ostermannus *in Tract. de Stigmatibus sect. 8. par. 24.* Cæterum magna hic cautione opus esse, & multum intervenire Diabolicæ fraudis, ex Binsfeldio, qui alioquin Indicia nimis cumulat, patet. Is *Comm. in l. ult. C. de Malef. & Mathem. Indic. 14. Quicquid sit*, ait, *non puto tale signum magni faciendum esse, facilè enim si quis quæret hujusmodi signa, finget aut putabit esse, quod non est; Imò si Dæmon cognosceret, suos tali signo cognosci, non imprimeret, sicut Bodinus exempla refert, in quibus postera die post deprehensionem, signi fuit nota deleta*: Consentit DelRio *lib. 5. Disq. Mag. sect. 4.* ubi, *Non omnibus*, ait, *illud inurit; aliquando etiam delet, dum capti sunt, & quando non delet, id relinquit ut hanc superstitionem judicum foveat, & sic non nunquam innocentes plectantur, nec enim facilè verum signum dignosces à macula, vel nævo, vel clavo, vel impetigine naturali &c.* In eandem rem elegantissimus locus est apud Gassendum *in vita Peireskii lib. 2. in fine*, qui cùm Peireskii judicium de hac re contineat, dignus visus est, qui hic exhibeatur: *Quod ad stigmata spectat, hæsit Peireskius, num revera non essent notæ Cacomagiæ: idque præsertim ex quo agnovit rem vocatam in controversiam à Martino DelRio, aliis viris impensè doctis. Fortè enim esse posse à natura, pertinereq; ad singularem Elephantiaseos speciem, aut saltem posse ipsos Magos ea sibi quasi cauteria inurere, ac perturbatæ menti defigere.* Atque hoc stigmatum Indicium ideo rejiciunt Godelmannus, *lib. 3. c. 3. n. 28.* malè à Berlichio & Crusio pro ipsorum sententia adductus. Jordanus *in proba Stigmatica contra Ostermannum.* Autor. Caut. Crim. *Dub. 43. integro.* Paulus Zacchias *in Quæst. Medico legal. lib. 7. tit. 4. qu. 2.* Oldekop. *in Tract. contra Carpzovium posteriori, Qu. 10. decadis*

tertia. Theodorus Thummius *de Sagarum impietate p. 74.* ubi, *Is*, ait, *qui Dei permissu Iobum Vlcerum cumulo adobruit, piis quoque tale quid inurere potest.*

XIX. Indicium quoq; id esse volunt aliqui Maleficæ, si lacrymas in Judicis conspectu fundere non possit, Sprenger *in Malleo Malef. p. 3. q. 15.* ubi ipse recitat conjurationis formulam, qua ipse cum sociis suis Veneficas ad fundendas lacrymas conjurabat. Bodinus quoque huic Indicio multum tribuit, verba ejus *lib. 4. c. 4.* hæc sunt: *l' autre presomtion est, si la sorciere ne pleure point, qui est une des plus fortes presomtions, que Paul Grilland, & les cinq Inquisiteurs ont remarqué, pour en avoit fait executer bien grand nombre.* Addit tamen deinceps, prodire aliquando illis, sed ex dextro solùm oculo, guttas tres. Quas nugas de tribus guttis miror placuisse etiam Zierizio in notis ad *Art. 44.* ubi id se comperisse ait, post Bodinum, ex actis Pomeranæ cujusdam Sagæ, & Godelmanni *lib. 3. cap. 3. num. 26.* sed falsò, pro sua sententia (is enim ibidem contrarium scribit) adducit. Boguet: *en l' instruction pour un Iuge en faict de sorcellerie, Article X. Le Iuge doit bien adviser, s' il ne jette point de larmes.* Et *au Discours de sorciers, chapit 40. Tous les sorciers, que l' ay examinéz en qualitè de juge, n' ont jamais jettè larmes en ma presence.* Rex Jacobus quoque non parùm momenti in hoc Indicio ponit *c. 6. lib. 3. Dæmon. in fine.* Consentit Berlich. *p. 4. concl. 4. num. 60.* Carpz. *Pr. Crim. qu. 49. n. 63.* quorum uterque itidem Godelmanno falsam hanc sententiam immeritò tribuit. Cæterùm cùm lacrymarum vel emissarum, vel non emissarum manifestæ sint & naturales causæ: ac ipse DelRio, qui & rectè hoc Indicium rejicit, se vidisse pueros testetur, quorum talis erat constitutio corporis, ut citiùs flagris discidisses, quàm vel unam lacrymulam excussisses, *lib. 5. sect. 4.* Idemque cum DelRio, Binsfeld. *ad d. l. ult. ind. 12.* Godelmann. *d. l.* Thummius *d. Tr. p. 73.* Brandt *Disp. Inaug. p. 2. th. 24.* Oldekop. *Observ. Crim. tit. 4. Observ. 14* & *in Coroll. subjuncto Tract. contra Carpzov.* Lindenspür *in Ordinat. Würtemb. n. 307.* sentiant: & Indicia urgentia esse debeant & concludentia *l. fin. & ibi Dd. D. de quæst.* ideo huic Indicio parùm tribuendum non immeritò existimamus. Atque ita sæpe respondit Amplissima Facultas Juridica Tubingensis: E cujus

jus memorabili responso MSSto in causa C. weiland J. S. nachgelassenen Wittib/ad Requisitionem Röm. Käys. Anwald zu Stuttgart Anno 1638. 9. Febr. digna visa fuerunt, quæ subjicerem. Wie dann sonderlich das 11. und letzte indicium, daß die Verhaffte sine lacrymis ohne Zähren geweinet habe / daran doch der gemein Unverständige in dergleichen Fällen viel sicht / und es etwan für ein unfehlbar Indicium der Hexerey halten thut / wenig oder gar nichts zu bedeuten hat/dann viel ehrliche Mann und Weibs Personen gefunden worden/die nicht anderst weinen können/ und hat solches seine natürliche gewisse Ursachen / wovon die Medici gar hübsch schreiben / indem Sie anzeigen / was die lacrymæ oder lacrymale humidum die Zähren seyen/nemlich eine *materia serosa, quæ ex organorum compressione, angustatione ad extremitates venularum oculi penetret, & impetu quodam ad carunculam lacrymalem ruat & foras propellatur: & dicunt ulteriùs, quòd tale lacrymale humidum exsuperet aut minuatur prout temperies aut intemperies cerebri sit humidior vel siccior, cùm lacrymæ nihil aliud sint quàm defluxus pituitæ aqueæ, aut seri in cerebro contenti, juxta oculorum radices per foramen illud, quod in oculorum interno angulo in hunc usum insculptum est. Ex quo sequitur, quòd lacrymæ sint copiosiores ob cerebrum humidum, & minores, imò & planè nullæ ob cerebrum siccum. Tradunt insuper Medici, quòd cerebrum ob calorem solis, ignis, ob cibos siccantes, ob immoderatas corporis exacuationes, ob diuturnum alvi fluxum, ob sudorem nimium, ob vigilias excessivas, ob inediam, ob animi perturbationes immoderatiores, ob mæstitiam præsertim & tristitiam, ob studia & labores nimios, adeò siccari possit, ut licèt ad fletum reliquæ causæ adsint, tamen nullæ lacrymæ, nullum humidum serosum, vel generatum sit quod exprimatur, vel vehementioribus causis absumptum,* Auß welchem dañ unschwer zu verstehen/daß dergleichen Weinen *sine lacrymis* und ohne Zähren *pro nullo indicio* zuhalten: *& dari posse fletum absque humoris emanatione, testatur ploratus infantium, qui quandoque per longum tempus plorant absque ullo ullius humoris effluxu.* Quomodo etiam deinceps ad requisitionem Adelichen T. Vogt zu K. anno 1661. 25. Febr. responsum fuit. Eodem modo Argentoratenses *vol. 2. cons. 53. num. 40.* Atque parùm etiam huic lacryma-

crymarum Indicio tribuisse Inquisitorem quendam amicum suum memorat Gœhausen *de Processu pag. 115.* ubi tamen non minus lepidum Indicium ei substituit quod magnifaciebat ille: consueverat enim in chorda ligatis & mox torquendis lumen admovere, ac, si riderent, torquendos putabat.

XX. Ne quid desit in hac materia errorum, nonnulli inter Indicia etiam ponunt *singularitatem quandam in actibus religionis*, eamq; ita explicant, ut indè maximè piis etiam periculum esse possit. Hinc apud Binsfeldium virum alioquin eruditum, decimum septimum Maleficii hoc est Indicium: *In actibus exterioribus*, ait, *non raro incedunt in vestimentis ovium, more magistri sui, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Confer P. Gregorium *3. de Republ. cap. 28. num. 21.* Simon. Majolum *2. Dier. Can. 3.* & Manz. *ad art. 44. Ord. Crim. n. 21.* ex suorum mente: *Gestibus*, ait, *quis suspectus redditur, si sit singularis in actibus religionis, & in ceremoniis, si templum citiùs ingrediatur, tardiùs egrediatur, ad nomen Iesu auditum suspiret, singularem sanctimoniam simulet, & alias hypocryticas superstitiones exerceat.* Autor Cautionis Criminalis *dub. 8.* hinc factum inter Romanæ Ecclesiæ addictos meminit, ut Magiæ insimularentur à vulgo Presbyteri, qui reliquis diligentiùs missas celebrarent, aut aliquid majoris devotionis præ se ferrent, adeò ut qui Magus videri nollet, eum diligentissimè sibi cavere oporteret in illis locis, ab omni specie pietatis. Et hæc in Romanis non adeò miror, ac nostris, è quibus (ut solent aliquando incautè aliqui) hæc accepit, atque id etiam se observasse verum esse, ex confessionibus Sagarum, scribit Zieriz *ad art. 44.* vid. & Zanger *de Quæst. cap. 2. num. 204.* qui & Binsfeld. testem advocat, & Crusium *d. l.* è Remigii *lib. 2. de Dæmon. cap. 11.* hoc asserentem. Cæterùm rectè Manzius hoc Indicium ne quidem ad Inquisitionem sufficere censet *d. l. num. 21.* ubi Weizeneggerum consentientem laudat. Et DelRio *lib. 5. sect. 4.* id aliquando quidem hypocrisin, non tamen nisi remotissimè Maleficium probare contendit. Vid. Cautio Criminalis *dub. 8.* Ut enim verum sit, Sagas plerumque, quod vult Binsfeld, tales se simulare, cum actus tamen illi, iis 1. cùm vere piis hominibus: & deinceps 2. à Maleficio immunibus quidem, pietatem tamen simulantibus,

bus, communes sint, non video quid indè effici possit certi ad hunc effectum. Quin quamdiu aliud nihil constabit, pro hujusmodi hominibus juris stat præsumtio *c. 30. & 49. x. de R. I. in sexto*

XXI. Longum esset omnia Indicia, quæ è Vulgo & Doctis aliqui pro certis habent, cùm falsa sint, colligere tantùm. Quare facta ad autores, qui eorum quædam examinarunt, remissione, claudimus. Tale illud, quod Parentibus Maleficis natos, vel certò, vel plerunque, Maleficos aliqui existimant; quamvis id post Bodinum *Dæm. lib. 4. c. 4.* existimaverit Besoldus *voce* Hexen/ quod confutatum vide apud Binsfeld. *d. l. indicio 16.* Manzium *ad art. 44. Ord. Crim. num. 34. & seqq.* Confer DelRio *lib. 5. sect. 4.* Quod magis etiam verum est, si in patria alicujus saltem multi Malefici igni traditi fuerint. DelRio, Manzius, *dd. locis*, & apud hunc Weizenegger. Tale est illud, si Physiognomia sit mala, si torvo & obliquo aspectu sit, si oculos in terram defigat, quæ omnia vana esse ostendit d. l. DelRio, & ad postremum hoc, quod valde urget Boguet *en l'instruction. &c. art. X.* rectè respondet DelRio, posse id ex pudore oriri, nec esse ullius in specie delicti, confer Binsfeld. *d. l. indicio 13.* & post Weizeneggerum Manzium *ad Art. 44. n. 33.* Multo minus si pupilla in oculo non appareat, aut inversa sit, id quod naturæ vitium est, indicium Magiæ fuerit, vid. Thumm. *d. Tract. qu. 8. n. 6.* ubi addit etiam Maleficii convictas personas illa immagine non caruisse. Illa quoque prohibita sunt indicia quæ ex Magorum consultorum indicatione, cribri versatione, impii Judices eliquando teste Bodino colligunt, *Art. 21. Ord. Crim.* & ibi Interpp. Godelman. *c. 3. lib. 3. num. 25.* Berlich *p. 4. concl. 4. num. 34.* Tale est & illud: si quis jurare sæpe, aut execrationibus uti consueverit, quod licèt aliqui ad Inquisitionem sufficere autument, id tamen ex Weizeneggero Manzius negat *d. l. n. 20.* De vacillatione quoq; & titubatione, quando quis loquitur tremens, trepidans, timens, vel pallens, vel sudans præ timoris angustia, id nimis esse fallax, & dubium, & debile, quia multis hoc contingat sollicitis de proprio honore, & metuentibus potentiam adversariorum, aut Judicum asperitatem, quamvis innocentissimi sint, asserit cum Novello, Paride & aliis DelRio *lib. 5. sect. 4.* ubi ne quidem id si cum variatione conjungatur ad

Torturam sufficere posse putat. Confer Godelman. *de Magis lib. 3. cap. 3. n. 22.*. Quid statuendum sit de illo Indicio, si vestes & ornamenta alicujus in loco conventibus diabolicis destinato inveniantur vid. Manzium *d. Art. 44. num. 35.* ubi ex Weizeneggero tradit, nec id sine aliis adminiculis sufficere; ideo quia facilè hujusmodi res, vel à familia Sagaria ad conventum usque asportari, vel ab extranea persona, quæ in familia non est, in usum certi conventus surripi possit.

CAP. IV.

Quo de Denuntiatione diversissimæ Dd. sententiæ recensentur: Vera definitio Problematis ex Art. 31. Ord. Carolinæ desumitur. Ejus requisita inprimis ex ipso textu, rationibus, Doctoribus ad mentem Impp. explicantur: ac dubia circa Materiam hanc præcipua resolvuntur.

I.

QUando Sagarum causæ in judicium deducuntur, nulla frequentior, sed nec difficilior ferè Quæstio est, illa, quæ versatur circa Nominationem complium: vid. Goehausen *quæst. 7. de Sagis*, Consilium Facultatis Juridicæ Tubingensis apud Thummium in princ. Dn. Joh. Ottonem Taborem *de Confrontatione part. 4. th. 6.* ubi, *ipsos juris autores circa hanc materiam fluctuasse credi*, ait. Quamvis autem satis quotidiana (ut loquitur ex Marsilio Farinacius *Prxi Crim lib. 1. tit. 5. qu. 43. num. 1.*) & practicabilis; tamen non bene intellecta à Judicibus, & ab aliis qui in Palatiis versantar. Quare Binsfeldius conqueritur, hanc Quæstionem ab aliquibus breviter narratam, à nemine autem ex propositio pertractatam *Tract. de Conf. Malef. membr. 2.* Et Tannerus *tom. 3. Disp. 4. de Iustitia. Qu. 5. dub. 2.* de Denuntiationibus his: *Res hæc, ait, ne jam quidem ita est explicata, quin novis curis & considerationibus illustrari magis possit, ut ex ipsa Praxi, & difficultatibus quotidie emergentibus patet.* Atque ea de causa cauti Principes

& Magiſtratus, quid hic ſequerentur ambigui, JCtorum plurium plerumque conſiliis uſi reperiuntur. Ita Carolus Badenſis Marchio, jam olim Facultatem Tubingenſem eo de negotio conſulit: Sereniſſimus autem Elector ac Princeps Maximilianus Comes Palatinus Rheni, ac Bavariæ Dux, ut certi quid in re obſcura haberet; Germaniæ Academias plures, ac Viros eruditos (quorum omnium conſilia utinam in lucem prodeant integra aliquando) ac ipſos etiam Patavinos JCtos hominum memoria conſuluit. Quantoperè autem ipſi invicem ſententiis diſſenſerint, cernere eſt ex Appendice 2. Martini DelRio, & apud Tannerum, quem DelRio ex eadem ſocietate Jeſu, in hiſce adverſarium habuit *tom. 3. Diſp.* 4. *de Iuſtitia.* Quod & facili conjectura aſſequetur, qui quàm varia Theologi pariter & JCti de ea re literis prodiderint, perluſtrare voluerit. Effecit ſanè rei difficultas ſimul & gravitas, ut & nos ingenii vires in negotio, ubi in ambiguo palma poſita eſt, periclitari extra culpam eſſe exiſtimaverimus.

II. Ut tanto autem diſtinctius, in tanta confuſione pedem proferamus, breviter primò, quid ſentiant Dd. præmittemus: tum ex hoc opinionum labyrintho, qua ratione emergi poſſe ſperemus, adjiciemus. Et Dd. alii quidem *generaliter Denunciationibus Sagarum nihil planè tribuunt, ut nec ad Condemnationem, nec Torturam, nec Capturam, nec Inquiſitionem ſufficere*, velint Adducunt præter varias rationes, quas vide optimè collectas à Tannero *d. l. dub.* 2. ac contra Gœhauſen vindicatas apud Autorem Cautionis Criminalis *dub. 44. & ſeqq. l. 1. §. 22. D. de Quæſtion. l. 16. §. 1. eod.* Ubi Modeſtinus: *Is, qui de ſe confeſſus eſt, in caput aliorum non torquebitur. l. fin. C. de Accuſ.* Cujus hæc inter alia verba ſunt: *Nemo tamen ſibi blandiatur, objectu cujuslibet criminis de ſe in quæſtione confeſſus, veniam ſperans propter flagitia adjuncti, vel pro communione criminis conſortium perſonæ ſuperioris optans, aut inimici ſupplicio in ipſa ſupremorum ſuorum ſorte ſatiandus, aut eripi ſe poſſe confidens, aut ſtudio aut privilegio nominati: cùm veteris juris autoritas de ſe confeſſos, ne interrogari quidem de aliorum conſcientia ſinat. Nemo igitur de proprio crimine confitentem, ſuper conſcientia ſcrutetur aliena.* Et Paulum *lib. 1. ſent. tit. 12. §. 7.* ubi, *Qui de ſe,* ait, *confeſſus eſt,*

in alium torqueri non potest, ne alienam salutem in dubium deducat, qui de sua desperavit In quam sententiam etiam adducunt *l. 3. §. 1. D. de SCto Sylanian.* Atque hæc opininio ex recentioribus habet adstipulatores Magnificum Dn. Cancellarium Reinkingh. *in Responso de Sagis qu. 2. num. 270.* ubi, *Nihil*, ait, *tali assertioni Sagarum, quarum oculi fascinantur à diabolo, & sensus decipitur, credendum est, cùm talia dicta procedant à Dæmone, qui per deceptos homines alios decipere gestit C. qui sine Salvatore, XXVI. qu. 2.* Johannem Strauch, *in Dissert. ad Ius privatum, Iustin. 29. th. 9.* Christophorum Ludovicum Dither, *in Addit. ad Besoldi Thesaurum lit. H. voce* Hexen *p. 681.* ubi addit ita sentire Niellium *Disp. ult. th. 6. lit. D.* Ludwel. *Exerc. ad Instit. 18. th. 5. lit. f.* Tannerum *tom. 3. Disp. 4. de Iustitia qu. 3, dub. 2.* Autorem Criminalis Cautionis prolixè *dub. 44. & multis seqq.* Mayfartum in der Christlichen Erinnerung an gewaltige Regenten &c. wie das Laster der Hexen außzurotten. *cap. 12. 13. 14. 24. 32. 33. 34. & passim.* Lerchheimer im Christlichen Bedencken von der Zauberey. *art. 17. p. m. 202. usque ad 205.* Hancque sententiam etiam Melandro *in Resol. Quæst. 7. de Processu contra Sagas f. 102. in princ.* JCtis Altorphinis, Rittershusio, Petro Wesenbecio, Albrechto & Torreblancæ tribuit Goldast. im Bedencken von *Confiscation* der Zauberer Güter *&c. p. 111. lit. t.* ubi tamen in allegando Torreblanca peccat: is enim nec dictis locis, nec alibi quod sciamus, id asserit. Nec aliter ex Antiquis Joan. Franciscus de Ponzinibus, cujus hæc *d. Tractatu de Lamiis num. 52. & 65.* verba adducuntur, in Responso Facultatis Juridicæ Tubingensis, transmisso Carolo Marchioni Badensi; *Quod licèt favore fidei admittantur ad testimonium consociorum participes criminis, tamen hoc non jubet jus, in causa delationis & aliorum quæ dicuntur fieri in ludo dæmonum, cùm sint, inquit, tales mulieres prius delusæ ac deceptæ à diabolo: idea contra alios non facient fidem nec indicium, & quia ipsæ semel sunt illusæ, ergo dicendum etiam eorum confessionem esse erroneam nec admittendam l. error. l. si. post C. de Iuris & facti ignor.* Atque eo nomine reprehendit Ponzinibium etiam Binsfeld. Castro Palao è societate Jesu, Inquisitorum Hispaniæ Consulens, quid de Depositionibus his senserit, explicat *tom. 1. operis Moralis, Tract. 4.*

Disp. 9. punct. 16. §. 5. n. 2. Ex depositione præcisa complicum, qui de aliquo testantur adfuisse in conventu & congregatione Lamiarum adorantium dæmonem, ibiq; adorasse, non capitur reus, quia sæpe per illusionem dæmonis, aliqui probatæ virtutis in hoc conventu apparere videntur, cùm tamen verè non appareant, item sæpe existimant Lamias corporaliter apparere, cùm solùm in repræsentatione adsint. Sic Farinacius qu. 185. n. 152. in fin. & qu. 188. n. 76. vers. imò si ex depositione. Quapropter nisi cum illorum depositione constet simul de aliquo actu exteriori, v. g. de nece alicujus hominis, vel alioquorum animalium, vel apud testificatum appareant aliqua unguenta, & animalia immunda, nempe bufones & angues, ex quibus vehemens præsumtio delicti oriatur, nunquam Capturæ traditur, juxta quandam Madritianam instructionem, quæ est 15. & 20. circa Laamias, editam anno 1612. occasione cujusdam actus publici Logronensi civitate celebrati, in quo plures condemnati sunt, & postea compertum fuit, plures fallacias in condemnatione adfuisse, ob quas bona eorum, qui ibidem damnati sunt, fisco addicta non fuerunt, neque sententiæ Ecclesiis fuerunt affixa, & insuper reconciliati, declarati fuerunt habiles cuilibet inquisitionis officio. Unde disertè quod de Nominatione sociorum alioquin dicitur, illis credi, id restringit Alciatus *in c. perniciosa n. 66. de Officio & Potestate Ordinariorum: Quamvis credatur*, ait, *sociis criminis in tali delicto; attamen illud non esse trahendum ad ea, quæ certa & vera non videntur, sed per illusionem dæmonum fieri possunt.*

III. Alii de Tortura loquuntur solùm, ac ad eam sufficere Denunciationes complicum delicti etiam plures, nisi aliunde Indicia accedant, negant. In eam mentem, præter adductas à prioribus leges, etiam *l. 37. si filium C. de liberali caus. l. 11. C. de Testib. l. 4. C. de Quæst. & c. nemini XV. qu. 2. c. nihil iniquius XXXII. qu. 6.* reliqui canones & capitula à Cothmanno citata, vel nulla sunt, vel certè rei probandæ parùm idonea. E JCtis dictus Cothman. *Responso Iuris 29.* ubi, *n. 209. & 310.* viginti septem Dd. idem probantes adducit. Lindenspuer *ad Ordin. Provinc. Würtemberg. p. 306.* Ubi tamen malè adducitur Farinacius: is enim laudatis locis, non nisi de unius socii denunciatione loquitur, de duorum longè diversa sentit. Idem existimat Christinæus *ad Consuet. Mechlin. ad art. 7. n. 9.* ubi adducit consent: Decium

Conſ. 189. Johan. ab Heemskerck *in notis ad Antiquitates Batavicas p. 585. edit. tertia Amſteld.* ubi accuratiſſimus Scriptor, conſentire monet Hyppolytum à Marſiliis *ad l. 1. D. de Quæſt. n. 50. in Pract. Crim. §. diligenter n. 59.* Damhauderum, Boſſium, Johannem de Nigris *ad cap. Reg. Neapolit. 7. num. 55.* atque ad triſtiſſimos eventus, illata nece inſontibus, ex delatione ſociorum falſa tortis tamen, poſt hoc modo expreſſam confeſſionem Greveo *in Tribunali Reformato lib. 1. c. 6. p. 150. & ſeq.* obſervatos, Judices remittit. Idem ſentit Goldaſt. im Rechtlichen Bedencken/ *pag. 105. lit. K.* cujus memorabilia prorſus verba in eam rem ſunt, ac ibi in notis allegati plures. Confer & Manzium ad Art. 44. Ord. Carol. num. 40. ibique adductos in hanc ſententiam. Fichardus celebris quondam Germaniæ JCtus *Conſ. 108. verſ.* daß aber/ &c. ſcribit, quæ digna ſunt hic legi: Nach dem nicht allein auß vielfältiger Erfahrung bewuſt iſt / daß offtermahls unſchuldige/ fromme Leute/ böߪlich beſagt/ und dardurch etwan auch um ihr Leben gebracht werden / ſondern daß auch ſonderlich ſolche böſe Weiber (die Zauberinnen oder Hexen) den Brauch haben/ etwan auch die fürnehmſte ehrliche Frauen zu beſagen / und böߪlich anzugeben / zum theil darumb / daß ſie verhoffen / wann derſelben verſchonet werde / ſo könte man ſie mit Fuge nicht ſtraffen / ſondern man müſte ihr auch ſchonen / zum theil auch darum / wann ſie wiſſen / daß ſie wohlverdienter Straff nicht entgehen können / daß ſie gern ſehen wolten / daß nur viel / die ſeyn ſchuldig / oder unſchuldig / auch mitgehen und leiden müſſen / Idem ſcribit *Conſ. 3. num. 4. verſ.* Zum Dritten his verbis: Dieweil man auß Erfahrung hat/ daß offtmals ſolche böſe Weiber auch unſchuldige / fromme und fürnehme Weiber fälſchlich beſagt haben/ zum theil auß Haß und Neid/ daß ſie leiden möchten/ und gerne ſehen / wann ſie brennen müſſen / daß auch die gantze Welt verbrenne/ zum theil auch darum / daß ſie verhoffen / wann man ſolche beſagte Weiber nicht auch angreiffen wolte / daß man alsdann ſie auch ledig / und ungeſtrafft laſſen müſſe. Bocer. *de Quæſtion. cap. 3. num. 98.* Beſold. *in Conſ. quod ipſe inſeruit Theſauro Practico voce* Hexen *p. 673.* Ex Antiquioribus huic ſententiæ de ſociis crimi-

criminis, in genere tamen, favere dicit Farinacicus *Praxi & Theoria Crim. lib. 1. tit. 5. qu. 43. num. 34.* Baldum, Blanchum, Grammaticum, Andream de Isernia, Nattam, Rolandum, Montanum, Bartazolum, Bursatum, Osascium, Mascardum. Atque his DelRio quamvis ipse aliter sentiat *in Append. 2. lib. 5. qu. 1. concl. 2.* addit in specie etiam de exceptis criminibus Petrum Anchoranum, Alexandrum, Cravettam, Corneum, Felinum. Et horum opinionem probabat etiam amicus ille Gœhausii, Vir celeberrimus, cujus Judicio se plurimùm alioquin tribuisse profitetur, qui ipsum *per literas admonebat, ne tantum fidei Sagarum depositionibus tribueret. qu. 8. pag. 137.*

IV. In adversum alii, etiam sine aliis Indiciis unius complicis Denunciationem ad Torturam sufficere judicant. Ex iis Gomezium, Blanchum, (quamvis ipse aliter sentiens) adducit Farinacius *lib. 1. tit. 5. qu. 43. num. 154.* Petrum, Cynum, Angelum, Butrio, Immolam, Abbatem, Gandinum, Bonifacium, Vitallinum, Guidonem de Susaria, Ambrosium de Bononia, Scotum, Placam, *ex Consiliis, Patavino & Bononiensi*, quæ MSSta ex communicatione Ducis Bavariæ habebat, *ut ipse in præfat app. 2. ostendit, d. app. qu. 1. concl. 1.* addit DelRio: & ex Patavino Peregrini consilio etiam Cœhausen *q. 7.* subjuncta *Processui Juridico contra Sagas.* Quibus adjungit Binsfeld. de *Confess. Malef. Concl. 3.* ex relatione Alexandri *in Cons. 89. lib. 3.* Paulum de Leazaris. Alii, si duo complices vel plures socium delicti incusaverint, etiam citra alia adminicula sufficiens ad Torturam indicium esse existimant. Ita Facultas Juridica Coloensis *in Consilio inter Cothmannianan. 30. edito*, ubi *num. 186. Etsi*, ajunt, *controversum valde sit apud Dd. utrùm Denuntiatio plurium sociorum criminis, per se efficiat præstetve sufficiens indicium ad Torturam, aliis adminiculis non concurrentibus: animadvertimus tamen frequentiori Dd. calculo, tam legendo, quàm consulendo, quin & judicando, comprobatum esse, sufficiens indicium ad Torturam exhibere, duorum pluriumve sociorum criminis Denuntiationem.* Utque rem probent, subjiciunt ibi triginta diversos Dd. è quibus Farinacius, Franciscus de Peguera, Binsfeld, Bonacossa, illam communem ajunt, ac confirmatam duobus casibus in Curia Burdegalensi scribit Boërius *Decis. 310. num. 5. & 7.* & in Parlamento Parisiensi Johan

han. Papon. *libr. Rerum Iudic. 22. tit. 13. arrest. 2. & 3.* Idem de Ducatu Mediolanensi & Regno Neapolitano ex allis Gœhausen *Quæst. 9. subjuncta Processui ipsius.* Similiter Berlich. *p. 4. concl. 4. num. 116.* Eandem etiam sequitur Valentia *tom. 3. Disp. 6. qu. 13. punct. 4. §. 2. & 3.* Gœhausen *d. qu. 9.* Friburgenses, Patavini & Ingolstadienses allegati à DelRio *d. Append. 2. qu. 1. concl. 2.* Ubi tamen sub finem ejus Quæstionis concl. ult. eam sententiam limitat, ut vera sit, *si ex verosimilibus conjecturis & numero testiũ, vel ex qualitate deponentium, vel ex personis eorum contra quos deponunt, præsumantur nominantes falsum non dicere*, quam Collegio Patavino limitationem ex *cap. in fidei, &c. accusatus. §. licet de Hæreticis in sexto*, & adductis autoribus nonnullis, adscribit; & huc reduci posse conditiones requisitas à Binsfeidio judicat. Ipse autem has à Friburgensium Facultate requisitas conditiones refert, 1. *Vt in Denuntiatione constanter perseverent*, 2. *Pœnitentes ad indicium accedant* 3. *Cum contritione moriantur*, 4. *Vt nulla mendacii, aut odii, aut inimicitiarum sit suspicio.* Gœhausen verò ita sententiam hanc moderatur: 1. *Vt Denunciationes factæ sint in Tortura*, 2. *Vt Denunciantes nihil iræ, vel rancoris habeant, vel odii cum Denuntiato*, 3. *Vt ad minimum tres correi eandem personam nominent, ac denuntient*, ex DelRio *cap. 41.* & Sanè ibi DelRio tres requirit ex consuetudine; quamvis de Jure addat, duos sufficere. 4. *Vt certæ scientiæ causam addant: veluti quòd persona nominata Magiam illas docuerit, aut cum illis venena miscuerit.* Quæ postquam requisita enumerasset, disputat, *Non ideo se quæstionis statum invertere, non esse enim hæc adminicula seu indicia alia, quæ excluserit, sed nudas solùm limitationes & circumstantias.*

V. Alii plurium Denuntiationes sufficere existimant ad Condemnationem. Hujus sane opinionis autores faciunt ex DelRio & Farinacio Gœhausen *qu. 8.* & Tannerus *tom. 3. Theologiæ Scholasticæ Disp. 4. qu. 5. dub. 2.* Ant. Gomezium, *tom. 3. Variar. Resolut. Rubrica de Probat. delict. num. 18.* Ludovicum Pegueram, *Decis. Crim. 5. n. 18.* ac Castrensem, Decianum, & Aimonem, Cynum, Panormitanum, ac Lessium *de Iustitia & Iure lib. 2. cap. 30. num. 39.* qui, *Depositio*, ait, *in hujusmodi exceptis criminibus, non solùm est sufficiens indicium ad Torturam;*

ram; sed etiam esse semiplenam probationem, & accedente alio socio, qui idem deponat, esse plenam probationem, & posse reum condemnari, addit. Paulus Laymann è societate Jesu, *in Theol. Morali lib. 3. Tract. 6. cap. 5.* §. *unico. de Sagis num. 27.* fatetur quidem in causa hæreseos ex Testimonio plurium sociorum aliquando hæreticum condemnari posse, in Magia autem, nonnihil aliter sentit. *Verùm*, ait, *quod attinet ad crimen Sagarum seu Maleficarum, alia difficultas non modica se offert. Nam, ut testimonia, seu depositiones plurium ad condemnationem hominis non confessi sufficiant, debent ii esse contestes, id est, testificari de eodem facto particulari, sicuti supra ex communi docui. Atqui existimo, vix unquam accidere, ut decem, aut duodecim Sagæ in eandem personam denuntiando consentientes, de eodem particulari facto contestentur. Aut enim confessæ, & de sociis interrogatæ, id solum dicunt, Titiam quoque Maleficam esse: cujusmodi tamen Denuntiationes, nisi particularium factorum, indiciis specificentur, nihil aliud generare possunt, quàm infamiam commissi criminis, quæ si sola sit, parùm probat. Accedit hoc loco, quòd Maleficæ interrogatæ de sociis interdum aliquas prodant, non quia eas verè tales esse sciant, sed quia propter earundem in hoc genere infamiam, vel antecedentem Capturam, tales esse suspicantur. Sin verò ulteriùs examinatæ specialia facta denuntient, vix accidet, ut multæ in eodem particulari consentiant, sed una dicet, se ante tres annos: altera, se ante duos annos Titiam in conventu Sagarum, ac Dæmonum vidisse; Tertia se eandem sociam habuisse in creanda tempestate; quarta, se sociam habuisse in alio Magiæ genere. Cujusmodi Denuntiationes infamium personarum, quantumvis multiplicatas, si solæ sint, & non aliis gravioribus indiciis, aut testimoniis confirmatæ, arbitror ad condemnatoriam sententiam haud sufficere.*

VI. In Tractatu Germanico, qui inscribitur, Processus Juridicus contra Sagas, quemque anno 1629. Aschaffnaburgi primùm sub Pauli Laymanni nomine, typis descripsit Quirinus Botzer, & deinceps anno 1630. non addito autoris nomine, edidit Rintelii Gœhausen, ac notis illustravit (unde passim vulgò Gœhausii esse creditur) *tit. 2. p. 17.* edit: Aschaffnaburgensis, & 63. Gœhausianæ, de Denuntiationibus duorum & plurium, an ad Torturam sufficiant, cùm recitasset antea Doctores nonnullos id affirmantes, subjungit: Der vorigen Autoren

ren Lehr aber / wie wol sie von vielen ist observiret / und bißweilen angenommen und practiciret worden / ist sehr scharff / und nicht fast sicher in diesem Handel. Erstlich weil diese Leut und Complices infames sind / an GOtt meineydig / und deßwegen fast alle Treu und Glauben verlohren haben. Zu deme / weil ihre Zusammenkünfften und Handlungen / bey welchen sie einander sehen / im Finstern / und mehrers theils in der Nacht gehalten werden. Dañ auch / weil die arglistige und falsche Geister / damit sie die Obrigkeit und Richter / und die Zauberey-Verwandten selbsten perplex und irrig machen; pflegen offt per Præstigias und blinde Repræsentationes oder Vorstellungen ihrer Mitgenossen / die Sach mit sonderm Fleiß dunckel zu machen. Daß also ihrer etliche / so im Handel etwas schlechter / oder weniger dabey gewesen / kaum recht außsagen können / wie oder was Gestalt sie ihre Mitgespielen gesehen haben / welches wohl in acht zu nehmen ist. Mox tamen iterum hanc sententiam *tit. 4. seq.* improbat, ut nisi sibi apertè contradixisse Laymannum velimus, utrumque scribere non potuerit. Sed dubio huic removendo, satis est consulere primam editionem Processus hujus Germanicam, ubi (quod in secunda incuria editoris, vel typograhi omissum) addit typographus, *addita esse Laymanni operi in dicto Tractatu alia etiam quædam*; ut prior quidem hæc sententia Laymanni, posterior alterius esse videatur.

VII. Dn. Joh. Otto Tabor, consumatissimæ prudentiæ & eruditionis JCtus, *Tractatu de Confrontatione p. 102. & seqq.* haud dubiè plura circa hoc negotium vidit, quàm quisquam alius. Postquam enim paucis Cothmanni, Reinkingii, Boërii, Gœhausii opiniones attigisset, *th. 3. Missis,* ait, *illis opinionibus, existimamus longè accuratiùs de hoc negotio cogitasse Autores & Consultatores Const. Carol. Art. 31.* Thesi 16. Denuntiationem etiam reliquis, præter Indicia, requisitis instructam, tantùm proficere ad Inquisitionem, exigendam Responsionem, & Confrontationem vult, non verò statim ad Torturam; cui tum demum locum relinquit, si ex Inquisitione, Responsionibus & Confrontationibus fortiora Indicia emergant, in quam rem vide ab eo disputata *d. th. 16.* Plures etiam diversas sententias, si id temporis ra-

tio

tio admitteret, addere nobis integrum esset; sed sunt illæ vel levioris momenti, vel ideo omissæ, ne necessaria repetitione in resolutione difficultatis hujus, Lectori afferant fastidium.

VIII. Videtur autem in universum de toto hoc negotio vix quicquam definiri posse, quòd **Denuntiatio** non uno eodemque modo accipiatur & consideranda sit. Est enim quædam **Denuntiatio** Sagarum, quam **simplicem** vocabimus; quâ ipsæ, nulla adhibita Tortura, nec observatis requisitis Ordinat. Carolinæ, alias nominant. Est alia ubi Tortura, huic simplici accedit, deficientibus interim requisitis nonnullis. Est ubi simplici Denunciationi, Tortura & reliqua requisita adsunt. Omnes autem vel **unius** sunt vel **plurium**: quibus singulis necessaria per partes Inquisitione lucem afferre Denuntiationi huic tentabimus. Ubi primum evicerimus, ex nulla earum, mortis pœnam infligi reo, ex Juris ratione posse.

IX. Id primum Jure nostro certum existimamus, quocunque sensu sumtam **Denuntiationem, vel unius, vel plurium** sociorum crimininis non sufficere ad condemnationem, nisi alioquin necessariis argumentis vel legitima confessione, aliquis Criminis convincatur. Quod probat (contra Autores suprà th. 5. adductos, & Bodinum *lib. 4. Dæm. c. 2. & 4.*) *l. 5. pr. D. de pœnis. l. 25. C. de Probat c. sciant. II. qu. 8. c. literas 14. X. de præsumt. Art. 22. Ordin. Crim.* ubi Imperator: **Es ist auch zu mercken / daß niemand auff einige Anzeigung / Argwohn / Warzeichen oder Verdacht / endlich zu Peinlicher Frage soll verurtheilet werden / sondern** &c. ubi vide erudita monita Stephani. Sed & rationibus illud probari evidenter potest. Non sufficiunt enim Testimonia ad Condemnationem in Capitalibus causis, qualia hæc sunt, contra quæ justa est exceptio. Requiruntur enim ibi omni Jure, Naturali, Gentium, & Civili, ad Condemnandum probationes luce meridiana clariores. Neque enim multitudine defectus illi suppleri possunt, quod nonnullos ex generali illo brocardico, *Ex multiplicatis indiciis debilibus, resultare indicia indubitata*, colligere ait DelRio, *lib. 5. sect. 5. vers. quarto*, longè enim rectius ibi respondet: *Quantumvis nunquam quæ natura sua sunt dubia, possint*

rem facere indubitatam, ut nec multa ægra unum sanum, nec multa non alba, unum album, nec multa tepida, unum calidum: quando res non sunt subordinatæ ad unum finem natura sua, sicut una depositio non subordinatur alteri. Unde haud immeritò, *Totum illud*, ait, *nihil fundamenti habet nisi præsumtionem. Præterea quis neget, quamvis rarum id sit, fieri tamen nonnunquam posse, ut uno casu plura concurrant Indicia ad crimen non verum, quàm ad verum? Esto sit probatio criminis admodum laboriosa, progrediatur hic ergo ad Torturam: si ad necem insontis extendis, nonne durus & sævus meritò dicare? sit crimen atrox natura: quid tum, si reverà non commisit? sic aliqui noxii elabentur: præstat decem elabi, quàm unum innoxium condemnari. Si tortus fuit innoxius, potest ei solatii aliquid impendi: si damnatus & necatus, quòd tum mortuo præbeas cataplasma?* Sed & hæc sententia, quamvis aliter existimet DelRio *d. l.* hodie saltem in foro Protestantium pariter, & Pontificorum, communius obtinet & praxi observatur: Pro qua vide Salicetum, Baldum, Jasonem, Lanfrancum, Chassanæum, Marsilium, Clarum, Felinum, Angelum, Brunum, Præjudicia Senatus Neapolitani & Curiæ Parisiensis relata apud Binsfeld. *pag. 340.* Quibus adde Farinacium *Praxi & Theor. Crim. qu. 43 num. 75.* Gœhausen *qu. 8. integra*: ubi satis verbosè, ipse sibi fundamenta adversantis partis, quæ confutet, fingit.

X. De Simplici unius Sagæ Denuntiatione, eam ad Torturam minimè idoneam esse existimamus. Atque hic quidem nemo facilè dissenserit. Petrus enim, Cynus, Angelus, JCti Patavini *inter Consilia Peregrini poster. edit. Cons. 2. num. 2.* & plures quos DelRio *lib. 5. app. 2. qu. 1.* adducit, quique unius Denuntiationem sufficere ad Torturam dicunt, ita negotium explicant, ut Totturam accedere velint, & requisita etiam alia. Non enim est ad Torturam perveniendum, absque legitimis Indiciis, *l. 1. pr. D. de Quæst. l. 8. §. 1. C. de Quæst.* Paul. *5. sent. 14. §. 1. Art. 20. Ordin. Carol.* legitimi autem Indicii locum unius socii criminis Denuntiatio non explet, *l. 20. D. de Quæstion.* Cùm is sit infamis, infames autem in Capitalibus jure testes esse non possint *l. 3. §. 5. D. de Testibus. Art. 66. ibi:* **gnugsame Zeugen seynd / die unverleumbdet** / *Ord. Carol. ibique interpr.* Matth. *de Iudiciis Disp. 9. th. 12. 13. & 14.* Dn. Struvius *ad tit. de Testibus th. 38.*

Quod etiam in exceptis verum esse, monent ex *l. sicuti 4. C. de quæst.* allegati Dd. plures apud DelRio *lib. 5. app. 2. qu. 1.* & Patavinos Dd. *Consil. 2. num. 3. & 4.* Sed & ex iisdem argumentis omnibus, hæc Denuntiatio unius evertitur, quibus sequentibus thesibus alias, quas rejicimus Denuntiationes, improbamus. Sed nec ad Capturam sufficerit, unius hujusmodi Denuntiatio, per er, quæ monuimus *cap. 3.* post Castro Palao inprimis, & plures alios, ibi adductos; Quod & rectè, & ex juris ratione statuit Gœhausen *qu. 7.* ubi, *Suaderem*, ait, *Iudici, ut diligenter hoc in casu circumstantias personarum nominatarum consideret, ne temere ex ejusmodi unius Denuntiatione, statim vel absentem nominatum citari, vel præsentem capi jubeat* Rationem addit *in notis ad tit. 1. lit. D. Quando*, ait, *Captura in hoc crimine damnum est irreparabile, quæ hoc casu existimationem hominis illæsam esse non patitur.* Cui adjicit alterum, *Quòd captis mulieribus Maleficii delatis, siquidem exinde nulla deprehendantur Indicia, ad Torturam legitimè sufficientia, ideoque carcer relaxetur, eædem non solùm ad nocendum magis irritentur, ac ad graviora quævis animentur, instigante generis humani hoste Satana. Sed etiam reliquæ ejusdem farinæ, criminisque consciæ vetulæ, istiusmodi exemplo multo indies ad Veneficia propensiores, atque ad scelera perpetranda tum securiores, tum alacriores fiant, impunitatem malorum quasi præsagientes.* Et *d. qu. 7.* cautè monet, *Ne judex alioquin bonæ famæ & integræ vitæ hominem probro afficiat, quod ob universale quoddam odium, quo Sagæ erga genus humanum, tenentur, cupiuntque nocere modis quibus possunt omnibus, facilè fieri posset, quod periculum in aliis criminibus exceptis non adeò metuendum. Non enim quia v. g. aliquis hæreticus est, aut reus læsæ Majestatis, ideo præsumitur universali quodam odio genus humanum prosequi, unde & his in casibus Denuntiationi complicum plus fidei jure tribuitur, quàm illo.* Quin ne ad transmittendam reo Inquisitionem quidem, vel ad eum citandum pro delicto satis fuerit hujusmodi Denuntiatio, Gœhausen *dictis locis*, ibique allegati DelRio, Damhauder. Paulus de Castro.

XI. Quòd si etiam plures sint Sagæ, quæ simplici Denuntiatione, hoc est, extra Torturam & sine requisitis *Art. 31.* facta, nomi-

minaverint aliam, ne sic quidem illæ ad Torturam nominato irrogandam suffecerint. Quod patet ex *Art. 23. Ord. Carol.* **Ein jeder genugsame Anzeigung/darauff man peinlich fragen mag/soll mit zweyen guten Zeugen bewiesen werden.** *& Art. 30.* **So einer etliche Umstände/Warzeichen/Anzeigung/Argwohn oder Verdacht beweisen will/das soll er zum allerwenigsten/mit zweyen guten/tauglichen/unverwerfflichen Zeugen thun.** Manz. *ad d. Art. n. 8. & seq.* Unde testes qui complices delicti, & de se confessi, vel convicti sunt, non sufficiunt; Et requirit insuper Ordinatio Carolina *Art. 31.* varia ad sociorum criminis nominationem, ut ejus ratione Torturæ haberi possit ratio, in principio ibi: **Ist eine Argwohnigkeit wider den Besagten/so fern bey solcher Besagung nachfolgende Umstände und Ding gehalten und erfunden werden ꝛc.**

XII. Quid? quod etiam Torturam, ut valeat Denuntiatio, necessariò requirunt non exiguo numero Dd. In quam sententiam adduci posse videntur *l. 21. §. 2. D. de Testibus. l. 13. C. eod. l. 1. C. de falsa mon. Nov. 90. cap. 1. c. 1. illi V. qu. 5. Ord. Carol. art. 31.* ibi. **in der Marter.** Quamvis enim non imperativè aut dispositivè verba concepta sint, quod rectè animadvertit Dn. Tabor *de Confr. p. 4. c. 2. n. 9. in fine.* ut sui oblitus sit DelRio, qui *lib. 5. sect. 3.* Carolinam Sanctionem expresse requirere scribit Torturam: tamen verba illa supponere quæstionem, non immeritò fortassis visa sunt Interpretibus: vide post alios Manzium. Nec sanè omni ratione destituitur, qui Torturam hic requirit. Præsumptio enim, quòd infamis sua sponte non sit dicturus veritatem, plusquam juris positivi esse videtur, utpote orta ex naturali quadam conclusione, quam quivis ferè colligit, *malos nisi malo coactos officium suum non facere, vel Iustitiæ favere.* Atqui ideo saltem communior est hæc sententia, opposita Simancæ & aliorum: quam & communẽ appellat Binsfeld. & pro qua 24. Dd. adducit Farinacius *d. Tract. lib. 1. tit. 5. qu. 42. n. 134.* vide & Gœhausen *qu. 9. pag. 165.* Manzium *ad Art. 31. num. 15.* Addunt alii vulgatum: Infamen omnem, antequam infamiam purgarit, in criminibus his ad Testimonium non admitti, atque purgationem illam fieri per Torturam, Binsfeld. *de Conf. Malef. Membr. 2. concl. 5.* & ibi alleg. Dd. plurimi.

Et

Et Ordin. Crim. Bavarica. *part. 3. Art.* 14. ibi, **Wiewol/ait, ein übelthäter auff seine eigene übelthat / anders und öffters nicht soll peinlich gefraget werden / dann wie in vorhergehendem Articul geordnet ist / so kan doch derselbe sonderbahr und allein auff die Gesellschafft / Helffer / Raht und Befehlichgeber peinlich gefragt werden / als ein Zeug / und ist solche sonderbare Frage und** Tortur **unter die Zahl der andern** Torturen **nicht zu rechnen / doch soll der Richter ihme außdrücklich anzeigen / daß diese peinliche Frage / allein der Gesellschafft halben fürgenommen werde. Es soll auch dieselbe bescheiden / und nicht zu hart seyn.** In praxi tamen, non esse necessarium, ut confitens actu tractus sit ad Torturam, modò metu tormentorum confiteatur, cùm paria sint, confiteri in tormentis & metu tormentorum, post plures allegatos tradit Binsfeld. *d. l.* Cæterùm nec sufficere quidem hujusmodi plurium Denuntiationem simplicem ad Capturam, vel Citationem existimamus, quòd eædem, quas in unius Denuntiatione adduximus, rationes, ne hic quidem desint.

XIII. Ad illam pervenimus Denuntiationem Complicum, cui accessit Tortura, vel quæ in Tortura, ut nostri loquuntur, facta est. Jure quidem civili, ut is qui de se confessus est, in caput alterius torqueatur, permissum non est, *l. 16. §. 1. D. de Quæst. l. 11. C. de Testib. l. f. C. de accusat.* ne alienam salutem in dubium deducat, qui de sua desperat, & quòd compertum sit, reos sæpe imputando aliis crimina subsidium sperare, cùm solatium miseris sit, malorum habere socios: ac quòd confitendo crimen, se faciat infamem, vide Manz. *ad Art. 31.* Quod Ipsum etiam Jure Canonico ita obtinere, ex *c. 1. X. de Confessis. c. 10. X. de testibus. c. nemini. XXV. qu. 3.* liquet. Farinac. & apud ipsum Dd. plurimi *lib. 1. tit. 5. qu. 42.* Dn. Tabor. *de Confront. p. 2. th. 13.* Binsfeld. *Membr. 2. p. 264.* & ab ipso adducti. Cæterùm quod Civili & Canonico Jure hac in parte definitum est, moribus nostris non observari apud Farinacium *d. qu. n. 123.* scribit Gandinus, Bonacossa & Vulpellus: ubi notant ex consuetudine Generali totius Italiæ fieri interrogationem in quocunque casu, & ex Dominico Soto eam esse ferè

ubi-

ubique. Quod de Germania etiam testatur Bayerische Peinliche Malefitz Ordnung *Art. 12. p. 3.* ibi: In den übelthaten / da vermuhtlich einer Mithelffer gehabt/oder andere auch darinn behaftet seyn/mag man/ wann der Gefangene seine eigene Mißhandlung albereit bekant hat / auff die Gesellen / Helffer und Mitverwandten wol fragen / und solches ist fast der gemeine Gebrauch in Teutschland. Confer Manzium *ad Art. 31. num. 6.* Atque idem etiam Gothofr. *ad l. ult. C. de accusat.* ac post Damhauder. & Clarum *lib. 5. §. fin. qu. 21. n. 3. in fine*, etiam ex consuetudinibus Ultrajectinis probat Grœnewegen *Tract. de LL. abrogatis, ad d. l. ult. C. de Accus.* Quamvis consuetudinē hanc, ut Generalem, minimè, allegato à Grœnewegio loco, admittat Clarus, Is enim disertè ibi, *Sed hæc*, ait, *consuetudo torquendi (nempe in quovis casu socios criminis) de sociis non servatur.* & refutat ejus generalitatem etiam *d. l.* pluribus Farinacius, *n. 124.* qui etiam Romæ Jus commune hodieque observari, & de Jure servari debere, scribit.

XIV. Quicquid tamen de consuetudine hac sit, communi Dd. calculo excipiuntur à Juris Civilis & Canonici regula hac, Crimina, quæ vocant, Excepta. Sunt autem illa, *quæ ob singularem enormitatem & pernitiem, adversus bonum commune, in plerisq; rebus à communi modo procedendi specialiter in judicio excipiuntur*, ut rectè Tannerus *tom. 3. Disp. 4. de Iust. qu. 5. dub. 1.* Confer post DelRio, Gœhausen *qu. 16.* Farinac. *qu. 18. n. 60.* quæ enumerata d. locis cernere est. Atque in his criminibus esse, ubi etiam de sociis, socii, per quæstiones interrogari possint, ostendunt manifestæ leges vid. *l. 17. de SCto Syllan. l. 29. D. de Pœnis l. 10. C. de feriis. l. 6. vers. sed & ff. de custod. & exhibit. reorum l. ult. D. ad exhibendum. l. 1. C. de falsa moneta,* Dn. Tabor, *de Confront. p. 4. c. 2. n. 6.* Quod disertè Imperatores Valent. Theodosius & Arcadius in *l. 9. C. de Malefic. & Mathematicis*, de hoc crimine asserunt, ibi: *Ne facinoris socios publicaret.* Unde hoc delictum inter Excepta reponunt, etiam ratione hujus effectus, Dd. à Binsfeld. *in Com. ad d. l.* magno numero, & Farinacio qu. 42. num. 3. adducti. Quando autem *socius criminis alium socium in Tortura denuntiat, ut illa valeat, non sufficit si reus statim à Tortura dimissus hoc diceret; sed Tortura specialiter adhibenda fuerit,*

pro confirmatione depositionis, nec sufficeret prima Tortura, in qua reus suum delictum confessus est. Antequam vero specialiter torqueatur, pro confirmatione depositionis illius in Tortura, in qua suum crimen fassus, facta, debet eandem depositionem sponte ratificare, non secus ac ipsam principalem delicti confessionem, postea poterit coram nominato confirmationem suæ confessionis, & ut socios magis afficiat, & ut defectum infamiæ expurget, & ad alios effectus iterum subdi Torturæ, sed admodum levi, secundũ tradita Farinacii *d. qu. 43. n. 39.* (ubi id Romæ ita observari testatur,) & Dd. ab ipso allegatorum, quem sequitur DelRio *lib. 5. sect. 3.* Confer **Bayerische Malefitz Ordnung** / *Art. 14. tit. 3.* Nos minimè dubitamus, hæc Farinacii, DelRio, Vulpelli, & Boërii tradita, non ubique observari, quod ex iis colligere integrum, quæ ex Binsfeldio suprà attulimus, sufficere hujusmodi Nominationem factam esse metu tormentorum, qualem adfuisse putat, non solùm quando actualiter Tortura adhibetur; sed & quando in locum tormentorum ducitur ad torquendum reus, vel præcedunt minæ tormentorum.

XV. Si jam torta sit Denuntians Saga vel Maleficus, unius hujusmodi indicium ad Torturam Denominati non sufficere, expeditum erit argumentis iisdem, quæ *th. 10. & 11.* continentur ex *Art. 23. 30. & 31. Ord. Carol.* ubi duo testes, **Zwey gute unverwerffliche Zeugen** / & deinceps requisita varia alia ex *Art. 31.* requiruntur, quæ hic non adesse omnia, hoc casu, de quo modò quærimus, supponimus. Accedit præsumtum illud odium, quod Sagæ adversus quoslibet, animo fixum, gerere censentur, de quo rectè Gœhausen *qu. 8. p. 143. Vix asserere se posse* ait, *Torturam per se solā valere ad inclinandum Maleficæ animum, ut nocentes solùm, non etiam innocentes denuntiet:* Præter alios plures confer Tannerum *tom. 3. Disp. 4. de Iustitia, qu. 5. dub. 2.* ac Anonymum Theologum & JCtum celeberrimum Westphaliæ, (ut illum appellat Meyfartus) in *Cautione Criminali dub. 44. rat. 7.* Atque quod unius Sagæ Denuntiatio hujusmodi, quantumvis per Torturam confirmata, absque aliis indiciis nunquam sufficiat ad torquendam personam Denuntiatam, defendit etiam Gœhausen *qu. 7. p. 120.* ubi hanc communem esse sententiam post Farinacium, Clarum, Menochium, Bertazo-

lum, JCtos Patavinos, Bononienses, Ingolstadienses & Friburgenses, omnes à Maximiliano Bavariæ Duce anno 1602. consultos, docet. Sed nec ad Capturam, vel Inquisitionem formandam, contra Nominatum, ut Inquisitio Nominato transmittatur, ut personaliter is compareat, ex observatis *th. 10. hoc cap.* & iis quæ *cap. 3.* notata sunt, apparet. Licèt enim Denuntiationem unius socii etiam prodesse ad Inquisitionem hujusmodi & Capturam, secundùm communem sententiam ex Boërio, Saliceto, Claro, Bossio, Menochio scripserit DelRio *in App. 2. lib. 5. qu. 1. vers. ista conclusio est contra multos.* Id tamen ex inspectis Dd. & ipsius DelRio mente, non de alia, quàm suis requisitis munita, accipendum, facilè ostendi potest.

XVI. Quod si duo vel plures sint, **in Tortura socium criminis Denuntiantes, deficientibus tamen adhuc requisitis** ***Art. 31.*** nec sic quidem Denuntiatus ad Torturam rapietur; Non solùm ex *Art. 31.* dispositione, sed etiamex verbis *Art. 23.* ibi: **soll mit zweyen guten Zeugen** / *& Art. 30.* **zum allerwenigsten mit zweyen guten / unverwerfflichen Zeugen:** De complicibus autem delicti ipse DelRio *lib. 5. sect. 3. §. sed quædam: Minus fidei meretur istorum testimonium, quàm virorum bonorum.* Et Binsfeld. *Membr. 2. concl. 2. Certum esse*, ait, *quòd Maleficis de se confessis, non habeatur tanta fides quanta hominibus integræ famæ, opinionis & vitæ, quo in asserto omnes convenire*, inquit: Ut taceam non deesse qui Tortura infamiam abstergi negent: Ex iis Autor Cautionis Criminalis *Dub. 44. Rat. 5. Non sat*, scribit, *intelligo, quo tandem modo Tortura infamiam abstergat, nam quicquid id est, ex quo cuiquam infamia adhæret, id utique non annihilatur per Torturam, ergo consequenter nec infamia, exempli gratia, infamis Gaja est, hoc ipso seu ex ea causa, quia Saga esse deprehensa ac confessa est. An cùm torquetur desinit esse Saga? non desinit: nec desinit igitur adhuc infamis esse, manente enim causa manet effectus: Pretiosa alioqui purgatio, si sic facilè tortura quamlibet infamiam purgare posset. Unde vereor, ut commune hoc Iurisperitorum effatum non satis subsistat, dum aliter instruar. Simanchas certè ait hujus sententiæ autores sine ratione & lege loqui.*

loqui. Unde esse videtur quòd alicubi DelRio *in Append. 2. qu. 1. §. ista conclusio*: inter singularia jura, quæ circa Processum hujus delicti obtinent, id quoque recenseat, quòd infames testes admittantur, adversus hujus criminis reos, quod ex *l. 7. D. ad L. Iul. Maj. & c. in fide, de Hæreticis in sexto* probare etiam conatur: Adde his, quæ thesi præcedenti notavimus, & hic repetita, fortius quod scripsimus, probant.

XVII. Capturæ quoque, ac citationi Personali, transmissa Nominato Inquisitione, locum nullum hoc casu facimus, tum ex requisitis in *c. 3.* commemoratis, tum quod præsupposito, ut facimus adhuc, requisitorum *Art. 31.* defectu, tortura ratione hujus Denuntiationis, utpote contra Constitutionem Carolinam facta, irrita, ac ideo effectus nullius fuerit, in ea facta, contra Denominatum, confessio, arg. *Art. 20.* juncti cum *Art. 21. l. 5. C. de Legibus.* vid. Bernhard Zieritz ad *Art. 20.* Facultas Juridica Tubingensis in Responso ad Carolum Marchionem apud Thummium p. 82. ibi: *Sin verò non nisi occasione ejusmodi confessionis, de Nominata persona per Iudices cogitetur, quod alias abscedente illa confessione seu indicatione non fieret: tunc hoc nec quidem ad incarcerationem satis esset.* Autores plures habes in capitis principio th. 2.

XVIII. Pervenimus tandem ad illam **Denuntiationem**, quæ **simplici, Torturam & requisita *Art. 31.* addita habet.** Qua de re, ut tanto melius lectori constare possit, integrum Articulum subjicimus: **So ein überwundener Mißthäter / der in seiner Missethat Helffer gehabt / jemand in der Gefängniß besagt / der ihm zu seinen geübten / erfundenen Missethaten geholffen habe / ist auch eine Argwöhnigkeit wider den Besagten / so fern bey solcher Besagung nachfolgende Umstände und Ding gehalten / und erfunden werden. 1. Daß dem Sager / die beklagte** (ita omnes libri habent: intelligitur autem generalius **besagte** / ut vult Dn. Tabor de Confront. p. 4. cap. 2. th. 9.) **Person / in der Marter mit Namen nicht fürgehalten / und also auff dieselbe Person sonderlich nicht gefragt oder gemartert worden sey / sondern / daß er in gemein gefragt / wer ihm zu seinen Missethaten geholffen / den Besagten von ihm selbst bedacht und benamet habe. 2. Gebühret**

ret sich/daß derselbe Sager gar eigentlich gefragt werde/wie/wo/ und wann ihm der Besagte geholffen / und was Gesellschafft er mit ihm gehabt habe/ und in solchem / soll man den Sager fragen/ aller möglicher und nothdürfftiger Umstände/die nach Gelegenheit und Gestalt jeder Sach allerbest zu nachfolgender Erfindung der Warheit/dienstlich seyn mögen / die allhie nicht alle beschrieben werden / aber ein jeder Fleissiger und Verständiger selbst bedencken kan. 3. Gebühret sich zu erkunden / ob der Sager in sonderer Feindschafft/Unwillen oder Widerwärtigkeit mit dem Versagten stehe; Dann wo solche Feindschafft/ Unwillen oder Widerwärtigkeit offentlich wär / oder erkundiget würde / so wäre dem Sager solcher Sag/wider den Besagten nicht zu glauben/ er zeuge dann deßhalb sonst so glaublich / redliche Ursach und Warzeichen an / die man auch in Erkundigung erfünde / die eine redliche Anzeigung machen. 4. Daß die besagte Person also argwöhnlich sey / daß man sich der besagten Missethat / zu ihr versehen möge. 5. So soll der Sager / auff der Besagung beständig bleiben. Jedoch haben etliche Beichtvätter ein Mißbrauch / daß sie die Armen in der Beicht unterweisen/ihre Sag/so sie mit Warheit gethan haben / am letzten zu wiederruffen. Das soll man/so viel das geseyn kan / bey den Beichtvättern fürkommen / dann niemand geziehmet wider den gemeinen Nutz / den übelthätern ihre Boßheit decken zuhelffen / die den unschuldigen Menschen zu Nachtheil kommen mag. Wo aber der Sager/seine Besagung oder Dargeben / am letzten widerrufft / die er doch vor mit guten erzehlten Umständen gethan hätte / und geacht möchte werden/ er wolte seinen Helffern damit zu gut handlen/ oder daß er vielleicht / deß durch seinen Beichtvatter / als obgemeldt ist/unterwiesen wäre: Alsdann muß man ansehen des Sagers angezeigte und andere erkundigte Umstände / und darauß ermessen/ ob die Versagung eine redliche Anzeigung der Missethat geb oder nicht. Und in solchen ist sonderlich auch ein Auffsehens zu haben/ und zuerfahren / den guten oder bösen Stand und Leumuht des

Ver-

Verſagten/uñ was Gemeinſchafft oder Geſellſchaffter er mit dem Verſager gehabt habe. Vide & ejusdem apud Remum Paraphraſin. Et reliqua articuli quidem ſatis manifeſta ſunt, id verò, quod verſ. Zum andern/ requiritur præcipuè hactenus difficultatis eſſe nobis videtur. Quare ex uſu fuerit præmiſſis reliquis facilioribus, & hoc difficilius requiſitum hic nonnihil attentius explicare, cum hic Articulus reliquis accuratius, ut optimè Dn. Tabor monet, hoc Denuntiationis negotium expediat.

XIX. Loquitur Ordinatio de convictis ein überwundener Miſſthäter: Rubrica edit: Stephani & aliorum addit, confeſſum de ſe: ac ita accipiunt Interpp. & Praxis, vide etiam Dn. Taborem *d. l. n. 3.* qui auxiliatorem habuerit, der in ſeiner Miſſethat Helffer gehabt/ & in carcere aliquem denuntiat, ibi: jemand in der Gefängnuſs beſagt/ quo verbo excludi temerariam Denuntiationem in compitis & circulis optimè iterum obſervat Dn. Tabor *d. l. c. 2. n. 3.* Et hæc quidem **ratione Denuntiantis:** ratione **Denuntiati** autem, ut tanquam ſocius criminis jam comperti denuntietur, ibi: Der ihm zu ſeiner geübten erfundenen Miſſethat geholffen habe/ & qui ea ſuſpicione jam laboret, ut exiſtimari poſſit delicti reus, der alſo argwöhnig ſey/ daſs man ſich der Beſagten Miſſethat zu ihm verſehen möge. Remus in Paraphraſi ita reddit: *Vt talis ſit ſocii perſona, & iis moribus, quæ de ejusmodi commiſſo, meritò in ſuſpicionem venire poſſit.* Ubi jam tales fuerint Denuntiantes & Denuntiati, præterea requirit 1. Imperator, ne quis nomen ejus, qui nominatur, ſuggeſſerit, Daſs dem Sager die Beklagte Perſon in der Marter mit Namen nicht vorgehalten/ und alſo auff dieſelbe Perſon ſonderlich nicht gefraget/ oder gemartert worden ſey. Qui enim Quæſtionem habiturus eſt, non debet ſpecialiter interrogare, an Lucius Titius homicidium fecerit, ſed generaliter, quis id fecerit. Alterum enim magis ſuggerentis quàm requirentis videtur *l. 1. §. 21. D. de Quæſt.* Dn. Tabor, *d. l. n. 9.* Manzius & Interpp. alii. DelRio *lib. 5. ſect. 3. §. 2.* Clarus *Pract. Crim. lib. 5. §. fin. qu. 21.* 2. Ut præcedat diligens circumſtantiarum Inquiſitio, de qua prolixus *th. 20. & ſeq.* 3. Ut Denun-

nuntians non sit ex inimicis Denuntiati, **daß er nicht in sonderbarer Feindschafft / Unwillen oder Widerwärtigkeit mit dem Besagten stehe.** Liquida enim & sincera depositio, à livido pectore frustra speratur *l. 9. D. de his quibus ut indignis. l. 1. §. 24. D. de quæstion.* ubi Ulpianus addit rationem: *fidem quæstioni inimicorum non habendam, quia facilè mentiuntur, c. Repellantur 7.* X. *de Accus.* Quæ causa etiam à testimonio repellit inimicos, *Auth. si testis C. de Testibus.* Dn. Tabor, *d. l. n. 12.* Manz. *ad h. Art. vers.* **Zum dritten.** Berl. *p. 4. concl. 4. n. 117.* Addit tamen limitationem Articulus *dict. vers.* **Zum dritten / Er zeige dann deßhalb sonst so glaublich / redlich Ursach und Warzeichen an / die man auch in Erkundigung erfünde / die eine redliche Anzeige machen /** De qua vide omnino Dn. Taborem *dict. n. 12.* Quartum requisitum satis explicat Paraphrasis Remi antè adducta, & Gallica: *l'encuse soit d'une telle vie, fame & renommée, qu'il soit bien croyable, qu'il ait commis le delict, dont il est encusé* Et quæ in eam rem ex Cujacio, Grotio & Autore Apologiæ pour Monſ. de la Motte Haudencour, monet Dn. Tabor. *d. l. n. 13.* Quintum est, ut in Denuntiatione constanter perseveret, ibi: **Es soll der Sager auff seine Sage beständig verbleiben.** Variatio enim suspicionem inducit, vel falsi, vel incerti, *l. 27. D. ad L. Corn. de fals.* At, quid si Denuntians post sententiam in ipso mortis articulo prope rogum Denuntiationem revocet? quod non rarò fieri experientia in Bavaria & alibi compertum est. Non valere hujusmodi revocationem defendunt Binsfeld. *de Confeß. Malef. arg. l. 3. §. 1. D. ad SCtum Syllan. membr. 2. concl. 5. §. habetur.* DelRio *lib. 5. sect. 5. num. 5.* quam & Facultati Theologicæ & Juridicæ Ingolstadiensi adscribit DelRio *in App. 2. lib. 5. qu.* 18. *in fine* In adversum valere eam, & elidi per istam expurgationem prorsus indicia, contra nominatas, existimant Farinacius *d. tr. qu. 46. num. 70.* Bursatus & Marisilius allegati à DelRio *in App.* Follerius *Practica Crim. fol. 659. num.* 154. Eamque securissimam existimarunt Dd. Patavini allegati in Processu de Sagis Laymanno adscripto. *tit. 9.* Godelman. *lib. 3. de Magia, c. XI.* distinguit, an Persona delata sit bonæ famæ & vitæ, nec adsint sufficientia præter eam indicia

cia contra Nominatum, tunc enim hujusmodi revocationem factam in extremis, primam confessionem factam in tortura & Judicio vel extra, elidere: secus si firmæ & indubitatæ præsumptiones contra Delatum adsint. Quam sententiam probat *Art. hujus vers.* Zum Fünfften/ & ad eum Manzius, Stephanus. Atque id hoc casu tutius esse etiam Gœhausen post Patavinos apud Peregrinum censet *in not. ad tit. 9. de proc. contra Sagas* Argumenta à DelRio & Binsfeldio allata ex parte satis doctè refutat Tannerus Ingolstadiensis Theologus, *dict. loco dub. 4. assert. 3. & passim.* Qui etiam *dub. 2. num. 34.* notat, hodie aliter arbitrari Ingolstadienses, ac olim in scripto suo de anno 1590. quod tam sæpe adducit DelRio.

XX. De Circumstantiis, *Art. 31. v. 2.* requisitis modo, quod inprimis ambiguitate sua multis imposuisse pateat, paulo plenius agendum. Remus Paraphrastes ita reddit: *Deinde, ut index, qui de socio confessus est, exactè respondere sciat, quo modo, ubi & quando, illius socii ope, auxilio, adjutus sit, & in quæ societatis pacta coierint, conjurarint, conspirarint. Quod cum compertum fuerit, Is, qui auscultandis quæstionibus præerit, consequenter eodem tenore, alia quæ ad rem pertinebunt, inquiret: quo facti veritas & citissimè, & certissimè habeatur. Quod cùm rectè successerit, via ad dijudicationem strata est. Cuncta verò velut præmansum exhibere cibum, regulisque definire, & de singulis quærendi modum præscribere, quorsum opus sit, haud quidem videmus. Difficilia namque & magis ardua enodantes, nonnihil judicantium prudentiæ fidentes, multa consulto relinquimus.* Diligentissima ergo circumstantiarum Inquisitio hic requiritur, quod & alioquin fit in *l. 16.* §. *1. de Pœnis l. 38.* §. *1. de Oper. libert. c. 9. X. de probat.* Earum quatuor recenset Legislator, wie/ wo/ wann/ und was Gesellschafft er mit sich gehabt/ admissus tamen & aliis, ibi: alle mögliche Umstände: vide hic omnino Dn. Taborem *d. l. n. 11.* ubi ex Aristotele *3. Eth. 1.* sex illas præcipuas. 1. Quis fecerit. 2. Quid. 3. Circa quid vel in quo. 4. Quo instrumento. 5. Cujus gratia. 6. Quomodo, recenset. Ex communi vero versiculo:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Se-

Septem: Ex Damasceno & Wesenbecio, Alexandro & Innocentio, novem. Ex Piccolominæo decem, & demum ex Bonaventura *in 4. Disp.10. dubio 9.* has quatuordecim, sequentibus versiculis inclusas recenset:

Aggravat (*1*) Ordo (*2*) Locus (*3*) Persona (*4*) Scientia (*5*) Tempus (*6*)
Ætas (*7*) Conditio (*8*) Numerus (*9*) Mora (*10*) Copia (*11*) Causa:
Est (*12*) Modus in culpa, (*13*) Status altus (*14*) Lucta pusilla.

Requiri ergo circumstantiarum hujusmodi expressionem accuratam à Denuntiante patet. Sed an sufficiat illa,? an præterea necessum sit ut in commemoratas ab ipso circumstantias, veræne an falsæ sint inquiratur, & quid si veræ repertæ, quid si falsæ, quid si dubiæ sint, vellemus distinctè explicatum ab Interpp. DelRio sanè & aliquando Binsfeld, ita loquuntur, ut præter circumstantiarum expressionem vix quicquam necessariò requirant, vid. DelRio *lib. 5. sect. 3. vers. nempe* & manifestius in *App. 2. qu. 9.* ubi nec illam expressionem quidem requirere videtur; quærit enim, *Quando fit talis Denuntiatio, quòd hæc vel illa persona interfuerit conventibus Sagarum, an requiratur specificatio temporis, vel loci, vel utrùm sufficiat Generalis Denuntiatio plurium, absque hujusmodi circumstantiis ad Inquisitionem & torturam?* & respondet: Non requiri. Addit DelRio ita sensisse Friburgenses & alios *d. quæst.* Atqui si quis huic DelRio assertioni probandæ præter ea, quæ ipse collegit argumenta, sanè perquam levia & quædam manifestò falsa, ex Ordinatione Carol. conquirere argumenta velit, is uti possit verbis illis, *Art. hujus, vers.* **Zum dritten:** ubi deficiente uno requisito, & posita Denuntiantis inimicitia demum, requiritur, **Er zeige dann dasselbe sonsten/so glaublich/redliche Ursach und Warzeichen an/die man auch in Erkundigung erfünde/die eine redliche Anzeigung machen.** Unde fortassis existimare quis queat, concludi ergo in aliis casibus rem se aliter habere, *arg. l. 12. D. ibique Dd. de Iudiciis.* & similium.

XXI. Cæterùm non expressionem solam hanc; sed etiam Inquisitionem; & de iis quæ factam Inquisitionem sequuntur, **Indicia,**

vel **Nulla**, vel **Certa**, vel **Dubia**, requirimus, cum ipsa, ut existimamus, Ordin. Carolina, Legibus Justinianeis, sana ratione, & Dd. melioris notæ. In Ordin. enim Art: nostro hæc leguntur in fine principii: **So fern bey solcher Besagung nachfolgende Dinge und Umstände gehalten und erfunden werden** / & in ipso §. nostro. **Zum andern**/ibi: **Man soll den Sager fragen aller möglicher und nohtdürfftiger Umstände/die nach Gelegenheit und Gestalt jeder Sach allerbest zu nachfolgender Erfindung der Warheit dienstlich seyn mögen.** Confer *Art. 6. & Art. 20. Ord. Car.* Idque consentit. 1. cum *l. 1. pr. & §. 17. l. 18. §. in ea causa, l. ult. D. de Quæstion. l. 3. 8. C. eodem l. 17. in fin. C. ad L. Corn. de Fals.* Et 2. **cum ratione.** Quàm enim fuerit absurdum propter circumstantiæ Nominationem, quam requirit Constitutio, etiamsi scias & comperteris illam falsam, vel saltem dubiam, damnare ad Torturam aliquem, ex defectu circumstantiæ hujus, ab homine mendace, vel dubiæ adhuc fidei, vel innoxium, vel saltem non legitimè gravatum. Inprimis in hoc crimine, ubi circumstantias falsas sæpius produnt Sagæ, ut experientia probat, & prodere necessum habent, quia aliquando ipsis repræsentantur, qui in conventibus Satanicis non adsunt: vide id contra Binsfeld. rationibus pluribus & experientia probantem Tannerum *tom. 1. Disp. 5. de Ang. dub. 3. Quæst. 5.* Wierium *cap. 10. de Lamiis, & præc. & seq.* Autorem Cautionis Crim, *dubio inprimus 47. & 48. in arg. sexti responso & passim.* Aliquando nec ipsæ adsunt, sed per somnum falsas imagines vident. Porta *lib. 2. Magiæ Nat. c. 26.* Wierius *lib. 3. de præstig. c. 17.* Ac indè esse videtur, quòd tam multa falsa, adeò obstinatè tamen, ut vera, singulæ aliquando Sagæ confitentur. Memorat Tannerus *tom. 3. Disp. 4. de Iust. quæst. 5. dub. 2. num. 42. In quadam civitate ad Rhenum non ita pridem accidisse, quod & certa relatione ad Facultatem Iuridicam Ingolstadiensem delatum constet, ut cùm damnatarum velut strigum confessio publicè prælegeretur, & inter alia varia homicidia & Maleficia certis ac nominatis ibidem personis illata referrentur, illæ ipsæ personæ tunc præsentes, salvæ & incolumes falsitatem prælectæ confessionis redarguerint.* Aliquando autem à Dæmone, ut falso deferant innoxias, & fal-

ſas ideo circumſtantias addant, expreſsè juſſæ, aut odio humani generis, ex quo perditos plurimos cupiunt, perſuaſæ, ipſæ comminiſcuntur; Cujus illuſtre exemplum duæ matronæ ut Sagæ Denuntiatæ & combuſtæ Bremæ, poſtea innocentes compertæ apud Goldaſtum.

XXII. Nec aliter multi magni nominis JCti, inprimis Dn. Tabor, *d. Tr. de Confront. p. 4. c. 2. th. 16.* & apud eum Gandinus *in Tract. Malef. tit. Qui accuſare poſſunt num. 18.* Ubi ſtatuit etiam plurium ſociorum Denunciationem non ſufficere ad Torturam, niſi alia Indicia concurrant, ac quidem valde gravia & præcisè urgentia: vide & ibi allegatos Marſilium & Boërium. Et conſentiunt Beſold. *in Theſ. Pract. voce* Hexen/ Bocer *de quaeſtion. c. 3. num. 45. & ſeqq.* & manifeſtiùs *num. 98.* Tannerus & alii antea allegati. Idque aliquando vi veritatis confictus fatetur ipſe Binsfeld. *memb. 2. concl. 6. dub. 2.* ubi, *Denuntiationes*, ait, *naturam negotii & circumſtantias in omnem eventum aperire poſſunt, id quod ex definitione Indicii confirmatur. Dicitur enim ab indicando, & eſt medium intellectuale veritatis eliciendæ, ex aliqua ſingulari circumſtantia ex l. indicia C. de R. V. & l. f. C. de probat.* Ac deinceps: *Denuntians enim ipſe circumſtantias explicat, & cauſas ſcientiæ, è quibus teſtis dictum magnas vires ſumit, reddit. Præterea ſemper ut plurimum Denuntiationes aperiunt viam Indiciis, & ulteriori Inquiſitioni.* Circa ſecundum hoc membrum *Art.* 31. quatuor ergo hæc obſervanda erunt. 1. Ut interroget Judex de circumſtantiis neceſſariis Denuntiantem: Tum 2. ille ad hæc ſpecialiter reſpondeat. 3. De circumſtantiis his, quas ex ore interrogati rei perceperit, accuratè inquirat: ubi maximus Confrontationis inter alia uſus: Unde 4. emerget neceſſariò, an circumſtantiæ certæ ſint? quo caſu jam habemus Indicium, & Denuntiationem ad Torturam (modò indicium non ſit ex levioribus) ſufficientem: an falſæ? vel dubiæ? de quibus porrò diſpiciemus.

XXIII. Si falſæ reperiantur circumſtantiæ, Tortura locum non habet, ſed nec quantum nos quidē perſpicimus, Captura, aut Tranſmiſſio Inquiſitionis, vel Citatio. Eveniunt autem hujusmodi caſus, & eveniunt non ita, ut multi exiſtimant, rarò, quod experientia con-

ſtat.

ſtat. Unum ſaltem exemplum adjungemus, cùm poſſemus plurima, ex Autore Caut. Crim. *dubio 47. Novi*, ait, *monaſterium, ubi contigit & in acta relatum eſt, quod jam dicam. Accuſatus à multis Sagis fuit quidam ejus monaſterii religioſus, quòd in conventu viſus fuiſſet: addita etiam perſona cum qua tripudiaſſet, & ſuper hoc quoque pœnitentes mortuæ ſunt, cùm nihilominus tamen teſtimoniis totius conventus conſtaret, eum illis ipſis horis, quibus viſus dicebatur, cum cæteris in choro præſentem fuiſſe, atque adeò in officio divino occupatum. Vel mentitæ igitur Denuntiantes fuerant, (quod ego fieri ordinariè exiſtimo) ſeu vi tormentorum, quod ſolent innocentes, ſeu malitia, quod ſolent nocentes: vel ſi mentitæ non ſunt (ut judices ſupponunt) Imaginem pro re viderunt. Poſſum & alios nominare Viros ſanctos hodie ſuperſtites, quos in ſaltibus ſuis vidiſſe jam plures faſſæ ſunt.* Quin innocens hic religioſus, ſi captus aut tortus fuiſſet, immeritò hæc paſſus eſſet, ex ipſa ratione dubio vacat. Sed & in eo conveniunt Dd. communiter, ut ſocius criminis alium nominando deponat veroſimilia, quod plurimis Dd. allegatis docet Maſcardus *de Probat. concl.* 1311. *num. 45. & 46. &* Menochius *de Arb. Iud. Quæſt. lib. 2. cent. 5. caſ. 474. num. 58. & ſeqq.* Atque hoc caſu ſecundum hoc requiſitum, ut quidem ab Autoribus & Conſultatoribus Conſtitutionis intellectum fuit, deficit.

XXIV. At ſi veræ ſint, ut ſi e. gr. Seja legitimè alioquin Denuntiata à Titia, & Mevia, vel pluribus, eo tempore quo Denuntiata eſt domo abfuerit, nec compertum ſit apud vicinos, vel alibi, hæſiſſe, ac illa adeò ſuum alibi, ut loquitur, barbarè quamvis, poſt Dd. alios Tannerus *d. Diſp. 4. dub. 4.* probare non poſſit: ſi itidem conſtet, eo modo Titiam & Meviam abfuiſſe, adeóque illarum nulli vel offerendo falſum ſpectrum loco Sejæ, vel immittendo, ſomnum phantaſticum Titiæ & Meviæ illuſerit dæmon, quin tum probabiliſſimum appareat, indè ex abſentia hujusmodi, & Denuntiatione, Indicium, unde etiam ad Torturam perveniri ex mente *Art.* 31. poſſit, non dubitamus, remota propter indicii certitudinem Sagarum malitia, & ſuſpectis alioquin utrinque, ratione Denuntiantis & Denuntiati diabolicis illuſionibus. Atque ita requiſita Ordinat. à nobis antè commemora-

morata, & legis dispositiones, & rationes optimè congruent. Et de hac Denuntiatione verissimum fuerit, quod reliquis clarius docet Bocerus *de quæstion. cap. 3. num. 99. Quid si autem Veneficæ, quæ in tormentis alias produnt mulierculas, Indicia ad confirmandam confessionem suam ejusmodi addant, quæ ipsemet Iudex suo exteriori sensu cognoscere potest? puta si dicant, habere hanc vel illam fœminam in cista sua repositam ollam adipe impletam, quâ se inungere soleat, convolatura ad ludos, & choreas Sagarum: aut dicant, in illius vel hujus mulierculæ scrinio inventum iri globum cereum, cui serpentis sint insertæ exuviæ, quo globo in perniciem hominum ipsa fœmina utatur, atque hæc ita etiam reperiuntur in cista sive scrinio illius fœminæ?* Similia alia Praxis & rerum usus offerre exempla potest.

XXV. Ex hujusmodi ergo circumstantiis compertis, vel unum aut plura indicia emergunt, per se sufficientia, & tantum abest ut ea impediat Denuntiatio, ut multum etiam juvet; vel per se non sufficientia, & tum si quidem non ex levioribus fuerint, & de iis certò constiterit, multum hujusmodi Denuntiationes ad Torturam momenti habent. Indicia autem quæ addita Nominationi socii, indicium ad Torturam contra Nominatum faciunt, nonnulla collecta habentur apud Farinacium *d. Tr. qu. 43. n. 163. & seqq. multis.* quæ omnia expendere instituti nostri non est. Saltem multa hic necessariò judicis se ex actis rectè informantis, & prudentis, arbitrio relinquenda omnino existimamus. Unde patet manifesta differentiæ ratio inter hujusmodi Denuntiationem requisitis omnibus munitam, & illam cui tertium hoc requisitum deest. Postrema hæc enim non nisi cum indiciis per se ad Torturam sufficientibus; at prior etiam aliis stipata, non perinde gravibus indiciis quæstioni sufficit, ut ex collatione *princ.* §. *2. & 3. dicti Art.* liquet. Atque propter Dæmonis insignes & varias fraudes, quibus sæpe etiam judicibus illudere tentat, non immeritò illos ut providi & discreti sint, monet Bocerus: verba illius, quòd valde egregia sint, adscribo *ex cap. 3. num. 99.* ibi: *Certè hic judicem providum & discretum esse oportet ac dispicere, num rei illius, puta pinguedinis, aut globi cerei cum exuviis Viperæ, aut similis cujusdam*

rei alterius, naturaliter sit bonus & licitus usus, & tale quidpiam commodum in finem haberi & observari soleat: id quod ex peritis Physicis & Medicis facilè cognosci poterit. Nam annis abhinc aliquot, ex primario quodam hujus Academiæ Professore, nunc in Domino requiescente, ipsemet audivi aliquando, quadam in civitate vicina, aliquas fuisse captas Sagas, quæ in carcerem compactæ, duas alias ejusdem civitatis fœminas sua confessione prodiderint, & quò faciliùs in eam traherent sententiam civitatis Magistratum, adjecisse, inventum iri apud unam in ejus cista testam cum adipe, quâ se ad choreas Veneficarum abitura inungere soleat. Apud alteram verò repertum iri globum cereum, in quo exuviæ serpentis recondit æ sint, quo globo in hominum pernitiem ea utatur fœmina. Cùm autem isthæc ita fuerint reperta, easdem fœminas à Magistratu ilico fuisse captas, & in carcerem conjectas. Verùm deliberatione de isthoc casu habita, placuisse Magistratui, ut Collegium Facultatis Iuridicæ Tubingensis hac de re consuleretur, proindeque & acta causæ illius, & ollam cum pinguedine, atque etiam globum illum huc fuisse transmissum. Cùm autem hic perito Physico ac Medico opus fuerat, advocatum esse aliquem ex Medicis, qui cùm inspexisset adipem illam, constitisse, fibri pinguedinem esse, quæ cuidam hominum malo salubriter medeatur. Viperæ autem exuvias parturientibus fœminis admodum commodare, & partum faciliorem reddere. Quocirca exploratum cùm esset, quòd fœmina suam fibri adipem, altera exuvias serpentis in destinatum usum adhibuisset sæpe, ut innocentem utramque fuisse dimissam.

XXVI. Quid verò si fluctuet Judex, neque veri, neque falsi quid reperire ratione circumstantiarum possit, an ex Denuntiatione etiam plurium ad Torturam procedi poterit? JCti veteres ante secula duo, & quod excutrit, ferè omnes, cùm semper corporaliter transferri Sagas crederent, & repræsentationem innoxiarum personarum, Theologi Pontificii vel impugnarent, vel non tam clara ejus essent ex Experientia, ac nostra ætate, exempla, & quæ generaliter de sociis criminis in Exceptis scripta invenerunt, pleriq; ad hoc etiam crimen fermè nullo discrimine applicarent: haud dubiè hic Torturam decrevissent, ut ex multis ipsorum locis ostendere nobis

integrum esset. Sed cùm nostra ætate non Magistratuum solùm, sed & Johannis Baptistæ Por: experimentis, concessa Sagis evolandi potestate, illæ repertæ sint concidisse, in soporem gravissimum datæ priùs, ac certò tamen deinceps credidisse, se eo evolasse, ubi minimè fuerant, ac vidisse in campo, quæ in Camera somniarant: ut adeò, conjunctis his cum aliis experimentis à nobis *cap. 2.* commemoratis, certum sit illas transferri aliquando, interdum somniare se transferri in locum, ubi choreas ducunt cum sociis quas Denuntiant (vide post DelRio, Binsfeld, Picum Mirandulanum, & autores ab illis adductos, Tannerum *tom.* 1. *Disp. 5. de Angelis, Quæst. 5. dub. 3. n. 5.*) aliter pronuntiandum fuerit, Saltem enim quòd ignoret, quid sit de circumstantiis in *Art.* 31. requisitis, ideo indicii ratione Torturam suspendet. Non debet enim aliquis, nisi ex probabilissimis causis ac ubi ad veritatem summæ rei vix quicquam deesse videtur, Torturæ subjici *l.* 1. §. 12. *D. de Quæstion.* Paul. *5. sent.* 14. §. 1. Sanè de hujusmodi circumstantiis, **das sie erfunden** / aut: **daß sie zu nachfolgender Erfindung der Warheit dienstlich seyn mögen**: quod de circumstantiis utrumque in *princ.* & §. *2. Articuli* 31. requiritur. Et alioquin etiam contra extraordinaria & excepta crimina ita procedendum à Judicibus est, ne ex eo Processu, secundùm prudens judicium morale & frequens, creetur periculum ipsis etiam innocentibns, arg. *Matth.* 13. *vers. 29.* quod fuse probat Tannerus *tom. 2. Disp. 4. qu. 5. dub.* 1. *num. 7. & seqq.* DelRio ac Binsfeld, quos sequitur Gœhausen *qu. 5.* existimant quidem ideo, quia rarius deludantur Sagæ, præsumendum Judici illas uunquam delusas. Sed hoc quod præsupponunt illi, rariùs deludi Sagas, multis & eruditis argumentis confutat post Cajetanum, Navarrum, Vasquium, Tannerus *tom. 1. Disp. 5. qu. 5. dub. 3. n. 12, & seqq.* Cui licèt respondere tentaverit Gœhausen, nihil tamen, quo erudito Lectori satis fieri possit, illi regessisse cuivis integrum videre est. Atque eo absurdidatis, ut hoc defendat, devolvitur alicubi DelRio in *App. 2. Quæst.* 1. *vers. Quinto hæc*, ut ipse fateatur, ita aliquando necessariò occidere Judicem innoxias, quòd prætextu boni publici majoris & in consideratione ad plures verè reas, quæ

pere-

pereunt, ita excusat, ut ferè laudet. Quæcunque tamen sententia vera sit, sive Tanneri, sive DelRio, saltem aliquando necessariò Judicem, id ex natura Processus, ita instituti, & à priori cognoscentem, innoxios torquere liquet, nisi quod id frequentiùs ex Tanneri, rariùs ex DelRio mente fiat; quod prohibitum omnino existimamus.

XXVII. Ex iis quæ hactenus diximus, id satis luculenter colligitur, frustra quæri à scriptoribus nonnullis, *An plurium Denominatio in Imperio quidem Germanico, absque aliis indiciis vel adminiculis ad Torturam sufficiat?* frustra etiam illud in controversiam vocari; *An Nominatio facta cum requisitis Art. 31. sine indiciis sufficiat ad Torturam?* Cùm ipsa Ordinatio Carolina *dict. vers.* Zum andern / modò rectè intelligatur, indicia vera requirat. Vidit hoc ipse ex parte Gœhausen, qui cùm *Quæst. 9. in fine.* quatuor, quæ ipse requirit ad Nominationem, explicasset, ac inter illa quarto loco scripsisset, requiri etiam ut certæ scientiæ causam, veluti quòd persona nominata Magiã illos docuerit, vel quòd venena cum illis miscuerit (quæ verissima esse indicia omnibus patet) hoc sibi argumentum objicit, idque ita resolvit, ut indicia & adminicula esse neget. Quam responsionem recitasse solùm jam est refutasse. Plura etiam quàm Ordinationis nostræ Articulus ad Nominationem socii, ut valeat, requirunt Menoch. *de Arb. Jud. Quæst. lib. 2. cent. 5. cas. 474. n. 50. & seqq.* & qui illum sequitur Mascardus *concl. 1311. num. 38. usque ad 53.* ubi plurimos alios adducit. Nos quin in Imperio Germanico præcipuè ad ea, quæ in Carolina Constitutione expressa sunt, respiciendum sit, minimè dubitamus.

XXVIII. Sed & hinc dependet decisio Quæstionis, *An ex Denuntiatione, cujus mentio in Art. 31. tutò ad Torturam perveniri possit à Iudice?* Quod affirmandum censemus, (modò ad eum, qui præmissus est, modum, rectè explicetur) tum quòd in genuina editione Carolinæ Constitutionis, qua & Remus usus est, hæc dispositio sub titulo: Gemeine Anzeigung / deren jegliches allein zu Peinlicher Frage genugsam ist / contineatur: tum quòd 2. Usus : ac 3. Interpp. explicatio communis pro hac sententia stet, vide Manz. Vigelium, Bullæum ad *dict. Art.* Dn. Carpzovium, *part. 3. Pract. Crim. qu. 122. num. 68. n. 257.*

Godel-

Godelman. *lib. 3. de Magia cap. 9. n. 2.* Tum quòd rationi optimè congruat, ac argumentis Meyfarti, Tanneri, & Autoris Cautionis Criminalis accedentibus indiciis, quæ ex circumstantiis emergunt, satis responderi possit, & cum eorum sententia, qui Denuntiationem cum indiciis requirunt, planè coincidat.

XXIX. Denuntiatio ergo cum Tortura & requisitis *Art. 31.* rectè explicatis facta, si duorum vel plurium sit, ad Torturam sufficit. DelRio tamen *in Append. 2. qu. 4.* ad eam quam ipse describit Denuntiationem, licèt duo de jure sufficiant, tres ad minimum personas Denuntiantes requirit, nullo discrimine, Viri sint an fœminæ? quod si autem fœminæ quem denuntiarint, tres quoque ad minimum vel quatuor Denuntiantes Binsfeld, *membr. 2. concl. 6. illat. 7.* postulat, quod Masculinum non concipiat Fœminum in exorbitantibus à lege communi, & quandoque sit differens ratio. Nos quod ad numerum Denuntiantium spectat, dependere illum, ex modo Indiciorum, & ad illum directum Judicis arbitrium, existimamus. Interim hoc casu, cùm Torturæ locus, etiam, & multo magis Capturæ, & Inquisitioni speciali & Citationi erit.

XXX. Cæterùm si unius solùm sit? decisio petenda erit iterum ab Indiciorum magnitudine: Quæ si sola etiam suffecerint ad Torturam, multo magis id præstabunt cum Denuntiatione hac conjuncta: Sin iis desit aliquid, Judicis est prudenter arbitrari adeò ne exiguum illud sit, ut suppleri possit, unius legitima Denuntiatione. Quod si res expedita non videatur, satius fuerit, non ultra Inquisitionem, aut ad summum, Carcerationem progredi, post Farinacium & Bertazolum, DelRio *lib. 5. sect. 3.* Confer Menochium *in Arb. Iudic. Quæst. d. l. num. 46.* Rectissimè in eam sententiam Mascardus *de Probat. concl. 1311. n. 14.* ibi: *Si indicia alia concurrant, animadverti oportere arbitror, cujusmodi tale Indicium sit, nam si leve sit, & parvi momenti, ad Inquisitionem, si levissimum, nec ad eam quidem, si urgens & magnum, etiam ad Torturam sufficere dicendum est. Sic ut ex qualite Indicii adjuncti, fidem socii vel augeamus, vel minuamus.* Confer *n. 53.* & DelRio *d. l. De hoc casu timoratus Iudex semper requirat Indicia, non levia, sed magna & urgentia;*

Adde

Adde Gœhausen *qu.7.pag.122.* Peregrinum *Cons.2.n.4.* & arg. *l.20.D. de quæstion.*

XXXI. Solet circa Denuntiationes id quoque quæri: An ex iis torqueri possint personæ bonæ alioquin famæ. Rem variè disputatã ex his, quæ antea asseruimus, facilè decidi posse existimamus, ac Negando quidem: defuerit enim hoc casu quartum requisitum; nisi talia fortassis sint Indicia, quæ inter gravissima ad Torturæ effectum reputari possint; tum enim ex Indiciis quidem illis, torqueri aliquando in hoc crimine possit, argumento *verborum ult. th. præcedentis*, & eorum quæ tradit DelRio *in App. 2. qu.5.* Gœhausen *qu. 10.* adde omnino Tannerum *tom.3. Disput.4. qu.5. dub.2.* contra quem *dict.qu.10.* ita plerunque disputat Gœhausen, ut quid Tannerus senserit, non satis cœpisse videatur. Sed nec facilè nisi ex gravioribus Indiciis ad Capturam personarum hujusmodi procedi debet, post plures à Tannero allegatos, Caut. Crimin. quæ magnam partem Tanneri argumenta contra Gœhausen vindicat, *dub. 44.*

XXXII. Id præterea in quæstionem venit, *An si socij Criminis, impliciti sint etiam aliis, præter Maleficium criminibus, Indicium ad Torturam faciant, si sint eorum plures?* Quam nos quidem, ex Indicii magnitudine itidem decidendam remur. Si enim id, vel ea, per se sufficiant, ex vi Indicii torquebitur Denuntiatus; sin minus, non tantùm in illis cum Indicio licet conjunctis momenti erit. Gœhausen *pag. 99. in notis* distinguit inter crimina, quæ sunt ordinariè conjuncta, & quasi huic Magiæ crimini subordinata, & ea quæ ab invicem planè separata sunt, nec cum Magia habent connexionem: *Quoad priora crimina statuit ejusmodi defectus non obstare, quo minus socij criminis ad inquirendum & etiam ad torquendum probent: Quoad crimina posteriora verò, potest concedi, socios Denuntiantes iis implicitos Indicium ad Torturam non facere. Prioris generis crimina, cum Maleficio semper conjuncta, sunt crimina hæresis, læsæ Majestatis divinæ, apostasiæ, blasphemiæ, Sodomiæ, parricidii, homicidii, sacrilegii &c. quæ fusius refert Binsfeld. in Comm. ad L. nemo. C. de Malef. & Mathem. in princ. Posterioris generis sunt crimina perjurii, latrocinii, raptus, furti &c. quibus criminibus Malefici non*

semper sunt innodati. Sed hanc ipsius distinctionem satis solidè confutat Autor *Caut. Crimin. dub. 44. p. 352.* Judicis ergo est arbitrari quantum illorum testimonio tribuendum sit, dum modò sciat id longè minoris autoritatis esse quàm illorum, qui non tot criminum rei sunt.

XXXIII. De Juramento quoque controversa res, *An id à Denuntiante requiratur?* Jure communi dicendum videtur id exigi, *arg. l. 9. C. de Testibus. c. ult. X. de Testib. cogend. c. tuis quæstionibus, c. nuper. X. de Testibus.* Bocer. *de Quæstion. cap. 3. num. 47.* Jure tamen Carolinæ Ordinationis nihil tale constitutum legitur. In Praxi id Bononiæ observatum fuisse, se vidisse scribit Marsilius *in Pract. Crim. §. diligenter. num. 62. & seqq.* qui id etiam hodie cum Carrero *in Pract. Crim. §. Octavum Indicium n. 22.* requirit. Sed post Blancum id requiri hodie negat Zanger. *Tract. de Quæst. cap. 2. n. 72.* quod & Clarum sentire ait Binsfeld. *membr. 2. conc. 5. dub. 1.* Menoch. *lib. 2. Arbitr. Iud. Quæst. Cent. 5. cas. 474. n. 6.* & Mascardus *de Probat. vol. 3. concl. 1311. n. 50. & 51.* consuetudinem uniuscujusque Curiæ hic attendendam esse monent, cum quibus paria sentit Binsfeld. *d. l.* & Farinacius *dict. qu. 43. n. 141. & seqq.* Id certum est, in Germania plerisque in locis Juramentum hoc non requiri. Superessent quidem de Denuntiatione Sagarum adhuc nonnulla, sed Disputationis, quem ferè excessimus, modus, & quòd illa ex iis, quæ scripsimus collectu facilia sint, suadent hic anchoram figere.

For another copy of this dissertation bearing the name of the respondent, Christoph Daurer, and printed at Tübingen, in 1664, see 7440D237. It lacks the "Appendix" here added.

APPEN-

APPENDIX.

Consilium in causa Sagarum, olim in Academiâ Tubingense ab Ill. Auctore conscriptum, postea Dedekeni consiliis subjunctum, & nunc ob affinitatem argumenti huc postliminio translatum.

Summaria.

1. POenæ Sagarum quæ? 2. quod si concurrant cum veneficio & alia delicta? 3. Nrminatio sociorum criminis, ut inter indicia legitima haberi queat, quid requiratur? 4. quid observandum, antequam torqueatur Saga? 5. per torturam, si delictum neget reus, indicia purgantur? 6. Nec repeti potest tortura, nisi nova rursus eaque urgentissima indicia proferantur. 7. qualia esse debeant illa indicia nova? 8. quod si vacillet nominans socium? 9. Confessio rei facta in tortura sine indiciis legitimis irrogata ei non nocet. 10. Ratificationes Confessionum in tortura factarum in quo loco fieri debeant? 11. Confessio rei in ipsis cruciatibus facta non attenditur. 12. Testis, qui non juravit, non probat. 13. Confessio facta in tortura, extra eandem est ratificanda. 14. Sagæ non sunt in specie de certis individuis suspectis interrogandæ. 15. quædam de stigmate Sagarum? 16. Variatio, ex qua tortura irrogatur, qualis esse debeat. 17. An & quale indicium veneficii sint blasphemiæ, juramenta, obscœnissima verba? 18. Ratificationes confessionum in tortura factarum quando fieri debeant? 19. Senes quomodo torquendi? 20. quousque in delicto veneficii gratiæ locus sit?

21. de obligatione legum forensium Judicis lata. 22. modus pœnæ capitalis est ex lege civili positiva. 23. an effodiendum è sepulchro sit corpus alicujus personæ, quæ multis Sagis denunciabatur & contra quam gravia producebantur indicia. 24. quod si infantes didicerint artem maleficam.

Deroselben Schreiben de dato den 13. Januarii, ist uns den 24. ejusdem, und also eilff Tage hernach/ neben anjetzo zurück-kommenden actis in puncto veneficii, auch respectivè Sodomiæ, incestus & adulterii wohl überliefert worden.

Wie wir dann so bald mit möglichster Hindansetzung anderer Geschäfften/ dieselbe in unserem versamleten Collegio vorgenommen/ und nicht allein damahl/ sondern auch theils über dieses privatim dieselbe mit Fleiß durchgelesen/ reifflich erwogen/ und einmühtig dahin geschlossen / daß auff vorgestellte 6. Fragen zu antworten/ wie unterschiedlich hiernechst folget; Und zwar antreffend die erste Frage/ auff was weis und wege die in actis benante maleficanten/ als die so genandte Mockelkäte/ Mockelgrete/ Kohl-Anna/ und Hanß Harsch Haffner / & quo genere pœnæ & mortis ihrer jedes absonderlich zubelegen und hinzurichten sey. So berichten unsere Hochgeehrte Herrn/ daß/ weilen ein so grausamer an Menschen und Viehe von dieser teuffelischen maleficanten bekandter Schaden würcklich beschehen/ so nunmehro in quæstione An? Und ob die in actis benante Personen pro veneficis zu halten und zubestraffen nicht irrig? sondern allein anstehen/ quomodo und auff welche Art und Weise dieselbe vom Leben zum Todt zu richten seyn möchten / also was hierinnen definitivè zu sprechen und vor ein End-Urtheil zu fällen seyn möchte / gern vernehmen möchten.

Nun halten wir/ wann in dieser Sache anjetzo bereits definitivè geurtheilet werden könte/ und alles in facto & processu seine gewisse Richtigkeit hätte/ daß auff solche Frage ohnschwer möchte geantwortet werden.

Dann

Dann die Zauberer und Zauberinnen / die mit dem Teuffel einen Bund gemacht / von GOtt ihrem Schöpffer abgewichen / sich dem bösen Feind mit ihrem eigenen Blut verschrieben / den Menschen und Viehe geschadet / zu den teuffelischen Conventen gefahren / und anderer abscheulicher in actis benanter criminum sich theilhafftig gemachet / nach Göttlichen / geistlichen und weltlichen Rechten vom Leben zum Todt / und zwar mit dem Feuer gerichtet und gestraffet werden. Per ea quæ pluribus tradunt Goldast. in Rechtlichen Bedencken von confiscation der Zauberer und Hexen-Güter / §.*30. pag.79.* Jacobus I. Rex Magnæ Britanniæ, *lib.3. Dæmonol. cap.6.* Carpz. *pract. crim. part.1. quæst.49.* Lindenspur. *Comment. ad ordin. provinc. p.300.* ac ab illis adducti plures.

Unde ipse Imperator Carolus V. in der peinlichen Halßgerichts-Ordnung *Art. 209.* So jemand den Leuten durch Zauberey schaden oder Nachtheil zugefüget / soll man ihn straffen vom Leben zum Todt / und man soll solche Straffe mit dem Feuer thun.

Quamvis & illud usu obtinuerit, ut priusquam igni tradantur, interficiantur compressis faucibus, sive strangulentur, ad evitandũ periculum, ne lenta mors ab magnos cruciatus in blasphemias aut desperationem reum trahat;

Idcircò apud Christianos receptus est mos priùs Strangulandi quàm comburendi, nisi in aliquo casu ob singulares circumstantias criminis atrocitas illud postulet.

Post alios Binsfeld. *de Confession. Maleficar. pag.375. dub. 4.*

Und ob wohl allhie andere schwere Crimina, als incestus in linea recta, adulteria, Sodomiæ von den maleficanten respectivè begangen / so möchte doch hoc casu die gemeine Rechts-Regul statt finden / quòd pluribus concurrentibus delictis majus absorbeat minus & majoris delicti pœna imponi soleat. Salicet. *ad L. 5. C. ad L. Jul. de adult.* post Nicolaum Reusner. Conradus Hartz / *de veneficarum inquisitione concl. 1. n. 11.* Carpz. *pract. crim. part.2. q.73. n.76.* ubi plures adducit.

Daß also præsupposita facti & confessionum veritate ac processus ordine, die Straffe des Feuers hier statt hätte / und beyde

Schwestere die Mockelkäte/und Mockelgrete/ auff vor uns dem Binsfeldio gedachte/in der Christenheit an mehrerm Theil Orten hergebrachte Manier/die Kohl-Anna und Hanß Harsch Haffner aber/ wegen so beschwerlich mit unterlauffenden Umständen/ auch wol gar lebendig verbrand werden könten/wiewol wir rahtsamer halten/ ad evitandum blasphemiæ & desperationis periculum, daß auch bey ihnen in solchem Falle obige maaß gebrauchet würde.

Allein können wir unsern hochgeehrten Herrn nicht verbergen/ daß wir Salvo aliorum judicio der gewissen und ungezweiffelten Meynung seyen/daß dieser Sachen Beschaffenheit nach/ annoch nicht in principali sache zu sprechen sey/ und solches auß nachfolgenden Ursachen.

Dann anlangend (1.) die Mockelkäte/ so seynd unsers Erachtens die in Verhör wider sie eingekommene indicia ad torturam nicht sufficient und zumahlen durch die mit dem Elsasser und ihr vorgenommene confrontation, und erfolgte territion, davon in artic. 1. p. 73. usque ad 75. zur gnüge purgirt gewesen/ gleich solches weiter in unserm Consilio de dato den 15. Augusti abgewichenen Jahrs außgeführet worden.

Worzu dann kompt; daß solche nominatio des Elsassers nicht in tortura beschehen/ er dazumal auch der einige nominans gewesen/ unter seiner confession darüber gelachet/ pag. 42. artic. 2. dem Schöpffel/ laut eigener confession, versprochen/ er wolle andere mit ins Spiel bringen/ fol. 24. art. 2. welches er zwar/ daß ers gethan/nicht gestehen wollen/ auch sonst das wenigste von ihm ohne ernstliches Zusprechen bekand worden/ fol. 55. art. 5.

Es ist aber Rechtens/daß dergleichen nominatio sociorum criminis, wañ sie ein recht gültiges indicium machen soll/ in der Marter auff gemeine/ nicht aber absonderliche Nachfrage de hac vel illa persona geschehe/ art. 31. Peinliche Halßgerichts-Ordnung §. 2. ibi. in der Marter mit Namen: & ibi interpretes. Crusius *de indiciis delictorum specialibus part. 2. cap. 32. num. 22.* Clarus *in pract. crim. quæst. 21.* Delrio *disquis. magic. lib. 5. sect. 3. n. 2. vers. sed quædam.* ubi pluribus eâ de re contra Simaneam disputat.

Dann

Dann sonst nach Meynung auch derselben / welche den nominationibus Sagarum das meiste tribuiren / wann gleich solche rechtmäßig geschehen / jedoch eine eintzige nominatio, nisi alia graviora indicia accedant, ad torturam nicht gnug / sondern erfordern dieselbe / daß solche von vielen und unterschiedlichen geschehe /

Post Binsfeldium, Ingolstadinenses, Fachinæum, vota Cameralia, Bocerus *in Consilio subjuncto Tractatui de quæstion. n.* 4. & inprimis DelRio *Disq. Magic. lib. 5. sect. 3.* §. *2. vers. ad torturam sufficient.* Ubi hoc contra Gomezium & Blanchum, cum Menochio & Fachinæo adstruxit.

Wie dann auch das von der Fama wider sie angeführte indicium auch daher sehr schwach / daß bey dem n. 10. actor. fol. penult. enthaltenen examine die gantze bey ihrem Eyd absonderlich gefragte Burgerschafft / ihr nichts ungleiches weiß nachzusagen / die meisten ihr ein gutes Lob geben / die Nachbarn bezeugen / daß ihre Kinder zu ihr ohne allen Verdacht gehen / ihnen niemals Leydes / sondern Gutes von ihr wiederfahren; Mit welchem Zeugnüß dann auch übereinstimmet das Hauß-Gesinde ibid. und §. eod. zwey von den Zeugen / welche aussagen / daß sie von Georg Eberweins Weib gar nichts ungleiches wissen / und das sub n. 13. actor. befindliche Schreiben des Schulmeisters meldet / es habe niemand an etwas argwohnisches vorher gedacht / nun gebe es Nachdencken.

Es ist aber nach Verordnung peinlicher Halß-Gerichts-Ordnung / ehe man zur tortur auß einem oder mehrern indiciis schreite / auch darauff zu sehen / was die vorgedachte Person guter Vermuhtung / die sie von der Missethat entschuldigen mögen / vor sich habe / ut verba habent art. 28. R. H. O. cùm favorabilior sit causa defensionis & absolutionis, *l. 125. ff. de Reg. jur. l. Arvianus. 47. ff. de O. & A.* post Wesembec. & alios Manzius *d. art. 28.*

Dahero wir auß diesen und denen in vorigem Consilio bereits angeführten / also zuwiederhohlen unnöhtigen Ursachen wir nicht davor halten mögen / daß über die beschehene / und von Mockelkäte außgestandene confrontation und territion, mit weiterer

terer tortur wider dieselbe zuverfahren gewesen. Wir finden jedoch / daß non accedentibus aliis indiciis eine weitere tortur mit deroselben den 26. Sept. abgewichenen Jahrs vorgenommen / woselbst sie nit allein die abermahlige confrontation mit dem Elsasser / sondern auch wie sie dabey nichts außsagen wollen / die erfolgte Tortur beständig außgehalten / gestalt dann andere Hacken angeschlagen / sie etlichmal auff- und vom Boden gezogen / 6. mahl geschnellet / so / daß man sich verwundert / wie sie solches natürlicher Weise ohne grossen schmertzen ausstehen können / aber jedoch das wenigste nit gestehen wollen / gleich solches weiter ex n. 6. act. wo selbiger actus torturæ beschrieben / mag gelesen werden; Gesetzt nun / daß vorbesagte Indicia post factam jam territionem zu dieser anderwertiger Tortur gnugsam gewesen / so wären sie jedoch der Rechtsgelehrten einmühtigen Meynung nach / bey beständiger negation der Mockelkäte durch dieselbige völlig purgiret und auffgehoben. Si in negando perstiterit Reus, unanimis est Interpretum sententia, quòd indicia criminis, quibus gravatus erat, purgata censeantur, ac perindè is absolvi ac liberatus è carceribus, dimitti debeat, ait Carpz. *pract. crim. part. 3.* post Baldum, Bartolum, Zangerum, Bocerum, Aretinum, Paridem de Puteo, Marantam & Boërium; Quam pluribus tuetur Ant. Fab. *in suo Cod. lib. 9. tit. 24. def. 6. & 25.* Casonus *de tormentis cap. 9. num. 2.* Antecessores nostri *Cons. 208. ubi num. 2.* communem hanc esse sententiam, & neminem contradicere ausum, verbis Alberici tradunt, & Clarus §. *fin. quæst. 64. num. 36. v. 5. illata reo tortura.* hanc esse communem observantiam & totum mundum ita servare testatur.

Quinimò probationes plenas per torturam purgari, contra dissentientes aliquos, cum aliis nonnullis, ita tuetur Farinacius *praxi crimin. lib. 1. tit. 5. quæst. 40.* ut addat *ibi n. 6. & seqq* ita communiter teneri, ac in mundo servari, ab eaque opinione utpote magis communi, ac magis servata, ac etiam veriori, tàm in judicando quàm consulendo minimè recedendum esse, quem sequitur DelRio *disquis. Magic. lib. 5. sect. 2.*

Dahero dann nach solcher purgation der indiciorum, man

die

die tortur **nicht wiederholen kan**/ nisi nova rursus eaque urgentissima indicia proferantur, post plurimos à se allegatos Bocerus *de tortur. c. 2. n. 31.* Farinac. *prax. crimin. quæst. 38. n. 27.* Menochius *de arbitrar judic. quæstion. cas. 252.* Papon. *de arrest. lib. 24. tit. 9. art. 2.*

Quæ indicia esse debent evidentiora prioribus, ut colligunt argumento à contrario sensu *ex l. 18. §. 1. ff. de quæstion.* è verbis: *evidentioribus argumentis oppressus.* Carpz. *pract. crim. part. 3. quæst. 125. n. 30. & seqq.* DelRio *lib. 5. sect. 9.* ubi: *nunquam inquit, iteranda est tortura, nisi interveniant indicia nova & diversi generis, & prioribus evidentiora, & nisi reus sit adeò fortis & robustus, ut animo & corpore perduraverit in priori tortura,* Antecessoris nostri. *vol. 3. cons. 109. num. 2.*

Cùm enim tortura altera necessariò multò sit acerbior, atque illa prima fuerit, ad quam animus adhuc erectus & infractæ vires sunt, postulat sanè recta ratio, ut ad eam tantò graviorem non nisi quoque tantò gravioribus de causis accedatur, ut rectè scribit Author *Cautionis Criminalis dub. 21. p. 158.* Et quæstio repetita ob vulnus ex præcedente tortura adhuc crudum, & recentes cruciatus illos acerbior est reo & dolore plenior, quàm prima, ait Bocerus *de Tortur. c. 5. n. 31. p. 371.* Unde non solùm requirunt Dd. ut quando repetenda est tortura, evidentiora sint indicia, sed etiam id volunt, ut sint diversi generis, quod idem est cum eo, ut specie ab aliis differant. Post Angelum Marsilium, Paridem de puteo, Blanchum, Guidonem de Suzatia, Careriumque Aymonem, Bossium, Clarum, Menochium, Franciscum personalem, Bertarrium & alios, Farinac. *lib. 5. quæst. 38. n. 77.* ubi explicat, quæ sint hujusmodi indicia, & ait: prima indicia respiciebant malam famam inquisiti, vel ejusdem inimicitiam cum occiso, & ex illis ipse reus fuit tortus, & nihil falsus est, supervenit postea testis, qui deponit se vidisse, eundem reum vulnerare, vel vidit eundem cum gladio evaginato; talia, dicunt, nova indicia, quia differunt à primis specie & substantia: Verùm si primus habuit reus contra se indicium famæ probatæ per aliquos testes, & ex illis tortus perstiterit, non potest ampliùs repeti, licèt superveniant alii testes, eandem famam probantes: Tales enim testes non inducunt novum indicium,

sed novam probationem veteris indicii; Atque hanc sententiam etiam pluribus adstruunt Riminaldus junior *cons. 704. n. 72. & 73.* & Damhonderus *in praxi Criminali cap. 38. n. 5.*

Nichts destoweniger ist sie nach vorhengehender Confrontation de 5. & 6. Nov. mit beyden maleficanten dem Elsasser und Schöpffeln den 6. ejusd. als auch vom Schöpffeln nominirte und gravirte zu weiterer tortur, dergestalt / daß man auch Stein anhangen solte/aber nicht auffziehen möchte / condemnirt worden/ fol. 30. f. 1. art. 2. welches dann folgends fol. 40. f. 2. & seqq. werckstellig gemacht;

Nun hat sie bey solcher tortur, wie sie gebunden/ ihr lang zugesprochen / auch wie härter gebunden / und in hoc statu mit beyden maleficanten committirt, nichts gestehen wollen/ gleich solches ex fol. 40. f. 2. & 41. f. 1. sattsam erhellet.

Wie sie aber das erstemal angezogen fol. 41. f. 2. und specialiter mit dem Schöpffel und Elsasser/ob dieselbe auffm Heimberg gewesen / befraget worden / und vorhero gefragt / ob man sie hernach gehen lassen wollen / spricht sie zwar endlich / annoch in der tortur hangende / ja / negirt es aber wieder in continenti, dergleichen variationes auch bey der andern Anziehung fol. 42. f. 2. zubefinden/gestalt sie dann den 8. Novemb. in der also genandten abermahligen gütlichen examination p. 43. f. 2. & 44. fac. 1. & 2. beständigst darauff verharrete / sie habe die Unwarheit gesagt / die grosse Schmertzen habens gethan / wann sie gleich sterben solt / so könte sie nichts wissen noch sagen / sie habe gesagt / der Haußle sey auffm Heimberg gewesen / allein haben sie die Schmertzen darzu getrieben / es ist nicht wahr / wann ichs sagen müß / so will ichs eben wieder sagen; Worauff ihr der Stieffel angethan / und also wiederum und zum drittenmahl torquirt worden/allda sie erstlich verschiedene Sachen/so sie verübt/ und daß sie eine Zauberin nach vielen antreiben ad fol. 45. f. 2. & 46. f. 1. und öffterem reluctiren bekennet.

Es mag aber sothane des Schöpffels nominatio kein zu recht beständiges indicium ad repetitionem torturæ der Ursach geben; quia

quia 1. facta extra torturam. 2. quia unica est unius complicis nominatio, 3. quia non est evidentior prioribus indiciis, ex quibus antè torta fuit, & 4. quia ab illis specie non differt, quæ omnia, ut nominatio socii criminis ad torturam sufficiens indicium sit, requiruntur, per ea, quæ pluribus antea probavimus.

Dann so ist seine nominatio gar varia, wie er dann f. 4. art. 2. berichtet/ daß ihme vom Elsasser erzehlet worden / die Mockelkäte seye eine Flüganß / fol. 24. f. 2. & f. 25. f. 1. modò negat, modò affirmat, daß er gehöret / wie sie auffm Heimberg dem Teuffel erzehlet/ was sie vor einen Haspel gemacht/ fol. 20. f. 2. idem Schöpffel/ er müsse lügen/ daß sich die Balcken biegen / cui accedit, quod f. 24. art. 2. secundùm Confessionem Hans Elsassers / er selbigen verführen wollen/ daß er auch andere unschuldigen mit ins Spiel bringen solle.

Omnes autem, qui nominationi sociorum criminis in hoc delicto etiam plurimùm tribuunt, requirunt ut reus in sua nominatione non vacillet, aut variet, sed constanter perseveret, etiam in speciali tortura, nam deponens varius non modò ad torturam, sed nec ad inquisitionem sufficiens indicium præbet; ut ex communiore sententia receptum, tradente DelRio *Disq. Mag. lib. 5. sect. 3. §. 2.* cum quo consentit Farinac. *quæst. 43. n. 187. & seq.* ex Menochio & Claro Althusius *Dicæologiæ lib. 3. c. 39. n. 19.*

Weilen dann unsers Erachtens die andere und vielmehr die dritte tortur der Mockelkäte ohne sattsame indicia ergangen / so mögen die darinn beschehene Confessiones und nominationes auch vor gültig nicht geachtet werden.

Ita enim expressè Imperator Carolus V. *art. 20.* P. H. O.

Wo nicht zuvor redliche anzeigen der Missethat/ darnach man fragen wolte / vorhanden und beweisset würden; Soll niemands gefragt werden / und ob auch gleichwohl auß der Marter die Missethat bekant würde / so soll doch der nicht geglaubt / noch jemand darauff verurtheilt werden.

Nulla siquidem est hæc confessio, adeòque nec condemnationis effectum habere potest, post plures allegatos Carpz. *crim. part. 3.*

quæst. 123. n. 8. & seqq. ubi *n. 17.* addit plura præjudicia ſcabinorum Lipſienſium. Menoch. *quæſt. arbitr. lib. 1. caſ. 84.* poſt Farinacium Althuſ. *d. l. 3. cap. 39. n. 84.*

Idque adeò verum eſt, ut ideò juris ſit, ſi ſaltem facta ſit metu tormentorum vel ſaltem per minas & in loco tormentorum ſine præcedentibus legitimis indiciis, Marſcard. *de probat. concl. 353. n. 14. & 17.* Paride de puteo, Damhondero, Carerio & Farinacio Author anonymus *Notarum ad Conſtit. Crimin. Carol.* quod idem etiam, *arg. l. 1. §. 27. ff. de quæſtion.* ibi: *nonnunquam enim aut metu confitentur*; defendunt ad hunc articulum Stephanus, Gilhauſen & Manzius.

Und ob wohl möchte vorgegeben werden/ daß ſie folgends in denen erfolgten alſo genandten gütlichen Examinibus dieſe Confeſſion wiederholet/ ratificirt und freywillig bekräfftiget/ ſo will doch ſolches in facto ſich nicht allerdings befinden/ wie ſie dann bald hernacher der Wächter Auſſage nach fol. 50. f. 1. etlichmahl außgeſagt/ der Schmertz ſeye eben gar groß geweſen/ habe offt Ja ſagen müſſen; In examine den 10. Novemb. à meridie quærit, ſoll ichs ſagen / ich habe ihm den Tod gegeben? Wills auch ſagen fol. 52. f. 2. f. 65. wann ſie mehr ſagen muſt/ ſo müſte ſie nur Lügen ſagen; Und will ſchier das Anſehen gewinnen / als ob dieſe und andere gütliche Examina in loca vel conſpectu loci torturæ geſchehen/ welches / da es geweſen / der peinlichen Halß-Gerichts-Ordnung zuwider laufft/ *arg. art. 56. ibi*: in der Büttel-Stuben / oder ander Gemach/ *l. 26. de cuſt. reor.* Carpzov. *pract. crim. part. 3. q. 126. n. 20.* Nam ſi in loco torturæ fieret, memoria tormentorum animo ipſius obſervaretur, & fortè etiam innocentem ad confeſſionem compelleret, adhuc enim duraret metus tormentorum; Idque ex receptiſſimâ Doctorum ſententia & conſuetudine, de qua teſtatur poſt Clar. & Farinac. Brunnem. *de proceſſu inquiſitorio cap. 8. membr. 5. num. 54.*

In dem alſo genandten gütlichen Examine de 11. Novem. iſt ihre confeſſio auff ſehr ſcharffes Zureden und Bedrohen geſchehen fol. 67. auff gar hoch bedrohlich Zuſprechen/ p. 68. f. 2. ja ihr gar mit peinlicher Examination gedrohet/ fol. 71. f. 2.

Dem

Dem sey aber in facto wie ihm wolle / und da gleich das den 30. Decemb. abgewichenen Jahrs vorgenommenes Examen ein vollkommen gültiges Examen gewesen / und sie darinn ihre vorige in der tortur beschehene confession freywillig ratificirt / so möchte jedoch auch solche ratification zu recht keine Krafft haben / oder vor gültig gehalten werden. Per ea quæ habet Carpzov. *pract. crimin. part. 3. quæst. 125. n. 10. & seqq.* quod verum esse volunt hoc casu, etiamsi eam millies ratificaverit, & quidem judicialiter, Mynsing. *cent. 5. observ. 33.* Farinac. *quæst. 37. n. 110.* post Julium Clarum, Francisci. Vivium, Zierizzium & Weizeneggerum, Manzius *ad art. 20. Constit. Carol.* hujusmodi enim ratificatio post confessionem ex metu fieri solet, ne si negent, denuò ad torturam rapiantur ex Tannero, Scaccia, Fabro & aliis, Lindenspur. *Comment. ad Ordinationes provinciales Würtembergicas, pag. 307. n. 17.*

Und ob schon neue rechtmässige indicia nach der tortur sich eräugneten / so machten sie doch dergleichen confession nicht gültig / Carpzov. *d. l.* Clarus §. *fin. quæst. 55. n. 14. & quæst. 64. n. 9. circa fin.* Zanger. *de quæst. c. 2. n. 10.* Matth. Stephani *ad art. 20. Ord. Crim. n. 2.* Manzius *ibidem n. 25.*

Dann ist auch dieses nicht ausser acht zu lassen / daß ihre den 6. Novembr. abgelegte zwar annoch variirende confessio von ihr in tortura hangend beschehen / gleich solches erhellet ex fol. 41. fac. 2. fol. 42. fac. 1. da man sie fraget / ob sie dieses wieder bekennen wolle / wann sie herab gelassen; & fac. 2. ibi: worauff sie wieder herab gelassen.

Confessio autem, quæ fit reo constituto, in ipsis cruciatibus non attenditur, ista enim art. 58. Const. Crim. Carol. Es soll die Sage des Gefangenen nicht angenommen / oder auffgeschrieben werden / so er in der Marter thut / sondern er solle seine Sage thun / so er von der Marter gelassen ist / & ibi Bernhardus Zieriz, Matth. Stephan. & Manzius, Zangerus *de quæst. cap. 4. n. 15.* Verisimile non est, reum in ipsis cruciatibus constitutum veritatem posse eloqui, aut perpetrata cum circumstantiis in memoriam posse revocare, Brunnem. *de process. Inquisit. cap. 8. membr. 5. num. 45.* Carpz. *qu. 124. n. 27. & seqq.* Manz. *d. l.*

Zu dem kan auch anjetzo von dieser Ursachen in principali von uns noch nicht geurtheilet werden / weilen die Zeugen / so de corporibus delicti außgesaget / nicht äydlich verhöret / wie solches auß der Außsage / und zumahln fol. 97. f. 2. art. 2. offenbar abzunehmen.

Testis autem injuratus nihil probat in civilibus, *l. 9. C. de Testib.* quantò minùs in Criminalibus, adeò ut in criminalibus nec consensu partium remitti juramentum possit, per tradita Farinacii *lib. 2. qu. 74. n. 5.* nec ad torturam, multò minùs ad condemnationem judex sine juramento testium pervenire possit, ne quidem in processu inquisitorio, post Carpzovium, & Gailium, Brunnemann. *de processu Inquisitorio cap. 8. memb. 2. n. 42.* ubi probat *n. 43.* nec statuto vel consuetudine introduci posse, ut testi injurato in criminalibus credatur.

Et quòd testes producti contra veneficii vel magiæ crimine infames sub jurisjurandi religione attestari debeant, in specie traditur in Malleo maleficarum, *part. 3. qu. 7.* idque docet Hardevicus Dessel. *cons. 20. n. 18.* & sequuntur Consilia Tübingensia *Cons. 253. n. 11.*

Welches dann zumahlen bey diesen maleficanten nöhtiger / als da die corpora delicti öffters entweder gäntzlich / oder doch ratione vornehmer Umständen sich anders / als von ihnen bekandt / verhalten / wie dann daß dieser Mockelkäten / was sie wegen Hans Jacob Schwartzen Buben außgesagt / die Eltern sich dergleichen nichts erinneren / p. 73. f. 2 art. 2. Dergleichen Beschaffenheit auch hat mit dem Schlüssel / welchen ihr der Teuffel gegeben / und damit die verschlossene Thür ihrer Meynung nach geöffnet / also daß sich nicht findet an den von ihr gemeldetē örtern / pag. 111. fol. 2.

II. Die Mockel-Grete.

Die andere verhafftete Maleficantin Mockel-Grete anbetreffend / so ist solche auff vorhergehende des Elsassers bloße nomination eingezogen / mit demselben iteratâ vice confrontirt und territ worden / art. 1. fol. 29. f. 1. usque ad 82. wordurch dann mehr / als gnugsam / daß so wider sie eingebracht / bey der beharlichen negation purgirt worden.

Nach

Nach diesem ist/so viel auß denen uns übersandten actis zuersehen/nichts wider sie vor der mit ihr zur hand genommenen Tortur eingekommen/ als daß ihre Schwester Mockelkäte in der den 8. Nov. mit ihr zum drittenmahl vorgenommener Tortur/nachdem sie eine weile solches geleugnet/pag.47.f.1. sie endlich mit angibt/ wiewohl sie in den Umständen sehr variirt/ indem sie bald meldet/ sie habe es ihr vor 3. Jahren gelehret/ pag.75. fac.2. bald sie habe ihrer Schwester nicht gesaget/was man zur Zauberey brauche; fol.77. f.2. abermahl/ sie habe sie vor 5. Jahren auffm Heimberg gesehen/p.231.f.

Nun ist oben deducirt/ daß solche nominatio, als in tortura sine sufficientibus indiciis repetita beschehen/gar keine Krafft haben könne/ wie sie dann auch ohne das unica, varia, sibi contraria, und also gar mangelhafft und zu recht unbeständig ist;

Ist also auch diese darauff vorgenommene Tortur mit der Mockel-Gräten/ mit allen ihren Aussagen gleicher Gestalt von Unwürden/ per art. 20. ord. Crimin. & antea deducta.

Wie sie dann auch Nachmittags also vermuhtlicher weniger als 5. oder 6. Stunden nach dem ersten/ wobey sie jedennoch erstlich eine gute Weile/ ob man gleich den Stieffel angelegt und sie etlich mahl angezogen/gar nichts à fol. 82. usque ad 87. endlich aber/ nachdem sie viel protestiret/ sie thue sich unrecht/fol.85. fac.1. ob sie solle die Leute betriegen/fol.83.fac.2. sie wolle eben ja sagen/ fol.88. man habe ihr ja gesagt/wann sie es bekenne/ so wolle man sie gehen lassen/pag.89.f.1. außgesagt. Mag also dieser Confession auß vorher geführten Gründen weder per ratificationem, noch per supervenientia indicia Krafft gegeben werden; Gesetzet auch den Fall/ daß diese tortura richtig/ so wäre jedoch die confessio, so darin beschehen/folgends in gütlichen Bestehungen zu ratificiren gewesen/P. H. O. art. 56. Guazzinus *defens. reor. defens.22. num.31.* Bozerus *de quæst. cap.5.* Carpzov. *pract. Crim. part.3. quæst. 126.* und zwar extra locum torturæ, & ad minimum post diem elapsum, Dd. allegati.

Nun ist zwar nach der den 12. Nov. Nachmittags beschehener

ner Tortur/den 13. ohngemeldet/ ob vor- oder nachmittags/ wieder vorgenommen/ es berichtet aber die Thurnfrau/ daß sie gesagt; es seye eben so ein grosser Schmertz/ sie habe auff sich lügen müssen/fol.72.f.1. wie sie dann solche abermahl den 14. Novemb. revocirt/ und ob wol endlich von der revocation daselbst abgehet/ so fraget sie doch fol. 104. f. 2. soll ich lügen? fol. 105. O ihr zwinget eins/& ibid. sie wolle bekennen/wann sie es nur wüste/ibid. es thäte noht/es lügte eins/fol.231. protocolli n.2. habetur, es verlaute/die Mockel-Grete wolle zur diffession schreiten / auff welchen Fall die Tortur erkand wurde. In examine de 28. Novembr. ait: Wann man hätte neulich gesagt/sie hätte den Kirchen Kelch gestohlen/so hätte sie es gethan/der Schmertz sey so groß; In examine de 3. Jan. anni hujus f. 276. fac. 1. wolle sie anfangs läugnen / und schiebet alles auff die Schmertzen des Stieffels; Und ob sie wohl endlich in diesen also genandten gütlichen examinibus ihre confession repetirt / so seynd es doch eigentlich keine gütliche examina zu nennen gewesen/als da der Scharffrichter eingelassen / sie sollen ligirt werden/ f. 244. fac.2. art.2. ja sie endlich gar ligirt/und ihr mit dem Stieffel gedräuet worden/ fol.247. daß also darinn / auch hujus alioquin nullæ confessionis keine beständige und zu recht erforderte ratification zu finden; Dann ist gleichfals ihre confessio, so in der Tortur annoch hangend gethan/auffgeschrieben/fol.84. f.1. & fol. 5. fol.89.f.2. fol. 94. f. 2.

Quod fieri non debere antea ostensum.

Und sie specialiter von unterschiedlichen Sachen gefragt/fol.95. f.1. ob es bey ihrer obligation, damit sie sich dem Teuffel verbunden/ nicht geheissen / wie bey der andern: Ich bekenne / daß ich wohl 2c. sie soll einen menschlichen Buhlen angeben: fol. 232. f. 2. sie soll noch drey bekennen/fol.235. f.1. iterum eod. man habe drey Personen gemeynet/so gestorben/fol.236. soll ein stück 15. sagen/ ubi illa petit, wie man sie ligiren will / man möge etwas davon thun/sey zu viel/& p. 235. f. 2. indè quærit. wie viel Leute wolt ihr haben? p.240. 56. es seyn nicht nur 10. solcher Mucken. Quod non admittit, *l. 1 ff. de quæstionibus*, vid. art. 31. §. Erstlich. Ord. Crim. Carol.

Chri-

Christinarum *ad Consult. Mechlin. art. 7. n. 9. inf. & n. 10.* & præ reliquis Anthon. Matthæi *in Tractat. de crimin. l. 9. tit. de quæst. cap. 4. num. 10.*

So seynd weiter die Zeugen / so de corporibus delicti verhöret / auch hier nicht beäydigt ; quod tamen omninò necessarium, per antè probata. Und wenig von denen häuffig angegebenen corporibus delicti, so nur entweder gar falsch / oder in dem vornembsten anderer Gestalt / als von ihm gemeldt / in der zwar unbeäydigten inquisitione corporum delicti befunden worden / als daß sie vor 2. Jahren sich selbsten ein Kalb bestrichen und umgebracht / p. 89. da ihr Mann hingegen berichtet / sey ihme vor sieben Jahren ein solch Kalb abgangen. (2.) Dem krummen Schneider im Sommer ein Söhnlein umgebracht / fol. 104. ille: sey vorm viertheil Jahr gestorben / also im Winter und mense Februario. (3.) Ihrer Schwester vor 3. Jahren einen Ochsen pag. 106. f. 1. illa? habe solchen Ochsen vor 9. oder 10. Jahren gehabt / (4.) Hanß Schecken vor 2. Jahren ein Knäblein p. 233. f. 2. ille & uxor ignorant, (5.) Martin Günthers Kind Annale von 3. Jahren / pater interrogatus respondet, solches Kind sey 6. Jahr alt gewesen / (6.) Wagner Adels Kind umgebracht / heist Madelin / p. 235. f. 2. parantes, sey ihm nie kein Kind gestorben / habe auch keines des Namens / (7.) Maurer Hanß Metzgens Kind: ille seye ihm nie kein Kind gestorben / dergleichen beschaffenheit es mit folgendem facto (8.) Fried Haasen einen Ochsen vor 6. Jahren; ille vor 10. Jahren / p 236. (9.) ihrer Schwester Katten eine schwartze Kuhe umgebracht / p. 236. Georg Eberwein maritus sororis negat, se habuisse talem, (10.) gleiche Beschaffenheit hat es mit Georg Leynmeyers Kuhe / (11.) Stoffel Breinick eine schwartze Kuhe vor 5. Jahren / hab noch 14. Tage gelebt; ille: vor 12. Jahren sey ihm eine in einer viertel Stunden gestorben / (12.) Hanß Saberlins Kalbe / p. 237. ille, hab nichts daran verspüret / (13.) Hanß Mauern ein schwartzes Kälblein; similiter (14.) Georg Schwartzen eine Kuhe vor 3. Jahren fol. 237. f. 2, ille, ihme sey ein Ochs vor 6. Jahren gestorben / (15.) Georg Jost vor nicht langer Zeit die Mücken in

Fuß gezäubert / ille vor 5. Jahren habe er einen Mißtritt gethan / fol. 239. f. 1. (16) Christoph Mehgens Annalen f. 239. f. 1. (17.) mit ihrem eigenen Kind Barbelen / so sie umgebracht vor 5. Jahren f. 244. f. 2. da doch solche bereits vor 25. Jahren gestorben; (18.) Jacob Elsasser Kattelin / welches 10. Tage alt gewesen / und vor 4. Jahren von ihr umgebracht / laut ihrer confession, patre contra confitente, sie lebe noch / seye 19. Jahr alt / eod. fol. (19.) Michael Brommers Margarete vor 4. Jahren umgebracht / welche annoch lebet / eod. fol. (20.) Matthes Bernharten Catherlein umgebracht vor 5. Jahren / ille, sie lebe noch / sey nur vierjährig.

Auß welchen Ursachen allen wir nochmahls beständig davor halten / daß ihrentwegen definitivè auch nicht gesprochen werden möge.

III. Kohl-Anna.

Anlangend die Kohl-Anna / so ist nicht ohne / daß solche vom Elsasser p. 50. art. 1. und die tortura von der Mockelgreten doch nach special Ermahnung derselben / und erfolgter Erinnerung ihrer Schwester p. 102. nominirt, und vor eine Hexe angegeben worden; Weilen aber die erste nominatio nicht in tortura geschehen / und beyde andere nominationes ex torturâ sine sufficientibus indiciis hergeflossen / so mag auch solchen keine Krafft von rechtswegen ad torturæ effectum zugeeignet werden.

Im übrigen aber will es fast das Ansehen gewinnen / ob sey solche ziemlich mit indiciis graviret, dann ehe sie ad torturam gekommen / Schultheis deponirt f. 128. f. 2. daß sie wegen Ehebruchs mit ihrem Tochtermann gestraffet / sey wegen der Hexerey verdächtig gewesen / könne kopffmessen / sey viel Schaden in ihrem eigenen Hauß geschehen / habe eine Tochter gehabt / so gantz außgesaget / Hanß Heberlein sey lange mit Rücken Wehe und anderm behafftet gewesen / er müsse verlahmen / wann er nicht weg auß dieser Nachbarschafft gezogen / wäre er nicht mehr recht worden; f. 129. f. 1. Hanß Eberlein sage auß / daß er vor 10. Jahren / wie er vorhin gantz munter / frisch und gesund gewesen / plötzlich unter-

halb

halb Leibes gantz lahm worden mit grossen Schmertzen/sie Kohl-Anna habe erkant/es seye eine zäuberische Kranckheit/fol. 129. f. 2. er habe/wann er sie zu sich hohlen lassen allwege besser befunden/ fol. 130. f. 1. Hanß Wolff Schneider/ Martin Ewardt/ Hanß Grieb/Hanß Wolff Richter/attestirn alle de fama longissimi temporis, f. 131. 132. & 133. So werden über dieses verdächtige Wurtzeln in ihrem Hause gefunden/p. 133. f. 1. und leugnet sie erstlich/ daß dergleichen Wurtzeln jemahls in ihrem Hauß gewesen/gestehet es aber endlich fol. 134. in princ. und bekennet auch ohne allen Zwang/sie könne segnen/fol. 134. f. 2. & 135. f. 1. Wetter vertreiben/fol. 136. f. 1. entschuldiget sich/daß sie die Bährmutter und dazu die Wurtzel gebraucht/da doch die Tochter Agnes f. 120. f. 2. nichts davon wissen will/und Appollonia die andere Tochter meldet/die Mutter habe nie gesagt/daß sie die Bährmutter/fol. 144. art. 2. quamvis dissentiens fol. 22. fac. 2. art. 14. wozu annoch kompt/ daß sie durch Anna Hanß Stegens Wittib deposition fol. 141. f. 1. & seqq. usque ad 143. sehr gravirt, und vorhin wegen verübter/oder doch auß starcken indiciis præsumirter Blutschande/mit ihrem eigenen Tochtermann/laut Schultheisen deposition, abgestraffet worden/daß also constans fama certis illatis damnis innixa, varietas frequens confessionis, confessio actionum magicarum, quæ tamen aliquando sine pacto expresso exercentur, vita pessimè acta, & aliis sceleribus infamis zur tortur nicht ungenugsame indicia scheinen möchten.

Allein weilen solche indicia auch legitimè probirt/und zwar in dieser Sachen nohtwendig per testes sub fide juramenti deponentes, seyn müssen/selbiges aber annoch ermangelt/alß hat man weder die torturam vornehmen/oder deductione in locum torturæ & metu illius gleich geschehen/ihre weitere confession de pacto explicito und connexis criminibus zu wegen bringen können.

Dahero dann auch ihre confessio, nominatio, auch ratificatio derselben annoch von uns/zu dem ende/daß man darauß ad definitivam komme/nicht können attendiret werden. Zu dem so ist die ratificatio in den als genandten gütlichen examinibus in loco torturæ,

turæ, und mit Hereinlassung des Meisters öffters geschehen / ad fol. 146. fac. 2. fol. 148. f. 1. fol. 154. f. 2. fol. 172. f. 1. fol. 175. f. 2. fol. 176. & 177. & 179. f. 2. da ihr auch mit binden gedrohet und sie würcklichen außgezogen wird / und hat sie dennoch den 3. Januarii 1663. nicht alles ratificiren wollen / gestalt dann das protocollum meldet / man habe annoch grosse Boßheiten in den Hauptstücken bey ihr gemercket / fol. 277. f. 2.

Und ob wohln sie auch adulteria mit verschiedener / und incestus mit Wolff Fischern bekannt / welches dann auch von besagtem Wolffen confirmiret worden / so will doch / weil das corpus delicti in his delictis facti transeuntis per utriusque partis confessionem erkundiget werden muß / ratione incestus & aliorum criminum, so sie mit Wolff Fischern verübet / ihre freye und legitima extra torturam & metum torturæ facta confessio auch ermangelt / also kan dieser wegen auch annoch definitivè nicht darinnen geschlossen werden.

Dann ist auch ihren Confessionibus ratione corporum delicti die Ursach noch nicht völliger glaube bey zu messen / weilen dieselbe mediante juramento nicht erkundiget / und darunter viel sich gantz anders / als von ihr angegeben / verhalten / wie dann die Leute von den / so fol. 168. von ihr außgesagt / von echten Dingen / laut Landzinssers Relation nichts wissen wollen / fol. 31. auch daß sie vor des Jüngers Wirths Tochter fol. 168. f. 2. Angeben sich falsch befindet / laut inquisition vom 3. 4. 5. Decemb. fol. 18. und ihrer Besiehung / gleichfals was wegen des der Wirthin zu Rohr zugefügten Schadens hernach befindlich / welches beyde Wirthinnen im Stuttgartter examine leugnen p. 7. und sie selbst in der Besiehung / dann ist ihr wegen Anna-Madlen Georg Vostackers auff der Bohnmühlen Eheweib p. 206. f. 2. gethane Aussag und derselben Bezauberung auch irrig / laut Stuttgarttischer inquisition. So ist Isaacs Catharinen nie als vor 30. Jahren eine Kuhe abgangen / und bekennet sie doch ihr vor 5. Jahren eine umgebracht zu haben / fol. 209. f. 2. wie es dann auch nicht anders bewand mit des alten Gohlhausen Catharinen gestromten Ochsen /

sen/pag. 251. und der Krämer-Sara zu Stuttgardt ihrem Kalb/ darfür sie dieselbe 6. gr. weil sie es ihrem Vorgeben nach umgebracht/bezahlen müssen/p. 210. da doch solche Krämer-Sara nie ein Kuh oder Kalb gehabt zuhaben bezeuget/weiters habe einem paar Volcks auß Bäyerland/so annoch vor 5. Jahren zu Memmingen gewohnet, davon der Mann Peter/ die Frau aber Anna heisse/ geschadet/von welchen Leuten niemand ein Flecken weiß. So dann des Schultheisen zu Rohr Weib vor 4. Jahren die Brüste verdorben/fol. 223. da doch Schultheis Stutgardt inquisition fol. 4. fac. 1. außsagt/erhabe seine Frau schon 10. Jahre/ habe niemals Schaden an Brüsten gehabt/ und man von seiner vorigen Frau sich dergleichen laut Landzinsers relation, auch nichts zu erinnern weiß fol. 227. sagt sie auß/wie sie der Schlosserin Margareth in Keller gefahren und eine grosse Schüssel äpffelschnitze herauß genommen/ da doch solche Schlosserin davon nichts weiß und nichts gespüret/fol eod. wie sie in Hanß Wilhelm Sorgs/von ihr genant Heimbachs Keller gefahren/welchen sie auffgeschlossen / und darauß gestohlen / da doch kein Schloß daran / und von ihm dergleichen nichts gespüret / und andere dergleichen.

IV. Hanß Harsch Haffner.

Uff den vierdten maleficanten, als Hanß Harsch Haffner zukommen/so ist selbiger auff die vom Elsasser allein/ und extra torturam beschehene nominatio p. 23. art. 1. und des Schulmeisters Bericht/daß er suspect gewesen/fol. 61. art. 1. zur confrontation loca tortura und würcklicher territion gekommen/p. 75. f. 2. usque ad 78 fol. 2. art. 1. wären also solche indicia, im Fall sie gleich solten zur territion gnugsam gewesen seyn/ jedannoch bey beständiger Leugnung des Haffners sattsam purgirt worden.

Des Schöpffels den 4. Novemb. anno 1662. fol. 33. 2. actorum befindliche Außsage / dann der Mockelkäte und Mockelgrete nominationes fol. 48. f. 1. & fol. 91. f. 1. seynd der Ursachen nicht zuachten; weilen/nachdem per territionem, gleich oberwehnt / des

Elsassers nominatio hinfält/uñ folgende beede auch nicht bestehen mögen/dieselbe unica, 2. varia, (modò enim negat, se illum vidisse, modò affirmat, se illum vidisse quinquies, dict. fol. 33. art. 2.) und 3. extra torturam facta ist/der Mockelkäten und Mockelgreten aber/neben dem/ daß sie gleichfalß variiren/ fol. 48. f. 1. fol. 90. f. 2. & 91. f. 1. seynd daher nicht gültig/ weilen sie ex tortura sine sufficientibus indiciis irrogata herfliessen; per antè adductos textus & Dd.

Er Haffner ist jedoch/ nullis adhuc existentibus aliis indiciis, nach vorhergehender abermahliger des Elsassers und Mockelkäten confrontation fol. 95. f. 2. & 96. f. 1. den 13. Novemb. fol. 96. f. 2. vor einen Alten 71. jährigen Mann starck torquirt worden/ daselbst er aber nichts bekennet/ und also dadurch/ da sie gleich legitima gewesen/ abermahlen alle wider sich militirende indicia außgeworffen.

Nichts destoweniger/ und nach dem er solche seine negation den 15. Novemb. repetirt/ ist er ohne einigem weiteren indicio, dem vorhergegangenem decreto de 14. Decemb. zufolge/ anderwertlich 2. Tage nach vorgemelter tortur zur Folter gezogen/ wobey er dann abermahl das wenigste nicht bekennet.

Nicht ohne ist/ daß/ wie der Meister ihn außgezogen/ er verdächtige Zeichen auffm Rücken gefunden/ welche er in gegenwart der Herrn Deputatorum mit einer Stecknadel probirt/ damit aber nicht durchstechen können/ sondern die Stecknadel sich gantz gebogen/ und er nichts empfunden/ auch bald/ daß ihm solches die Soldaten mit Pistolen geschlagen/ bald es seye ein Zeichen von dem Allmächtigen GOTT/ und wieder/ er wisse nicht/ woher ers habe/ vorgeben/ daß also ein stigma diabolicum, und daß rei variatio vorhanden zu seyn scheinet.

Es ist aber hiebey zu mercken/ daß solches Decretum de torquendo den 14. Decemb. bereits gemacht/ also einen Tag vorhero/ ehe man solche Anzeigungen gehabt/ und 2. die tortur bereits würcklich/ wie diese indicia sich eräugnet/ vorgenommen worden/ also nicht ante torturam, sondern erst in ipsa torturâ vorgekommen.

Dann ist auff die Stigmata, ut indè dignoscantur malefici, nicht

nicht vollkommen sicher zu gehen / ut ostendit post Binsfeldium, DelRio *Disq. Magic. lib. 3. sect. 40. n. 28.* Jordanarus *in proba stigmatica.* Author *Cautionis Criminalis dub. 43. per tot.* Gassendus *in vita Peirescii lib. 2. in princ.*

Und müssen die variationes, welche ad effectum torturæ beobachtet werden sollen / circa causam principalem sich eräugnen. post speculat. & Paulum de Castro, Crusius *de indiciis delictor. part. 1. c. 13. num. 7.*

Nach dieser anderwertigen tortur ist weiter nichts / gleich ex actis ersehen werden mag / angekommen / als daß Schultheiß und 3. auß dem Gericht fol. 116. art. 2. attestiren / wie sie deßwegen auff ihren Eyd und Pflicht gefraget worden / daß Er Haffner jederzeit verdächtig gewesen / daß Er von der Kohl-Anna fol. 231. f. 1. und wie schier auß den actis erscheinen will / fol. 260. auch die Baaß-Agneß und Steg-Anna angegeben / daß seine Frau wider ihn deponirt / er habe viel gefluchet / wenig oder gar nichts gebätet /, sey ihm in opere conjugali nicht sufficient, ihr und ihren Kindern allen feind gewesen / p. 122. act. & seqq.

Nun gehet der Frauen seiner Hanß Harschen aussage nicht dahin / daß sie gemercket / er mit Zauberey umgegangen / sondern daß er sehr geschworen 11. Si quis autem consueverit scelerata juramenta vel blasphemias, vel obscœnissima verba proferre, aut Dæmonem sæpe nominare, seque aliosque illi frequenter devovere; imò si quis alia gravissima scelera specie differentia à sortilegio committat, cum sortilegii suspectum censet quidem Binsfeld *indic. 11.* eò quod graves scriptores tradant; hujusmodi suspectos esse de hæresi. Sed observa, hoc indicium ad malam famam reduci, & solùm sufficere ad inquirendum, non verò ad torquendum, nisi præsumptiones aliæ adminiculentur; DelRio *lib. 5. Disq. Magicarum sect. 4. n. 24. post alios.*

Es ist aber indicium famæ, wohin dieses und des Schultheissen und 3. Richter Bericht gehörig / vor diesem und ehe die territion vorgenommen / auß des Schulmeisters attestation fol. 61. art. 1. bereits angeführet / von ihme aber per territionem purgirt worden / also nicht allein diß / sondern auch das à nominatione desumptum

ptum indicium nicht specie diversum und evidentius prioribus, und diesem nechst weder zur andern / weniger aber zur dritten tortur gnugsam / zugeschweigen / daß fama allhie nicht gnugsam probirt / cùm requirantur ad ejus probationem, quæ hîc omissa, ut post Farinacium, Julium Clarum DelRio *Disq. Magic. lib. 5. sect. 3. §. quartum indicium*. Autorem cautionis criminalis dubio 34. So wissen wir auch nicht / ob mit den andern ihren nominationen ausser der Kohl-Anna bewandt / welche dann auß oben angeführten Ursachen / auch sonsten ungültig und unkräfftig.

Gleichwohl ist vorgedachter Haffner zum drittenmahl den 15. Decemb. 1662. zur tortur gezogen / zum öfftern und allein pag. 261. fol. 2. fünffmahl nacheinander geschnellet / ihme erstlich 2. Steine von 30. fol. 261. f. 1. hernach von 50. Pfunden angehenget / womit er geschnellet und endlich gar hundert Pfund an jeden Fuß gehangen / p. 262. & p. 263. woselbst er gebäten / man soll ihm nur ein gnädig Urtheil geben / endlich doch sehr variirende bekennet / bald aber fol. 265. f. 1. vorgibt / er thue sich selbsten Unrecht / man zwinge ihn / und ungeachtet er angezogen / doch bey seiner negativa letzlich verbleibet / fol. 265. f. 2. und alß er selbigen nachmittags zur Besiehung gefordert / läugnet er erstlich alles gleichfals / endlich aber spricht er ja / p. 266. Nun seynd vigore præcedentium solche torturæ auß obgemeldtem defectu indiciorum zurecht ungültig / fallen also alle confessiones, so darinnen beschehen / neben hin.

Dann sollen die Besiehungen und ratificationes illius, quod quis in torturâ confessus est, auffs wenigst 24. Stunde hernach / nicht aber selbigen Tages / da die tortur vollbracht / geschehen / art. 56. Ordin. Crimin. Carpz. *pract. Crimin. quæst. 126.*

Wir finden aber / daß er noch selbigen nachmittags vorgenommen / über seine vormittags abgelegte confession befraget worden / fol. 266. f. 1. der Scharffrichter eingelassen / er auffgezogen / geschnellet / und also bey der also genanten gütlichen examination zum vierdtenmahl torquirt worden / desgleichen auch annoch den 5. und 13. und 1. Januarii, also auch in letzten gleichfals genanten gütlichen examinibus, mit Vorstellung des Scharffrichters beschehen.

Gleich-

Gleichfals wäre ratione modi, bey einem so bejahrten Alten 71. jährigen Mann die tortur nicht im höchsten Grad vorzunehmen gewesen/wann gleich die indicia anderer Gestalt / als geschehen/ erwiesen worden. Senes enim hujusmodi regulariter à tortura liberantur, *l.3.* §. *ignoscitur.7. ad SCtum Syllanianum*: Carpzov. *pract. Crimin. quæst. 118. n. 35.* & quando torquentur, leviter tamen cum illis agendum est, Carpz. *d. l. n. 42.* Zanger. *de quæst. cap. 1. n. 40.*

Et alioquin tortura fieri debet cum moderamine, Zanger. *de quæst. cap. 4. n. 14.* Bocer. *cap. 5. n. 28.* Carpz. *part. 3. pract. Crim. quæst. 124. n. 20. & seqq.* ut reus vel innocentiâ vel supplicio salvus supersit, *l. 7. ff. de quæstion.* Damhonderus *in praxin. Crim. cap. 37. n. 5.* Anton. Matthæi *de Criminib. tit. de quæst. cap. 4. num. 9.*

So seynd auch bey denen von ihme außgesagtẽ corporibus delicti keine äydliche Zeugen verhöret/und darunter viele / so entweder gar falsch / oder sehr verdächtig ratione veritatis facti, als erstlich/was er wegen seines Kindes Anna Marelile außsaget/fol. 264. collato cum folio 266. & 267. f. 1. & 2. & 269. f. 2. Sohl-Hansen zu Vayhingen Kalble vor 3. Jahren fol. 280. davon jedoch niemand wissen will / und er selbsten hernacher meldet / es sey 25. Jahr. Zayssen Michaels Stier/und Martin Hermans Sau fol. 280. f. 2. und was fol. 281. und 283. von des alten Schulmeisters Kälblein/ Hanß Elsassers anderthalb jähriges Kalb und Zieglers Stier-Kalb von ihm bekandt wird. Dann was von ihm in puncto Sodomiæ mit Andres Herman anderthabl jährigen falben Kalb fol. 283. wollen gestanden werden / da doch er Andres niemals solches Kalb gehabt bezeuget / wie auch wegen des Michaels eines Bubens von Gaildorff/ so bey ihm gestorben/fol. 284. f. 1. da doch niemand / nur daß er solchen Jungen gehabt / wissen will/ und er selbst in der Bestehung variirt, dergleichen niemand von dem Enderlin Höpffner/welchen er als socium sodomitici criminis angegeben/ weiß/ p. 285.

Und ob wol er nicht allein ratione veneficii, sondern auch incestus in linea recta Sodomiæ, adulterii,, verschiedenes bekant/davon den incestum bestättiget die erfolgte und sub fol. 289. fac. 1. & 2.

actor. 2. befindliche Bekandnuß seiner leiblichen Tochter Anna Mareile; Dann in puncto Sodomiæ auch zu seiner confession kommt des von ihm angegebenen Socii criminis Michael Schar Metzgens von Vayhingen Außsage/de dato den 20. Januarii hujus anni in fine n. 20. actorum; So kan jedoch/weilen utriusque partis confessio legitima, ad constituendum delicti corpus, in solchen criminibus erfordert/des Haffners confessio aber/als ex tortura sine sufficientibus indiciis & metu tormentorum, & si legitima foret, nondum tamen legitimè probata, vor dergleichen von uns nicht mag gehalten werden/auch ratione horum criminum nicht definitivè gesprochen werden. Wir hielten aber zu einer andern und beständigern confession bey diesen maleficanten zukommen/vor rahtsam/daß dieselbe jedes absonderlich/extra locum & aspectum loci torturæ, an einer andern Stelle/als da sie biß dato examinirt, geführet/daselbst in der Güte ohne ernstliche Bedrohung/und in abwesenheit des Meisters auff blosse general-Fragstücke gar von neuem gefraget/selbige confessiones, als neue absonderliche confessiones, und nicht als repetitiones und ratificationes priorum, mit allen vor ihnen gemeldten Umständen fleisig beschrieben/alsdañ ihnen wieder vorgelesen/und wann sie dieselbe abermahls bestättiget/die corpora delicti, und so viel möglich vielen Umständen durch vorher beäydigte Zeugen zuerkunden/mit ihren Außsagen zu conferiren, und alsdann nach Befindung und vorgehende reiffe Berahtschlagung in principali zusprechen seyn möchte; Da dann/wann sie also auff general-Fragen bekennen würden/wie vorhin insonderheit acht zuhaben/daß ratione der corporum delicti, die so anjetzo der Warheit ähnlich scheinen/mit Fleiß von den beäydigten Zeugen erkundiget würden/als wegen der von der Mockelkäten gemeldeten 1. Kuhe des Conrads/fol. 60.

2. Hanß Flegken Kind fol. 61. f. 2. weßwegen er und die Frau äydlich und eigentlich zuvernehmen.
3. Cristoph Breumugs Kind beym Hospital fol. 65. f. 1. weßwegen er Breumug äydlich zuverhören.
4. Curdt Jackel/welchem sie sein Mannrecht genommen zuha-

ben

ben außsagt/p. 75. f. 1. qui examinandus ex circumstantia inprimis temporis & aliis.

5. Von des verhaffteten Haffners Mägdlein/ob sie ihme Schaden zugefüget/und wieder geholffen/f. 72. fac. 2.

6. Jacob Schwartzen Weib wegen der ihr genommenen Milch/ f. 74. f. 1.

7. Jonas Schwartzen/deme sie sagt ein Pferd geritten habe/ daß es umgefallen/ fol. 257.

8. Hanß Flegken rohte Kuhe bestriechen / so aber doch geheilet. 257. f. 1,

9. Krummen Schneiders Sau.

10. Mammeles Kuh umgebracht.

11. Jacob Griebs Kuhe gelähmet/alles p. 257. f. 1.

Wegen Mockel-Greten/

1. Von Jonas Swartzen Sau/so verlahmet/f. 105. f. 2.

2. Gohl-Annen zu Vayhingen achtzehenjährigen Buben vor 15. Jahren umgebracht/fol. 233. f. 2.

3. Vor 14. Jahren ihrem eigenen Mägdlein Waldburgen in einer Wasser-Suppen die Salbe gegeben/daß sie gestorben/ fol. 234. f. 1. worüber Jacob Veberle und andere/ so wissenschafft davon/zuvernehmen.

4. Hanß Mammeles Kind fol. 234. f. 2.

5. Des Wendels Schwartzen Annele. 235. f. 1.

6. Hanß Elsassers Mägdlein Catharinen Zustand/fol. 239. f. 1.

7. Matthes Bernhard am Bache Weib/fol. 244. fac. 1.

Von der Kohl-Anna.

1. Wegen der Bettelbuben von Muesberg fol. 180. f. 1. art. 2. nach Anleitung des Schulmeisters schreiben / sub n. 9. actorum Jacob Fritz wegen aller Umständen äydlich zuverhören.

2. Hanß Müllers Sau fol. 209. deßwegen er Hanß Müller und Georg Müllers Weib äydlich zuvernehmen.

3. Ihr selbst 4. Ochsen hingerichtet / deswegen ihre Tochter Anthonia und Anna Caspar Reisers Hauß-Frau bey ihrem äyd zuerfragen

4. Thomæ Veberlins Weib/ wegen ihres zugefügten Schadens fol. 212. f. 1.
5. Curt Jessen Frau fol. 212. f. 2.
6. Jacob Gencken Kalb fol. 215. f. 2.
7. Des Baders zu Moringen Mägdlein fol. 217. f. 1. davon der Vatter des Mägdleins und übrige/ so davon auch von beyden vorigen factis Wissenschafft/ beäydigte Nachrich zu geben.
8. Zu Rohr wegen des Veitlins Dieteuthe/von denen der Landzinser/was seiner relation befindlich/vernommen.
9. Wegen des Taglöhners Michaels Weib Anna/fol. 218. worüber zu verhören Schultheiß und Richter.
10. Anna Jost Veiten Wittib/ der Gohl-Anna Söhnlein/ wegen der Ganß und übrigen/so von ihr im inquisitions-protocoll n. 14. actorum fol. 11. gemeldet.
11. Ob sie das p. 229. gemeldte schädliche Obst außgeworffen/und davon sein Kind/ also wie er gemeldet/ kranck geworden/ Hanß Schwengk über sein attestatum fol. 34. f. 1. inquisition zuverhören.

Wegen Hanß Harsch Haffners.

1. Kreben Conrad Braunes fahlen fol. 268. f. 2.
2. Kelterbeckers Sau umgebracht fol. 281. f. 1.
3. Hanß Schers Ochsen wunderlichen Zustands halben fol. 282. f. 1.
4. Matthes Metzgern 2. jährigen Kindlein fol. 285. f. 2.

Dann so ist insonderherheit in acht zuhaben/ob man seine richtige confession, ratione des von seiner Tochter im gütlichen examine bereits gestandenen incestus, extra torturam & metum torturæ, de novo haben mag/wie auch ratione Sodomiæ, insonderheit mit Michael Schern.

Die andere Frage ist:

Wie weit bey der gleichen verfluchten Unmenschen terminus gratiæ, jedoch daß göttlicher Zorn abgewendet bleibe/ zu extendiren?

ren? Worauff wir antworten/daß bey dergleichen Zauberer und Zauberinnen/ welche rechtmässig solcher criminum (dergleichen diese endlich in tortura bekant) überwiesen/die Todes Straff nicht mag remittirt, wohl aber ratione modi dieselbe durchs Schwerd/ oder andere Weise/ als durchs Feuer abgestrafft werden können.

Jus divinum enim pœnâ mortis vindicat hoc crimen, Exod. *22. v. 18* Levit. *20. v. 27.* Deut. *18. v. 12.* Zepper. *lib. 4. cap. 4. in explicat. Legum Mosaicarum.* Bodinus *in appendice contra* Wierium.

Unde ad mutationem pœnæ capitalis nullus hîc esse potest locus juri aggratiandi, Knipschild *de juribus & privilegiis Civitatum Imperialium lib. 2. cap. 27. n. 26.* Clasen *de jure aggratiandi cap. 16. p. 172. num. 6.*

Magistratus enim, etsi maximâ potestate in his terris præditi sint, legum divinarum tamen non sunt Dii, sed ministri, adeóque divinâ majestate inferiores: Inferior autem non potest derogare legi superioris *c. cùm inferior. x. de Majest. & abed. c. literas. x. de restitut. spoliat:*

Inprimis cùm Deus Magistatibus hujus seculi graviter injunxerit, ne parcant sceleratis, sed auferant malum è medio, Deut *13. v. 8. & 17. v. 12.*

Und ob wohl die leges forenses uns so wenig als die ceremoniales verbinden; Hugo Grotius *de jure Belli & pacis lib. 1. cap. 1. n. 16.* Hugo de Roy *lib. 2. tit. 3. p. 164. de eo quod justum est.*

So ist doch solches nun de merè forensibus zuverstehen; quod enim attinet legem divinam moralem, vel in se spectatam, vel cum forensibus conjunctam & pœnam in eâ statutam, quâ transgressores afficiendi sunt, ejus alia est ratio, post Panormitanum, Felinum, Baldum, Clasen *de jure aggratiandi cap. 16. p. 169.*

Der modus pœnæ capitalis irrogandæ aber / weilen solcher ex lege civili positivâ herkommt / als mag solcher auch wohl ohne befürchtenden Zorn GOttes geändert / und darinn dispensirt werden; wiewohl wir davor hielten/wann dergleichen Begnadigung post probatum legitimè delictum erfolgen solte / daß es je dennoch rahtsamer / die Todten Cörper in terrorem & exemplum aliorum mit Feuer zuverbrennen.

Die

Die dritte Frage anbelangend.

Wann es sich also / wie Hanß Harsch außgesagt / verhalten solte / daß nehmlichen unterschiedliche angegebene Personen vermittelst eingebung eines Teuffelischen Pulvers / zu dem abscheulichen Laster der Sodomie gleichsam gezwungen und verzaubert; was mit solchen Personen vorzunehmen / sonderlich / da wenig actus vorgangen/und etwa grosse Reu zuverspüren seyn möchte? Hie können wir darauff anjetzo noch zur Zeit nicht antworten/der Ursachen/weilen wir/ wie die Sache ratione circumstantiarum beschaffen/und zumahlen/ob sie extra rationis usum & discrimen boni & mali durch solch Pulver und dessen Gebrauch gesetzet wordē/vor eingezogener Special-Erkündigung / nicht wissen mögen / quare cùm minima circumstantia jus variet, *l. 26. §. 11. de condict. indebiti.* de singulis subtiliter, antequam definiatur, inquirendum, *cap. licet. 9. de probationibus.*

Auff die vierdte Frage/

Weilen die in vorigen actis angebrachte / aber / auff von sich gegebene Urphed ad tempus erlassene / bald hernach verstorbene/ und auff dem Kirchhoff zu andern ehrlich ruhenden begrabene Käuschen Anna von Vayhingen/in allen actis so offt und von allen verhafften/vor eine Hex und Zauberin/ja gar von einer verhafften Person/als ihre Lehrmeisterin denuntiiret worden/ und jederzeit suspectissima gewesen / ob dero Cörper auff dem Kirchhoff liegen zulassen? antworten wir mit Ja: dann dieselbe weder convicta, noch confessa; also als schuldig ex indiciis solis nicht mag gestraffet werden; vid. in terminis DelRio *lib. 5. sect. 19.* ubi, si verò, ait, non vi sibi illatâ, sed ægritudine, vel incommoditatibus carceris, aut debilitate morerentur ante sententiam; in his ego prorsus sequerer communem illam sententiam, adeò ut si in talem non legitimè confessam aut convictam judex sæviens eam non patiatur Ecclesiasticæ tradi sepulturæ, peccet mortaliter, & actione injuriarum conveniri à defuncti hæredibus possit; & adducit ibi plures.

Auff

Auff die fünffte Frage:

Demnach auff unterschiedliche Kinder unterschiedlichen Alters / theils wenig/theils mehr/ so mit der Zauberey angesteckt/ in actis enthalten / was solcher wegen / absonderlich aber wegen des Hans Harschen Töchterlein Anna Mareilens und Jacob Keberlins/vor ein sicherer modus procedendi vorzunehmen? Halten wir davor/daß auff die blosse confession der Kinder/ante investigata legitimè & mediante juramento testium, delicti corpora, auff blosses Angeben der sine sufficientibus indiciis unsers erachtens zur scharpfen Frage gezogenen maleficanten / wir annoch nichts gewisses antworten mögen: allein wann des Haffners rechtmässige confession mit allen gebührenden Umständen erfolgen solte/ wäre die Tochter gebührlich über solches alles zu examiniren/also dann auff vorgehenden fleissigen Raht etwas eigentliches und definitivè wird können gesprochen werden/wie sonsten mit dergleichen Kindern zuverfahren/ist Theils auß dem Berlichio *part. 4. concl. 5. n. 61.* Reink. *responso juris concernente processum juris contra Sagas n. 455. & seqq.* Besoldus *thesauro politico voc.* Hex: & latissimè apud Manzium *decis. palat. decad. 9. quæst. 81. 82. 83. & 84.* zuersehen.

Auff die sechste Frage:

Welche unter denē vermöge specification, so absonderlich beyliegt / gravirten Personen entweder in custodiam zuziehen / oder aber beyzufangen seyn möchten? Resp. daß sich in übersandten actis so viel denuntiationes, als in specificatione gemeldet / zwar nicht befinden / selbige aber / so darinn gefunden / grosse und hauptfehler haben / als daß sie Theils variæ, extra torturam factæ, vel è tortura sine legitimis indiciis profectæ seynd / daher darauff nicht zugehen;

Et alioquin delationes Sagarum non sufficere ad capturam, sentiunt in terminis Niellius *in controvers. juris Iustinianei disp. 6. tit.* D. Melander *in Resolut. quæst. 3. fol. 34.* Consilia Altdorphina *decad. 4. cons. 33.* in fin. Torreblanca *lib. 3. cap. 19. n. 37. & cap. 20. n. 35.* post Lercheime-

cheimerum, Albertum Rittershusium, ac Petrum Wesembecium Goldast. im Bedencken *p. 111. lib.* 1.

Constat enim in conventiculis sagarum nonnunquam à Dæmone repræsentari eas personas, quæ revera tunc præsentes non sunt; nec potest certò constare, id Deo extra ordinem permittente non aliquando etiam circa innocentes personas accidere posse, quando id reipsâ accidere plures fide dignæ relationes habent. Tannerus *de processu adversus veneficas, quæst. 2. n. 45.* & ex eo Lindenspur *ad ordinat. provinciales pag. 306. n. 27. ubi tradit.*

Neque refert, etiamsi striges pœnitentes jam & in speciem Sacerdoti confessæ, ejusmodi confessiones faciant, aut saltem notas habeant, suspicio enim & periculum falsitatis circa ejusmodi denuntiationes non solùm oritur ex malitia denuntiantium, sed etiam ex aliis causis, puta illusionibus diaboli, ad quas detegendas pœnitentia denuntiantis nihil momenti habet, vid. omninò Authorem Caut. Crim. *dubio 44.* & Godelmannum *de Magis lib. 3. c. 6. num. 8. & seqq.* Doch hat/wann solche denunciationes rechtmässig beschehen/ man auff solche leute Acht zugeben / auch wohl der Sachen beschaffenheit nach / & concurrentibus aliis wider sie zu inquiriren/ Ex Claro & Scaccia Brunnemannus *de process. Inquisit. cap. 4. n. 28.*

Actum Tubingæ in Facultate den 28. Febr. Anno 1663.

De
ABOLITIONE DISSERTATIO.
Sub PRÆSIDIO,
D. GREGORII TULSNERI,
Consiliar. Darmstadin. & Profess. Pandectarum Giessensis An. M DC LII. proposita.

INter præcipuas Romanæ Jurisprudentiæ curas, & illa est, ut terminum aliquando accipiant lites, nec longiore morâ in mutuam perniciem exerceant partes. Prudenter id quidem, & ut sunt ejus pleraque, non sine magno in publicum usu. Solent nempe fori certamina, occultis semper, aliquando erumpentibus odiis dividere agentium mentes. Hinc ab eo quo socialis vitæ ratio tendere solet, (ut suum videlicet cuique tribuatur) tantisper digreditur uterque, dum causas juvandi alterum procul habet; quod malum cùm privatos primò lacessat, non transit tamen, nisi cum Reipublicæ damno. Providos ergò hîc esse decuit Romanos legumlatores, ne (absque eo tamen sit, ut Reipublicæ major utilitas aliter fieri postulet) tenuia mali principia, majori periculo in publicum prodeant, dum altius surgunt, vel si id agere prætermitterent, parare Rempublicam ad patientiam haud dubiæ cladis. Hinc cùm

 actio-

actiones tolli sine societatis dissolutione nequeant, opera tamen danda fuit, ne inde nata odia, immortalitate litium incrementa accipiant. Non ineptè ergò illi finem invenire jurgia voluerunt, latâ à judice sententiâ, *l.1.ff. de re judic.* & vita functo è litigantibus altero, *ff. si pendente appellatione mors intervenerit, tot. tit. C. si reus vel accusator mortuus fuerit.* Idque communi ferè omnium gentium exemplo. Sed parùm etiam illud habuere, nisi accederent alii modi, quibus felicior nostra Jurisprudentia reliquarum gentium instituta superaret. Tempus ergò in subsidium vocarunt, & tolli certamina præscriptione constituerunt, *l.12. C. ad l. Corneliā de falsis, tot. tit. ff. de divers. & temp. præscript. C. de præscript. longi temp. C. ut intra certum tempus quæstio criminalis terminetur.* Addiderunt in gravioris momenti causis, & ubi de fama vel capite hominis res agitur, Abolitionem, quæ, desinentibus prioribus causis aliquando desinere efficit lites. Eam ego selegi materiam, quam positionibus nonnullis distinguerem. Nec indigna visa, quæ exerceret ingenium, quòd multis ea sæpe accusatoribus dubiam aliàs salutem reddat. Neque verò me revocare debuit ejus non exigua difficultas, quam literata etiam secula cum reliquis juris materiis ademerint, huic reliquerunt pene omnem: id ipsum enim, credo, efficiet, ut promptiore venia mihi hîc peccare liceat, cùm desint, quos duces sequi potuerim Juris Interpretes. Eorum enim plerique ejus ne

nomen

nomen quidem attingunt, pauci quidam rem ipſam, ſed primoribus tamen labiis deguſtant, & ex iis aliqui ita hîc agunt, ut ſummum quod alibi oſtendunt ingenium, hîc meritò deſideres. Ingredi ergò nunc rei tractationem Deo Auſpice à definitione auſpicabor.

I.

ET in ipſo quidem juris noſtri opere fruſtra vel definitionem ejus vel deſcriptionem ſaltim requiras. E JCtis noſtri ævi, præcipuè Dn. Hermannus Vultejus, ac Petrus Greg: Tholoſanus, definitionem ejus tradere aggreſſi ſunt. Cujacii enim ad ſolam ſpecialem abolitionem vel ipſo autore pertinet. *Dn. Vultejus lib. 1. Iurisprud. Romanæ cap. 48. n. 22.* Abolitionem *neceſſitatis accuſandi remiſſionem*; *P. Gregorius Syntagm. Iuris lib. 32. cap. 13. n. 2. Accuſationis vel criminis obliterationem* definit. In utraque tamen non deeſſe videntur, quæ deſiderari queant. Ea n. quam Dn. Vultejus tradit, vereor, ut ſoli abolitioni competat: neceſſitas enim accuſandi remittitur, quando accuſator criminali actione experiri non ampliùs tenetur. Id an ipſo jure, an impetrata demum à judice facultate fiat, nihil intereſt: nam & ipſo jure neceſſitatem accuſandi remitti idem autor agnoſcit, ubi generalem abolitionem definit. eod. loc. lit. g. Dirimente autem litem ſententiâ definitivâ, accuſator non ampliùs accuſare tenetur *arg. l. 19. §. 1. ff. de recept. qui arbitrium.* Vel tunc ergò etiam accuſandi neceſſitas remittitur. Non ergò ubi eſt neceſſitatis accuſandi remiſſio, ibi continuò eſt abolitio: quod gloſ. etiam animadvertiſſe patet, quæ ut per ſententiam interlocutoriam fiat, requirit. *gloſſa C. de abol. in princ.* Et proinde cùm reciproca non ſit, nondum adhuc planè omnibus partibus abſoluta eſſe videtur Dn. Vulteji definitio.

II. Illa autem à P. Gregorio Tholoſano prodita, præterquam quòd cum definitione diviſionem miſcet, in eo etiam manifeſti erroris notam fugere nequit, quòd criminis, eo ſenſu quo id abolitioni opponitur, eſſe abolitionem exiſtimet, quod tamen infrà ſub *th. 18.*

pluribus confutandi locus erit. Aſcribit ea inſuper nimium abolitioni, quando accuſationem & crimen obliterari per eam docet: Cùm ea tamen reſpectu prioris accuſatoris, ceſſet interdum duntaxat, utpote, quam, ſi generalis ſit abolitio, intra 30. dies repetere posſit actor, ſin ſpecialis revocari ab eadem etiam perſona impetrato reſcripto Principis, ex Diocletiani & Maximiani Conſtit. *C. h. tit.* nihil prohibeat. Unde ab ipſis Impp. non obliteratum ſed ſopitum ſaltem crimen dicitur: reſpectu verò aliorum ne ceſſet quidem, cùm res inter alios acta aliis non præjudicet, *l. 6. 3. ff. de re judicata*, quod nec ipſe Tholoſanus *n. 6.* diffiteri videtur. Commodiſſimum nobis videtur, ita eam definire, ut ſit Neceſſitatis accuſandi, nondum lata definitiva ſententia, facta remiſſio. Accuſatio autem, cujus neceſſitas per eam remittitur, non civilem actionem notat, quomodo aliquando in jure noſtro vocem hanc uſurpari obſervat W*eſemb. paratit. de Accuſ. & Inſcript.* ſed criminalem, ut in *l. 1. l. 20. C. de his qui accuſare non poſſunt. l. 19. ff. de Accuſ.* & toto paſſim titulo vocabuli illius uſus eſt.

III. Origo ejus à priſcis legibus, quibus prudens antiquitas accuſandi temeritatem coercuit, tota dependet. Repetenda hinc nonnulla ex tit *ff. de Accuſ. & Inſcript.* ſunt. Cautum ergò antiquis legibus fuit, ne alium aliquis criminis reum faceret, niſi præceſſiſſet inſcriptio *l. 7. ff. de accuſ. l. 17. C. eod.* Erat ea autem ipſius accuſationis in libellum facta relatio, (cujus requiſita Paulus JCtus *in l. 3. ff. tit. dict.* ſuppeditat) quam deinceps ſubſcriptione probabat accuſator, *l. 7. in princ. & ibidem Gothofred. l. 3. §. 2.* Eoque id præter cætera conſequebatur reus, ut actor, ſi in probatione criminis deficeret, & calumniaretur, ſimilitudine ſupplicii ad vindictam poſceretur *l. fin. C. de accuſ.* Cui inſtituto cauſam dederat publica ſalus. Cùm n. Reipublicæ interſit, ne membra ipſius lædantur; ea verò gravisſima læſio ſit, immerentis & innoxii nomen ad judicem deferre, eumque improbo prorſus conatu gravisſimis deſtinare ſuppliciis, obviam ivere improbo conatui leges, & in impietatem hujuſmodi hominum meritò juſta ſeveritate ſe armarunt, quod etiam in *l. 7. ff. hoc. tit. Vlpianus JCtus* innuit.

IV. Cùm

IV. Cùm tamen, nec id quidem raró, uſu veniret, ut multi errore vel ira ducti ad accuſationem proſilirent, durum videbatur æquali cum cæteris pœna in illos animadvertere, utpote quos nunquam animus habuiſſet lædendi alterum, ſed eam quam ſibi exiſtimabant illatam vindicandi injuriam: & alioquin leges nulla eſſe juberent, quæ per errorem aguntur, *l. 76. l. 111. ff. de R. I. l. 15. ff. de jurisdictione l. 9. ff. de contrahenda emptione* nec ratum vellent quod in calore iracundiæ fit vel dicitur *l. 48. ff. de R. I. cauſ. ſi quis iratus 2. quæſt. 2.* ſatius hic quidem videbatur à crimine & quæ illud excipit, pœnâ, eos liberare, neque locum habere latam in Accuſatores, qui in probatione deficerent, legem, ubi locum legis cauſa non inveniret. Qua ceſſante legem vim amittere plana res eſt *l. 6. §. 2. ff. de jure patronatus cap. Neophytus diſtinct. 61. Albertus Bolognetus de jure lege & æquitate cap. 34. Tiraquell. Tractat. toto de cauſa ceſſante. Duaren. ad tit. ff. de judiciis cap. de variis Judicum præceptis*, modò ſimul ut intellexerint ſe errore lapſos abolitionem petere ne ſuperſedeant; alioquin vel tunc, cùm ſciunt falſam ſubeſſe accuſandi cauſam, nec deſiſtunt, non vitant calumniæ crimen.

V. Quibus ea primis autoribus & cui tempori ortum debeat, id quidem minus in propatulo eſt. Neque enim ab Hiſtoricis remere memoratum eſt, neque exſtant ejus rei in juris noſtri voluminibus certiora veſtigia. Inter eas tamen Conſtitutiones, quas in unum Codicem coegit Imp. Juſtinianus, prima eſt, *Marci Antonii Caracallæ Læto & Cereale Coſſ. Anno ab V. C. 970. à Nato Chriſto Salvatore 216. lata de generali abolitione Conſtitutio.* De ſpeciali prima eſt *Diocletiani & Maximiani Imp.* circa Annum Chriſti 387. Jam tamen antea abolitionem uſu receptam fuiſſe, aliquot Pandectarum leges ex Papiniano deſumptæ oſtendunt, cujus tamen ſcripta, jam ante Caracallam, Severi Imperatoris ætate lucem aſpexiſſe norunt, qui Hiſtoricis credunt, mortem ipſius ſub initio Imperii Caracallæ collocantibus. Quin Domitianum longo ante tempore reſcripto de abolitionibus nonnulla caviſſe, non obſcurè ex *l. 16. ff. ad SC. Turpilianum* colligere eſt, qui ſub 83. vel ut alii 82. à nato Chriſto annum Imperio cum ſumma poteſtate præeſſe cœpit. Imò niſi fallitur Hottomannus in Lexico,

co, qui SC. Turpilianum ad Neronis ævum refert, jam tum non ignotus fuit abolitionis usus, cùm SC. Turpiliani pœnam demum incurrant, qui sine abolitione omiserint accusandi munus *l. 1. ff. h. tit.* Sed probabili quidem argumento Hotomannus & posteà reliqui ferè Lexicographi, nondum tamen certo, ad hæc tempora Senatus Consultum referunt. Ut enim tunc vixerit Sabinius Turpilius Consulari dignitate, nondum tamen consequitur ab eo etiam invenisse nomen SConsultum, quod accipere ab eo potuit, qui causam ejus ferendi dedit ut Macedonianum à Macedone fœneratore *l. 1. ff. ad SC. Macedonianum.* Addo, quòd non facilè Suetonius, quo non alius in recensendis hujusmodi rebus diligentior, id prætermisisset.

VI. Probabile est, eam mox usu introductam post latas in improbos accusatores, eas, quas *th. 3.* memoravimus leges: cùm mox exstitisse, qui errore aut irâ ducti, alios immeritò, sed nulla tamen sua culpa accusarent, in Amplissimâ, qualis Romana fuit, Republicâ, extra ambiguitatis aleam repositum sit. Cæperunt autem priores leges Autore Octavio Augusto *Gellius lib. 14. cap. 2. Valent. Forsterus Hist. juris Romani lib. 1. c. 31. n. 20.* Unde Julia lex *l. 3. ff. de accus.* appellatur. Ante hæc quippe tempora non est observare, vel perinde gravem, vel aliam majoris momenti pœnam, iis, qui innocentem apud judicem detulissent, constitutam fuisse; modò ne ita manifestè calumniaretur accusator, ut reum & judicem ludibrio haberi cuivis satis appareret; id enim non semper inultum tulisse mox dicemus. Neque enim hujusmodi aliquid à Regibus constitutum notare licet, à quibus profectas leges, ex Plutarcho præcipuè & Dyonisio Halycarnassæo *Vir Cl. Valentinus Forsterus Tractatu de Iurisdictione Romana* eleganter recenset: nec ex iis quidem, quæ reliquæ ad nostram ætatem durant 12. tabularum fragmentis, hujusmodi quid apparet. Sed nec aqud Græcos graviorem pœnam accusatori, si falsò accusaret, dictitatam fuisse, ex eorum Historicis fortè liquet. Qui enim de Republica Laconum scripsit, Xenophon, eo libello, nullam hujusmodi inter Lycurgi leges refert: Apud Athenienses autem id impune fuisse, ex Æschinis exemplo liquet, qui instituta contra Ctesiphontem acri accusatione, causa cecidit, nec tamen acerbius quid passus est, nisi quòd invidiam,

quam

quam indè apud populum contraxerat, voluntario exilio declinavit. Ex quorum tamen legibus ad verbum penè descriptæ fuerunt Romanæ 12. tabularum leges, arg. *l. 2. §. 4. de O. I. §. 10. Instit. de jure Nat. gent. & Civili l. fin. ff. finium regundorum* nisi ubi de Magistratibus & sacris, iisque quæ ad publicum Jus pertinebant, in diversum aliquando abeundum fuit. Quibus id præterea accedit, quòd nihil Romæ frequentius quàm sisti coram tribunali, & pro rostris innocentes. Unus id, cùm plures possent, suo exemplo probet M. Portius Cato, quem quamvis nota vitæ integritas facilè ab omni crimine absolveret, quater tamen & quadragies pro se causam dixisse, *Plinius* autor est *lib. 7. cap. 27.* Quod factum fuisse credibile non est, si acrior pœna eorum scelus excepisset, qui ista audebant. Cùm ergò eo tempore nulla esset pœna, quâ Magistratus petulantiam accusatorum reprimeret, nullus erat petendæ abolitionis usus, nulla necessitas, utpote quæ ad declinandam Juliæ legis pœnam introducta demum esset.

VII. Posteriori Urbis instituto lege Memmiâ constitutum nonnihil de calumniatoribus est. Quin ea lex hujusmodi Accusatoris impiam malitiam impressa fronti literâ candenti ferro notabat. Legis mentionem *Vlpianus facit ad SC. Turpilianum*, pœnæ *Cicero pro Sexto Roscio.* Unde jam Ciceronis ætatem præcessisse discere est; quemadmodum etiam Memmiam non Rhemmiam scribendum, ut bene *Duarenus Comment. ff. de calumniat.* & *Iohan Vlricus Zasius Catalogo antiquarum legum* observat, quamvis posterior lectio *Manutio, Cutio, Cujacio, Antonio Augustino, tum Gothofredo* etiam nostro non displiceat. Sed fuisse Legislatori eum solum calumniatorem, qui nullis planè argumentis vel leviter in suspicionem adducere adversarium posset, ex eodem Ciceronis loco liquet, qui Erutio accusatori tum demum minatur, *si sine suspicione latret.* Aliàs enim antea ipse scripserat, *facilè pati Romanos plures Accusatores, quòd innocens, si accusatus sit, absolvi possit.* Quod nec prætermisit observare Autor Dialogi de Oratoribus, qui Tacito subjungi solet: Apud eum enim Messalla, dum incrementa veteris Eloquentiæ circa Ciceronis & Cæsaris ætatem narrat, multum illis ad bene dicendi curam profuisse existimat, jus *potentissimum quemque vexandi, edit. Elzevir p. 784.* Vel tunc ergò nul-

nullus esse potuit abolitioni locus, cùm aliud crimen non esset, quàm sine suspicione in aliquem dicere: Qui v. in insontem dicebant, si suspicionem saltem afferre, quare eum existimarent, sceleris, cujus postulabatur, affinem, ipso jure tuti erant, ut nulla illis abolitione opus esset, quàm calumniatoribus, quales reliqui erant, præter hos accusatores, concedi, & æquitas, & ipsa Memmia lex eo prohibebat, quod eos ad pœnam, ut diximus, vocabat.

VIII. Est ea vel generalis, vel specialis. *Cujac. parat. in Codic. h. l.* Generalis, quam publicam interdum, quòd ad omnes accusationes pertineat, *gloss. h. l.* & specialis, quam privatam, quòd ad singulas spectet, appellant; *l. 8. ff. ad SC. Turpil. Vultejus Iurisp. Rom. lib. 1. cap. 48. num. 23.* Quibus tertiam ab utraque distinctam speciem legalem addunt *l. 10. ff. ad SC. & Treutl. vol. 2. Disp. 31. th. 8. lit. O.* quam tamen cum generali eandem facit *Vultejus d. l.* Et eæ quidem posteriori jure planè inter se conveniunt, quamvis priùs manifesto discrimine à se invicem abfuerint. Quorsum enim acutissimus Papinianus tertiam speciem adjunxisset, si nihil ea notaret à reliquis distinctum. Cujus rei vel id indicium certius est, quod publica ea sit, quæ SCto tribui solet, non à Principe, *l. 22. ff. h. tit.* ex lege autem, quæ à Principe (cujus jussum lex est) conceditur. Senatus n. SCta quidem ac jus *l. non ambigitur 9. ff. de legibus*, nondum tamen leges condere potest. *arg. §. 6. Instit. d. jure Nat.* inter quæ multum interesse vel distinctæ utriusque definitiones docent. Deinceps tamen, ubi major Imperatorum potestas Senatus dignitatem absumpsit, quæ à Senatu alioquin concedebantur abolitiones, à Principibus aliquando tributæ sunt, quod Valentiniani Theodosii Imp. imò jam Diocleriani tempore obtinuisse ex *l. 10. ff. ad SC. Turpil.* cum *l. 5. C. de Episcopali Aud. & l. 2. C. de gen. abolit.* collatione facilè patescit. Ut eo quidem tempore, non nisi duas abolitionis species. Privatam videlicet, & eam quæ ex lege, (hæc enim cum publica & generali tunc idem erat) agnoscere liceat.

IX. Ut decerneretur autem generalis abolitio, dies insignes, publica gratulatio *l. 8. ff. ad SC. Turpil.* res prospere gestæ, *l. 9. ff. eod.* lætitia, vel honor aliquis domus divinæ, vel alia aliqua causa *l. 12. ff. eod.*

sæ-

ſæpe efficiebat. Et feſta proinde ſæpius abolitionis hujus cauſa erant; non tamen omnia: nam & SCto opus erat; & cum Senatus Autoritas alicujus momenti eſſe deſiiſſet, Principis decreto. Alioquin enim priſcis temporibus, poſt Auguſtum ad Conſtantinum uſque Magnum, nunquam non integrum fuiſſet generali abolitione uti ad impetrandam omiſſæ accuſationis veniam, cùm plures anni dies hujusmodi feſta occupaſſe, ex veteri illo Gyraldi Calendario pateat: & abolitionis privatæ uſus & utilitas indè planè nulla fuiſſet. Hujuſmodi ergò præcipuè dies, ad quorum cultum recentior oblati boni memoria vocaret Romanos, decreta abolitione inſignes erant, ut ſi fortè natus eſſet Imperatori filius: Conſtantini enim ævo profuiſſe ad evitandam omiſſæ actionis pœnam, filii Criſpini nativitatem, notat *Gothofredus ad. l. 8. ff. ad SC. & Calvinus Lexico Iuris voce Abolitio.* vel ſi confectum eſſet felici pugna bellum, quod protractum diutius in gravius diſcrimen adducere Rempublicam potuiſſet, vel publica Imperatori decerneretur gratulatio. Neque tamen ſemper ubi exiſterent hujuſmodi cauſæ natam fuiſſe abolitionem generalem, vel publicam, imò vel tunc non niſi raro, Hiſtoricorum ea de re ſilentium evincit. Exſtructa enim Diis templa, ſi feliciter hæc veniſſent, decreta vota, frequentius; abolitionem vix unquam legeris. Tunc ergo demum cùm ad cauſas has accederet Senatus decretum, vel deinceps Principum placitum, publica erat abolitio.

X. Ut crebrior autem hæc deinceps eſſet, pietas Chriſtianorum Imperatorum effecit. Ii enim, ne minus Chriſti Salvatoris contra orcum victoria, quam devictis populi Romani hoſtibus gaudere viderentur, Paſchatos feſto, à carcere & vinclis reos, modò ne ſervi eſſent *l. 16. ff. ad SC. Turpil.* ab accuſandi neceſſitate eorum adverſarios liberarunt *l. 3. C. de Epiſcopali audientia.* ſi eo incidente nondum finita eſſet quæſtio criminalis; niſi tamen nimis grave foret delictum, quod reus admiſiſſe argueretur: Ita namque illum dimittere impunitum, ad ignominiam magis quàm honorem Salvatoris pertinere videbatur: quemadmodum etiam ſi plùs quàm ſemel deliquiſſet. Aſcribam ipſa Valentiniani Theodoſii & Arcadii Imp. qui id quà reliqui certius definiverunt, verba, quamvis prolixiora, cùm maximè ad

propositum faciant: *Ubi primus dies Paschalis extiterit, nullum teneat carcer inclusum, omnium vincula dissolvantur. Sed ab his secernimus eos; à quibus contaminari potiùs gaudia lætitiamq; communem, si dimittantur animadvertimus: quis enim sacrilego diebus sanctis indulgeat? quis adultero vel stupri incestive reo tempore castitatis ignoscet? quis non raptorem virginis in summa quiete & gaudio communi persequatur instantiùs? nullam accipiat vinculorum requiem qui quiescere sepultos quadam sceleris immanitate non sinit: patiatur tormenta veneficus, maleficus, adulter violatorque monetæ, homicida, parricidaq; quod fecit semper exspectet, reus etiam majestatis à domino adversus quem talia molitus est, veniam sperare non debet. His ergò tali sub astrictione damnatis, indultum nostræ serenitatis eo præcepti fine concludimus, ut remissionem veniæ crimina nisi semel commisso non habeant: nec in eos liberalitatis Augustæ referatur humanitas, qui impunitatem veteris admissi non emendationis potius quà consuetudini deputaverint.*

XI. Non tamen hæc Imp. Constitutio integram reo impunitatem, sed à vinculis & delicti pœna eo tempore requiem concedebat, ceu *Gothofredus* etiam *in notis lit. x.* observas. Plus enim semper generalis abolitio accusatori elargitur, quàm reo. In hujus namque arbitrio est, utrùm accusator, in illius non item utrùm reus ultra esse velit. Perpetuam autem secum abolitionem trahebat festum, ex ipsa quam memoravimus, lege, ut non opus esset, ceu alioquin in generali abolitione peculiari pro ea decernenda in singulos annos constitutione. Quomodo ea etiam se habet, quæ morte vel accusatoris vel rei fit *l. 15. ff. ad SC.* §. *5. & 4.* In mortuum enim, nisi is sit læsæ Majestatis reus *l. 6. C. ad leg. Iuliam. Majest.* aut hæreticus *l. 4.* §. *4. de hæreticis & Manichæis. gloss. in l. 1. si reus vel accus. mortuus fuerit. l. 3. ff. de publicis judiciis* nihil sibi arrogant leges *l. ult. ff. ad l. Iuliam. Majest. Bachov. ad Treutl. in vol. 2. parte post. Disp. 31. th. ult. lit. d.* Non potest ergo isto casu non consequi actor remissionem accusandi necessitatis, cùm in eum, qui fuerat antea reus, nullum ultra sit legibus vel judici imperium. Quòd si accusator vitam cum morte mutet, cum vitâ & vinculum illud quo astringebatur hactenus accusare reum, perire, omnibus patet *l. 3. C. si reus vel accus. mortuus fuerit.*

XII.

XII. Sunt qui insuper abolitionem aliam criminis, aliam accusationis faciant. Quos inter haud scio an familiam ducat *Tholosanus Syntagm. lib. 32. cap. 13. n. 4.* quem sequitur *Perez. Exposit. in Codicem h. l. n. 2.* & *Calvinus in Lexico voce Abolitio.* Qui in eo quidem largiter peccant, quod cùm multa crimen significet, quo sensu illud usurpent indicare omittunt. Si n. crimen idem ipsis significat, quod accusatio, (ita namque Ulpianus ea voce utitur *in l. 7. ff. de accus. & Iustinianus in princ. Instit. de suspect. tut.*) nullum locum habet distinctio, inter ea quæ re conveniant: Sin crimen volunt ipsam malitiosam actionem, qua mali aliquid perpetratur, crimen mox exspirabit, ut proinde ad id tollendum abolitione opus non sit: Sin crimen ipsis idem est cum obligatione ad pœnam ex actione malâ ortâ, eam quidem per abolitionem tolli, nec cum legibus nostris conveniens, nec ex publica utilitate est, sed ne suspendi quidem poterit, cùm continuæ sint obligationes, nec ita comparatæ, ut interrumpi aliquando salvâ essentia possint *qui res § aream. ff. de solut.* Quòd si quædam erit hujusmodi abolitio, quæ extinguat crimen, nulli ampliùs integrum erit accusare reum de eo quidem delicto, quod sublatum penitus sit. At verò nec publica nec privata abolitio eam reo immunitatem concedunt, *l. 11. §. fin. ff. de Accus. & Inscript.* ubi exsertè Macer. *eum qui abolitione publica vel privata interveniente &c. de reis exemptus est alius deferre non prohibetur:* plures autem species, postquam legalis cum publica eadem facta est, non agnoscit jus nostrum: adeoque nec publica nec privata nec ulla adeò abolitio crimen extinguit. Melius aliquanto Duarenus in iis quæ *ad tit. ff. ad SC. Turpil.* notat, *abolitio, inquit, non est indulgentia & condonatio criminis.* Potuit eos fortè, quos dissentientes habemus, inducere in errorem, quòd postrema *tit. verba ff. ad SC. Turpil.* de abolitione criminum inscripta sint. Sed crimen aliquando notare accusationem ex Ulpiano & Institut. planum fecimus, nec aliam esse rubricæ (ut vocant) mentem, subjectæ leges ostendunt, inprimis *l. 1. §. 9.* ubi pro accusatione crimen inferri dicitur. neque aliter etiam Duarenus in Inscriptione criminis vocabulum accipit.

XIII. Ad personas nunc sine quibus abolitio nulla est *arg. §. fin.*

Instit. de jure Nat. &c. cap. forum. de V.S. pergimus. Sunt autem nonnullæ quæ concedunt, quædam quæ impetrant eam *l. 2. C. h. tit.* Et impetrant quidem Accusatores, concedunt Judices. Neque tamen continuò omnes. Id ergò operæ pretium erit, inquirere quorum id præcipuè muneris sit. Cùm autem accusationis remissio &c. sit abolitio, id facilè patet, eam impetrari ab alio non posse, quàm cui cognoscendi & decernendi, ac quidem circa criminalia, jus sit. Ii autem sunt, qui merum imperium sive in facinorosos animadvertendi facultatem lege concessam habent. *l. 1. ff. de offic. ejus. cui mand. est Iurisdictio.* Hi enim cùm condemnare possint, absolvere etiam, si legitima adsit causa, poterunt, *l. 37. ff. de R. I.*

XIV. De delegatis nonnihil controversa res videtur. Idferiori enim magistratui licitum esse negat Papinianus, ut facultatem cognoscendi de iis, quæ ex mero Imperio fluunt, alteri concedat, nisi fortè, propter absentiam, in judicio de vi publica, ob evideus Reipuplicæ, si id negligeretur, detrimentum, dicta *l. 1. ff. de offic. ejus.* Inferiores autem magistratus principalis dignitatis respectu voco. Unde nec ad hujusmodi delegatos abolitionis concedendæ facultas spectat, quibus leges negant facultatem recipiendi accusationes. Lege enim hæc iis competunt, non magistratus jure. Sed nec deest sua Constitutioni ratio. Ubi enim merum Imperium exercetur, non de asini umbra sed capite plerumque, fama interdum ac fortunis hominum agitur. vid. *Dn Carpz. præfat. Practicæ Criminali* præfixam: Præcipua erga morum integritate eminere oportet ibi qui jus dicunt: At verò hujusmodi præ aliis esse eos, quibus Principes hanc lege detulerunt potestatem præsumunt legumlatores, unde ad alios transferri hanc potestatem nolunt. De Principis delegato non paulò aliter res se habere videtur. Eum certè nulla lex vel divina, vel naturalis, vel gentium, prohibet delegare merum Imperium. Altius autem est fastigium illud, quàm ut civilibus legibus se submittat, *l. 31. ff. de legibus SC. & longa Consuet.* Tum ratio quòque illa penitus hîc cessat quam suprà retulimus. Cùm enim Princeps Magistratus ordinarios vel eligat ipse, vel certè confirmet, qua ratione, quam in iis observat, sive vitæ sive morum integritatem, in his negligat. Certè Imperatoribus antiquis eam planè transscribit quartum

tum legis Regiæ caput, quo libera ipsis est facultas, quamcunque potestatem in judicem transferre. Verba ita habent: *Utique quos magistratum, potestatem, imperium, curationemve, cujus rei pendentes Senatui populoq́ Romano commendaverit, quibusve suffragationem suam dederit* &c. *extra ordinem ratio habeatur*. Et, cùm alioquin de capite civis Romani, per quæstores parricidii, qui delegati & extraordinarii judices erant, statueret populus Romanus: id enim *Festus quodam loco* tradit & *Pomponius in l. 2. de O. I. Rosin. lib. 7. cap. 37. Wesemb. paratit. de Accusat. n. 8. lit. e. & f.* ejus autem potestas omnis, hac ipsâ lege, in Imperatorem transierit §. *6. Instit. de jure Nat. G. & C. l. 1. ff. de constit. princ.* non potest, quod populo licuit, Imperatori non licere.

XV. At verò arbitris sive compromissariis judicibus nullæ dandæ sunt in concedenda abolitione partes. Eorum enim judicium cum civilibus causis terminatur, *l. 32.* §. *Aulianus ff. de receptis qui arbit. in se receperunt. cap. causa extra de restit. in integ. Gilhausen Arboris Iudiciariæ criminalis cap. 1. part. 3.* §. *3. n. 14.* in quibus abolitionis petitio nunquam locum habet, ex definitione ejus & *tot. tit. ff. ad SC. Turpil.* Cùm certi esse debeant de jure suo, qui civiliter agunt, *utpote in quorum potestate sit, quando velint experiri, & antea debeant explorare rem diligenter, & tunc ad agendum procedere l. 41. ff. d. R. I.* quod tamen non adeò in potestate nostra situm, ubi ad vindictam criminaliter agimus: ibi enim dolor & ira animi judicium impediunt. Sed & alioquin pacto privatorum Jurisdictio nulla datur, *l. privat. C. de Iurisdict. omnium Iudicum, Gæddeus ad l. 3. de V. S. n. 44. 45.* multo minus ergò merum Imperium, quo sine expediri abolitio nequit. Sin verò fortè usu veniat, ut iis, in quos errore compromissum est, potestatem faciat. Princeps de criminali causa cognoscendi, ne tum quidem ut compromissarii, sed ut delegati Imperium exercent.

XVI. Apud Romanos, cùm in Provincia penes Præsidem & Procoss. solos, in urbe penes præfectum ejus recipiendi accusationes facultas esset, (Prætores enim quæstionum publicarum à Sylla constitutos, jam desiisse, natâ demum Augusti tempore, vel circiter, abolitione, ac multo ante hos quæstores Parricidii liquet) penes eos etiam solos, consequens est, fuisse arbitrium concedendæ abolitionis; Princeps

enim eam à se postulari vetat, ac postulantes ad competentes judices remittit *l. 2. C. h. tit.* qui alii, quàm ii quos diximus, tum quidem fuerunt nulli. Neque enim cognoscebat vel judicabat facilè Princeps de criminibus. Quod eo faciebat ne pœnas infligere subditis necesse haberet, solenni arcano, ut cùm præmiorum solùm arbiter esset, pœnas autem infligeret nullas, benignitatis laudem nullâ crudelitatis macula fœdaret, sed subditorum benevolentiam retineret. Quod suo etiam ævo Galliæ Regibus observatum *Bodinus Meth. Hist. cap. 6.* autor est. Nostris moribus, cùm, ut expeditiùs animadverti in sceleratos possit, non valde multi sint nisi cum omnimoda Jurisdictione magistratus, ab omnibus, quibus hæc concessa est, si usus exigat, & accusatio apud illos instituta sit, *l. 16. C. ad l. Iul. de adult. l. 15. ff. de jure fisci* peti abolitionem posse in expedito est. Nondum enim obliteratam vetustate abolitionem, sed superstitem adhuc sui usum nobis reliquisse, quamvis eam ferè silentio Practici involvant, infrà probandi locus erit.

XVII. Et hi quidem sunt, à quibus peti abolitio solet, eam autem petit, idem, qui accusavit antè. Neque enim ab accusatione, quemadmodum ab actione civili, discedere integrum est, ubi lite etiã contestata intercedens transactio judicium, aliquando tollit *l. 1. l. 16. ff. de transact.* Nec enim est ex usu Reipublicœ dividi in mutuas lites & odia deinceps subditos. Aliter autem in delictis ac criminibus res se habet, quæ impunita manere è detrimento est Reipublicæ *l. 18. §. 4 ff. ubi quis agere vel convenire l. ita vulneratus §. 2. ff. ad l. Aquiliam l. 34. in princ. ff. deposit. Bart. in l. quemad. C. de agric. Oldendorpius class. 7. Progymnasm. in princ.* Præterquam enim quòd ipsum crimen multum turpitudinis in se habeat, & ut plurimùm nulla vel exigua spes emendationis reliqua sit, impunitatis exemplo ad sceleris similitudinem alios invitat; *cap. ut fama apud Greg. de sent. excomm.* Id ne fiat, inducta abolitio tergiversationi, sive temerariæ accusationis desertioni locum nullum relinquit. Quæ si in usu esset, in actoris arbitrio foret, in detrimentum Reipublicæ, impunitate delicti donare reum, qui nihil antiquius haberet, quàm ejus Misericordiam, vel prece vel pretio sollicitare, quod non cum utilitate solùm publicâ, sed etiam cum *l. 27 ff. de R. I. l. 7. ff. de pactis §. & general. l. 6. C. eod. l. 5. C. de legibus & Constit. Principum*

mani-

manifestè pugnat. Sed etiam, si reo in vitæ Innocentia præsidium sit, & accusator contra eum criminali actione, nec errore nec ira ductus, expertus sit, ejus malitiam legibus debere pœnam æquum est, *l. 8. & penult. C. de Calumniat.* Duplex enim ipsius est & grave delictum, in Rempublicam alterum, cujus civem vel tollere omnino quærit, si capitalis delicti reum agat, vel deteriorem reddere, si istiusmodi actionem intentet, quæ infamiâ victum notet: In ipsum reum alterum, cui minus etiam quàm Reipublicæ parcit *vid. Chopii Phil. Iuris veram lib. 3. c. 4.* Ne ergo vel reus vel actor delicti impunitare publico noceat, dum accusatorem ad abolitionis petitionem leges cogunt, eleganti ratione prohibent. *Perez. expos. Codicis h. l. Bachovius. ad Treutl. vol. 2. parte post. Disp. XXXI. th. ult. lit. g.*

XVIII. Non concedit has soli accusatori partes *Petrus G. Tholosanus* sed reum ei adjungit, cui non minus integrum esse existimat petendæ abolitionis jus. *Privatam enim abolitionem ex parte ejus contingere.* scribit, quæ non conceditur nisi ejus petitio, cui contingit, præcedat, arg. *l. 2. C. h. tit.* quem sequitur *Calvinus in Lexico Iuris Voce Abolitio.* Sed animadversum veri errorem jam antè castigavit *P. Theodorici Ienensis Academiæ Antecessor & Collegii Criminalis autor.* In Jure certè nostro nullibi ea facultas reo ascribitur. Et est alioquin abolitio, necessitatis accusandi remissio, ante definitivam sententiam: quam reo petere, utpote qui accusatori planè oppositus sit, ne possibile quidem est. Tum id quoque non satis congruum est, (quod dici fortè pro Tholosano possit,) reum, in eadem accusatione, interdum derelicto rei loco, sumere sibi accusatoris partes, ac vel tunc consequi negatam antea petendæ abolitionis facultatem. Quanquam enim, si nihil probaverit actor, ejusque malitiam rei innocentia perspicuis indiciis evicta arguat, ille, qui fuit antea reus, plerumque incipiat esse accusator, ceu patet ex *tit. 12. Const. Carolinæ Carpzov. practica crim. part. 3. quæst. 106. n. 44.* alia tamen hæc est à priori & diversa penitus accusatio, sed hujusmodi tamen cui causam dederit anterior illa. Quòd si maximè una foret cum priori, is tamen, qui antea reus fuit, impetrare abolitionem non poterit: id enim fieri vetat manifesta prioris accusatoris calumnia *l. 9. C. de calumn.* Nec, si vel petendæ abolitionis jus ei esse concedamus,

mus, ut reo, ſed ut actori id competeret. Ut nullo planè effugio ſe liberare hic Tholoſanus poſſit.

XIX. Fortè ita ſentit Petrus Gregorius, Fieri poſſe, ut exacto biennio à tempore litis conteſtatæ, quod tempus, cùm annus antea eſſet, quæſtionibus criminalibus finiendis Imp. Juſtinianus aſſignavit *l. ult. C. ut intra tempus &c.*) jus accuſandi amiſerit adverſarius; vel ibi ergo licitum eſſe reo abolitionem petere. Nihilo magis tamen obtrudi nobis patimur alienam à jure noſtro ſententiam. Cùm enim ipſo jure, elapſo hoc tempore, deſinat eſſe accuſator, quod illa fin. l. tit. ſup. verba *accuſationem nullâ occaſione ad ampliora producendam tempora, poſt biennii exceſſum minimè ulteriùs durante lite*, & rurſus, *intra duos annos à conteſtatione litis omni modo finiri cenſemus*, manifeſtè volunt: Id quoque conſequens ex relatorum natura eſt, reum ipſo jure deſinere eſſe talem, adeóque ad eum liberandum nec exceptione oppoſita, nec abolitione impetrata opus eſſe. Prohibet enim credere, in accuſatoris vicem ſuccedere inquiſitionem publicam, quod mox ſubſequitur, *non durante ulterius lite accuſatum abſolvendum eſſe.* Quæ, ſi vel maximè ſuppleret prioris accuſatoris vices, ne tunc quidem reus facultatem haberet petendi ſe ab obſervatione iudicii abſolvi, Dn. Vultejus *I. R. lib. 2. cap. 30. n. 7.*

XX. Accedunt Superioribus verba *l. 2. C. eod. tit.* quæ intra ſtatuti temporis metas poſcendam abolitionem, ita innuunt, ut manifeſtius nequeant. Statutum autem illud tempus ut *toto tit.* apparet, biennium eſt. Neque tamen plus effecerit Tholoſanus, ſi hæc, quæ falſa eſſe probavi antea, concederem ferè omnia, petat enim, exacto hoc tempore, reus, liberari ſe ab accuſatione. An hoc eſt petere abolitionem? Irritam pronuntiari actionem criminalem petit, non ita irritam, ut ſimul propter calorem vel errorem abſolvatur accuſator, quod abolitio tamen requirit. Non deſunt quidem in Pandectis leges, ubi abolitionis reorum mentio fiat, & advocat in cauſæ ſubſidium Tholoſanus *l. 33. ff. de pœnis.* Sed liberatiio, quæ abolitionis effectus, vel conſequens, ſi propriè loquamur, eſt, illis, id loci, improprio ac metonymico vocabuli uſu eſt abolitio. Quomodo non accipere abolitionis vocabulum P. Greg. indicio eſt tradita ab eo definitio. Et vel ita acceptam abolitionem non

tamen

tamen petit cum fructu reus, quod propriè petere est *arg. l. cedere ff. de V. S.* utpote, quæ non ob rei petitionem, sed ferias, natalem filii Principis *l. 10. ad SC. Turpil.* concedi soleat. Unum si casum Paulo *l. 3. ff. de accus.* memoratum propter rationis specialitatem excipias.

XXI. Ad Accusatorem ergo revocabimus calamum, qui tum demum ritè petit abolitionem, si præsentes sint partes *l. 2. C. h. tit.* Ita enim & facilius reo de causa accusandi, ejusque probatione, quæ se præsente fit, constare potest, ut eam vel probare consensu suo, vel contrariis indiciis evertere possit. Sed & judici multum in eo ad sententiam bene ferendam subsidii esse liqnet, qui ex mutua illa partium collisione legitimam accusandi causam à malitia faciliùs distinguere poterit. Negotiorum merita namque partium asseveratione panduntur *l. fin. C. si per vim vel alio modo absentis.* Ut prætermittam quòd ita tam actor quàm reus præsentem Magistratum, futurum, si fallant, vindicem, ejusque insignia, vident, ac reverentur, in quo plurimum momenti Ulpianus reponit *l. 1. ff. de postulando* §. 5. Si tamen contumacia rei præsentiam utriusque partis impediat, eadem hic causa quæ in aliis judiciis, idem jus efficit, ut videlicet vel absente illo decerni abolitio possit arg. eorum quæ *Mynsinger Cent. 4. observ. pract. 66. &* Wesemb. *ff. de Accus. obs. 13.* annotant.

XXII. Ejus autem petitionem, tantum non semper, pactum quoddam inter ipsas partes antevertit: Quinimo plerumque, nisi id præcedat, frustra de ejus impetratione laboret actor, puta si Carceres, tormenta, verbera, sustinuerit reus *l. 3. C. h. tit.* Sed neque tamen si abfuerint illa pro arbitrio ei jus est petendæ abolitionis. Quin si triginta dierum interfallum à delata accusatione præterfluere passus sit, laterem lavet, id si tentaverit sine rei consensu *dicta l. 2. Perez. parte altera expos. Codicis h. l. n. 4.* Neque tamen efficere ii possunt, ut ratum mox & firmum sit, in quod consensere pactum, sola ipsorum voluntate. Judicis enim munus id est, ut ei robur addat. Qui dum abolitionem decernit, pactum hoc quasi tacitè confirmat, eique quas à mutuo consensu non acceperat, sua autoritate addit vires. Ante tamen quam confirmet, de pacto hoc diligenter cognoscit Judex, cui, si causam dedisse, vel oblatum à reo aut actore pretium, vel aliud quid, quod esse queat in fraudem

legis, & quo legitimis suppliciis nocentes eripiantur, animadvertit, *redempta miserationis vocem minimè admittit.* Quemadmodum etiam pactum illud planè repudiat, si ingenuorum, licèt plebejorum, qui conscii & participes criminum non erant, testimonii gratia, corpora, fuerint lacerata verberibus, ac tormentis vexata *l. 3. C. h. tit.*

XXIII. Non bene tamen iis quæ scripsimus de pacto cum *l. 18. C. de transactionibus* convenire videtur. Sive enim receptam lectionem, sive ab Hotomanni Galli JCti audaci sane manu profectam correctionem, admittamus, perinde manifesta fronte pugnare cum iis videntur. Rescribit videlicet Diocletianus, & cum eo Maximianus *Transigere vel pacisci de crimine capitali, excepto adulterio, prohibitum non est, in aliis autem publicis criminibus, quæ sanguinis pœnam non ingerunt, transigere non licet, citra falsi accusationem.* Ita enim hactenus legunt JCti, præter Hotomannum, omnes, qui negativam ad capitalia crimina transfert, ut sit, *Transigere vel pacisci de crimine non capitali, excepto adulterio, prohibitum non est. In aliis autem publicis criminibus, quæ sanguinis pœnam ingerunt, transigere non licet, citra falsi accusationem illust. quæst. 23. Anton. Matthæi Coll. Cod. disp. 2. th. 3.* Abolitionis ergo petitio cùm locum tam in accusatione criminis capitalis *l. 30. ad l. Iuliam de adult.* quàm alterius delicti *l. 2. C. de abol.* habeat, eamque præcedere pactum penitus persuasum habeamus, utram probemus lectionem, eadem videri potest restare difficultas. Sed Hotomannianæ quidem spuriæ ac ineptæ lectionis mox indicium dabunt adductæ in contrarium leges. Id enim si effecerimus planum, simul ostendemus, pactum hujusmodi esse in capitali causa licitũ, cùm id exsertè velint legis verba, tum illud deinceps quoq; evincemus, ex recepta legis lectione minus nihilo contra nos effici posse.

XXIV. Et poterat quidem Hotomanno in refutationem satis esse, quòd nulla Codicis editio, nullus Msſ. Codex nobis obtrusam probet lectionem. Eam autem nullius pretii existimamus, cui leves conjecturæ fidem quærunt. Certè à variis lectionibus & ambiguitatibus nulla nobis sarta ac tecta relinqueretur Juris pars, si ubique propter hujusmodi causas correctoriam afferre manum integrum foret, ut bene aliquando observat *Hilliger. Donello enucleato* Æquum erat, memoriâ repetere eum, quæ quondam in *l. 12. §. 1. ff. qui & à quibus*

manu-

manumissi liberi non fiunt notavit Ulpianus. Duram quidem sibi videri legem, esse tamen ita scriptam. Sed vel absq; hac temeritate esset, si unus vel alter enim Codex serviret Hotomanniano proposito, errorem tamen ostenderet, *l. 1. ff. de bonis eorum &c.* ubi Ulpianus *In capitalibus criminibus à principibus decretũ est non nocere ei qui adversarium corrupit. Sed in his demum quæ pœnã mortis continent, nam ignoscendum censuerunt ei qui sanguinem suum qualitercunq; redemptum voluit*, quibus gemina ferè sunt quæ in *l. fin. ff. de prævar.* leguntur ejusdem Ulpiani verba. Accedit Codicum planè omnium consensus, qui contrariam lectionẽ probare vel solus sufficit, ut mirum non sit, si Hotomannus, ex eruditioribus JCtis assertorem invenerit planè neminem.

XXV. Id saltem non perinde clarum videtur; cùm receptæ lectioni calculum apponamus, & vel sic tamen in vetitis sit transigere de publicis criminibus, quæ capitis pœnam non ingerunt, quomodo non cum eo dissentiant superiora, quæ pactum non probant solùm sed requirunt etiam. At verò hic scrupulus facilè eximetur, si multum discriminis inter transactionem & pactum interesse ostendamus, quamvis ea confundi aliquando, ubi minus accuratè loquuntur JCti, observarint alii. Est videlicet transactio contractus non gratuitus, unde litis remissio, quæ hoc modo fit, non fit nisi aliquo dato vel retento *Wesemb. parat. de transf. n. 2. lit. f. Harmenop. Græc. Interp. 96. Treutl. Vol. 1. Disp. 7. th. 1. lit. e.* Ita n. hæc ipsi legum autores Diocleт. & Maximianus *in l. 38. C. eod. tit.* interpretantur. Ab hac autem pactum, sive pactio, quæ gratuita est, nec pretium admittit, *l. 1. ff. de transf. Wesemb. paratitlis de pactis. n. 3.* alia planè est. Ut proinde cùm transigere de criminibus publicis, sanguinis pœnam non ingerentibus, vetamur, pacisci de iisdem nequaquam prohibeamur.

XXVI. Habet tamen contraria nostræ menti sententia, Patronos Viros *Cl. Hugonem Donellum, ad l. transigere n. 19. Antonium Matthæum, Collegio Codicis Disp. 2. th. 11.* &, si huic credere licet, etiam *DelRium ad dict. l. transf. n. 135.* omnia alia potiùs quàm non prohibitã circa publica crimina minora pactionẽ concedunt. Minus tamẽ ei est in rationibus, plus in tantorũ virorum autoritate præsidii. Neq; enim ex *l. Titia 135. §. item. ff. de Verborum Obl.* aliquis facilè effecerit, quod tamen indè

deducit Matthæi, in sequentibus semper intelligi repetita quæ in antecedentibus dicta sunt. Cùm enim aliàs infirmum, ne dicam ineptum sit, à stipulatione deductum ad leges argumentum; ne in stipulatione quidem id perpetuum esse, vox plerumque, quæ in hac ipsa §. habetur, evincit. Quòd si id tamen indè consequeretur, næ vereor, ut malè causæ suæ consuluerit Matthæus, utpote qui parùm animadverterit, pro contraria parte stare, quod ipse objicit, argumentū. Scripsit nimirum Imperator, pacisci de crimine capitali licere; id circa crimina non capitalia, repetatur: efficiemus, & ibi pacisci licere, quo certè nihil magis pugnat cum illius sententia. Quam præterea urget *l. 1. Ad SC. Turpil.* §. *9. Si quis.* tum demum aliquid contra nos inferret, si tantas pacto asscriberemus vires, ut vel citra abolitionem licentiam ab accusatione discedendi accusatori concedat, cujus tamen contrarium *Wesemb. Parat. de transact. n. 5.* autorem secuti, jam antea *th. 22.* asseruimus.

XXVII. Sed nec quas deinceps in medium producit Pauli JCti sententiis *lib. 1. sent. Sent 1.* credimus, prohibita transactione prohibitam intelligi actionem, notatusque jam ante erat, quàm hæc scriberet noster, Cujacius, qui prior hoc argumento *in l. 8. ff. de transact.* usus est, *à Gæddeo Comment. ad l. 2. ff. de V. S. n. 13.* Et certè ei libro autoritatem juris amplius tribui vetat *Imp. Iustinianus de Confirm. ff.* §. *19. &* §. *5. Constit. de ratione docendi jus.* Ibi enim in nullo amplius certamine, ubi leges necessariæ, recitari, vel hunc vel alterius antiqui JCti librum admittit. Ut taceam deesse in antiquis libris omnibus hanc sententiam, quam primus restituit Cujacius, quod vir summus, qui eum Commentario auxit, non dissimulat, *tit. 1. sent. 1.* Potuit tamen eo tempore quo Paulus vixit, parùm discriminis esse inter pactum & transactionem. Inter ejus enim ætatem, & Diocletiani Imperium, qui primus ad transactionem necessariò requirere videtur, ut non sit gratuita, amplius quàm longævi hominis ætas interest. Antea enim gratuitam quoque fuisse transactionem, tum ex Cyrilli supplicibus literis, (more in Imperatorum rescriptis usitato) excerpta verba in *l. 34. C. de transact.* ostendunt, ubi etiam pro donatione, is, transactionem usurpat. Cujus rei & id præterea argumentum est, quod

quod in transactionis materia, pretii nullam mentionem faciunt Ulpianus, & reliqui JCti, qui ætatem Diocletiani antecesserunt. Quicquid sit, cùm nullo loco pacisci de hujusmodi crimine prohibitū sit, quin in *l. 2. C. de abolit.* id necessarium etiam habitum, nulla est quare aliter statuamus causa. Præsertim cùm improbabile admodum sit, in re tanti momenti. Imp. non scripta pro scriptis haberi, & unius voculæ detractatione JCtis crucem figere voluisse? Accedit quòd benigniùs interpretandæ sint leges, ut voluntas earum conservetur *l. 18. ff. de legibus SC.* & restringenda sint, ut Canonistæ loquuntur, odia, ac ampliandi favores *cap. odia. 15. de R. I. in 6to.* quorum utrumque ita interpretando consequimur.

XXVIII. Unum adhuc est, quod objici nobis ex hac lege possit. Nulla videlicet legitima impetratur abolitio, si pecunia se patiatur ab accusatione adduci actor *l. 6. ff. ad l. Iuliā de repet. l. 2. C. h. tit. th. 20. circa fin.* & tamen transigere licet de crimine capitali. Nimirum nullum propterea quod transegerit, incurrit crimen falsi, vel pœnam SC. Turpiliani, sive reus, sive actor, in criminibus hujusmodi majoribus. Ignoscendum enim ei est, qui sanguinem suum qualitercunque redemptum cupit *l. 1. ff. de bonis eorum qui ante sent.* Licitam ergo esse transactionem nihil aliud notat, quàm nullam propterea exspectandam esse pœnam; Cur enim pœnam mereatur quod legitimè factum est? *l. 4. Grachus C. Ad. l. Iuliam de adult.* non etiam eo pertinet ut sufficiat ad tollendam actionem hujusmodi transactio *Gloss. ad. l. 2. C. de abol.* Quanquam enim eo animo semper fortè fiat à transigentibus, si tamen judici constet de eâ, ac interveniente pretio, nunquam decernitur, redemptam enim miserationem aspernantur leges, nisi quis suam suorumque injuriam prosequatur: hic enim nullo modo abolitionem petere prohibetur. *l. 2. C. h. tit.* si non impediant, quæ in *l. 3.* recensentur. Hoc enim verba *l. 2.* volunt, non illud, quasi etiam calumniatoribus, si suam suorumque injuriam prosecuti sint, integrum sit eam impetrare, ut *gloss. h. l.* cui sententiæ non cum ratione meliùs, quàm cum tot legibus, quibus in calumniatores severè animadvertitur, convenit, *tot. tit. ff. & C de Calumniat. l. 3. h. tit.* Sin autem præcedente transactione

nec impetrata abolitione, desistat ab accusatione actor, punitur quidem uterque, non tamen transactio pœnæ causa est, sed in accusatore quidem violatio legis de petenda abolitione, in reo sceleris admissio.

XXIX. Et hæc quidem de pacto inter ipsos litigantes, quod si non semper, plerumque saltem abolitionis petitionem præcedit, & præcedere omninò nisi in excepto casu debet; ut ex iis quæ scripta superius sunt & *l. 18. ff. ad SC. Turpil. c. 2. C. de abol.* patet. Ad ea hinc imus quæ apud judicem efficere id possunt & solent, ut ne frustra sit petitio. is n. ne impune ferant turbatam reorum quietem Calumniatores, & qui vexandi adversarium animo accusaverint, sedula æstimatione cœptæ accusationis causas exigit. Inter eas autem causas, quæ à calumniæ crimine liberant, præcipuè habet, si error vel ita causam accusationi dederit, si in judicium aliquis cognatos deduxerit, si quis suæ vel suorum injuriæ gratia accusationem cœperit *l. 2. C. h. tit.* Et est quidem manifesta hac in parte legum nostrarum æquitas. Ut enim aliquis calumnietur, animus calumniandi requiritur *l. 1. §. 3. Ad SC. Turpil. l. 1. §. 3. ff. de calumn. l. 3. §. 1. ff. de injuriis & famosis libellis.* qui in errante hercle locum non habet *arg. l. Sed hæc ita 20. ff. de aq. vel aqua pluv. arcenda l. consensisse. 2. ff. de judiciis. l. sed & si quis 4. §. 5. ff. si quis cautio jud.* Ut nec in irato *l. 48. ff. de Reg. Iuris. & Papinianus l. 1. ff. ad SC. Turpil. §. 5. Aristoteles lib. 7. cap. 6.* sive is virilis jam ævi attigerit metam, sive adolescens adhuc ætas eo progredi nondum permiserit. De quo vis n. irato accipienda esse verba nihil causæ est quare dubitemus? Ut planè hic lapsus sit *Cujacius Parat. in Codicem h. l.* qui ad calorem adolescentiæ restringit, à Symmacho in errorem deductus, qui *ult. Epist. lib. 1.* accusatorem abolitionem petere, per causam incautæ adolescentiæ, scripserat. Qui tamen si adolescens revera fuit. h. e. viginti quinque annis minor *arg. l. non aliter ff. de legat. 3tio. Calvinus in Lex. voce Adolescens.* ipso jure à pœna SC. Turpiliani excusabatur, ut superfluum fuerit abolitionem petere, ac allegare in excusationis causam calorem juvenilem. Ita n. in *l. 1. §. 10. Ad SC. Turpil. Marcianus*, omnes, excepta muliere & minore, nisi abolitionem petierint in hoc SC. incidere. Ab ira a. probè discernendum est odium, hoc n. cùm temporis longinquitas corrigere meritò debuerit, pœnam, illud veniam impetrat.

XXX.

XXX. Nec obscura quidem ejus legis causa est, cujus beneficio per abolitionem veniam accusationis consequuntur, qui cognatum in judicium deduxerunt. Est n. id quadam quasi naturæ lege cautum, ut mutuis subsidiis contra adversa quæ vis se instruant, quos propinquior sanguis jungit. Unde nec inviti in se testimonium dicunt *l. 4. ff. de test. vel prob.* Eam ne violet civilis ratio, cui leges nostræ originem debent, pensi præcipuè habet. *Inst. de legit. agn. tut.* §. *3. & de jure Nat. Gent.* §. *11.* Violaret autem, si cogeret, accusationem persequendo, ire in pernitiem ejus, cujus curare debebat salutem. Accedit quòd & aliunde sine crimine actionem persequi, præsertim graviorem, nequeat cognatus. In communem enim generis autorem peccat, dum ab eo ortũ, sive infamiæ sive supplicio destinat: ad hujus namque injuriam & infelicitatem ista pertinere notat *Aristoteles Eth. 1* ubi contra Solonem disputat, & integro *cap. 11.* probat. At verò adigere aliquem ut injusta agat, legibus nostris ignotum, addo, & barbarum est. Tum vel id impetrandæ abolitionis facultatem ipsi faciat, quòd ira incertum fecerit animi judicium, quam inter cognatos plerumq; esse judicii hujus causam extra dubitationis aleam positum est. Ut omnino hujus facta à lege præsumptio, accusatori liberam discedendi ab actione facultatem, petita abolitione, faciat. Quæ id præterea juvat, quòd prohibitum alioquin sit, petere probationes contra reum ex domo ipsius, & expedire contra ipsum domestica arma, quod hic tamen, si facultas hæc abesset, planè fieret.

XXXI. Tres priores legitimas petendæ abolitionis causas, excipiat quarta: si suam suorumque injuriam prosequatur. Qui autem dicantur sui, quæstioni primùm, dein certamini etiam occasionem dedit. In eo tamen, qui aliàs dissentiunt, planè conveniunt, quòd ad plures hîc pertineat vocabulum, quàm ubi de suis hæredibus dicitur. Ibi enim cum descendentibus iis, qui per virilem sexum descendunt, finitur, *Cajus lib. 2. tit. 8.* §. *1.* imò ne descendentes quidem omnes complectitur, sed eos solùm, qui in potestate defuncti, dum viveret, & gradu proximi fuerunt, exclusis tantisper remotioribus, *Instit. de hæred. quæ. ab Intest.* §. *2.* At glossa, quam in eo quidem plerique sequuntur omnes, qui testimonium in alterum inviti non dicunt, quos *lib. 4. ff. de testibus* enumerat, suos hic esse autumat: quales tamen dum omnes conjunctos ad septimũ usq; gradum

es-

esse existimat, non leviter impingit, cum nulla lex eos vel ad quartum usque gradum extendat. *Gul. de Suza*, *quem Salycetus ad l. 5. C. ad SC. Turpil.* autorem nominat, suorum appellatione eos comprehendit, pro quibus quis sine mandato experiri potest: quos in *l. 35. ff. de proc.* retulit Ulpianus. Innocentius, ex eadem *l. 35. & l. 1. §. fin. ff. de postulando*, melius aliquando quàm cæteri, quinam sui sint, efficit. Cui ego quidem omnino assentior, modò pupillum ac furiosum extraneos excipias, eos n. suos esse vetat, quòd nulla cognatione jungantur. Quo modo etiam Johannem Andreæ magnæ autoritatis inter veteres JCtos sensisse in *notis x. de testib. cap. de cætero.* Salycetus prodidit. Sui ergò appellatione veniunt, parentes, liberi, patroni, patronæ, eorumque liberi. Ii etiam qui parentum liberorumque loco sunt, socer, socrus, noverca, nurus, vitricus, privignus, uxor, *Godofred. ad l. 1. ff. de accus. lit. t.* maritus etiam uxori, est enim is rerum humanarum divinarumque socius, Modestino autore *in l. 1. ff. de rit. Nupt.* & alioquin mulier accusare homicidii de morte mariti potest, arg. *l. 2. ff. de accus. Salycet. ad l. 5. C. ad SC. Turpil. Clarus 5. sent. §. ult. q. 14. vers. præterea. P. Greg. Tholosanus 31. synt. cap. 13.* Quamvis enim aliquando suitatis, ut ita dicam, hujus, effectus, ut videlicet mulier pro eo agere possit, cesset, *l. 2. de injuriis*, non tamen ipse propterea suus esse desinit, haud secus ac obligatio pupilli naturalis esse non desinit *l. 1. ff. de nov. Duaren. ad tit. de O. & A. c. 2.* etiamsi effectus ejus, ut videl. solutum repeti non possit *l. 10. Naturales ff. de Obl. & Act.* nequaquam pensi habeatur. *Instit. in princ. de Aut. tut.* Quæ nobis responsio ad *l. 2. de inj.* firmiori talo quàm Salyceti & vetustorum Interpretum consistere videtur.

XXXII. His ergò omnibus jus est petendæ abolitionis, re adhuc integra, i. e. si ea nondum exstiterint, quæ impetrari abolitionem penitus prohibent *l. 3. C. h. tit.* Qui enim erranti & irato aberat calumniandi animus & hic deficit, cùm impulsivam accusationis causam justus ille dolor absolvat *l. in SC. 15. §. eos ad SC. Turpil. l. 2. & 3. C. de Calumniat. l. fin. de publ. judiciis. l. 4. & 30. C. ad l. Iuliam de adult.* Nec ab errore quidem immunis est hujusmodi accusator; sive enim illatam sibi existimet injuriam, cùm non sit, errat; sive reum esse qui intulerit injuriam, falsò judicet, similiter errorem agnoscere liceat, ut ad eandem

causam

causam planè cum errore redire deinceps videatur. De Ebrietate quærere, an, si accusator ebrius accusaverit reum, integrum ei sit petendæ abolitionis jus, vix operæ pretium est, cùm non facilè ad tribunal admittantur hujusmodi homines; sed tantisper dum crapulam edormierint, inter eos habeantur qui accusare non possunt. Alioquin, si ita usu fortè venerit, ut admissa fuerit ab ebrio homine accusatio, abolitionis impetrationem eum à graviore pœna liberare posse existimo, arg. *l. perspiciendum. ff. de pœnis. l. omne delictum. ff. de re milit. & eorum quæ à Wesemb. in Paratit. ad tit. de Iust. & jure n. 10. p. 10. lit. B. Tiraquell. de pœnis. cap. 8. Dn. Carpzov. pract. crim. part. 3. quæst. 146.* afferuntur. Quod enim *Aristoteles lib. 3. cap. 15. Eth.* scribit, duplices pœnas tribui solitas iis, qui ebrii aliquid deliquissent, cùm in ipsis sit principium peccandi, id apud Græcos fortè obtinere potuit, qui inter gravissima crimina habebant, quem naturâ aversabantur, ebrietatem; non item apud Romanos, qui Francorum, & deinceps Longobardorum, tum Thracum etiam commerciis, largius se aliquanto invitare consueverant, quorum tamen moribus accommodandæ leges erant.

XXXIII. Extra has autem causas vetita abolitio, *l. 2. C. h. tit.* ad legitimas pœnas accusantem remittit, *l. 1. ff. ad SC. Turpil.* §. 7. nisi minor fortè sit, (is enim accusare omnino potest *Cujacius lib. 17. observ cap. 30. Wesemb. Parat. de his qui accusare possunt*) aut aliquando mulier, vel ex iis aliquis, quos *th. seq.* recitamus. Et alioquin in omnibus ferè judiciis pœnalibus ætati & imprudentiæ succurritur. *l. 108. ff. de R. I.* quorum in fœmina alterum, in minore utrumque est. Constat nempe inter omnes fragile esse ac infirmum hujusmodi ætatis consilium *l. 1. ff. de min. 25. annis in princ.* nec volunt Imp. in puniendis minorum vitiis potestatem in immensum extendi *l. un. C. de emend. propinq.* Mulieri præterea, cùm suam suorumque injuriam solummodo accusatione persequi possit *l. 12. qui accusare possunt. Wesemb. Paratitlis de Accus. n. 9.* Si vetitam moverit accusationem, non immeritò vel sine abolitione succurritur, cùm nulla propriè ipso jure sit accusatio, quæ à principio non consistit, *l. quæ ab initio. ff. de R. I.* Non possumus enim non improbare, quod Salycetus ad *l. 7. C. qui accusa-*

re non possunt. num. 3. per l. non solùm. ff. de noxalibus action. l. servius ff. quod vi aut clam. scripsit, non integrum esse mulieri, ut sine abolitione desistat. Oedipo enim opus, qui ex illis legibus hujusmodi quid conjiciat, & scimus alias esse, cùm juris ignorantia fœminam excuset *l. 9. ff. de juris & facti ignorant. l. 11. l. 12. C. eod. Gœddeus ad l. 3. de V. S. n. 60.* Si ergò errore juris, quo putabat se accusare posse, deprehenso, desistat, nullum ei propterea Jurisprudentia nostra irrogat pœnam. Quod si de sua suorumque injuria accuset, moxque pœnitentiâ ducatur, idem juris esse, ob eandem rationem, quæ est levitas, judico, *l. 1. §. accus. l. 5. ff. ad SC. Turpil.* Ast ubi diutiùs producta fuerit accusatio, muliebris audacia quæ levitas primò erat, in malitiam transire præsumitur. Ut ibi petenda planè sit abolitio *arg. l. 5. C. ad SC. Turpil.* ne si deprehensæ fuerint malitiosè agere, inultam ferant nequitiam, cùm deceptis iis, non decipientibus, subveniendum sit *l. 2. ff. ad SC. Vellejanum. l. 110. ff. de R. I.*

XXXIV. Præter minorem & mulierem solutus est petendæ abolitionis legibus, qui suspectum tutorem postulavit, *l. 1. §. 11. ff. ad SC. Turpil.* In odium & detestationem turpissimi vitii, & ut eò meliùs habeant pupilli res, postquam adeò restricta esse desiit improbos tutores accusandi libertas. Unde etiam illud est, quòd quivis è populo suspectum postulare possit, mulier etiam *Instit. de suspectis tut. §. 2.* & ante causæ cognitionem tutela abstinere cogatur. Sed ille etiam qui errorem non antè quàm lata finali sententiâ cognoscit, ad abolitionis petitionem nullo pœnæ metu vocatur, modò justus subsit error arg. *l. 1. § 3. ff. ad SC. Turpil. & l. 3. C. de calum.* quem si pendente accusatione animadverterit, & urgeat nihilominus accusationem, ex eo tempore quo illud cognovit, calumniatoris notam simul & pœnam nullo facilè negotio declinare potest *arg. l. 9. C. de calumn.* Tutorem præterea qui pupilli causâ instituerat accusationem, defuncto pupillo, cujus causâ accusare cœperat, non esse cogendum accusationem implere ex divi Hadriani rescripto Ulpianus notat, quo ipso efficitur, & eum sine abolitionis petitione ab accusatione discedendi jus habere. Quæ enim abolitionis petendæ causâ finalis est, ut discernat judex, an cogendus sit persequi accusationem an dimittendus accusator, hic cessat, cum rescripto

Imp.

Imp. judex simpliciter alterum facere prohibeatur. Adde quòd ille alterius nomine accuset, ac sit quasi procurator, qualis esse ipso jure desinit, defuncto principali, & extincta cum eo per generalem abolitionem accusatione.

XXXV. Et hæc fortassis expedita sunt, illud non æquè, an, si propter causas, quarum mentionem fecimus à *th. 29. ad 33.* facta fuerit abolitio, ut accusator ab accusationis necessitate, ita reus etiam à judicio liber pronuntietur. Fieri enim posse, ut partes prioris accusatoris publica persona fisci nomine sibi sumat, & processus, qui vocatur per inquisitionem, instituatur. Cujusmodi forma & usu recepta est, & fieri omnino debet, si fundamentum accusationis validum, is autem qui accusat, talis sit, ut legibus prohibeatur accusare. Et eam quidem hoc casu probat *Clarus*, quem *Treutlerus* adducit, nec ipse, ut videtur, à sententia ejus alienus *Disp. 31. Vol. 2. th. 8. lit. d.* Nec tamen ullo casu impetrari hujusmodi necessitatis accusandi remissionem ubi ad tribunal reus revocetur, existimem; nisi publica simul fama in eundem crimen conferat, in quem antea accusator. *Bachov. ad Treutl. vol. 2. parte post. p. 1147.* hæc enim processus hujus causa ut plurimùm est, *cap. cum dilecti. 18. apud Greg. de Accus. & Inscript. & ibi Dd. comm. Fachinæus contr. Iuris lib. 1. cap. 34. circ. fin. Wesemb. Paratitlis de Accus. n. 3.* Cæteroquin fundamento nullo nititur, sive ab irato, sive errante, sive à cognato contra reum mota accusatio. Et de prioribus quidem res in promptu est. An enim fundamento nitatur accusatio, quæ tunc, cum furore conceptus animus ne se quidem caperet, nata est? (cum furore enim iram componere non Poëtæ solùm sed Philosophi etiam solent) Et error, sive personam sive causam afficiat, ad fundamentum ubique spectat. Ea autem quæ à cognato instituebatur accusatio & ipsa fundamentum desiderat. Perinde enim est, si JCtis credimus, an aliquid omnino non fiat, an autem parum legitimè. At verò parùm legitimè ex domo ipsius rei peti contra ipsum argumenta, ita vulgatum est, ut in Regulam transierit. Quo etiam ea, quæ de ira dicta sunt, revocari possunt, cùm cognatum accusare, alterius, quàm irati aut malè sani non sit.

XXXVI. Versatur autem abolitio circa causas criminales ferè

omnes, exiguo discrimine privatæ eæ sint an publicæ, neque tamen prorsus nullo. In publicis criminibus locum eam habere *l. 17. ad SC. Turpil. l. 34. ff. de rit. nupt.* ne exceptis quidem capitalibus *arg. l. 30. C. ad l. Iuliam. de adult.* ostendit, quod tamen nulla ratione ductus negat *Cujacius in Parat. in Cod. de abol.* In privatis locum ei vindicat *l. 2. C. de abol. Cujacius Parat.* Sed ei in privatis omnibus locum facit, quòd nulla lex sit quæ id fieri prohibeat. In publicis restricta certa constitutione potestas non patitur ad omnia crimina hujusmodi eam extendi. Violata enim majestas, oppugnata vel prodita patria, peculatus crimen, sacramentorum desertio, excludunt spem ejus impetrandæ *l. 3. h. tit.* Nec enim vel publica vel privata abolitio, quod posterius tamen *Vigelius Methodo juris civilis p. 1. lib. 1. cap. 17. p. 70. except. 22.* existimat, hæc crimina abolet. Addunt superioribus omnia ea quæ veteri jure continentur Imp. *Valentinianus & Valens*: Ea qualia sint non memoratum juri nostro est, & vetus illud jus, quod dubio procul veterum prudentum scripta notat, nec usum nec pretium post promulgatas Pandectas retinuit. Ut enim Pandectarum jus illud interpreteris, temporis ratio vetat, quæ utrumque Cæsarem & hanc ipsam Constitutionem centum sexaginta quatuor annis Pandectis facit antiquiorem, confer subscriptionem *legis 3tia h. tit. d. l. 2. de vet. Iure enucl.* nisi forte id est à Triboniano, quem usurpasse sæpius concessam mutandi licentiam pridem agnoverunt doctiores *Valent. Forst. tract. de Iurisd. Romana cap. 6. leg. 5. n. 30. 32. 33. 34. Anto. Faber. conject. lib. 12. cap. 16. & 17. Hotomann. Anti-Triboniani cap. 13.* Nec tamen eum habere autorem crediderim, quòd de pluribus casibus in Pandectis, nihil, quod ego quidem invenire potuerim, habeatur. Quicquid sit cùm veteris juris statuta hic legis autoritatem accipiant, & verò, usu, quæ de abolitione statuta sunt, obtineant adhuc, operæ pretium fecero, si qualia ea sint, quæ præter enumerata, veteri Jurisprudentiæ memorata crimina, abolitionem excludant, planum fecero.

XXXVII. Non videtur autem reliquum esse, tacentibus Pandectis, veterum autem JCtorum laboribus planè consumptis, eruendæ veritati aliud subsidium, nisi ut ratione id evincatur probabili.

Aliquid ergò, quòd peculatus, læsæ majestatis, oppugnatæ vel proditæ patriæ &c. criminibus, quæ abolitionem respuunt, commune sit, ad reliqua tamen crimina publica, ut adulterii, falsi, quæ abolitionem non excludunt, nequaquam pertineat, notandum est. Idem enim procul dubio rationis vicem implebit, quare hic quidem prohibita, isthuc concessa sit abolitio. Et verò rationis æqualitas eandem legis dispositionem aliàs Brocardicis nostris facit. Quá nos regulâ eò nitimur certiùs, quòd sciamus lege hujusmodi aliquid statutum, eam ergò ratione potiùs, & quidem eâ, quâ usus antea Imperator est, suffultam esse, humanius ac certius est credere quàm solâ voluntate constare. Anima enim careret hujusmodi lex *Wesemb. Parat. de legibus. n. 5. & Dd. comm.* Est autem id commune omnibus, quòd immediatè, sic a admittantur, ipsa Respublica lædatur, ac ad illam primùm ac principaliter, ut loquuntur aliàs, damnum spectet: quod in adulterio, falsi crimine, &c. nec statum perinde Reipublicæ afficit, & eam mediatè saltim lædit, dum injuriæ impetus, qui primò in privatos desævit, minori deinceps clade sese ad Rempublicam transfert.

XXXVIII. In duas ergò classes dividemus publica crimina, quorum alia quidem mediatè Reipublicæ damnum, sed minus, alia immediatè eidem, sed majus detrimentum afferant. In his est in prohibitis abolitio, ob eam quam diximus causam, in iis non item. Ad priorem classem spectant quæ ad *l. Iuliam. de adult. coërcend. l. Iuliam de vi priv. ad l. Cornel. de Sicariis & veneficiis. l. Pompejam. de Parricidiis. l. Cornel. de falsis. l. Fabiam. de plagiariis* pertinent. Posteriorem constituunt quæ ad legem *Iuliam Majestatis. l. Iuliam de vi publica, repetundarum, annonæ, peculatus, sacrilegii, de residuis, ambitus, communiter* referuntur. Sunt quippe leges ea propter latæ, ut publicæ rei serviant, eamque sartam tectam servent, arg. *l. 1. ff. de legibus.* Inquirendum ergò in ea magis, quæ majus Reipublicæ damnum, minus, quæ non tantum afferunt. Ubi autem nulla abolitio conceditur, continuatur inquisitio, quæ cessabat, extincta per hanc accusatione, ut summam legum nostrarum, cum ratione & regulis Politicis congruentiam, meritò etiam hac in parte admirari liceat.

XXXIX. Videri tamen fortè possit excusari à pœna in hisce

criminibus accusator, si probare culpam rei nequeat, quòd non ea proposita sit legislatori causa prohibendæ abolitionis, ut in accusatorem sæviat, sed ne publica res indè capiat aliquid majoris detrimenti. Restrictiva enim hic adhibenda fortassis est interpretatio, cùm causa non ultrà progrediatur, *arg. l. quamvis ff. de in jus vocando. Suthold Disp. 1. th. 14. Nicol. Everhardus in loco à cess. rat. n. 2. Albertus Bolognetus de jure æquitatis cap. 34.* causæ autem priores illæ, quæ absolvi accusatorem à pœna faciunt, & hic aliquando locum habere possint. Sed hujus rei fidem mihi quidem hæc nondum faciunt, Hercle modos evitandi pœnam hanc alios jus nostrum ignorat, nisi abolitionem & Principis indulgentiam. Negatis ergò modis quibus impetrari ea consuevit, pœnæ remissio neganda similiter est. Durior denique reo infertur conditio, si propter hæc crimina in judicium vocetur, utpote ubi exactiùs & accuratiùs singula causæ momenta excutiuntur, adeóque magis ille læditur, quàm si eorum nomine postuletur, quæ in secunda classe consistunt, ubi faciliorem elabendi viam jura ostendunt. Et accusatori ergò, qui injuriæ autor, cautiùs agendum, aut, si id nolit, gravior irroganda pœna. Causæ etiam istæ vix locum sibi vendicant. Non enim reperias privatos, quos perinde afficiat Reipublicæ damnum, ac illata sibi suisque injuria: ut dolor non facilè hîc aliquis appareat. Errorem verò ac iram non difficulter corrigit tempus; quod longiùs plerumque intercedit inter admissum & ad judicem delatum crimen, cùm ex priori ratione, in his, quæ minus ad nos pertinere videntur, vehementes adeò non simus.

XL. Quod si plura delicta sint, de quibus reum postulaverit accusator, singulorum nomine abolitionem petere & exponere accusandi causas tenetur *l. 1. §. 7. & 9. ad SC. Turpil. & de Abol.* Fieri enim potest, ut ipsum à pœna uno casu, sive error sive alia legitima causa absolvat, quem in alio ad pœnam vocet calumnia & animi malitia. Et alioquin sententia conformis esse debet libello sive petito *l. 4. §. 8. ff. de damno infect. l. 18. ff. comm. div. Wesemb. Paratitlis de re judicata n. 7.* Hic autem plus in sententia quàm libello foret, quod absurdum, cùm judex officium suum non nisi rogatus interponat ad privatam utilitatem, *Sneidvvin. ad §. omni n. 128. Instit. de actionibus Gœdeus de V. S. ad l. 22. n. 25.*

n. 15. Præterea vel eo augumento non subsisteret concessio abolitionis quæ ad omnia crimina pertineat, cùm unius nomine petita solùm sit, quòd fiat in præjudicium tertii, cui, si fortè injuria subsit, non ut decet, satis fit, quod à sanioribus legibus alienum est *l. 7. C. de precibus Imp. off.* Apparet insuper indè ejus infirmitas, quòd causa non plenè cognita nec receptæ probationes sint, cujusmodi sententiæ ipso jure nullæ sunt *l. fin. §. fin. ff. quod metus causa* ut nec appellatione opus sit ad eas rescindendas *l. 1. & 2. ff. quæ sent. sine appell. rescindantur.*

XLI. Peti autem abolitio potest & pro tribunali & privatim *l. 1. §. abolitio 8.* quo §. cùm nihil dici pro hac sententia manifestius possit, miror hic à nobis dissidere *Calvinum Lex. Iuris voce abolitio.* Sed cùm aliàs non nisi coram tribunali postuletur *l. 1. §. 2. ff. de postul. lib. 4. §. 8. ff. de damno in fect.* haud scio, an hujus rei ea sit ratio. Præscriptum est 30, dieru m spatium petendæ Abolitioni, quod si effluere passus fuerit accusator, & deficiat in probatione deinceps, pro delicti, cujus adversarium reum egit, qualitare, negligentiam hanc, cum capitis sui vel famæ periculo sæpe componit, nisi consentientem in abolitionis petitionem habeat reum *l. fin. C. de accus.* Qui prodesse ei, quem, ut sibi noceret omnia tentasse videt, vel rarò solet, vel nunquam. Ut autem frequentissimi erant apud Romanos festi dies, sæpe usu venire poterat, ut pro tribunali non sederet judex, vel integro illo tempore, quod fiebat quadraginta illis diebus, qui auspicio Ceremoniarum Paschale tempus anticipant. *l. 6. C. de feriis.* vel majori parte, quod Julio, Augusto, Septembri, ac Octobri mensibus eveniebat *l. 2. C. de feriis.* Quod si ergo restricta ad tribunal abolitionis petitio fuisset, nulla sua culpa gravissimam sæpe pœnam incurrisset accusator, utpote qui remissionem accusationis, si intra præscriptum tempus ejus petendæ copia fuisset, petiisset. Quod cùm iniquum, præcavendum etiam existimarunt prudentissimi Imperatores: nisi fortè utiles interpreteris dies, non continuos, quales tamen non intelligi, argumento est, quòd dies sine adjectione in jure non temere alios quàm continuos significent.

XLII. Est quidem, ut Constantinus Imp. loquitur, postulanda abolitio, & præsentibus partibus *d. l. 2. h. tit.* Est a. postulare pro tribu-

nali

nali propriè petere, non alibi, si Ulpiano credimus *l. 4. §. 8. ff. de damno infecto*. Neque inter dubia est nullam ferri sententiam posse, quæ postulationis effectus est, nisi pro tribunali *l. 5. C. Quomodo & quando Iudex sent. Wesemb. Paratit. de re judicata num 7.* Frustra ergo adire judicem videtur accusator, qui nihil definire possit. Sed nec postulatio cum petitione pro tribunali semper idem est; quod vel ipse Ulpianus non negat, dum propria acceptione usurpatam vocem id significare notat, alioquin improprium ejus usum eò non restringit. Nec ferenda deinceps extra tribunal sententia est. Non enim ea est vel accusatori petendæ tunc abolitionis, vel reo adeundi judicem causa, ut mox sententia sua judex, ex accusatorum illum, hunc reorum numero eximat: sed actori, ne negligendo tempus illud duriorem sibi conditionem reddat, reo, ut factam abolitionis petitionem legitimè observet. Quod si impetraverit uterque, nulla ante, quam ex consueto loco jus reddatur, definitione opus est. Egregia sunt Ulpiani in *l. 1. ff. §. 2. de feriis* verba, quorum cùm sententia in hac quoque causa manifesta sit, ad similia nos procedere *arg. l. 12. ff. de legibus SC.* facilè patiuntur. Ea integra ascribam. *Excipiuntur, inquit, certæ causæ, ex quibus cogi poterimus, & per id tempus cùm messes vindemiæq; sunt ad prætorem venire: scilicet si res tempore peritura sit, hoc est, si dilatio actionem sit perempturа. Sanè quotiens res urget, cogendi quidem sumus ad prætorem venire, verùm ad hoc tantùm cogi æquum est, ut lis contestetur, & ita ipsis verbis orationis exprimitur.*

XLIII. Præcedunt abolitionem vel comitantur quæ prodita hactenus sunt; nunc quid ea impetrata efficiat, deinceps disquirendum. Ut autem diversa est abolitio, ita & hic discrepant ejusdem effectus. Per generalem ergo accusator integram facultatem discendi ab accusatione, si lubeat. *l. 12. ff. ad SC. Turpil.* consequitur, & impunè, cùm nullam mereantur pœnam quæ magistratu autore geruntur *l. 7. §. 4. de Iurisd. Wesemb. Parat. ad SC. Turp. n. 10.* reus, si liber sit, (servis enim nihil hic indulgent leges l. 16. h. tit.) liberationem nanciscitur, sed planè temporariam, utpote quæ nihil illi, si 30. utiles deinceps dies non negligat accusator, prosit, *l. 10. §. 2. ff. h. tit. l. 3. §. fin. de Acc. & Inscript.* nisi quòd eo tempore liber à vinculis sit. Unde eruditè *Cynus de Pistorii*

rio in lectura ad codicem: Non crimen tollit generalis abolitio sed judicium & accusationem suspendit. Vel ita tamen solummodo hic effectus se prodit, si nihil grave admodum admiserint, sed ob privata leviora delicta vinculis mancipati sint. Ab iis enim discretos volunt Imp. in *lib. 3. C. de Episc. Audient.* quibus contaminari potiùs gaudia lætitiamque communem, si dimittantur, animadvertunt. Ita ergò augustus est hic quem diximus abolitionis generalis effectus, ut ad hos ne pertineat quidem.

XLIV. Magis universalis est, nec ad privatorum criminum solùm, sed publicorum etiam plerorumque reos pertinetis, qui specialem sequitur. Hæc enim integram reo efficit securitatem ab accusatoris intentione, cùm repetere crimen sine crimine nequeat *l. 2. & 4. ff. ad SC. Turpil. l. accusationem C. qui accus. non possunt*, absque eo sit, ut supplicatione Principi porrecta, sopitum abolitione crimen suscitetur *l. 1. C. h. tit.* Erat nempe aliquis accusationi præfigendus finis, ne vel longior mora seriùs ad supplicia improbos dimitteret, vel sine causa innocentes affligeret. Quæ Valentiniano & Theodosio, ac deinceps Honorio Imp. causa, ut intra certum tempus finiri vellent criminalem quæstionem, quorum rescripta extant *C. ut intra certum tempus.* Inter innocuos autem haberi, illius quidem accusationis respectu, quis dubitet, quos nullius sceleris convincere potuit adversarius? Abrumpenda ergò accusatio, nec turbanda ampliùs forensi strepitu quies publica, quæ jure non nisi per scelera amittitur: Accusator quoque id commodi indè habet, ne cum in probatione defecerit, calumniam, ex lege Julia talionis, vel SC. Turpiliano, aliâ pœnâ luat.

XLV. Non autem id efficit continuò abolitio, ut reus ab alio ejus criminis postulari nequeat, neque id dissimulare videtur Papinianus in *l. 4. ff. h. tit.* Ubi dum post impetratam abolitionem crimen instaurari non posse docet, mox adjicit, ab eodem in eundem. Res enim inter alios actæ aliis non præjudicant *tot. tit. C. ne res inter alios acta.* Et verò id per abolitionem eum consequi esset periniquum. Non enim propterea semper absolvitur, quòd certis indiciis fidem judici fecerit se ab objecto scelere abfuisse plurimùm. Sed

frequentius, quòd in probatione deficiat accusator *l. actore 4. C. de edendo d. 9. de O. & A. l. 2. C. de prob.* Unde præsumptio, quæ vetat judicem existimare eum hominem esse malum, nisi qui probetur talis, arg. *l. 18. §. 1. ff. de prob. l. 51. ff. pro socio l. 20. ff. de manumiss. testamento. Gilhausen Arb. jud. crim. cap. 6. parte 5. n. 195.* ipsi sæpius saluti est. Cùm autem non tantum ipsi præsidii sit in præsumptione illa, ut elidere deinceps validas probationes possit, *Menochius de præsumt. lib. 1. quæst. 31. n. 5. Gilhausen arboris jud. crim. cap. 6. parte 7. n. 21. §. 2.* quibus instructum alterum, eum in judicium vocare nihil prohibet, ejusdem iterum criminis reus agi potest. Eleganter Marcianus in *l. 1. ad. SC. Turp. §. 10. penè nulla est accusatio quam personæ vitium omnino removeat, reoq́ securitatem timoris ac periculi promittat.* Quod vitium hic quidem in accusatore probationis insufficientia fuit. Quam objicere aliquis poterat *l. 9. C. de accus. & inscript.* quæ eum, qui de crimine publico in accusationem deductus est, ab alio super eo crimine deferri non patitur, ejus resolvendæ labore nos liberat Macer JCtus, qui id eò saltem pertinere notat, si deducta ad finem legitimè fuerit accusatio, non si per abolitionem impedita *l. 11. ff. §. fin. eod. tit.*

XLVI. Neque verò non satis cautum est ita reo per abolitionem. Eum enim à judicio hoc criminali hæc ipsa liberat, quanquam secundariò, & per consequentiam, ita tamen ut nullum ipsi propterea ab infamia sit periculum. Accedit, quòd in injuriæ æstimationem, quæ ipsi fortè hac ratione illata videri possit, satis sit ipsa abolitionis petitio. Eam enim qui petit, vel affectum animi turbatorem, vel temeritatem accusat, quæ imposuerit sibi, ut injustâ accusatione deferret rei nomen. Quod ipsum efficit ut parùm de cætero discriminis inter hujusmodi abolitionis petitionem & palinodiam interesse videatur; nisi quòd hæc plerumque comitem habeat infamiam *l. 1. ff. de his qui notantur infam. Iulius Paulus recept. sent. lib. 5. tit. 4.* illa nequaquam. Cùm hic quidem propriè dici nequeat illatam reo injuriam, cùm animus injuriandi abfuerit, adeòque nec injuriarum condemnetur, quod in altero illo infamiæ causa *l. 10. C. ex quibus causis infamia irrogetur.*

XLVII. Et petitam quidem ac impetratam abolitionem, quæ hacte-

hactenus dixi, sequuntur, neglectam poena excipit, quam diversam tamen circumstantiæ efficiunt. Vel enim desistit accusator, vel pergit per columniam urgere reum. Si desinat in pœnam SC. Turpil. quæ 5. librarum auri *l. 3. §. 3. ff. de præv.* incurrit, si publicum crimen sit *l. 1. C. ad SC. Turp.* secus si ex eorum numero, quæ privata nuncupamus, ibi enim extraordinario judicis officio culpa coercetur *l. 2. ad SC. Bachovius ad Treutl. vol. 2. part. post. Disp. 31. th. ult. p. 1217.* Quod si pergat, calumniam non fert inultam. Infamia namque notatur *l. 1. & 4. ff. de his qui notantur infamia*, & aliquando severioris supplicii exemplo aliorum temeritatem à simili audacia avertit. Similitudinem enim supplicii, utut jure Saxonico cesset, *Chilian. Konig in process. c. 47.* quomodo etiam Scabini Lipsienses ad requisitionem Gabriel Feigens/ subditi Saxonici, responderunt, referente *Carpzovio Pract. crim. part. 3. quæst. 106. n. 43.* nondum tamen planè ex usu abiisse existimandum est, *gloss. ad l. 2. C. ad verbum periculi de fid. Instr. Wesemb. in Paratit. de accus. Lancelottus Inst. Iuris Canonici lib. 4. tit. 1. §. 2.* Pœnæ diversitatem pro modo circumstantiarum culpæ dissimilitudo facit, quæ in tergiversante minor, nec alia ferè, nisi quòd Reipublicæ noceat, dum quantum in se est, legem, quâ civilis societas omnis continetur, ut legitimis pœnis subdantur sontes, violat. At calumniator, dum quietem publicam turbat, majoris culpæ in Rempublicam reus est, & alius præterea delicti in privatũ. Ut meritò adeò, propter duo & graviora delicta, gravior huic, illi propter unum & levius peccatũ, minor pœna irrogetur.

XLVIII. Attingenda nobis etiam est, quæ ab abolitione non adeò multum discrepat Principis Indulgentia, quæ pœnæ gratiam reo inter dum facit. *l. 2. 3. 11. C. de sent. passis. l. 5. C. ad l. Corneliam. de sicariis l. 9. C. ad l. Cornel. de falsis* vel propter minorem ætatem *l. 198. ff. de R. I. Carpz. Practic. Crim. parte 3. quæst. 143.* aut Nobilitatem, *Tiraquell. de nobil. cap. 20. n. 109.* vel senium *l. 3. §. 7. ff. de SC. Silaniano & Claudiano Tiraquell. de pœnis causa 8. Carpz. loc. sup. quæst. 144.* antecedentis vitæ integritatem *Tiraquell. de pœnis c. 51.* quod plerumque Persarum reges solebant. *Herod. lib. 1. & 7.* militarem disciplinam, merita, *Tiraquell. c. 49.* Eruditionem *l. ad bestias ff. de pœnis*, alias causas. Enimverò est ibi semper etiam necessitatis accusandi remissio. Ab aboli-

tione tamen aliam esse ex *l. 9. C. de calumn.* liquet. Id ergo præcipuum discrimen facere videtur, inter hanc necessitatis accusandi remissionem, & eam, quæ est abolitio, quòd non fiat ante sententiam definitivam. Dum enim qui de crimine cognovit Princeps, liberum pronuntiat reum, definitiva planè sententia est. Condemnationem enim vel absolutionem quæ continet, alia esse non potest, *l. 1. ff. de re judic. l. 19. §. 1. ff. de recept. qui arbitr. l. 3. C. de sent. interloc.* At verò sententia, quâ abolitionem consequitur Accusator, non continet condemnationem vel absolutionem rei, sed accusationis duntaxat remissionem; aliàs enim plus contineret quàm petitum est, contra *l. 4. §. 4 ff. de dam. infect. Wesemb. Parat. de re jud. n. 7. Schneidvvin. ad §. omnium. n. 128. 136. Instit. de act.* Quanquam enim remissionem hanc excipiat rei liberatio, id tamen non vi sententiæ consequitur, sed indè est, quòd naturâ fieri non possit, ut relatorum uno non existente existat alterum. Unde reus is esse mox desinit, ubi adversarius omittit accusationem. Indulgentia autem Principis pœnam saltem remittit, non infamiam tollit, *l. 3. C. de gen. Abol.* nisi id etiam expressè velit Princeps *l. 1. & 3. C. de sent. passis. Perez. expos. in Codicem de gen. abolit. n 3. 4.* Quod de iis quidem, quæ more civitatis infamiam secum ferunt, verum est, secus de nonnullis quæ natura etiam turpia sunt *l. 42. de V. S.* Ad pœnam insuper corporalem solummodo hæc pertinet remissio, non etiam jus partis læsæ excludit, cui in factum actio ad sarcienda quæ illata sunt damna, competit, *l. 25. ff. l. 9. C. ad l. Cornel. de falsis Perez. l. sup.*

XLIX. Aliqua etiam ratione ad abolitionem præscriptio accedit, quæ 20. annorum, aliquando etiam minori spatio, facultatem accusandi aufert, *l. querela 12. C. ad l. Cornel. de falsis* & quæ ibi notat *Gothofredus Wesemb. Paratit. de pœnis num. 10. Gœddeus ad l. 131. de V. S. num. 10. & porrò.* Certè cognatio hæc *Treutlero Disp. 31. vol. th. 8. lit. e.* causam præbuit, ut confunderet cum abolitione præscriptionem, quod nec notare negligit *Bachovius d. l.* In eo tamen cum abolitione non convenit, quòd abolitio accusandi necessitatem remittat, præscriptio facultatem tollat, *l. 2. ff. de requir. reis*, non necessitatem. Quod si ergo Titio accusandi Mævium jus sit, id quidem viginti anno-

annorum spatio, si interea non agat Titius, tollitur: necessitas autem accusandi Mævium, cùm nulla fuerit, *l. un. C. ut nemo invitus agere vel accusare &c. Petrus Heigius part. 1. quæst 39.* non item. At, ubi fortè Titius deducendo in judicium reum, necessitatem accusandi sibi fecerit, haud scio an vel sic fieri possit, ut hæc præscriptione tollatur. Is enim si intra definitum tempus, quod duorum annorum est, non executus fuerit litem, mox punitur. Ita enim Valent. & Theodosius Cæss. *l. 1. C. ut intra certum tempus. Accusator, qui intra statutum tempus. accusationem cœptam persequi supersederit, vel ultima die adesse neglexerit, quarta bonorum omnium parte multatus aculeos consultissimæ legis incurrat, &c.* Et Honorius in l. 2. *Moverint judices, &c. intra certum tempus criminales causas limitandas: quo emenso subeat accusator qui desiit. pœnam legibus constitutam.* Ut manifestum discrimen inter abolitionem & præscriptionem omnino observare liceat. Nec aliud ferè discrimen est, quo ab Amnestia abolitio discedit, quàm id quod in præscriptione notavimus. Quemadmodum nempe ibi, sic & hic non necessitas accusandi, sed facultas adimitur. Quibus illud præterea accedit, quòd per Amnestiam extraordinariè, ob fugiendum majus malum, civilis ex delicto obligatio tollatur, ac quæ hinc consequentes sunt accusationes planè omnes. Cùm abolitio accusationis, si specialis sit, ad nihil aliud reo prosit quàm ut à prioris adversarii intentione tutus sit *Calvin. Lexico voce abolitio,* sin generalis, temporariam solùm liberationem præstet.

L. Sed consumpta fortè hactenus omnis nostra disputatio in vanum est, cùm id nondum pateat, an aliquis sit abolitionis nostrâ ætate usus. Certè illud tam pertinax Practicorum silentium, inter quos vix reperias, qui vel nominet abolitionem, non aliud evincere videtur. Accedit quòd juri Canonico ferè non cognitum sit nomen: nec n. ulla ibi abolitionis hoc sensu usurpata mentio, nisi quòd Gratianus, postquam cap. si quem caus. 2. quæst. 3. e. libro capitularium desumpsisset, non nullam ejus ex ff. mentionem fecerit, quæ tamen an referantur solùm an probentur etiam dubites; quòd nullum ejus deinceps fiat vel apud Gregorium, Bonifacium, Clementem, vel septimi Decretalium Autores indicium. Quin nec deest è Practicis, qui

quamvis non satis confidenter, id publicè tamen profiteatur. Est is Gilhausen, qui arboris *Judiciariæ Criminalis cap. 3. part. 2. n. 20.* ubi mentionem abolitionis antea injecisset, mox, *hæc*, inquit, *ferè omnia in desuetudinem abiere.* Ut ita statueret, sine dubio Constitutio Carolina effecerat, in qua interpretanda Tractatu suo multus est. Ea ergo Constitutio, quòd nullam abolitionis mentionem expressam faceret, persuadere ipsi fortè potuit, abiisse ex usu; cui tamen argumento quàm nihil insit roboris, brevi videbimus.

LI. Ne tamen nullo JCto autore niti contra Dn. Gilhausen videamur, Gothofredum producemus. Et est is non indignus qui cum Gilhausio paria faciat, cùm majora etiam possit. Quem longè aliter de Abolitione sensisse ostendunt notæ, quas reliquit ad tit. ff. ad SC. Turpil. Non pigebit (inquit ille) breviter quædam de abolitione inserere; res enim est magni momenti, quemadmodum homini famam, bona, & ipsam vitam servare possis. Hactenus ille. Sed servare nemo hac ratione poterit famã, vitam, bona hominis, si ex usu abierit. In usu ergo adhuc esse Gothofredus, & rectè, sentit. Ut enim cesset lex vel alia lex, qua prior abrogatur; vel consuetudo efficit *l. 32. ff. de leg.* vel ratio, quæ prius erat scribendæ legis causa *cap. Neophytus dist. 61. l. 32. ff ad l. Aquil. Suthold Dissert. 1. th. 6. Corasias de jure in art. redig. part. 4. cap. 6. Donellus 1. Comment. Cap. 13. 14. Tiraquell. tract. de causa cessante, Duarenus ad tit. ff. de jud. c. de variis judicii præceptis.* At hic in contrarium extare legem nullo juris nostri loco probari potest: Consuetudine & rationabili quidem diversum introductum non antè credimus, quàm probatum fuerit, facti enim est, cujusmodi rebus, cùm prudentissimos etiam fallere possint *l. 2. ff. de juris & facti ignorantia*, non temerè habenda fides. Certè glossæ autores, Bartolus etiam de Saxoferrato, Bartholomæus de Salyceto, Cynus de Pistorio, & Placentinus, qui de veteribus ejus mentionem fecerunt, suo tempore hujusmodi nihil vel observarunt vel notarunt, quod prætermittere alioquin non facilè solent. Unde promptum est colligere, quæ superioribus adhuc seculis JCtorum hac de re fuerit sententia.

LII. Sed etiam apud Saxones ejus usum superesse indè patet, quòd pœna dicta sit, qui sine ea ab accusatione destiterit, quamvis generalis

ferè

ferè in desuetudinē iverit, quæ ad Romanos etiam ferè extraordinaria erat, Landrecht *lib. 1. art. 69.* *Wesemb. Paratit. ad SC. Turpil. n. 7. Zobell. in gloss. nova* Landrecht *lib. 2. art. 8.* Dignus ergo planè hic error est, quem non negligere debuisset, dum Practicorum errores sub censuram vocaret, Antonius Faber, Sabaudus. Nec est, quòd Carolina sanctio scrupulum alicui injiciat. Quid enim vetat me hic illud usurpare JCti in *l. 195. ff. de Reg. Iur.* expressa solùm nocent, non expressa non nocent, neque n. ejus silentium abrogare abolitionem potest. Et sunt insuper in Criminum & Accusationis materia bene multa quæ sicco pede constitutio illa præterit. Ne illi quidem, qui antiquo jure accusare prohibentur ibi vel repetuntur, vel recensentur. Et quæ antiquo jure circa hæc definita sunt, nihil minus tamen quàm desierunt. Verùm portus instat, anchoram figamus.

COROLLARIA.

I.

Mixtum Imperium [*quomodo id Politici usurpant*) *non magis datur, quàm Platonis Respublica, aut Thomæ Campanellæ Solis Regia.*

II. *Imperium, ubi is, qui præesse existimatur, ad reddendas rationes Proceribus obstrictus est, ab iisq; deponi, etiam ob leves aut nullas causas potest, Aristocraticum est. Id autem de Imperatore Romano, utut summâ ope annisus sit, nondum tamen probare potuit Hippolythus à lapide Dissert. de Rat. status part. 1. cap. 3. sect. 2. Cùm enim hæc ipsi probanda esset Enunciatio,* Imperator Ordinibus obstrictus est lege civili ad reddendas rationes, *& altera,* Imperator ob leves vel nullas causas jure deponi potest, *has tamen ille solummodò* (*quæ ad propositum non valde faciunt*) *probat,* Imperator aliquando rationes reddidit. Impetrator aliquando depositus est. *Quorum prius non dissentiente Imperatore, vel vi coacto etiam; posterius de facto contingere potuit. Et his tamen ille assertationibus satis securè totam partis 1. doctrinam superstruit.*

DE

DE
ÆSTIMATIONE
Dissertatio.

Concl. I.

CElebris est inter alias ista obligationum divisio, quòd alia in dando consistat, in faciendo alia. Ad rei enim traditionem debitor obstringitur vel ad operæ præstationem. Ab hac præstito interesse, plerumque liberamur *l. 72. pr. ff. de V.O. l. 11. & 13. §. 1. in f. ff. de re jud.* Sive regulariter id fiat, quod vult *Hum: Res: l. 3. tr. 4. q. 13.* Sive per dispensationem, innuente *Vasquio Contr. Illustr. p. 1. l. 1. c. 25. n. 33. & seq.* Pro istâ sive nondum sit nostra, sed dari nobis debeat, sive nostra jam sit, reddendaque ab alio, aliud tantundem valens seu æquipollens admittere, idque in subsidium æstimatione interveniente necesse est; si nempe non extet species debita, sive quamvis extet, debitor eam in potestate non habeat, sive siquidem habeat, deterior tamen sit, nec æquè bonam præstare possit. Tum enim expletrix justitia, quæ ad idem pertingere non potest, fertur ad tantundem, quod est morali æstimatione idem. *l. 71. §. 3. ff. de leg. 1. Grot. de jure B. & P. l. 2. c. 7. n. 2.*

II. Valla æstimationis natales ab æs & τιμὴ absque colore deducit, voce græcâ omen præbente. Quas Grammaticis occupationes, quibus desudant, non eripio. Rectiùs JCti, qui voculam hanc ab existimare conflatam arbitrantur, quod trito antiquorum significatu idem est, ac taxare, judicare, appretiare, vendere, uti & fingere; *l. 10. §. 5. ff. de Iure dotium.* Cic. pro Rosc. Græci dicunt, τιμᾶν, ἀνακρίνειν. Nostratet germani. achten/schetzen/taxiren/werdieren.

III.

III. In jure duplicem habet significationem. 1. accipitur pro actu æstimandi *§. 1. j. de empt. vend.* 2. objectivè, pro ipso æstimato. *l. 3. C. com. divid.*

IV. Æstimatio nobis nihil aliud est, quàm Definitio justi pretii τῦ ἀξιωτῦ, sive ejus, quod æstimabile est, ab eo facta, qui jure definire potest. Aliam ex Aretino descriptionem suppeditat *Maschard. de probat. Vol. 2. concl. 650. n. 1.*

V. Instrumentum æstimatorium pretium est, quod latè demonstrat *Salmas. de usur. c. 12. & seq.* Id græcè πράτιον, quasi merces, quæ vendenti daretur, i. e. τῷ πράτῃ. Facilis & tralatitia A in E mutatio. Indè quoque Interpretes propriè qui προπράτης Græcis, quasi μεσοπράτης, medius inter vendentem & ementem. Nummus autem loco pretii inventus est, qui communis rerum utilium mensura est, & tam ὑπεροχὴν quam ἔλλειψιν metitur. *Arist. 5. Eth. c. 5. 1. pol. 9.* Hic enim proprius nummi usus est, ut per eum res aliæ æstimentur, quamvis & improprium habeat usum, quatenus merx est, & aurum vel argentum, quod sui ipsius est æstimatio & utilitatem etiam apud eos habet, quibus nummus ille, quatenus nummus, est incognitus.

VI. Usum ejus ex publica lege gentium omnium etiam ante civitatem Romanam inductum fuisse constat. De Græcis argumentum fortissimum præbet, quod Plato & Arist. multa de nummo expromant, quibus tamen Romana Resp. planè fuit ignota. Quæ tum temporis olympiade circiter CX. bellum contra Latinos & Samnitas nondum imperio subjectos persequebatur. Illa fabella est, quam refert Pinell. quòd à Patre Abrahæ jussu Nini Regis Assyriorum prima moneta facta fuerit, quamvis non obstrepat temporis ratio. Romæ primùm signata est pecunia argentea quinque annis ante primum bellum punicum, anno ab urbe condita D LXXXV. Q. Fabio consule, cujus meminit *Plin. l. 33. Natur. histor. c. 3.* quo tamen in loco manifestus deprehenditur error, cùm 100. ibi additi sint anni; adeóque juxta Chronologiam Henr. Glareani & Holoandri legendum fortè anno ab urb. cond. *484.* qui consulatui Q. Fabii, convenit. Nos hic antiquitatum amatoribus exhiberemus primum nummum argenteum Consularem Romæ ex argento publico signatum ab Dn. Præ-

 side,

ſide, Promotore ac Patrono meo mihi olim communicatum, niſi de eo videri poſſit *Goltzius in Faſtis p. 82. edit. Autverp. anni 1645.* Notas autem argenti fuiſſe bigas aut quadrigas & exinde bigatos quadrigatosque dictos idem teſtatur *Pl. d. l.*

VII. Cura & Ordinatio monetæ æquè ac Jus cudendi Majeſtatis eſt. In Imperio noſtro ad Regimentum olim etiam ſpectaſſe docet *Receſſus de anno 1524. §. Item* nachdem die Batzen. Hodie ordinum ferè eſt *Receſſ. de anno 1551. §.* nemlich als ſich bißhero *Receſſ. Imperii de anno 1576. §.* derhalben auff beſchehen. Atque notiſſimi conventus, qui vulgò vocantur *Probationis* Tage/ ubi ad Legitimam æſtimationem reducuntur nummi poſt explorationem peritorum, vulgò der Wardein/ *Vid. Meiſchn. tom. 3. dec. 6. n. 13.*

VIII. Tria in numiſmatibus quin neceſſaria ſint non ambigitur (1) τύπος βασιλέως, (2) στάθμος, (3) εἶδος καλόν. Effigies Principis, Pondus & proba ſpecies. Plura præter communem gentium approbationem hiſce non aggero. Forma iſta Principis civilis eſt, ſpectatque ad eos, qui Reip. gubernacula tenent, unde etiam videmus, quamque Rempubl. ſua inſignia ſuis nummis imprimere. Certum quoque eſt, nummum proprium uſum non habere, niſi publicam habeat æſtimationem. *l. 1. ff. de contr. empt.* Sed ejuſmodi forma nummi omnibus metallis convenire poteſt, & facit etiam ut nummus ſit nummus, non habita ratione materiæ. Valor itaque, qui ſimpliciter ex jure gentium dependet, non eſt à charactere ſed ex materia nummi emanat, aliàs nihil intereſſet inter nummum aureum & ferreum, cui Princeps aurei æſtimationem dediſſet, aut tribusne an triginta libris aureus aliquis æſtimaretur, quod ridiculum. *Guid. Pap. quæſt. 493.* Nummus igitur quatenus eſt nummus pretioſus non eſt, ſed aurum & argentum pondere determinatum nummi valorem induit, & denique maſſa illa auri ſive argenti cum forma & valore pecunia dicitur. Hinc etiam non niſi ſecundùm qualitatem materiæ, quæ ſola eſt omnibus communis exteri eam recipere tenentur. Sic edicta Regis Galliæ Principes noſtros Germaniæ non afficiunt, nec ſpectant illi, quanti ſit nummus Gallicus, ſed quanti ſit aurum Gallicum. Prudenter itaque à Valentin: & Valente Impp. conſtitutum eſt, cum characteris integumento cœperunt de

quan-

quantitate & pondere detrahere, ut solidos ipsos aureos veterum Principum ratione formatos, ita suscipi absque refragatione oporteret, si modò & debiti ponderis essent & speciei probatæ. *l. 1. C. de vet. numis. potest.*

IX. Ex hoc Principio fluit duplex nummi æstimatio, intrinseca & extrinseca. Intrinseca est ipsa auri, argenti aut similis metalli æstimatio, quæ & apud exteros, quibuscum nobis commercium est, usu recepta. Extrinseca, (quam Molinæus malè vocat Intrinsecam) illa est, quæ à Principe aliquo aut Rep. nummo imposita est eaque major aut minor, quàm patitur materiæ aut ponderis ratio. Illa ex arbitrio gentium æstimatur; Hæc ex arbitrio ejus, cujus charactere nummus signatus est. Illa æstimatio est auri, argenti & veritatis; Hæc ipsius nummi, i. e. non quatenus aurum &c. Sed quatenus nummus est. Illa certa & publica, h. e. quæ apud omnes gentes perpetua est; Hæc incertissima, & apud hos aut illos jam in usu jam non est; adeóque variabilis pro Legislatoris arbitrio & voluntate. Quod si extrinseca æstimatio respondeat intrinsecæ, ita ut unus idemque valor sit, eam ad intrinsecam referre malim, quàm extrinsecam, quòd aliam causam quàm ipsam materiæ quantitatem non habeat, quódque naturâ & dignitate valor intrinsecus præcedat extrinsecam.

X. Quid in definitione nostra æstimabile sit, satis ex ipso vocis sono intelligimus, nempe quod æstimationem recipit ac dignum est pretio; Cui adversâ fronte contrarium est Inæstimabile, quod nullam recipit æstimationem. Qualis est res juris divini. *l. 9. §. 5. ff. de div. rer.* Libertas, quæ nec lui pecunia nec reparari potest *l. 9. §. 2. ff. de stat. lib.* Liberum corpus: Vitæ enim & cicatricis in libero homine, qui nec est in fructu nec ut peculium aliquod aut res in commercium veniens possidetur, æstimatio non fit *l. 3. ff. si quad. paup.* (Scholastici tamen distinguunt inter restitutionem pro membro læso aut mutilato, quæ fieri non possit, & restitutionem pro damnis ex læsione aut mutilatione membri secutis quam deberi contendunt. *Dicastillo de Iust. & jure l. 2. tr. 2. disp. 3. dut. 4. & 5.*) Secus in servo. *l. ult. de his, qui effud.* Idem dicendum de legitimatione spurii, conjectione in carcerem &c. Quibus accenseo operam, quæ ab artium liberalium Professoribus, Advocatis & Medicis inpenditur.

 XI.

XI. Rerum illa æstimatio in universum duplex est. 1. Communis, quæ ex communi hominum opinione profluit *l. 63. ff. ad L. Falc. l. 33. ff. ad l. Aquil.* quæ constitui solet non ex præterita venditione sed ex valore præsenti *l. 3. §. 5. ff. de jur. fisc.* Inspicitur enim id, quanti ea res venire potest. *l. 45. ff. ad L. Falc.* unde vulgare illud: Tanti res valet, quanti vendi potest. *l. 18. §. ult. ff. de mort. caus. donat.* quando itaque quæstio est de communi specierum æstimatione, videndum quantum pro ea offerri ac dari soleat in foro publico. *l. 8. C. de cohort.* & hæc æstimatio regulariter præstatur. Alia æstimatio est affectionis sive singularis, quæ ex speciali circa rem affectione proficiscitur; quam Grotius ad accidentia rei æstimabilia refert, quando res licitè supra aut infra commune pretium emitur aut venditur, quale est lucrum cessans & damnum emergens, aut si in gratiam alterius res vendatur aut ematur, alioqui non emenda aut vendenda. Sic Pater magno pretio redempturus esset filium, etiamsi vix decem esset aureorum. *l. 35. ff. de min.* & hæc æstimatio in casibus qui habent certam quantitatem non debet excedere duplum communis & veræ æstimationis. Prioris mensura maximè naturalis indigentia est *Arist. Mor. Nicom. l. 5. c. 8.* Hæc à voluntate hominum, quæ rerum domina est, dependet. *Plin. l. 9. c. 15.*

XII. Nulli autem rei natura sive ipsa essentia definitam æstimationem præfinit, sed uniuscujusque rei pretium, præter vendentis cupiditatem vel indigentis necessitas vel æstimantium opinio vel civilis indictio facit. Nonnunquam verò pretium propter rerum defectum aut abundantiam ratione locorum ac temporum modò intenditur modò minuitur. *l. 63. ff. ad L. Falc. Cl. Bœcler. dissert. de mensura pretii.* Maximè in rebus fungibilibus & usu consumendis, quibus tamen plerumque determinatio à magistratu accedit *Plin. l. 9. c. 35. l. 37. de gemmis. August. de civit. Dei l. 11. c. 16.* Illud non præteribo, mercium omnium æstimationem à nummi valore, tanquam à regula, legem accipere, sive valor ille justus sit sive injustus. *l. 2. C. de vet. numism. potest:* Quod tamen ad extrinsecam æstimationem tantùm pertinere arbitror, cùm diminutio nummi intrinseca fieri non possit in æstimatione materiæ, sed in quantitate. Hæc verò cùm accidit, spe-

ſpecierum pretia non decreſcunt ſecundùm Accurſium, ſed creſcunt, nam & eo caſu creſcit nummi æſtimatio extrinſeca.

XIII. Seorſim proponenda eſt Æſtimatio publica privata & Judicialis, quæ huic tractationi noſtræ metam figent.

XIV. Publica ſeu civilis æſtimatio jurisprudentiæ nomotheticæ eſt, quæ cùm non unius aut quorundam, ſed omnium ſalutem ſimul reſpiciat, poſt alia etiam ſingulis mercibus certum & moderatum pretium legali autoritate præfinit, habita ratione Rei, Loci & Temporis.

XV. Jus autem illud bona ſingulorum æſtimandi ſummum imperium gerentium eſt, ſive ſint Reges ipſi, quique par Regibus jus obtinent, ſive optimates, ſive populi liberi. Eminens enim illa facultas altioris faſtigii & ſuperior eſt jure vulgari, utpote communitati competens in partes & res partium boni communis cauſa. Quemadmodum in res ſingulorum majus eſt dominium Regis ad bonum commune quàm dominorum ſingularium.

XVI. Romæ exercebatur à Cenſoribus, quorum quidem temporaria, ſumma tamen fuit poteſtas, cum ingenti autoritate inquirendi in facultates & mores hominum, uti patet ex formula legis cenſoriæ ap. *Alex: ab Alex: gen. dier. l. 3. c. 13.* In Imperio noſtro vel ab imperatore & ſtatibus ſimul, qui univerſi imperii majeſtatem repræſentant, ordinationes taxatoriæ conſtituuntur, ut totum imperium obligetur, vel à circulo quodam imperii vel à ſingulis ſtatibus in ſuis territoriis.

XVII. Per hujusmodi ordinationes primùm monopolio occultè proſerpenti clauſtra ponuntur, tum etiam mercatoribus, qui nulla juſtitiæ aut cenſuræ reverentiâ ducti, foro in privatum utuntur commodum, in exigendis pretiis freni injiciuntur, fraudumque ac avaritiæ ſtudium coercetur. *Klock. de ærar. l. 2. c. 26.*

XVIII. Æſtimandæ autem à magiſtratu res ſunt non quælibet ſed neceſſariæ & uſu magis frequentatæ.

XIX. Neque neceſſe eſt, ut utrobique ſibi conſtet ac perpetua ſit æſtimatio, cùm non verſetur circa malum & bonum quod ſimpliciter tale eſt, & morale vulgò in ſcholis appellatur, ſed circa illud,

quod ex legum judicio tale æstimatur, ac politicum rectè appelletur. Quemadmodum igitur non omnia omnium sunt temporum ac locorum; Ita & æstimatio circumfertur & prout cuique Reip. videbitur, cum variantibus temporum casibus circumferri ac mutari potest.

XX. Privata æstimatio est, quæ libero contrahentium arbitrio relinquitur, eaque duplex: vel conventionalis vel testamentaria.

XXI. Conventionalis in duplicem finem à partibus fieri solet. 1. Taxationis gratia, 2. Emptionis.

XXII. Taxationis gratia facta censetur cùm pretiorum nomen propterea annexum est ut constet, quanti res sit. *l. 69. §. 7. ff. de jur. dot. l. 21. C. eod.* Docet autem JCtus illud fieri, si conveniat, ut recipiens easdem res post solutum contractum restituat, sed eodem pretio, quo accepit. Ex hac autem æstimatione emptio vendit: non resultat. Ubicunque enim res æstimato data restituenda est ita ut dominium irrevocabile non transeat ad recipientem, ibi non est vera emptio. Atqui, quando alicui contrahenti res quidem datur æstimata, sed tamen ut ille rem illam restituat aliquando, ibi dominium irrevocabile non transit ad recipientem. E. *Academiæ Juliæ JConsultus celeberrimus Joh. Eichel. in coll. mss. ad ff. t. de jur. tot.* adde *Gothofr. in Notis* ad *l. 21. C. De jure dotium.*

XXIII. Emptionis loco adjicitur, quando valor rei exprimitur, & convenit, ut non res restituatur sed illud pretium, quod illis rebus fuit constitutum. Et hæc vera est emptio, quia res ita datur, ut dominium irrevocabile ad recipientem transeat. *Menoch. l. 3. præs. 74. n. 1. & seqq.* Designamus autem hic non Empt. Venditionem, quæ ad amussim hujus negotii per omnia quadret, sed quæ Emptionis aliquid quasi induit, quòd ea, quæ de venditione lege vel edicto sancita ex identitate rationis & æquitate ad æstimationem porrecta sint arg. *l. 29. §. 1. ff. de stat. lib.* quemadmodum omnes alienationes seu potiùs contractus, quibus dominium transfertur, interveniente specie quadam venditionis celebrari voluit Lex 12. Tabb. *Bach. ad Treut. disp. 28. th. 1. lit. B.*

XXIV. Nos species nonnullas hujus æstimationis pro temporis

ris ac memoria nostræ capacitate eruemus. Et primam paginam hic faciet tanquam materia quotidiana dos æstimato data. Ubi emptio celebratur (1) Si Caja dicat. Do tibi Caje ædes meas in dotem 100. æstimatas, quo facto non res sed æstimatio dotalis est, quæ dominium in maritum ita transfert, ut pretium ædium non ipsas ædes in dotem accepisse censeatur. *l. 5. C. de jur. dot. l. 10. §. 4. & seq. l. 16. ff.* eod. *l. un. §. cumq; 9. vers. æstimat. C. de re. uxor. act. Ant. Faber in Cod. tit. 7. lib. 5. defin. 43. n. 1. Paris. in Cons. 64. n. 20. l. 4. Tiraq. de contra, cons. §. 1. gl. 14. n. 20.* (2) Si convenerit, ut iisdem formis & modis quibus dos æstimata data est restituatur. Eam enim clausulam ad præfinitam æstimationem referendam esse diligens scrutator comperiet. *Aut. Rubeus in Cons. 5.* (3) Si res ab initio sine certa æstimatione in dotem dentur, quæ per arbitros ad id electos æstimari debeant. *Covar. pract. quæst. c. 28. tom. 2.* Quod si arbitri illi non definierint æstimationem, res eo pretio datæ censentur, quod justum erat tempore traditionis. Ab ipsa enim lege æstimatio illa fieri dicitur, ut favore dotis etiam locus sit arbitrio boni viri, arbitris non æstimantibus. *Socin. sen. Conf. 57. §. pen. n. 7.* (4) Si dos, promissa sit in certa quantitate & secuta fuerit rerum quarundam traditio pro dote promissa. *Soc. sen. Cons. 69. l. 4. n. 1. 5.* (5) Si pro se suisque successoribus & quibus jura sua ipse concedere voluerit dotem accipiat *l. 5. C. de jur. dot.* (6) Si maritus ad restitutionem dotis æstimatæ simpliciter se obliget. *Natta. Cons. 650. n. 5.* (7) Addunt Dd. cùm pactum fuerit, soluto matrimonio, res ipsas vel earum æstimationem arbitrio & electione mariti restituendas esse. l. 10. §. 6. ff. de jur. dot Ex qua tamen conventione vera emptio non resultat, quia si maritus restituere velit res dotales, obligationi satisfaciet. *l. 11. ff. de jur. dot.* (8) Si dos certæ quantitatis promissa marito defuncto muliere ad secunda vota transeunte absque certæ quantitatis mentione promittatur. Nam dos in priore matrimonio data eadem quoque in secundo, si aliud nihil obstet, repetita intelligitur. *l. 30. l. 40. l. 64. ff. de jur. dot. Paul. de Cast. in Cons. 183. col. 2. Carpz. pract. for. p 2. c. 16. d. 11. n. 13.* Quamvis non desint qui confertim hic diversi abeant. *Ioh. Frid. Sol. Tract. de dote. quæst. 25.* (9) Etiamsi dos viro data non solùm cui res splendida

dida est, sed etiam arcta. *Barbos. in l. æstimatis n. 26. ff. sol. matri*: Licèt enim lex impossibilia fingere non possit, tamen hic nulla extat impossibilitas, cùm maritus pretium illud habere possit, saltim distrahendo res illas in dotem datas, eo tempone, cùm æstimatio illa restituenda est. *Covarr. d. l. & post eum Menoch. l. 3. præs. 74. n. 22.* Parùm itaque in Jasonis, Decii, Socin. jun. & aliorum opinione præsidii.

XXV. Non semper autem in dote æstimatio facta est ad effectum, ut res æstimatæ quasi venditæ viro maneant, sed ita demum, si id actum sit & negotii natura patiatur, *l. 1. ff. de æstimatoria.* neque vel lex ipsa, vel pacta conventa vel conjecturæ eam fieri vetent.

XXVI. Lege emptio non efficitur (1) Si res datæ sint numero, pondere ac mensura constantes, quantitates enim sunt, quarum dominium non transfertur, cùm genus non materiale quid sit sed intellectuale, quod passionem non recipit. Ideoque hæ res in pari pondere aut pari numero & mensura ejusdem generis, eandem vim, eandem æstimationem præstant. *Salmas. de mutuo disp. 1. ad th. 27.* non tamen, quæ emptionem importat *l. 42. ff. de jur. dot.* de cujus sensu, quem non assequitur, frustra laborat gl. (2) Si res dotales minorum imobiles tradantur marito æstimatæ sine tutoris autoritate & judicis decreto, cùm hic defectum formæ & solennitatis deprehendere sit, quæ jure necessaria est in alienandis rebus minorum. *l. 22. C. de administ. Tut.* Mobilia tamen minor contrahens matrimonium sine decreto, modò curatoris intercesserit autoritas, alienare potest *l. 1. C. si advers. donat.* (3) Cùm dos nulla æstimationis definita quantitate data est. *Bart. in l. si ut certo. §. nunc videndum. ff. commod. n. 5.* pretium enim certum esse debet §. *1. I. de empt. vend.* aliàs imaginaria erit emptio, quæ de jure efficax non est *l. 55. ff. de contr. empt.*

XXVII. Ex conjecturis non celebratam esse in dote emptionem præsumitur (1) Si ex post facto constante jam matrimonio facta sit æstimatio non eo tempore, quo dos constituitur, vel paulò pòst. *Covar. pract. concl. 28. n. 10.* verisimile enim non est, contrahentes per novationem à priori contractus lege discessisse: tum quoque taxationis tantùm gratia & ex necessitate adhibita censetur. arg. *l. 3. C. comm. divid.*

divid. unde non resultat emptio, *Amad. de Pont. q. 28. n. 13. & seqq. Carpz. I. F. part. 3. c. 23. d. 27.* (2) Si maritus accepta pecunia & fundo dotis causa bona sua obligaverit pro restitutione pecuniæ, non verò pro restitutione fundi. Hoc enim casu fundus manet dotalis *Hier. Gabr. in cons. 60. n. 3.*

XXVIII. Ex pacto emptio non contracta judicatur (1) Si æstimationi adjectum sit ut mulieri res dotales eodem pretio, quo fuere æstimatæ, soluto matrimonio reddantur *d. l. 21. C. de jur. dot. l. ult. ff. de pact. dot. Faber de variis num. deb. solut. c. 2.* (2) si conventum sit, ut dos ipsa restituatur, si tum extiterit, habita ratione argumenti & diminutionis boni viri arbitratu, si perempta, ut detur ejus æstimatio. *l. 50. ff. sol. matr.* Pertinet enim ea adjectio ad augmentum vel diminutionem bonitatis intrinsecæ, non æstimationis extrinsecæ ne alioquin frustra facta sit conventionis æstimatio. Inprimis autem dotalia instrumenta probè perspicienda sunt, & verba ipsius æstimationis quid quantumque liceat de contrahentium animo seu intentione colligere. *arg. l. 10. §. 6. ff. de jur. dot.* Quæ compendio hîc exhibui, ea fusiùs persequuntur *Covarr. & Menoch. d. ll.*

XXIX. In reliquis etiam contractibus nominatis ac innominatis emptionem importat æstimatio. Exempla obviant *in l. 3. ff. locat. l. 1. ff. de act. æstim.* Nisi tamen ad dominium transferendum sint inhabiles. Reservato enim sibi dominio, quomodo propriè vendita res dicetur? *l. 80. §. 3. ff. de cont. empt.* Quod si contractus circa translationem generis cujusdam intermedii, æstimatio emptionis loco adjecta censetur. *arg. l. 3. ff. locat.*

XXX. Effectus æstimationis in contractibus multiplex est. Propter enim eorum varietatem non potest non variare ipsamet æstimatio. Jam augmentum & dominium, jam verò onera, casus, pericula &c. in accipientem transfert. Interdum actionem ex empto interdum æstimatoriam vel aliam ratione contractus tribuit.

XXXI. Primum iterum locum sibi vindicat dos æstimatò data, quæ viro prodest. (1) Quia is consequitur jus dominii plenissimum, perpetuum ac irrevocabile *l. 5. l. 10. C. de jur. dot.* (2) Commodum & accessionem, pro periculo fortè rei acceptæ *l. 66. §. 3. ff. sol. matr.* (3) Licentiam res æstimatas alienandi matrimonio con-

ſtante *l. 11. ff. de fund. dot.* niſi fortasſis dictum ſit, electionem eſſe mulieris.

XXXII. Maritus emolumenti expers, particeps uxor eſt, dum ille tanquam debitor ſpeciei detrimentū rei ſentire cogitur. (1) Quia in hunc finem datur, ut finito matrimonio pretium reſtituatur. (2) Quia res hujusmodi inſtar rei emptæ ad maritum delata. Hinc quoque *l. 30. C. de jur. dot.* uxori tam rerum æſtimatarum quàm inæſtimatarum vindicationem concedit, utilem ſcilicet, uti rectè *Bachov. ad Weſemb. de I. d.* Quod ſi res iſtæ per uſum ipſius uxoris conſumantur mariti periculo conſūptæ cenſentur. *l 51. ff. ſolut. matrimonio.* Prior enim contractus per uſum poſteriorem mutatus non eſt. Quæſi conſiderentur, Mariti rebus conſultiùs eſt, dotem non æſtimatam accipere, ne ejus periculum ſubeat *l. 10. cum 11. ſeqq. ff. de jur. dot.*

XXXIII. Hæc mulieribus patrocinantur ſecutis nuptiis, non ſi ante eas res perierit. Favore enim dotis ſemper tacita conditio ſubintelligitur, ſi ſequatur matrimonium, qua pendente nulla naſcitur obligatio. *l. 41. ff. de jur. dot.*

XXXIV. Dote jam data, Marito exempto ad rem tradendam actio competit vel ſi tradita eſt & evicta de evictione. *l. 16. l. 34. in f. ff. de jur. dot.*

XXXV. Mulieri jure veteri non niſi actio perſonalis dabatur *l. 1. §. 1. ff. de fund. dot.* Ubi fundus per univerſitatem in hæredem mariti tranſire dicitur. Jure novo tacita ipſi hypotheca conceditur & privilegium prælationis vel in ſubſidium rei vindicatio. *l. 30. C. de jur. dot.* Hypothecaria ſi agat, mariti creditoribus, qui etiam expreſſam anteriorem hypothecam habent, præfertur, quaſi nulla interveniſſet æſtimatio. *d. l. 30.* quæ ſententia ab Ultramontanis approbata, teſte Salic. *in l. 12. C. qui potior. n. 4.* & contra Accurſ. & Bulgar. defenſa eſt à *Bachovio ad Treut. vol. 2. diſp. 24. th. 7. lit. β.* Rei vindicatio mulieri conceditur in ſubſidium etiam contra trertium, qui rem dotalem æſtimatam titulo lucrativo vel oneroſo poſſidet. *arg. l. 1. C. de donat. quæ ſub modo* &c. Etiamſi uxor alienationi rei conſenſerit. Fœminis enim gratificandi ſtudio abreptus jus ita conſtituit Juſtinianus, ut pleniſſimè iis conſuleretur. Nemini autem peritorum juris ignoti ſunt perple-

plexi hac in re ac intricati Dd. nexus. Nos ad evitandam absurditatem cum Salic. Bart. Jas. Covarr. & communi schola Dd. sustinebimus, uxorem pro rebus inæstimatis directâ pro æstimatis non nisi utili actione agere posse, ariete, quem Socinus & alii movent, in ipsos retortô, citra ullam legis offensam. Nisi enim id admittatur, largiamur necesse est, pretium rei in effectu non datum nec (2) dominium irrevocabile translatum esse; (3) Res itidem illas subsistente matrimonio à marito alienari non posse. jung. *Sol. Tr. de dote. art. 3 V. Repetitio. & art. 4. §. 10.*

XXXVI. Utrùm autem in dote æstimato data ea æstimatione, qua vendita est laudemium debeatur, non abs re in hoc curriculo quæritur? Sive neges sive affirmes, nodo implicitus hærere videberis. Neganti obstabit *Valas. Cons. 113. n. 13.* Affirmanti regeretur sententia *Onuph. Donade: Neapol. in tr. de renunc. c. 14. num. 70.* Rationes utriusque claudicant. Ad perfectiorem planè normam rem redegit subtilis JCtus *Dn. Frantz. in tr. de laudem. c. 22. n. 77.* Si à patre vel fratre datur ea æstimatione, quæ emptionem facit, laudemium non debetur, etiamsi dos data sit filiæ emancipatæ aut sorori. Sin ab extraneo aut ipsa muliere & simpliciter facta est æstimatio, ab initio laudemium debet maritus, quia statim dominiũ ad eum transfertur; Sin conditionaliter ut liberum sit mulieri vel rem eligere vel æstimationem, non debetur, antequam elegerit Mulier, fundumque tradiderit, quia priusquam facta fuerit declaratio, emptio non contrahitur. Quæ rationum diversitates juris imparitatem generant.

XXXVII. In feudo diversum jus observo. Quamvis enim varia extent Dd. responsa, Utrùm dotis causa dari possit marito? Tutius tamen est, ut filiæ feudum habenti sub ea conditione dandi potestatem esse concedamus, si non feudum æstimatum sed inæstimatum viro dotis occasione concedat, *2. Feud. 13. & 2. F. 17.* quia tum venditio in rebus feudalibus prohibita præsumi non possit. *Sol. d. tr. art. 2. n. 7. Schrader. de feud. part. 8. c. 1. n. 36. & seqq.* ubi tamen id observandum quoque est ne apponatur pactum de dote lucranda, *Vid. Clar. §. feudum, quæst. 36.*

XXXVIII. Simili modo si res emphyteutica in dotem æstima-

tò datur fœminæ, quæ non sit de comprehensis in investitura, res in commissum cadit. *Aur. Corbul. in tr. de jur. Emph. cap. 14. ampl. 32. num. 1. & 2.*

XXXIX. Ex contractu quoque æstimatorio emptio Vend. resultat. *l. 1. f. ff. de æstim. act.* Ubi examini sistitur quæstio, ad quem pertineat periculum. Communis decisio, quæ fit per *l. 17. §. 3. ff. præsc. verbis*, ne ipsa quidem adamantina est. Non defunctoria erit consideratio, quid & de quo convenerit, quod pendet ab arbitrio prudentis judicis. *l. 1. §. ult. ff. de æstim.* Distinctionem Jasonis ad *d. l. 17. §. 1.* omnibus aliis præfero: Aut res dantur facta æstimatione vendendæ propter rem, ut ei vel rem vendere vel sibi retinere, & pretium dare liceat: quo casu periculum est suscipientis, si fortè res non reddatur! Aut propter personam dantur, ut sciat saltim, quanti rem vendere debeat accipiens: vel nihil planè expressum est, & tum distinctio in *l. 17.* locum habet. Dominum autem tradentem in re prioritatem habere ratio propugnat, quòd eam vindicare posse videatur, cùm ejus adhuc sit, *l. 5. §. 18. ff. de trib. act.* Nisi dans in creditum iverit, sive quod idem est, dominium transtulerit, tum enim personaliter eum actione æstimatoria obligare voluisse videtur. *d. l. 5.* Venditor autem eo ipso dum rem tradit, constituto pretio fidem de eo habuisse præsumitur. *Lucas de Penna l. 3. in præs. 112. C. de apoch. publ. Lib. 10.* Id quod colligit ex *l. si soluturus inf. ff. de solut.* An idem de pretio, quod in rebus particularibus in locum rei non succedit, affirmari possit, parùm prospicio, præterquam in subsidium.

XL. Dominium quoque ac periculum transfert, ac emptionis loco habetur æstimatio in ususfructus constitutione. *l. 6. §. 1. C. de sec. nuptiis. l. 5. §. 3. Commod.* Res autem quæ usu consumuntur mobiles & immobiles in usum fructum constitutæ æstimandæ sunt propterea, ut quid re perempta vel in genere vel pretio reddendum sit, sciatur, quod cautione duplici (1) de restituendo accepto & utendo arbitratu boni viri quæ ex Edicto Prætoris est *l. 1. pr. l. 5. §. 1. ff. usufr. quemad. cav.* (2) de restituendo quanto æstimato fieri solet: quæ cautio proprietario præstatur & de substantia est ususfructus, de qua SCtum extat *sub tit. ff. de Usufr ear. rer. quæ usu consum.* Effectus hujus cautionis insignis

signis est, quod usufructuarium ad tantundem in pecunia reddendum, quantum æstimatum accepit, non ad tantundem in genere aut re aut alternativè astringit *Sotom. de Vsufr. c. 17. n. 13. & seqq. Schneid. ad Tit. I. de usufr. §. 2. n. 4.*

XLI. Frequentissimus est apud Germanos contractus, qui ab Italis vocatur, conventio Soccidæ, de quo ipso in jure nostro ne apicula quidem nisi in *l. 8. de pactis.* Decisionis de periculo cujus sit viam nobis monstrare poterit hæc partitio. 1. Si nempe Taxationis gratia animalia æstimata data sint, tum mortuo animali, quantum illud æstimatum est, reddi debet, & transfert in recipientem periculum custodiæ vel ex culpa omni etiam levissima proveniens, non periculum casus fatalis. *Mantic. l. 6. tit. 6. §. 3. de tac. & ambig. conv.* Illud enim recipiens non præstat, sed remissionem desideranti subveniri solet; Quia animalium mortes, quæ sine culpa accidunt, in nullo b. f. judicio præstantur. *per l. vulg. 23. ff. de reg. jur.* (2.) Si pascendi animo data sunt, propter formam pactorum transit hæc conventio in contractum societatis, in qua unus rem confert, alter operã; quo casu & domino & pastori partes in damno & lucro sunt æquales. Posita enim societate ponitur communio, nisi casus in culpam transeat. *l. 52. §. 3. ff. pro socio.* Quæ vera sunt, si vis major ingruat, non perinde, si minor, *Tabor. in Tr. de jure soccid. c. 7. num. 12. & seqq.* (3) Si animalia æstimata dantur animo emendi, casus decidi poterit ex *l. 11. §. 9. ff. quod vi aut clam. l. 7. l. 8. ff. de per & com. rei vend.* hoc loco nempe æstimatio operatur domini translationem *Dan. Moller. ad Constit. Elect. 33. n. 10. part. 3.* Contractum hunc injustitiæ nota liberat *Rauchb. part. 2. quæst. 29. Molin. de just. & jure disp. 503. Wesenb. in §. de illa I. de societ.*

XLII. In iis contractibus, quorum natura non est habilis ad dominium transferendum saltuatim quædam delibabimus. Communis schola Dd. commentatur suscipientem ad aliquod onus, à quo æstimatione non adjecta liber erat, obligatum reddi, ita ut semper uno gradu gravius teneatur, v. g. si aliàs ex contractu tenebatur accipiens de culpa lata, teneatur etiam de levi, si tenebatur de levi, teneatur de levissima, si tenebatur de levissima, teneatur etiam de casu fortuito, quam graduationem Baldus procudit & copiosè stabiliunt *Mozz.*

Rauchb. & alii. Diſſent. *Molin. diſp. de Iuſt. & Iure 286. n.* 10. qui ad totum periculum recipientem damnat, quod tamen duriuſculum videtur. Diſcrepantiam horum moderantur *Card. de Lugo, diſp. de Iuſt. & jur. 8. ſect. 9. n.* 122. qui tum demum eam admittit, ſi ex circumſtantiis conſtet, intentionem contrahentium eam eſſe, ut totum periculum ſit penes recipientem. Neque enim quælibet hîc æſtimatio ad quodlibet periculum, quod ſine culpa alicujus accedit & expreſſum non eſt, quemlibet adſtringit, ſed ut vigilanti auimo in rem attentur & actuoſior ſit admonet.

XLIII. In commodato hanc eſſe æſtimationis poteſtatem, ut omne periculum ad accipientem tranſeat, invenies apud *Mozz. de contr. tit. de com. div. n. 3.* qui in aciem producit, *l. 5. §. 3. ff. de commod. & §. 2. I. quibus modis re contr. obſ.* Cùm autem harum rerum ingens ſit varietas, alii benigniori interpretatione in tria membra quæſtionem diſpeſcunt. Si enim 1. in commodato verſatur utriusque utilitas, veluti in pignore, tum ad leviſſimam aſtringitur commodatarius, qui de dolo lata & levi culpa antea tenebatur. *arg. l. 37. §. 1. ff. neg. geſt. Sichard. ad l. 1. n. 7. C. de Commod.* (2) Si commodantis ſolam continet utilitatem commodatum, veluti, ſi ſponſus ſponſæ commodet ornamenta, ut honeſtius ad ipſam ducatur, de levi & leviſſima culpa tenetur, qui de dolo vel lata culpa tantùm tenebatur. *l. 5. §. 10. ff. commod.* (3) Si commodatarii, ejus quoque erit periculum, & caſus fortuitus, utpote cujus antea fuerat dolus, levis & leviſſima culpa; Niſi res eodem modo apud commodantem fuiſſet peritura, ut ſi fortè à vetuſtate materiæ nata caries rem exederit, &c. *l. 14. §. fin. ff. depoſ.* qua tamen de re varia extant Dd. reſponſa.

XLIV. Idem ferè obtinet in depoſito *Bart. l. ſi ut certo. §. nunc. videndum. ff. commod.* Locat. Cond. *Rauchb. d. l. n. 3. Card. de Lugo d. tr. diſp. 29. ſect. 4. n. 72.* ſocietate *l. 52. §. 3. pro ſocio.* Mutuo *l. 8. C. ſi certum petatur.* In nummorum obligationibus res etiam expedita eſt, eandem ſemper quantitatem & monetæ ſpeciem reddendam eſſe quæ eſt in obligatione, eam nempe quæ expreſſe deſignari poteſt, veluti thalerus imperialis, Philippæus, aureus Rhenanus, &c. non autem æſtimationem ejus aut ſpeciem diverſam, etiam quæ poſſit eſſe in

ſolu-

solutione *arg. l. 9. §. ult. & seq ff. de contr. emptione l. 1. §. 2. ff. de O. & A. l. 2. §. 1. de rebus creditis l. 56. ff. de solut. l. 1. ff. de pen. legat. l. 1. §. item si ita ff. ad. L. Falcid. Boer. quæst. 377. n. 10.* A vero aberrant propugnantes contrarium. Cùm enim nummus quilibet suam habeat æstimationem *l. 1. ff. de contr. empt. l. 3. de in lit. jur.* respectu hujus juris nihil recedunt nummi à reliquis rebus omnibus, ut differentia sit inter rei æstimationem & rem ipsam. *l. 42. §. 1. de Vsur.* Quamvis & probabilis ratio reddi possit, quare generali locorũ ferè omnium consuetudine receptũ sit benignè, ut etiam quod in aureis v. g. debetur, solvi possit in moneta argentea. &c. *Bart.* & communis Dd. Schola *ad l. Paulus. ff. de solut. & l. 5. ff. de reb. credit. Anton Faber de variis numm. debiti solut. c 3.* Sin verò genus sit in obligatione, ut si simpliciter quantitas in mutuum veniat, quæ subjectum corpus certum non habet, veluti florenus æstimatus 30. solidis, & apud nos marca æstimata sedecim solidis, ipsa æstimatio & tot solidi reddendi sunt, quot in obligationem deducti sunt. Nec in eo discrepat debitum nummarium à debito speciei, quæ si æstimata sit, vendita intelligitur, ipsamque si reddat æstimationem debitor, contingit liberatio, *d. l. 10. ff. de jur. dot.* Supervacanea enim absque hoc esset omnis æstimatio, cùm nec perire possint, nec deteriores fieri Aliud dicendum, si solidi aut libræ debeantur solvendæ in tot florenis, tum enim floreni sunt in obligatione. Si porrò demonstrationis gratia nummi æstimentur, quod in dubio præsumitur, si nempe ad obligationis non solutionis causam referatur æstimatio. *arg. l. 96. in pr. ff. de leg. 1.* nullius illa effectus est. Sin deniq;, taxandi causa, & constet jam de quibus agatur nummis, distinguunt Dd. Utrùm numerus adjectus sit nec ne. Priori casu numerum reddi debere, ut conventio servetur, Et ne frustranea sit æstimatio, quod superest in bonitate extrinseca reddendum à Creditore; quod minus supplendum à debitore, utrumque non in conventa specie sed in alia, dummodo non minutissima: (Minutæ enim hujus modi monetæ, etiamsi nihil specialiter convenerit, ultra 25. florenos invitus aliquis loco solutionis recipere non tenetur, *ex Ord. Imperii de Monetis Anni 1559. §.* **die jetzgemeldten**) Posteriori verò ratione auctæ vel diminutæ æstimationis extrinsecæ aut plures aut pauciores redden-

dos

dos nummos, ac si intrinseca bonitas nummorum vel aucta fuisset vel diminuta: plura hac de re ex uberi *Fabri* latifundio petenda. *in tr. de var. deb. solut passim. & Gail. 2. Observ. 73. Thes. decis. 174.*

XLV. Paucis nunc, quæ super est, excutiamus æstimationem Testamentariam, quæ adjicitur 1. ipsi hæreditati, si Testator dicat, Bona mea, quæ 100. æstimo, hæredibus meis relinquo. Quæ cùm ita dicuntur, si dicantur tantum, nec pretium, quo hæreditas æstimari possit, habeant, obligatoria quoque non sunt; cùm qualitatem extrinsecam concernens æstimatio illa efficax haud sit. Præsumitur enim, judicii errore Testatorem impeditum non intellexisse, quid scripserit aut de facultatibus suis majora sperasse, quàm in illis fuit, quod solent interdum nonnulli §. *in fraudem*: *l. qui manum*: *non poss.* Idem dicendum, si uno vel pluribus hæredibus institutis Testator hæreditati vel legatis æstimationem adjecerit in præjudicium Falcidiæ. Nihilominus enim vera æstimatio spectabitur, priori illa defuncti non attenta *l. 42. ff. ad L. Falc. l. 15. § ult. ff. eod. l. 81. §. 4. ff. de leg. 1.* Aut (2) addi solet Legato & tum (1) vel certa res legatur, æstimotione dispositivè adjecta, si tum minus valet, Legatarius ut sibi suppleatur petere potest, si plus hæres illud detrahere. *Klock. cons. 104. n. 55. tom. 3.* (2) aut rem legatam enunciative Testator æstimat, quæ utpote concernens qualitatem extrinsecam, ad obligationem quoque efficax haud est, cùm probando rem aliter sese habere, error præsumatur. *l. 4. & 5. C. de jur. & fact. ign.* Si itaque occurrant casus hujusmodi, qui à Testatore ipso nec prævideri omnes potuerint, nec exprimi, libertate quadam eximendi opus est illos, quos, qui locutus est, si adesset, eximeret. Aut (3) alternativè conjungitur Res legata & æstimatio. Estque in hæredis arbitrio; Utrùm eligere velit *l. 109. §. 1. ff. de leg. 1.* Alternativa enim, uti vulgò loquuntur, in quolibet extremorum verificatur.

XLVI. Æstimatio judicialis seu subsidiaria majorem præcedentibus evolutionem requirit. Quanta tamen fieri poterit brevitate, ea de re sententiam nostram admetiemur. Describi poterit, quòd sit definitio certi & justi pretii, ejus, quod quis ex contractu vel alia justa ex causa minus habet suo, à judicis addictione

ex-

expectanda. Contractus vox in definitione nostra πολύσημος est, quemadmodum alias sive ex vulgi usu sive ex artis consuetudine plures uno significatus admittit *l. 7. ff. his, quæ vi met. caus.* adeò ut & culpam omnem sive in faciendo sive non faciendo, pugnantem cum eo, quod aut homines communiter aut pro ratione certæ qualitatis facere debent, comprehendat. Per justas causas, quibus quis minus habet suo, quid intelligamus, petendum ex *l. 3. §. 1. ff. commod. l. 14. ff. de V. S. l. ex hoc ff. de alien. jud. mut. caus. l. 24. §. qui reprobos 1. ff. de pign. act. &c.* Ejus autem gratia inprimis, ut quod incertum est, determinetur, itur ad judicem, cujus partes maximè circa quæstiones facti occupatæ sunt.

XLVII. Hisce præmissis investigabimus causas & modos ad æstimationem deveniendi, quorum si non omnia præcipua certè exemplis & autoritate legum communita enumerabimus. 1. Attingamus ea, quæ ex dote debentur, acturi deinceps de cæteris. Alterutro nempe ex conjugibus in æstimatione rerum dotalium læso per officium judicis, qui addictus est actioni rei uxoriæ succurritur. Huic enim commissam in æstimando dotis inæqualitatem emendare competit *l. 6. §. 2. ff. de I. D. l. 6. C. sol. matr. quem dos pet.* Num verò minima læsio hic sufficiat, an maxima requiratur, implicata tractatio est. Prius fusè tuetur *Pinell. de resc. vend. 1. part. l. 2. c. 1. n. 10. 12. & seq.* at paucis tamen consensum extorsit. Posterius *Fontan. de pactis nupt. d. 5. gl. 6. p. 13. n. 29.* cùm litibus laxa aperiretur fenestra, si semper de pretio, quod dubium est, temereria levitate ageretur, quoties in minimo quis læsus sit, add. *Fabr. de err. pragm. dec. 8. err. 6.* Tutius denobabimus illa ex *l. 12. §. 1. l. 7. de jur. dot. & d. l. 6. sol. matr. quem dos. pet.* Aut enim circumventio dolosa est, quo casu justa æstimatio præstanda erit & pro minori læsione & majori etiam re consumpta. Aut alter conjugum reipsa sine dolo culpave promittentis circumventus est, quo casu totum æstimationis negotium ad justum pretium reducetur à judice, dummodo res in natura sit, quæ iterum æstimari possit, aut si extincta, pretium quod dotali instrumento inditum considerabitur. Judex itaque religiosus statuet, ex qua & quanta læsione non denegandus sit regressus, ita ut eorum, quæ exigui momenti sunt, non magnam, majorem

verò personæ & dotium, utrùm amplæ, magnæ minimæve sint, rationem habeat. Assertione istac Pinelli, quæ sua se imbecillitate prodit, per evidentem hanc rationem elisâ, quod metuendum sit, ne ex minima istac æqualitatis observatione ortis inter conjuges rixis, ipsa matrimonii turbatio sequatur.

XLVIII. Diffusa tractatio est, de æstimatione quæ ex voluntate defuncti debetur. Quamvis autem rigore juris civilis aliud peti non possit, quàm quod legatum est; tamen ex humanitate quadam hoc legatario indulgetur, ut æstimationem petat. Voluntas autem illa Testatoris triplici potissimùm modo colligitur. 1. Ex conjecturis, de quibus in universum præcipi nihil potest, sed judicis est, æstimare ex iis, quid senserit defunctus. I. itaque præstanda est æstimatio, cùm res aliqua personæ incapaci legatur, quæ non quidem propter crimen aliquod, uti bannitus, vel religionis diversitatem, &c. Sed propter vitium corporis sui, vel propter status conditionem, vel aliam justam & probabilem ob causam jus possidendi rem illam non habet, uti si claudo stipendium cursoris vel religiosis mendicantibus bona immobilia relinquantur. Si tamen Testatori vitium illud ignotum non fuerit. Tum enim cùm utique voluntatem suam effectum habere cupiat, æstimationem respexisse videtur. Perspicuus textus est *in l. 11. §. 16. ff. de leg. 3. l. 114. §. 5. ff. de leg. 1. l. 49. §. 1. ff. de leg. 2.* Sin verò Testator ignoraverit, se inutiliter respectu personæ legasse, nec apparuerit, utrùm, ut æstimatio præstetur, mens ejus fuerit, legatum inutile pronunciatur. *§. 4. y. de leg. Robert. 3. animadv. 11.* Aliud superioris regulæ exemplum affertur in servo, qui militiæ quamvis incapax, ejus tamen æstimationem consequatur. *l. 11. §. 16. ff. de leg. 3. Guiel. Magner. in l. quod factum. n. 8. in fin. ff. de reg. jur.* Tertium adducitur *ex l. un. C. non licer. habit. metroc. loc.* de extraneo, qui etsi dispositione statuti incapax est immobilium civitatis, debetur tamen ipsi æstimatio rei immobilis legatæ. *Chassaneus in comm. ad consuet. Burgund. in rub. 9. n. 27.* Audacius tamen pronuncies, si communem hanc sequaris, etiam ab *Alciato in resp. 479. n. 40.* multis restrictionibus attemperatam. Apertioris æquitatis est, quòd privatorum cautio autoritati legum non noceat *l. ult. ff. de suis & leg.* quòd nemo plus aut aliud voluisse præsumendus sit, quàm

per

per legem licet. *arg. l. 55. ff. de leg. 1.* Pluribus exemplis uti non libet.

XLIX. II. Hæres æstimationem præstare tenetur, cum à Testatore sciente legara res est, quæ penitus & liquidò cujusdam extranei est aut alteri obligata. *Iason. in l. cum alienam c. de leg. n. 2. v. 4.* qui id quoque ad rem furtivam extendit. *d. l. v. 3. Menoch. l. 4. præs. 118.* Legatur enim propterea ut eam redimat hæres, aut si is, cujus res est, eam vendere nolit, Legatario justam æstimationem præstet. §. *4. I. de leg. l. 14. ff. de leg. 3.* qui casus specialis est: ut scilicet extrema judicia, post quæ aliud velle non possumus, exitum habeant. *l. 5. ff. quemad. test. aper.* Objectio autem isthæc quòd Lex 12. Tabb. tantùm de suo legandi potestatem faciat. *l. 120. ff. de V. S.* levioris momenti est, cùm is, qui legat rem alienam de suo legare intelligatur, quoniam hæredem, uti dixi, redemptione onerat. Rursus si ignoraverit, non debetur æstimatio, cujus dispositionis sedem conclusione præcedenti reclusimus. ratio est, quia si Testator scivisset rem alienam esse, non fortè legasset, cùm difficilius legari soleant res alienæ, quibus hæredes gravantur, quàm res propriæ *l. 67.* §. *8. ff. de leg. 2.* Legatario probandam esse hanc Defuncti scientiam, addunt alii, tum quia actor est *l. 21. ff. de prob.* tum quia non præsumitur Testator necessitate luendi gravare voluisse hæredem; modò moneant, fallere hoc 1. Si res aliena personæ conjunctæ, uti filio, uxori &c. relicta sit, quò refert etiam amicos singulares *Iason. pp. l. 10. C. de leg.* (2) Si ad pias causas legatum quid sit, quemadmodum à legato libertatis ad legatum piæ causæ argumentatur *Tiraq. in tr. de priv. piæ causæ. priv. 66.* (3) Si Testator ignorans rem alienam esse vel etiam credens esse suam eam legavit præsente & sciente domino ipsius rei: quod tamen in dubium vocat *Menoh. l. 4. d. præs.* 116. *n. 22. & 23.*

L. (III) Peti potest æstimatio, cùm res Legatarii legata est ipsi legatario. Non tamen si tempore testamenti facti res illa legatarii fuerit. §. 10, *I. de legat.* Sed si postea Dominium ipsi supervenerit & quidem ex causa onerosa, quia cui pretium abest, ei adhuc res ipsa abesse videtur *l.* 14. *de V. S.* Sin verò ex causa lucrativa dominium

consecutus fuerit, legatum extinguitur §. *6. I. de leg. l. 82. ff. de leg. 1.* quia duæ causæ lucrativæ in eundem hominem & eandem rem concurrere non possunt. *d.* §. *6. l. 108.* §. *4. de leg.* 1. Fallit hoc (1) Si in quantitate legata res sit. *Schneid. ad* §. *Si res aliena.* (2) Si consecutus sit æstimationem rei, quacunque ex causa, tunc enim jus petendi rem superest, *d. tex.* quia non ut æstimatio re continetur, ita res æstimatione *l. 88. d. V. S.* quæ distinctio adhibenda est legi *34.* §. *2. de leg. 1.* Ita nec æstimatio peti potest, si in duobus testamentis, à diversis Testatoribus confectis, eidem eadem res legeta sit *d.* §. *6.*

LI. (IV.) Æstimatio omnino debetur: Si Testator rem legaverit, quæ simpliciter est hæredis, sive ignoranter id fiat, sive scienter, & res ipsa præstari nequeat. Id tamen non promiscuè, sed si plures instituti sunt hæredes, & res unius illorum legata est, nec id ignoraverit Testator, tum omnes in partem tracti æstimationem pro rata præstare tenentur; sin inscius fuerit, non ab omnibus peti potest æstimatio, sed ab illo tantùm, cujus res est. Obvia est hac de re sententia *Cand. do Lugo. disp. 24. de just. & jur. sect. 10. n. 264.* Quod si verò res illa simpliciter hæredis non fuerit, sed secundùm quid, tum jus illud quod in re illa Testator habuit vel ejus æstimatio debetur. *l. 71.* §. *ult. ff. de leg. 1.* Idem erit si res legata sit, quæ ex fidei commisso majorum restituenda est, de qua text. *in l. 114.* §. *15. ff. de leg. 1. Menoch. cons. 89. n. 60.* proponit exempl. Si res feudalis alienata sit à Testatore, quæ post obitum ejus devolvitur ad hæredem; & quidem si res illa primogenito restituenda sit *Roder. Suaretz. in l. quoniam. in 7. ampl. C. de inoff. test. & Covar. in d. c. filius. n. 3.* Videndus tamen inprimis *Melch. Palaez. in tr. de Major. 4. part. q. ult. n. 5. & 6.*

LII. (V.) Solvenda quoque est æstimatio, si res legetur quæ non est in commercio, respectu rei ipsius, non obstante, quòd difficilis sit ejus paratio. *l. 39.* §. *7. ff. de leg. 1.* Quæ verò absolutè hominum commercio exemptæ, cujusmodi sunt, quæ in §. *4. I. de leg. l. 39.* §. *8. & seqq. ff. de leg. 1.* enumerantur, earum rerum legatum ut nugatorium rejicitur, quales res sunt prædia Principis, horti Salustiani & similes. Nulla enim spes est redimendi, non quòd distrahi non possint, sed

quod

quòd non soleant. §. *10. d. t.* Nec etiam præsumitur, Testatorem cogitasse de redemptione, cùm redimi nequeant. ut itaque nec æstimatio earum debeatur. Sin res minorum ab eo legatæ sint, qui earum dominium non habet, & judex decreverit eas vendi non posse; debetur æstimatio. Rei itidem alienæ, quæ dotalis est, legatum quoad æstimationem effectum habebit, quamvis quoad ejus præstationem inutile sit. *Covarr. c. filius. n. 5. & seq. ext. de Testam.* Res Ecclesiæ absque solennitatibus legari vetitas esse, non ambigo. Dubitatur: Utrùm æstimatio saltim earum ex præsumpta mente Testatoris debeatur? Affirmat id *Covarr: d. l. n. 8. inf. Fer. Vasquius in tr. de successionum progressu. l. 3. tit. de leg.* §. *27. n. 7.* Negant verò *Imola. in d. c. filius. Fort. Garzia in tr de ult. fine. illat.* 12. Sit per me licet, ut non debeatur æstimatio, quando res Ecclesiæ alienabilis haud sit, aut à summo principe distrahi haud permittatur, cùm nec alia quidem immobilia absque ejus consensu alienari soleant. *Alex. in Cons. 9. n.* 14. *&* 15. *vers. & per hoc lib. 2.* Alia verò ratio est, si res Ecclesiæ ejusmodi sint, quæ alienari soleant facilè, quamvis enim vendere eas recuset prælatus Ecclesiæ, nihilominus tamen præstanda est æstimatio. *Alex. in d. cons. 9. n.* 14. *&* 15. *d. l. 39.* §. *7. ff. de leg.* 1.

LIII. Involuta aliquantum sed illustris quæstio est, in feudo legato quid juris? Communis Dd. opinio est, de feudo nullam posse fieri ordinationem in testamento, quod de ejus natura esse tradit *Mozz. de subst. feud. n. 78.* adeò, ut relicto alicui vel legato feudo, neque ipsum debeatur, neque regulariter ejus æstimatio, quod tuentur Rosenthal, Rudingerus, Ritterhusius, Janus ab Arcedura, Heigius, Vultejus, Obrecht, Bocerus, Schultzius, Finckelthusius, Dn. Richter, & Struvius adducti à Dn. Præside in Posit: in controversis de success. feudi. Planè tamen si constet de voluntate testatoris, volentis æstimationem eo casu præstari, illa præstabitur, non quidem ab ipso feudi successore sed allodiali: post adductos plures, Amplissimus Dn. Præses *dict. Disp. de succ. Feud. th.* 7.

LIV. (VI.) Legatum, quod certo respectu non est in commercio, uti res, quæ ædibus junctæ sunt, regulariter non consistit. *l.* 41. §. *2. ff. de leg.* 1. Quod magis affirmandum de iis, quæ propter pu-

blicum civitatis aspectum separari non possunt, damnum enim his eo majus est, quanto publica præstant privatis, eorumque detrimenta horum ruinam involvunt. Ne tamen legatario exinde fiat injuria, æstimatio illi adjudicanda. *d. l. 41.* §. *4. l. 43. in pr. ff. de leg. 1.*

LV. Jure suo hæres æstimationem præstare potest, cùm relicta ipsi optio est, utrùm legatum an ejus æstimationem dare velit. Si legata pars quædam bonorum est, quæritur: Num rerum partes debeantur, an æstimatio? Sabinus & Cassius ad æstimationem deveniendum esse existimant, quoniam res omnes æstimantur pecunia. Proculus & Nerva rerum partes deberi, cùm aliud pro alio solvi non debeat, uti pecunia pro re. Pomponii plausibilior sententia, ut, qui electionem esse hæredis asserit, si res commodè dividi non possit *l. 26.* §. *2. ff. de leg.* 1. propter scilicet incommoda, quæ ex communione oriuntur *l. 26.* §. *4. ff. de cond. indeb.* Licèt itaque in obligatione sit res legata, quia fructus ex hoc legato non usuræ præstantur. *l. 23. ff. de leg.* 1. id quod interest inter fructus & usuras. *l. 121. de V. S. arg. Tit. Cod. de usur. & fruct. leg.* liquida tamen res est, æstimationem posse esse in solutione, quò ex æquitate hæredi succurratur *d. l. 26.* Hæredis autem potiùs quàm legatarii electio est, quia in dubio non est sequenda interpretatio, qua hæres oneretur *l. 67.* §. *ff. de leg. 2.*

LVI. Ex Facto suo hæredem in æstimationem damnandum esse in propatulo est, si res, quæ jure legari prohibita non est, legata, dolo aut culpa aut mora hæredis perierit *l. 47.* §. *2. l. 39.* §. *1. ff. de leg. 1.* Culpam intelligo non latam solùm sed etiam levem & levissimam, quia negligentia quoque in rebus alienis excusanda non est, *d. l. 47.* Si tamen hæredis utilitas præcipuè in legato versatur, hæc admittenda est interpretatio, sin major sit utilitas legatarii, tum locum habet regula *l. 23. ff. de R. I.* Nec interest, sciverit an ignoraverit legatum, quod notanter monitum à JCto. *l. 108.* §. *11. & 12. ff. de leg. 1.* adde *l. 53.* §. *4. ff. ead. l. 53.* §. *6. & 7. l. 66.* §. *4. l. 4.* §. *16. l. 42. & 43. ff. de leg. 1.*

LVII. Nonnunquam hæres tam ad æstimationem quàm ad præstationem tenetur, veluti si res eadem numero, seu unum corpus & individuum diversis in solidum legatum sit. Cùm enim singuli solidum

lidum habere non possint, ipsa nos ratio eò deducit, ut uni æstimatio, alteri ipsa res assignetur, nec commodior extat via, qua utrique secundùm Testatoris voluntatem satisfieri possit. Eximius textus est in *l. 33. v. quod si separatur. ff. d. leg.* 1. Si tamen defunctum ita sensisse evidenter appareat, quo casu voluntas ejus servanda. In dubio autem humaniùs est, pro virili portione eos ad legatum admitti, ne nimis oneretur hæres, contra *l. 67. §. si rem ff. de leg. 2.* Is autem, qui prior litem contestatus est, eligit, sed ita ut uno electo non liceat eligere aliud *d. l. 33. & l. 30. ff. de leg. 3.*

LVIII. Quomodo autem æstimatio illa in eunda fit; quæritur? Adhibenda ea est, quæ comuni hominum opinione comprobatur, quæ ex fructibus, nec non ex verbis Testatoris & ipsa rei natura colligi potest, *pr. l. 30. §. 6. ff. de leg. 3.* Exempla petenda ex *l. 13. l. 1. l. 91. §. 5. l. 33. ff. de leg. 3. l. 30. §. 3. l. 68. eod. l. 68. eod. l. 78. §. 3. l. 5. §. 1. 2. de leg. 1. l. 32. §. 2. de leg. 2. l. 76. §. 2. ff. eod. l. 68. ff. ad l. Falcid.*

LIX. Quoties lege Falcidia infirmantur legata, quarta illa æquè deduci potest, nisi constet priùs, quis modus sit hæreditatis seu potiùs subjecti hujus Bonorum, quid itidem quantumque legatum sit? Si igitur aliæ res extra pecuniam aut quantitatem in hæreditate reperiantur, necessariò præmittenda est æstimatio, antequam ad detractionem Falcidiæ veniamus. Ubi primum, æstimatore dato, attendendum est ex *l. 42. l. 62. §. 1. ff. ad l. Falc.* ut corporum illorum pretium constituatur ex rei veritate, & ex communi ac præsenti æstimatione, non ex emptione præterita *l. 3. §. 5. ff. de jur. fisc.* nec secundùm affectionem aut formali pretio, quod alii interpretantur de censuali, cùm pretium illud decrescere potuerit, & hæredis negligentia, si pluris fortè res empta sit, legatariis nocere non debeat. *l. 61. ff. ad l. falc.* [2] Si res quoad quantitatem vel aliam ob causam communem æstimationem non recipit, facilè æstimanda est quanti venire potest. Sed quomodo æstimandum sit legatum annuum, quæritur? Distinguo: Relictum illud est aut Reip. aut privato alicui. Resp. factum in annos singulos legatum videri Marcellus putat, quantum sufficit sorti ad usuras trientes [i. e. 4. pro 100.] ejus summæ, quæ legata est, colligendas; ut si quaterna annua essent Reip. legata, dicemus 100. esse in

lega-

legato: Si quis vicena annua legaverit, ſors erit quingentorum & ſic conſequenter, quæ ſumma confici poteſt ex præſtatione 25. annorum. *l.3. §. ult. ff. ad l. Falc. Donell. lib. 8. c. 24. n. 30.* Si relictum ſit privato & fortè tot annis vixerit legatarius, ut penſiones tot annorum ſuperent dodrantem, & ſit locus falcidiæ tunc ſingulorum annorum legata retro diminuuntur, cùm omnia legata minuantur. Si legatum unum excedat dodrantem, ex omnibus legatis pro rata deducitur. *l. 47. l. 55. ff. ad l. Falc.*

LX. De legatis alimentorum à claris hujus ſeculi ingeniis tractata quæſtio eſt. Poteſt illud æſtimari ſecundùm doctrinam Ulpiani *l. 68. ff. eod.* qui eandem rationem in computatione Uſusfructus admittit, ut à primis annis usque ad annos 20. æſtimatio fiat alimentorum 30. annorum, quanti videlicet futura ſunt alimenta 30. annorum ſemel præſtita &c. Expeditior ratio eſt, quàm artifex calculi Juridici *Æmil. Macer.* ſuppeditat, à prima ætate usque ad annum trigeſimum computationem triginta annorum fieri, ab annis verò 30. tot annorum computationem iniri, quot ad annum ſexageſimum deeſſe videantur. *d. l. 68.* Non nego hanc non eſſe veram alimentorum & uſusfructus æſtimationem, ſed aperire tantùm volui, locum eam habere in Falcidia. Cùm nempe exacta formula tradi non potuerit, eam elegere Romani, qua res ad moderationem quandam reduceretur. Nonne autem abſurdum eſt, quod in uſufructu legato, qui perpetuus non eſt, 30. anni computentur, in reditu verò perpetuo computentur tantùm 25. anni. Reſpondeo: Illa ſumma in 30. præſtationes diviſa non æſtimatur ac ſi ſemel præſtaretur, ſed ſi has præſtationes temporarias æſtimare velimus, æſtimandæ ſunt hæ, quæ 30. annorum ſunt tanti, quantum quis vellet dare pro iis & præſtari poſſent illi quaterna ſingulis annis usque ad 30. añorum ſpacium. Inſpicimus igitur, quanti ſecundùm regionis morem vendi poſſent illæ triginta annorum præſtationes, & tanti eas æſtimamus. *l. 55. ff. ad l. Falc.* In reditu verò perpetuo faciliùs emptor reperietur, qui emat quaterna ſingulis annis in perpetuum præſtanda, 100. h. e. qui tantum dare volet, quantum colligi poteſt ex præſtatione viginti quinque annorum. Non enim finitur, ſed in perpetuum durat & ſortem illam efficit in 25. annis. Cùm autem morte lega-

legatarii finiatur usus fructus, quod etiam de annuis legatis & alimentis relictis affirmamus, atque incertum sit, quamdiu victurus sit legatarius, unde legata illa æstimari non posse videantur, hinc & hæredi & legario prospici solet per cautionem: quanto amplius acceperit reddi, *l. 1. §. 12. ff. ad L. Falc. t. t. ff. si cui plus, quæ per l. Falc.* Idem dicendum de legato conditionali. *d. l. 1. §. 12. l. 37. §. 3.* De legato in diem extat *l. 37. §. 4. ff. eod.* De nominis legato *l. 82. ff. eod.* De legato habitationis *l. 68. ff. eod.* De supellectilis, ornamentorum, olei, vestium tritici, &c. legato, eorumque æstimatione vid. *Donell. de jur. civi. l. 8. c. 19. & 20.*

LXI. In hac autem æstimatione propter Falcidiam ineundâ inspiciendum esse valorem patrimonii tempore mortis Testatoris, plùs quàm perspicuum est *§. 3. I. ad L. Falc. l. 73. ff. eod. l. 30. ff. eod.* ita ut augmentum & diminutio postea contingens prosit & noceat hæredi, non Legatariis. *Schneid. add. §. 3. n. 1. & 2.* Quod autem de diminutione dictum, verum est, si in genere quid relictum vel quantitate, non si in specie res legata sit, quæ postea intereat, hoc enim casu periculum ad Legatarium veluti dominum spectat, hæres autem ne quidem ad æstimationem rei tenetur *§. 6. I. de leg.* nisi in mora fuerit, uti dictum *concl. 56. §. 1.*

LXII. Ratione legitimæ Testator quoque bona sua interdum æstimat. *Card. Tusch. tom. 5. pract. cl. 188. n. 39.* Si verò æstimatio illa in præjudicium legitimæ facta sit, Liberi ad supplementum agere possunt. *Paul. de Castr. Cons. 177. n. 2. & 3.* Ne alioquin nimis facilè sit Patri defraudare legitimam contra *Nov. 15. c. 3. l. 29. C. de inoff. test.* Nec liberi in legitima sequi cogantur judicium Testatoris, si malint sequi judicium legis. *arg. l. 15. §. 1. ff. ad L. Falc.* quod commodè huc traduxit: *Faber in C. l. 3. tit. 19. def. 29. n. 9.*

LXIII. Elucidanda est quæstio: Ex quo tempore hæc æstimatio instituenda sit. Distinguendo ut multæ aliæ, ita & hæc quæstionis liticula dirimitur. Si Pater filio suo tradiderit legitimam jure debitam ante obitum suum, attenta quantitate bonorum, quæ eo tempore habebat, pacto quidem præmisso inter patrem & filium de non succedendo, & creverint postmodum bona ejus, antequam emoreretur, tum tempus mortis parentis inspiciendum, & filius ad portio-

tio-

tionis legitimæ augmentum agere poterit, quia nec legitima ante id tempus debetur. *l. 1. §. 21. ff. de Coll. bon. Bald. in l. pactum C. de Collat. ult. appos. Roder. Suar. in l. quoniam in prioribus ampl. 9. C. de inoff. test.* Id tamen non aliter locum habebit, quàm si pactum illud absque juramento factum fuerit. *Suar. d. l.* (2) Si à patre legitima filio assignata non est, sed post mortem ipsius debetur, & si facultates patre mortuo intrinsecè auctæ sunt, tum quoque legitima post obitum patris non soluta crescit. Negari enim non poterit, filio eam sine mora post mortem parentis deberi *l. 36. §. 1. C. de inoff. test.* Per eadem vestigia ingreditur *Berlich. l. 3. concl. 14.*

LXIV. Bonorum collatio si instituatur regulariter res ipsæ & corpora acquisita in specie conferenda sunt, nec sufficit eorum æstimationem præstare. *Arnold. de Reyger. Thes. juris verb. Collatio. n. 22.* quæ sententia fulcitur *in l. 2. §. 1. ff. de reb. cred.* quæ aliud pro alio invito creditori solvere vetat; frustra dissentiente *Meijero in Coll. argent. de coll. n. 9.* Certis tamen casibus locum quoque habet æstimatio; quod partim ex rationis suggestione, si res alium exitum naturaliter reperire non potest, partim ex legum & JCtorum consensione probatur. (1.) Itaq; ad commodius transigenda negotia admittitur æstimatio, si res sit indivisibilis. (2) Si dividi quidem, sed ab aliquo hæredum possideri non possit. *l. 2. §. 5. ff. de aqu. pluv. arc.* e. g. Militia, quam promiscuè omnes capescere non possunt, item beneficia clericalia & præbendæ. (3) Si cohæredes consenserint; consentienti enim creditori aliud pro alio solvi potest. *l. 26. §. 4. ff. de cond. ind. l. 1. §. sed et si. ff. de coll. bon.* (4) Si bona ipsa non extent, vel conferens ea in potestate non habeat, quòd vel perempta vel alienata sint. *Castal. ad l. 20. ff. fam. herc.* [5] Si conferentis singulariter intersit, rem penes se manere: Ita si libri collationi subjaceant, retineri illi possunt & tantùm eorum pretium conferri. *Sneid. ad §. quædam actiones. n. 25. I. de act. Vinn. tract. de coll. c. 16. n. 5. Bald. in l. Macedon. 5. C. ad Sc. Maced. Horatius Lucius de privil. Scholar. p. 30. Rebuff. in tr. de priv. Schol. univ. 55. & 56.*

LXV. Quæstionis est, cujus temporis ratio in hac æstimatione habenda sit? Rejicienda est Castalii & aliorum sententia, conferen-

ferendum esse quanti res est, inita ratione temporis, quo collatio fieri debeat; neque enim in eo eos falli dubito, quoniam cùm res proponatur post mortem Testatoris alienata, jus certè quæsitum hæredibus, quantum pro re accepit cohæres conferendum erit. Adstipulamur itaque Brunnero existimanti *c. 5. n. 87. tr. de coll*: deberi æstimationem, quæ fuit tempore mortis defuncti, cujus nexus ad vinculum est, quòd leges velint fieri collationem eorum bonorum, quæ conferens tempore mortis defuncti habuit *l. 6. C. de coll. bon. l. 1. §. 17. & 19. ff. eod.* Eo tamen casu prior sententia vera esse poterit, si & aditæ hæreditatis & petitæ collationis concurrant tempora.

LXVI. Quæstionem quoque de feudi conferendi æstimatione paucis attingamus. Cùm autem imputatur illud in legitimam, quo casu permaner apud eum, qui alioquin in feudo esset successurus, vel inter fratres confertur, tum moraliter seu ratione civili ad æstimationem illius Filius, cui manet feudum, obligatur, ut legitimæ satisfiat: non obstante, quòd individuum sit ratione physicâ. *arg. l. 26. cum filiis in pr. ff. de leg. 2. Hart. Pistor. l. 2. q. 38. n. 11. Guid. Papa in quæst. 476.* Numne autem ex tempore mortis patris ineunda ea æstimatio? Affirmant Dd. ita ut consideretur feudum nudum, oneribus, quæ æstimationem minuunt, deductis. Quid autem si feudum novum à Patre ex communibus bonis filio uni & soli comparatum, eique vivo parente traditum sit? [2] Aut feudum pecunia paterna emptum à patre pro se & filiis suis? Priori casu pretium impensum æstimari probat *Hart. Pistor. 2. quæst. 38. n. 70.* Posteriori non deberi æstimationem filiabus, sed tantùm pecuniam paternam in emptionem feudi collatam *Lud. Schrad. de feud. p. 7. c. 5. n. 42.* Quamvis autem à jure stricto ægrè recedamus, si modum non enormius excesserit pretium, aut vena paternæ hæreditatis prorsus exiccata fuerit: tamen in eam partem velitatiuncula hac defendendam inclinâmus, quòd pretium in emptionem feudi collocatum conferendum sit, in subsidium tamen & ex æquitate, si reliqui filii & filiæ ex bonis allodialibus neque legitimam, neque alimenta, neque dotes congruas consequi possint.

LXVII. Eadem ratio est in Emphyteusi, ita ut æstimatio illius æquatis partibus conferenda sit fratribus ab eo, qui Emphyteusin possidet vel possidere præ aliis possit. *Everh. in loc. leg. tit. de feud. ad Emph. n. 27.* deducta pensione & onere, quod annuatim persolvitur *Valasc. de jure Emphyt. q. 39. n. 29.* Fœminis exclusis ex prompta solùm debetur pecunia, à qua sententia rationibus munita nos non dimovet Gomez, blandiori sexui subsidium parans. Comm. in *l. 29. num. 21.*

LXIX. A collatione differt divisio, tanquam consequens ab antecedente. In hoc autem judicio jure Rom. certissimum est, si inter ipsos hæredes convenire nequeat, hæreditatem officio judicis sive arbitrorum vel per sortem esse dividendam. *l. 5. ff. fam. hercis.* §. *ult. Inst. de off. jud. Iason. in. 1. ff. si cert. pet.* Æstimatio tamen rerum hæreditariarum omnino hic præcedere debet. *l. 34. ff. fam. hercis.* sive ab ipso judice, sive ab arbitro divisorio fiat, modò de consensu omnium, quorum inter est *arg. l. 1.* §. *10. ff. de nov. op. nun.* Judex autem in divisione hac facienda expendere debet, quid commodius sit, quid à fraude & injuria magis alienũ: Inprimis res singulæ ex veritate secundùm præsens & commune ipsorum pretium æstimentur *l. 62.* §. *ult. & l. seqq. ff. ad L.* Falc. *l. item* §. *ult. ff. com. Div.* (2) Ratione rei unitæ non divisæ *l. 13.* §. *3. ff. fam. henr.* Rebus ita æstimatis optio datur uni hæredum, utrùm retinere rem æstimatam an pretium à cohærede exigere velit, *l. 3. C. com. div.* Jure Can, Et Saxon, major fratrum res æstimat & partes constituit, Minor eligit *Carpz. I. F. p. 3. c. 15. d. 2. n. 5.* vide de hac ratione decidendi varia, & erudita tradentem *Tiraquell. de primogenitura quæst. 60.* cujus moris Seneca quoque meminit *l. 6. de Oclam.* Illa Canonistarum ratio de qua etiam *August. l. 16. de Civ. Dei c. 20.* ab exemplo Abrahami & Loth, *Gen. 13.* nihil ad rem, quia non ibi vera divisio, nec illi cohæredes & Abrahamus modestia quadam hoc fratris filio concessit.

LXX. Plusculum in æstimatione rerum hæred. moræ trivi. Provehamur jam ad eam æstimationem, quæ ex contractu vel quasi debetur: Quædem indicasse suffecerit. Præstanda illa plerumque ex iis, qui Reineuntur & perficiuntur, quorum quatuor in

jure.

jure. Princeps inter contractus istos Mutuum est, qui cum periculo inæqualitatis minus est obnoxius, quia res fungibiles, quarum quantitas pondere numero & mensura constat, quæque eodem genere (quod Philosophis species est) restituendæ sunt, non videtur sufficere, si, quis æstimationem earum obtulerit. Durum enim est, nec sine salebris abit, statuere, alterius generis rem reddendam esse in mutuo, latè id persequente multiscio *Salmasio disq. de mutuo & passim Dd.* Veniam tamẽ si fas est petimus, quòd eorum vestigiis non insistimus. Præterquam enim, quòd omni lege valentior necessitas hoc exposcat quandoque, cùm species, quæ debetur eadem, ea in loco aut eo tempore quo reddi debuit dari nequeat, æquitas quoque id suadet, dum debitor rem ipsam præstat post condemnationem, quando secuta est valoris mutatio, nec tantum restituere potest quàm factum fuisset, si justo tempore solvisset, Porrò nec propterea mutuum non est, etiamsi diversum genus vel æstimatio reddatur, quia nec hoc fieri possit, quo minus ab initio rectè contractum dicatur mutuum, cùm constitutio quidem ipsius contractus à sequenti postea satisfactione discrepet adeò ut ad illam contractus substantialia concurrere necesse sit, hæc ex partium conventione qualiscunque esse possit, quæ omnia ad rationis solem illustrata obscura non sunt.

LXXI. Ex triplici isthac ratione idem collegerim observari in commodato. *l. 6. 4. ff. de re jud. l. 68. ff. de R. V.* Item in Deposito, pignore, & in omnibus contractibus personalibus, Ita ut quilibet repetat æstimationem ejus, quod sibi nomine interitus rei vel deteriorationis abest, quatenus nimirum cujusque culpa arguatur, *arg. l. 32. l. 24. ff. de V. O.*

LXXII. Quando per hominem alrerum obligamur, quo refero Exercitoriam & Institoriam jure romano in solidum tenentur singuli. Apud Batavos tamen, aliisque in locis universi non amplius tenentur, quàm ad æstimationem v. g. navis & eorum quæ in navi sunt.

LXXIII. Utrùm autem tempus obligationis, mortis litis contestatæ an condemnationis attendendum sit in æstimatione rei debitæ ex contractu vel quasi, multiplex quæstio est & fœcunda artino-

tinomys, adeò ut nullum hodie esse vel judicem vel Patronum vel JConsultum crediderit *Cujacius*, qui non hæreat, maneatque suspensus, quoties hac de re tractatio incidat. *In tr. ad Afric. 8. in l. 37. ff. mandati & Bacchov. p. 1. disp. 20. th. 13. lit. A.* Sine ullis itaque cuniculis apertè ad veritatem iter struamus & casibus distinctis duos inprimis terminos figamus, ad quos singulæ revocentur leges. Primò ponamus Terminum à quo, nempe tempus moræ à tempore contractus computatum, quod rursus consideretur vel 1. Ex verbis contrahentium, ut si tempus adjectum sit obligationi vel etiam conditio, quo casu tempus præcise spectatur, quo dies obligationis venit. *l. 59. ff. de V. O. l. ult. ff. de condict. tritit.* Concordat famosa *lex 22. Vinum ff. de R. C. Lyclama Comm. ad d. l. de æstim. re. deb*; Et sicuti pro reo dies ille adjectus intelligitur *l. 41. §. 1. & l. seqq. ff. de V. O.* Ita quoque pro stipulatore. *l. 114. ff. de V. O. l. 11. ff. de re jub.* II. Ex negotii qualitate consideratur quandoque tempus solutionis *l. 37. ff. mand.* Primus pro secundo fidejussit Stichum & solvit, cumque mandati agat adversus secundum & pro eo solutum repetat, dicitur, inspiciendum esse tempus, quo Stichus solutus est, non litis contestatæ, neque condemnationis. Interdum inspicitur tempus litis contestatæ, quia inutilis esset ex stipulatu actio, si eo judicii accepti tempore jam mortuus homo proponeretur, quia tum nec homo mortuus nec ejus æstimatio peti posset. Verba tamen stipulationis inspicienda sunt, quæ sufficienter exprompta adversus eum, qui judicavit, faciunt. Interdum consideratur tempus quo satis factum est creditori, dando scilicet fidejussorem *per. l. 22. ff. de O. & A.*

III. Ex jure æstimatio redigitur ad tempus intentatæ interpellationis juxta *d. l. 22. ff. de R. l.* Si de die solutionis nihil convenerit, antecedens enim tempus non attenditur, cùm nulla fieri mora intelligatur, ubi nulla petitio est, *l. 88. ff. de R. I.* Si autem mora contracta, eligimus illud tempus, quo res à mora ad condemnationem usque unquam fuit plurimi *l. 8. §. 1. ff. de cond. fuit. l. 3. ff. de cond. fuit.* quæ leges non obliquè id, quod indagamus, demonstrant. Utut autem thesin convulsuris ratiunculæ defuturæ non sint, hac tamen sola solidaque ratione, quæ fundamenti loco, ex quo pleraque

que

que partis adversæ rationes dissolvantur, substernenda est, opinionem eorum infringimus, quòd sit moræ effectus, ut Creditoris intuitu nihil non utilitatis circa rem ipsam consistentis, & respectu debitoris omne nocumentum in æstimationem veniat. *l.21. §.3.ff. de act.empt. l.2. l.38. §. 7.ff. de usur*, Idque in odium moræ introductum *l.37. in f.ff. mandat. Zœs. ad ff. de R. C. n. 30. Lex* autem illa *d. 8.* uti hariolatur Lyclama in odium furum concepta non est, sed communi ratione, neque mora contracta litis contestatione negligitur, si extrajudicialis spectetur, cùm attendendam eam statuamus non aliter, quàm, si tum res plurimi, fuerit, &c. Id quod ex concursu argumentorum clarius patebit. Contrariis respondet. *Bart. in d. l. 22. ff. de R. C. Dn. Strauch. lect. Ienens. ad eand. l.22. Dn. Struvius Exerc. ad ff. 16. th.37. Exerc. 17. th. 69. Ex. 18. th. 56. & 57.*

LXXIV. Terminus ad quem, seu quocunque extenditur & crescit æstimatio mihi tempus sententiæ est vel mortis sive interitus rei. Tempus sententiæ quia eousque attenditur judicis officium circa æstimationem *l.55. ff. de re jud.* Rarissimè tempus post sententiam observatur. Lyclama *d. l. n. 80.* Mortis, quia tum res amplius æstimari non potest, cùm in rerum natura esse desierit.

LXXV. Spes lucri quoque, quæ est sub ratione incerti æstimatur, *l. 12. & in f. ff. de act. empt.* non ut illud ipsum, sed secundùm propinquitatem ad actum, ut in semente spes messis, Recurritur a. ad eam æstimationem, quæ probabiliter ex ea sperari poterat, *Bald. Cons. 133. vers. 3.*

LXXVI. Assecurationes, uti vocant, i. e. avertendi periculi contractus seu præstandæ indemnitatis circa casus fortuitos, pretium ex communi æstimatione petendum esse innuit *Grotius l. 2. de I. B. & P. c. 12. §. 23.*

LXXVII. Addendum hîc, Meliorationes quoque æstimari, si tales sint, ut ipsæ respectu possessoris vel impensarum deduci aut tolli debeant, sed salva rei substantia aut sine magno incommodo indè divelli non possint. *Arnold. Reyger. Th. jur. verb. melioratio. n.3. Cuj. 9. obs. 38. Vngep. exerc. 6. qu. 2. in Nego.* cùm is, qui bona fide in re aliena vel in re sua, quæ ad alium transitura est, industria vel impensis suis quid fecerit, pro-

proficuos sumptus repetere possit. *l.38.ff.de R.V.l.16.ff.eod.* nec quicquam sub sole verius, quàm neminem debere cum jactura alterius fieri locupletiorem. *l.14.ff.de cond.in deb.* Æstimatores autem illos, qui eliguntur à partibus, non lateat, & reparationes & sumptus minimè loco meliorationum censeri, sed neque utrumque neque alterum tantùm sed alterum ad alterum relatum deberi, ita, ut non simpliciter exsolvantur sumptus, sed quatenus proficui. Subscribente nobis *Harmenop. prompt. jur. lib. 2. tit. 1. rub. de b.f.poss.* Quæritur: Utrùm melioramenta illa juxta valorem ædificii soluti sive ruderum, an verò stantis adhuc æstimari debeant? Prius ex consuetudine observari testatur *Bald. in auth. excipitur. n. 2. C. de bon. quæ liber. Molin. in cons. paris. §. 1. gl. 5. n. 98.* Domini autem optio est: Utrùm pretium ædificiorum ac meliorationis solvere an verò pati velit, ut ædificia ac meliorationes auferantur. *c. 1. §. si vasall. tit. hic finitur lex: Bald. in d. §. Schneid. in tit. de act. §. actionum, de actione ex conducto n. 22.* nisi æquitatis ratione aut negotii qualitate commotus judex aliter rem disponat, cujus officio incumbit, hæc ita temperare, ne qua nimia in alterutro versetur captio. *Hart. Pistor. l. 2. quæst. 42. n. 4. & seqq.* quem sequitur *Berlich. p. 3. concl. 42. n. 2. & seqq.* Vix dum decisionem invenit Dd. concertatio: Utrùm æstimatio hæc à tempore, quo expensæ factæ sunt, an quo res sub æstimationem deducitur, ineunda sit? Prius defendit *Bursat. cons. 11. n. 50. per l. 12. ff. de in rem vers.* Posterius *Menoch. recup. poss. rem. 15. n. 557. per l. domus. 58. ff. de leg. 1.* non tamen absque distinctione *n. 565. Maschard. de probat. concl. 1041. n. 19.* Nec aliorsum tradit *Gutierretz. pract. quæst. l. 5. q. 68. n. 6.* Quamvis hanc litem meam non faciam, rectiùs tamen quis dixerit, per *l. 38. ff. de rei vind.* à bono judice variè ex personis causisque sententiam ferendam, ita ut restituendum decernat, si quid impensum à re ipsa absit: sin extent impensæ, rem recipiat eo usque duntaxat, quo pretiosior facta est, & si plus pretio rei accessit, solum quod impensum est. Per singula enim longè faciliùs hæc ex circumstantiis negotiorum, quàm in universum definiri possunt. *Molin. d. l. Hart. Pist. d. q. 42. n. 11. & seqq. Iul. Cler. l. 4. sent. §. feudum. q. 88. n. 2. Rosenthal de feudis c. 10.*

concl. 43. n. 87. Ioh. Gartz. de expens. & melior. c. ult. Gail. l. 2. Obs. 121. Quæ ferè ad quamlibet meliorationem flectenda sunt, sive facta sit in emptione. *Ioh. Franc. Balth. resol. 8.* sive Loc conduc. *Vnic. Carac. de loc. cond. p. 3. t. de expens.* sive in feudo. *Berlich. pr. concl. 42. l. 3.* sive in Emphyteusi. *Alc. Valasc. d. tr. q. 25.* sive in fidei commisso *Gail. d. l. n. 12.* sive in re obligata *Vinc. de Franch. dec. 506. n. 10.* vel denique pignore & hypotheca. *Menc. Melin. de pign. & hypoth. l. 2. t. 2. q. 60.*

LXXVIII. Jam in lucem nobis protrahenda ea est æstimatio, quæ in delictis propriis & impropriis locum habet, tam in iis, quibus in rem, quàm personam delinquitur, Res furto subtractæ æstimantur, cùm civiliter agitur, sive alienæ sint, sive propriæ, commodatæ sive pignori datæ &c. Omne autem, quod ex furto nobis abest, & res singulæ & earum accessiones æstimantur *l. 12. C. de furtis.* Tenentur enim fures rem subtractam reddere cum suo incremento naturali & cum damno sequente aut cessante lucro, & si res periit æstimationem non mediam aut infimam sed summam *l. 8. §. 2. ff. de cond. furt.* Displicet, quòd juxta leges justitiæ commutativæ satis esse existimet *Covarr.* si res furto ablata domino restituatur vel re perrempta justa ejus æstimatio, quæ quasi justissimam efficiat damni dati compensationem. *Tom. 1. relect. c. peccatum de reg. jur. in 6. §. 6. n. 2.* Nimium enim quantum vulnus infligeretur *legi all. 8.* id si concedatur. Eæ autem tantùm res, quæ furto ablatæ sunt, ita ut nec totum, ex quo pars quædam surrepta sed pars ea, quæ à toto ablata, æstimatur. *l. 21. §. 5. 6. 8. l. 22. ff. eod.* nisi ipsum totum sit sublatum *l. 21. §. ult. ff. eod.* Incertam autem æstimationem, si fortè res à fure non exhibeantur, aut corruptæ sint, Dominus juramento in litem definire potest. Non tam propter legem *9. ff. de in lit. jur.* sed ideo potiùs, quòd definiente *Vlpiano in l. 68. ff. de R. V.* in omnibus actionibus in personam, quibus agitur de re domino restituenda, in litem jurari possit. Propterea autem recurrimus ad æstimationem ut sciatur, quousque duplum vel quadruplum in quod reus condemnatur, extendendum sit, quod ad rationem simpli, quanti res est, ineundem.

LXXIX. Condictio quoque furtiva non rem ipsam solùm, sed & æstimationē ejus persequitur. *l. 8. l. 12. §. f. l. 13. l. 14. §. 1. ff. de cond. furt.* Si enim res extet adhuc, Magistratus judicialiter eam taxandi jus habet, adhibitis æstimatoribus, quibus tamen non nisi juratis credendum, qua de re infrà. Sin perempta, æstimanda est, quanti plurimi utique fuerit à primo contrectationis die *d. l. 8. §. 1.* cum omni accessione, causa ac interesse. *d. l. 13. eod.* aut valorem ejus per juramentum probandi facultas Domino non est adempta. *Boss. in fract. Crim. Tit. de Rap. n. 37.*

LXXX. In Crimine Rapinæ, Dominus civiliter actionem vi bon. rap. intra annum instituit, quadruplatur vera rei æstimatio, in quo quadruplo res ipsa inest & pœna triplici, eo quod interest non attento. *l. 2. §. 13. ff. vi. bon. rapt.* Si alius, qui dominus non est, interesse æstimatur, non verus rei valor. *ad l. 2. §. 2.* Post annum reus ad simplum tantùm tenetur. *l. 4. in pr. & §. 6. ff. d. l.* qui annus utilis est continens 365. dies. *Schneid. ad tit. Inst. debi. bon. apt. in pr. n. 13.*

LXXXI. Rerum amotarum æstimatio refertur ad tempus, quo sunt amotæ. Si tamen pluris factæ non restituantur, crescit earum æstimatio, ut in cond. rei furtivæ. *l. 29. ff. de act. rer. amot.* reipsa enim furtum fit, licèt molliori vocabulo rerum amot: non furto actio detur. *d. l. 29.* Interdum quanti in litem actor juraverit contra conjugem suscipientem condemnatur. *l. 8. §. f.* cujus elegans ratio habetur *in l. seq. 9. ff. eod.*

LXXXII. Hisce consimilis est actio arborum furtim cæsar. *l. 8. ff. arb. furt. cas.* quæ in duplum datur. *l. 7. §. f. ff. h. t.* facienda æstimatione, quanti Domini intersit non lædi: ipsarumque arborum pretium deduci oportet, & ejus quod superest fieri æstimationem. *d. l. 8.* Notanda quoque hac de re *Constitutio Carol. art. 168.* & jus Saxon, ap. *Carpz. pract. Crim. q. 83. per tot.*

LXXXIII. Si prohibita sit venatio, & contra prohibitionem feras cœperint aliqui, locis illis ubi hoc crimen capitale non est. Æstimationem harum ferarum venatorum judicio, & pœnam quandoque irrogandam judicum arbitrio relinquunt *Cl. ICti* W*esenb. Thoming. Schnid. Bachovius & alii ab iis citati.* De crimine prohibitæ piscationis *Carpzovius* consulatur *d. l. q. 84. n. 84.* Diver-

LXXXIV. Diversum quodammodo jus obtinet in dammo dato, Vetustissima de quadrupede actio est, quâ aut animal, quod noxiam commisit, dedi, aut æstimatio noxæ, i. e. delicti sive damni præstari postulatur *l. 1. in pr. ff. si quod paup. fec. dic.* Quamvis autem juxta præfinitam illam formam actio hæc alternativa sit, nonnunquam tamen Dominus in solidum convenitur, non ut noxæ dedat, sed æstimationem damni solidam præstet, si nempe interrogatus in judicio: Suum ne sit animal? ille negaverit: *l. 1. §. 7. ff. eod. Ordinationi Imperii c. 130.* arbitrio judicis pauperies æstimatur.

LXXXV. In actione de pastu pecoris illud æstimandum communis traditio est, quod depastum, cum æstimatione damni dati. De tempore non conveniunt, ad quod redigenda sit æstimatio frumenti depasti, quod adhuc in herba fuerat. Ex ratione juris nostri casus distinguendi videntur. Aut frumentum recens in herba & ea teneritudine fuit vel ut initio veris, ut succrescere iterum potuerit & nihil præter herbam æstimatur. aut eousque crevit jam, ut cum herba fructus depasti sint, quo casu à tempore damni dati habita ratione spei futuræ frumentum æstimari poterit, quia & Reip. interest sata non corrumpi, & omne id quod sperari potuit, resarciendum ab eo, qui dolo rebus alienis nocuit *arg. l. ult. ff. de his qui dejec.* Ea scilicet hic quoque consideranda æstimatio est, quæ respectum habet extra peccantem, & qualitas non tantùm ejus quod directè fit, sed & ejus quod secuturum probabile est. Detrahantur tamen impensæ, quæ demetiendo, invehendo, colligendove consumuntur, subductâ etiam & moderatâ proportione periculi seu tempestatis, quibus sata exposita fuissent.

LXXXVI. Legis Aquiliæ capite priori res æstimantur, quanti plurimi fuerunt in eo anno, quo interemptæ. *l. 2. pr. l. 22. & 23. §. 1. 3. ff.* ad L. Aquil. quæ clausula æstimationem damni continet, quod datum est *l. 21. ff. eod.* quod aliquando majus vero dato. *l. 2. §. 3. ff. eod.* Annus autem retrorsum computatur, ex quo quis occisus est, & æstimatio pluris eo quoque anno terminatur. Unde finitur in hac actione Tempus æstimationis, quo in aliis inchoari solet. *l. 21. l. 23. l. 55. ff. ad L. Aquil.* quo pertinet jocus & allusio Dd. Aquiliam habere ocu-

los retrò, cum tempus scilicet præteritum attendat *l. 34. §. ult. ff. de O. & A.* Æstimatio illa ad commune judicium non affectionem singularem fieri debet. *l. 33. l. 63. ff. h. t. Bart. ad L. Falc.* In tertio hujus legis capite, quo ea, quæ præter hominem & pecudem occisos damna data corriguntur, res æstimatur non quanti plurimi toto retrorsum anno, sed quanti in triginta diebus proximis res plurimi fuerit. *l. 27. §. 5. ff. eod.*

LXXXVII. Ea, quæ de injuriæ æstimatione collecta sunt à *Carpz. pr. crim. p. 2. q. 95. sub q. 1. 2. 4.* mei laboris non facio. Unicum tamen addam ex celeberrima Friderici Ænobarbi constitutione, sive *auth. habita C. ne filius pro patr.* Omnino ibi jus singulare in æstimatione injuriæ & genere pœnæ situm esse. Cùm enim actio in quadruplum tunc demum concedatur, si quid plebjis fur aut prædo lucri faciendi causa abstulit, quæ autem contumeliæ tantùm causa alicui eripiuntur, aliam prorsus diversamque & longè minorem æstimationem in legibus nostris habeant. *arg. l. 39. ff. de furtis. l. 2. §. 4. ff. de priv. delict.* placuit Friderico hæc, quæ etiam per solam contumeliam sine lucrandi animo subtracta studiosis essent, in quadruplum restitui. Accedit quod etiam iisdem infamiam ipso jure irrogari ac omni dignitate eas privari idem Imperator hac lege voluit. Quam *Auth. Habita* qui hodie desuetudine sublatâ nugantur, vel quid dicant non intelligunt vel ab ignorantia supina aut malitia summa absolvi vix possunt.

LXXXVIII. Trahit nos tractationis series ad æstimationem accessionum, quò refero inprimis Interesse, quod in jure dupliciter usurpatur. (1) Largè, ut etiam comprehendat æstimationem ipsius rei, (2) strictè, ut tantùm significet utilitatem illam, quæ est extra rem. Definitur æstimatio interesse à *Schnid. ad Tit. I. de V. O.* quòd sit æstimatio damni emergentis & lucri cessantis, contingens ex eo, quod aliquid non fit, quod fieri debuit, vel fit, quod fieri non debuit; vel non datur quod dari debuit, vel datur, quod non dari debuit. *Salicetus* cum aliis *in d. l. un.* unum statuit interesse, sed quod tripliciter æstimatur, communiter ex conventione & singulari affectione, ut tamen ratione hujus diversæ æstimationis, in qua consistit essentia ejus, quod interest. Docendi causa triplex interesse admitti possit; cùm non tantùm

tùm

tùm respectu ejus, quod plus aut minus est, quæ non faciunt diversas species, sed etiam in aliis tum hæc pretiorum genera, tum ex iis ejus quod interest, deductæ species distinguantur. Distinctionem vulgarem in interesse intrinsecum & extrinsecum, ejusque æstimationem explicat *Bart. in d. l. un. n. 13. Bachov. d. l. Lit. C. & D.* De modo æstimationis interesse agitur in ead. *l. un. sæpe all.* Et quidem constitutionis hujus pars prima tractat de contractibus & casibus certis, i. e. in quibus est certa quantitas, & ejusmodi res, quæ recipit æstimationem certam, veluti corpus & species, quæ per certam naturam à Just. designata creditur. Non tamen excludo ab hoc censu res fungibiles. Præcipitur autem in *d. l. un.* ne in casibus illis certis interesse excedat duplum, In quo etiam simplũ contineri cõmunis opinio est, i. e. ut interesse non nisi altero tanto simplũ excedere possit, veluti si res valeat 10. non poterit interesse excedere 20. Posterior pars constitutionis Just. proponit casus incertos, quos explicant alleg. Dd. & inprimis *Donellus c. 6. d. tr. de eo quod inter. Bach. d. l. lit. h.* Æstimationem autem horum casuum Justin. judicis religioni relinquit, qui prævia inquisitione quantum actoris vel rei intersit, modicè ex bono & æquo æstimet, inprimis utilitatis proximæ, sive, quæ circa rem est, non nimium remotæ, sive, quæ extra rem est, rationem habet, damnum revera datum ponderet, & in id reum condemnet. *arg. l. 73. ff. de re jud. Molin. d. tr. de eo quod inter.* quod rationi quoque magis convenit, quàm ad certam quantitatem illud determinari. Supersunt illa, quæ ad processum in judicio æstimatorio spectant, quæ cùm ob temporis angustiam typis describi modò non possint, hîc anchora figenda fuit.

CONTROVERSÆ JURIS POSITIONES.

QUamvis destinatum animo esset, in vicem Inauguralis Disputationis publico examini submittere, quæ de POENA HÆRESEOS literis complexus eram; factum tamē præter animi sententiam est, ut inter nimias typographi occupationes, vix nisi aliquot, & iis fortè multis septimanis, typis describi posse animadverterem, quæ hanc in rem notata mihi erant. Unde; dum eorum voluntate, quibus repugnare in vetitis semper habui, mihi festinanda domum itio est, mutare institutum necesse habui, & breviore hac disputatione typographi negotia interpellare. Hinc nata hæc themata, quæ ut in mentem venerunt, ita in chartam conjeci, ut essent disputandi materia. Quod ergo feliciter cedere velit æternum Numen, sit thesis

Ex Digest.

Lib. I.

I. PRivilegia etiā Personalia, non personis particularibus, sed aliquibus personarum generibus, videlicet Scholaribus, Militibus, Minoribus &c. concessa, titulo universali ad hæredes transire, falsum est.

II. An mare sumptum sub ratione universi, vel præcipuarum partium, occupari queat, magnis animis & integris libris hoc seculo inter Clarissi. ævi nostri viros Hugonem Grotium & Johannem Seldenum

num disceptatum est. A parte Grotii tamen veteres JCti & veritas stare videntur. Quæ causa est, ut & nos calculũ ejus sententiæ addamus.

Lib. II.

III. Princeps, vel alius Dominus territorialis, status seu provincialis sui, cui merum & mixtum imperium concessit, subditos, nisi speciale privilegium obstet vel consuetudo, immediatè ad suum tribunal citare potest.

IV. Possessores immobilium rerum satisdare non compelli, juris est certissimi. Verùm quàm rectè hoc ipsum indefinitè per l. 15. de R. J. & l. 143. de V. S. extendatur ad illos, qui actionem habent realem, in conflictu videbimus.

Lib. III.

V. Infamia juris, qua etiam ob stuprum damnati laborant, tollit Nobilitatem.

VI. Syndici (qui non necessariò ex universitate eligendus) officium non finitur, etiamsi major pars constituentium aut morte aut domicilii mutatione in universitate esse desierit, & alii in eorum locum surrogati fuerint.

Lib. IV.

VII. Petitio restitutionis in integrum regulariter suspendit executionem.

VIII. Restitutio in integrum ex causa ætatis ante 25. annum non præscribitur, licèt aliquis ex statuto vel privilegio, anno ætatis 18. fiat majorennis.

Lib. V.

IX. In territorio Titii lethaliter vulneratus moritur in territorio Mævii; quæritur quis ratione delicti sit judex competens? Nos pro Titio pugnabimus.

X. Per Epistolam contrahentes ex contractu forum sortiuntur eo in loco, in quo Epistolam accipiens consentit. In scriptis verò contrahentes, ubi instrumentum conscriptum.

Lib. VI.

XI. Non semper requiritur in rei vindicatione Dominii probatio.

XII. Publiciana in rem actio, conjungi potest cum rei vindicatione, nec jure Canonico sublata est.

Lib.

Lib. VII.

XIII. Usus fructus non tantùm promittitur, sed simul constituitur ultimâ voluntate.

XIV. Usuarius ædium illas reficere & sartas tectas servare tenetur.

Lib. VIII.

XV. Aucto fundo serviente per alluvionem ipsa augetur servitus.

XVI. In actione Negatoria onus probandi non semper incumbit Reo servitutem sibi competere asserenti.

Lib. IX.

XVII. Actio, si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, cum actione ex lege Aquilia non concurrit.

XVIII. Propter incendium ex L. Aquilia agens etiam culpam Rei probare tenetur.

Lib. X.

XIX. Actio communi dividundo & actio Negotiorum gestorum non concurrunt.

XX. In actione familiæ herciscundiæ multum interest, Reus possideat, an non possideat.

Lib. XI.

XXI. Utilem de servo corrupto actionem etiam marito ratione uxoris competere, non dubitamus; sed hoc ipsum ex l. fi. ff. de servo corrupto probari, & hanc actionem temporalem & famosam esse, omnino negamus.

XXII. Actio funeraria datur etiam contra uxorem, si defunctus maritus nullum hæredem, nullaque propria reliquerit bona.

Lib. XII.

XXIII. Judex juramentum in litem non defert ex necessitate juris.

XXIV. Pecunia indebita vero procuratori soluta, condictio indebiti non in procuratorem, sed in dominum dirigenda est.

Lib. XIII.

XXV. Commodatarius rem commodatam etiam ante tempus contractui adjectum finitum repetere potest, si ipse re illa opus habeat, nec tempore contractus casum illum prævideri.

XXVI. Qui pro alio se soluturum constituit, habet beneficium Excussionis: sed exceptio, quam nonnulli addunt, si sc. novandi animo se debitorem constituerit, jejuna est.

Lib.

Lib. XIV.

XXVII. Institores, quos hodiernus usus vocat *Factores*, ex contractibus nomine Dominorum celebratis, regulariter in sua persona, & bonis propriis non tenentur.

XXVIII. Verissimum est, quicquid etiam alii dicant, Filios propter dignitatem potestate patria liberatos validè mutuum contrahere, nec exceptione SC. Macedoniani sese tueri posse.

Lib. XV.

XXIX. Sententia illa, qua dicitur ob solam scientiam domini vel patris, actionem quod jussu dari, diversas confundit actiones.

XXX. Actio de peculio, nec ad adventitium, nec ad Castrense vel quasi castrense peculium pertinet, sed tantùm ad profectitium.

Lib. XVI.

XXXI. Fœmina, quæ accepit mutuam pecuniam, illamque Titio credidit, non juvatur decreto Patrum; licèt creditor causam contractus non ignoraverit.

XXXII. Nec in deposito irregulari usuræ debentur, si pactum vel mora non intervenerit.

Lib. XVII.

XXXIII. Honorarium Mandati naturæ non est contrarium, idque interdum ipsa mandati actione petitur.

XXXIV. Ut societati ad certum tempus contractæ, jure renuntiari possit, non sufficit dolum abesse, sed insuper justa requiritur renuntiationis causa.

Lib. XVIII.

XXXV. Nihil verius esse dicitur, quàm reservato rei venditæ dominio venditori, usque ad solutionem totius pretii, damnum combustionis sive interitus totalis, quod interea accidit, ad eum pertinere; nec hoc casu emptorem exsolutione pretii gravandum; sed potiùs partem pretii soluti ipsi restituendam esse. Verùm hæc omnia falsa esse, nulli dubitamus.

XXXVI. Resoluta Emptione sub in diem addictione contracta, fructus & commoda venditori sunt restituenda. Nec rectè hoc ipsum ad venditionem sub conditione suspensiva initam restringitur.

Lib. XIX.

XXXVII. Socii, communem domum, communi consensu, ad certum tempus locarunt; Unus ex illis contrahit matrimonium, & propter usum proprium conductorem ante tempus finitum expellere conatur; quæritur an jure? Negamus.

XXXVIII. Qui rem certo pretio æstimatam vendendam accepit, illamque pluris vendidit, regulariter integrum pretium restituere, casum verò fortuitum, si ipse non causam dederit contractui, præstare non tenetur; nec distinguimus in rem sive in personam facta sit æstimatio.

Lib. XX.

XXXIX. Quicunque consentit in oppignorationem rei sibi antea oppignoratæ, non tantùm jus prælationis, sed etiam pignoris amittit.

XL. Pactum antichreseos validum est, etiamsi fructus aliquo modo legitimum usurarum modum excedant. Nec verum esse putamus, fructus naturales ex hortis & pratis perceptos, sorti semper esse imputandos, in quantum quincunces superant usuras.

Lib. XXI.

XLI. Ædilitium edictum locum habet, etiamsi venditor ignoraverit rei venditæ vitium; sed diversa est ignorantis & scientis præstatio.

XLII. Procurator nomine domini ejusdem res distrahens, de evictione nōn tenetur.

Lib. XXII.

XLIII. Dies contractibus adjectus pro homine interpellat, & debitorem in mora constituit: sed non conditio.

XLIV. Debitor in causa creditoris potest esse testis.

Lib. XXIII.

XLV. Periculum rei dotalis, etiam mobilis, regulariter pertinet ad uxorem.

XLVI. Fundum pecunia dotali comparatum maritus alienare non prohibetur.

Lib. XXIV.

XLVII. Matrimonio per mortem uxoris soluto, de jure civili pater repetit dotem profectitiam actione ex stipulatu: etsi filia proprios reliquerit liberos; secus jure consuetudinario.

XLVIII. Donatio reciproca inter conjuges subsistit.

Lib. XXV.

XXIX. Ob res mariti proprias ab uxore divortii causa amotas, constante matrimonio agi non potest actione rerum amotarum.

L. Actio rerum amotarum adversus hæredes non datur in solidum.

Lib. XXVI.

LI. Jure civili, nec pater creditorem vel debitorem, tutorem dare potest.

LII. Tutor propter latam culpam remotus non notatur infamia.

Lib. XXVII.

LIII. Tutor quandoque levissimam, quandoque verò tantùm latam præstat culpam.

LIV. Actio subsidiaria contra Magistratus hodiernos adhuc locum habet, adeò ut interdum etiam ante contutores conveniri possint.

Lib. XXVIII.

LV. Pater in illo testamento, in quo filius emancipatus hæres scriptus est, testis esse non prohibetur.

LVI. Differentiam inter suos & emancipatos tantùm ab intestato esse sublatam, non simpliciter verùm est.

Lib.

Lib. XXIX.

LVII. Hæres testamentarius, qui in fraudem legatariorum, pecunia accepta, hæredi ab intestato permisit hæreditatem, ipso jure quidem statim à legatariis conveniri; at, hæreditatis possessore nondũ excusso, exceptione ordinis se defendere potest.

LVIII. Etiam in Codicillis legatarii testes esse possunt.

Lib. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV.

LIX. Legatum in dubio non compensandi animo relictum præsumitur.

LX. Domo legata cum omnibus, quæ ibi sunt, nomina tamen debitorum non comprehenduntur.

LXI. Nunquam valere legatum, si hæredis vel alterius cujusdam res legata fuerit, nisi testator rem illam alienam esse sciverit, docet quidem magnus JCtus; sed contrarium expresse Papinianus in l. 67. §. 8. de leg. 2.

LXII. Legatum dotis virgini relictum, ad hæredes non transmittitur, si legataria ante matrimonium moriatur.

LXIII. Legato certo nomine, hæres idoneum præstare haud tenetur.

LXIV. Actio ex testamento non semper ex hæreditatis aditione oritur.

LXV. Legatum ad hæredes legatarii transmittitur, quantumvis exsolutio & præstatio certa conditione sit qualificata, vel in diem certum suspensa.

LXVI. Legatum sub conditione hac: si legatarius filium habuerit relictum, exsolvi debet, quantumvis filius per semihorulam saltem vixerit.

LXVII. Modus à conditione differt, etiam in ultimis voluntatibus.

LXVIII. Legatarius, cui sub modo aliquid relictum est, non semper cavere tenetur.

Lib. XXXV.

LXIX. Emphyteuta, qui fundum Emphyteuticarium legavit, si postea directum quoque redemerit dominium, plenum dominium legasse videtur.

LXX. Falsa causa adjecta, ut nullum sit legatum, non efficit.

Lib. XXXVI.

LXXI. Hæres in re certa institutus & fideicommisso gravatus non detrahit Trebellianicam.

LXXII. Bonorum possessiones quibusdam adhuc casibus utiles & necessariæ sunt.

Lib. XXXVII.

LXXIII. Collatio bonorum non habet locum inter Ascendentes.

LXXIV. Sumptus studiorum gratia à patre acceptos filius, si illos male consumsit, conferre tenetur.

Lib. XXXVIII.

LXXV. Jus accrescendi transit ad hæredes.

LXXVI. Separatio conjugum quoad thorum & mensam non impedit bonorum possessionem unde vir & uxor.

Lib. XXXIX.

LXXVII. Donatio Titio & hæredibus ejus in casum mortis facta, non inter vivos, sed mortis causa donatio est.

LXXVIII. Donatio à filiofamilias absenti & ignoranti facta nec in vim fideicommissi subsistit.

Lib. XL.

LXXIX. Servis, quos hodie hisce in provinciis non habemus, comparamus proprios homines, die Leibeigene Knecht: sed hæc comparatio in plurimis non procedit. Sunt enim proprii homines revera liberi, & capaces omnium eorum, à quibus per specialia statuta & consuetudines non excluduntur.

LXXX. Homo proprius non semper domini sui subditus.

Lib. XLI.

LXXXI. Verè & quasi, naturaliter & civiliter possidet usufructuarius.

LXXXII. Res pro derelicto habita etiam in fundo alieno occupata, occupanti acquiritur.

Lib. XLII.

LXXXIII. Liberis defuncti testatoris non competit beneficium separationis ratione legitimæ; sed illi præferuntur omnibus cohæredis creditoribus, non jure separationis, sed ratione juris in re, in judicium per familiæ herciscundæ actionem deducti.

LXXXIV. De Pauliana actione agitur etiam in § 6. Instit. de actionibus.

Lib. XLIII.

LXXXV. Interdictum quorum bonorum ad res incorporales non pertinet.

LXXXVI. Titius vi possessorem fundi dejecit; Cajus ingreditur vacuam ejusdem possessionem, & dominum revertentem non admittit; quæritur, interdictum unde vi adversus quem locum habeat? Jure ff. tantùm adversus Titium; jure verò Codicis etiam adversus Cajum.

Lib. XLIV.

LXXXVII. Non omnes exceptiones peremptoriæ sunt perpetuæ.

LXXXVIII. Definitio actionis in rem, ab Vlpiano in l. 25. pr. de O & A. tradita, ambigua est.

Lib. XLV.

LXXXIX. Stipulatio sine causa facta ipso jure valet, & actionem producit; sed exceptione eliditur.

XC. Conditio impossibilis, sive affirmativè sive negativè adjiciatur, vera tamen conditio non est.

Lib. XLXI.

XCI. Fidejussor succedaneus Ruckbürge/ & fidejussor indemnitatis Schadloßbürge differunt. Ille beneficio ordinis renuntiare potest, sed hic vel minimè.

XCII.

XCII. Inter fidejussorem principalem & succedaneum non locum habet beneficium divisionis.

Lib. XLVII.

XCIII. In præscriptione actionis injuriarum de jure civili malè nonnulli distinguunt inter reales & verbales injurias.

CXIV. Actio de tigno juncto datur etiam adversus bonæ fidei possessorem.

Lib. XLVIII.

XCV. Crimen læsæ Majestatis subditi committunt.

XCVI. Adulterium jure civili in non nuptam non committitur.

Lib. XLIX.

XCVII. Fiscus in bonis post contractum quæsitis præfertur creditoribus anteriorem hypothecam habentibus.

XCVIII. Rerum mobilium regulariter nullum est postliminium: in fuga tamen ab hostibns statim, antequam ad sua præsidia pervenerint, recuperata, prioribus dominis sunt restituenda,

Lib L.

XCIX. Domicilium non transit ad hæredes.

C. Licèt aliquis majorem bonorum partem aliquo in loco possideat, exinde tamen non statim ibidem domicilium habere censetur; nisi etiam habitatio, & animus ibi permanendi concurrat.

Ex Codicis Lib. I.

I. Quæ ordinis, jurisdictionis Ecclesiasticæ ac legis diæcesanæ sunt, Hæreticis interdicta sunt.

Lib. II.

II. Jure Justinianeo veniam ætatis concedit tantùm Imperator; Moribus nostris etiam Principes & Status Imperii.

Lib. III.

III. Crimina in Titii territorio inchoata, in Caji verò commissa, ad illius quoque cognitionem pertinent.

Lib. IV.

IV. Exceptio non numeratæ pecuniæ (quæ interdum intentionis, iterdum verò juris est) malè à nonnullis restringitur ad confessionem dotis, & mutuæ pecuniæ acceptæ.

Lib. V.

V. Tutela materna jure Codicis est dativa; quamvis in contrarium eat communis opinio.

Lib. VI.

VI. Casus fortuitus rerum hæreditariarum non pertinet ad hæredem, qui cum Inventario hæreditatem adiit. In totum verò hic hæres, beneficio Inventarii, ab hæreditate abstinere nequit.

Lib. VII.

VII. Ad præscriptionem longissimi temporis nec bona fides, nec titulus, nec possessio requiritur.

Lib. VIII.

VIII. Ad donationem revocandam præter causas in l. fin. C. de revocandis donat. enumeratas, etiam alias graviores & similes admittimus.

Lib. IX.

IX. Ob crimen filii familiâs peculia ejus non publicantur.

Lib. X. XI. XII.

X. Annonas & tributa hæredes solvere tenentur non proportione hæreditaria, sed pro quantitate rerum, quas singuli possident.

XI. Thesaurus in loco alieno magica arte inventus, totus fundi domino est restituendus.

XII. Legum Doctores liberari à patria potestate haud probatur per l. 6. C. de professs. & med.

XIII. Proprii hominis filius liberatur ab illa conditione, & jus agricolationis extingitur per dignitatem doctoralem. Quod ipsum etiam verum esse putamus, si filia sciente & patiente domino, Doctori vel Magistro nupserit.

XIV. Viduæ retinent dignitatem Mariti. Si autem minoris ordinis Marito postea nupserint, mariti sequuntur conditionem. Quod ultimum moribus nostris in personis illustribus non observatur.

Ad Consuet. Feud.

I. CUi autori originem eorum, qui hodie existunt librorum Feudalium debeamus, DD. Feudistæ admodum incertum putant: nec quicquam hic illis magis patet, quàm periisse ejus rei Historiam. Videtur tamen restitui ea posse ex Guidonis Pancirolli, Antiquitatum Italicarum accuratissimi indagatoris, Tractatu Feudali, inedito quidem hactenus, sed qui manuscriptus in Academiæ Gissenæ Bibliotheca asservatur; qui rem ut satis sibi compertam narrat: Cujus ideo de origine Feudorum, ut olim ea descripsi, ipsa dabo verba. *Primus Philibertus Episcopus Fidelitatis formas in scripta redegit, c. de forma. 22. qu. 5. Ipsas verò Feudorum consuetudines Obertus de Orto & Gerhardus Capagister Mediolanensis in scripta redegerunt, nullo tamen ordine servato. Obertus ad Anselmum filium scribit, in c. 1. de feudi cognitione. Floruit autem Frid. I. tempore, eoq; Imperante scripta sunt consuetudines Feudorum: ut patet in § penult. de consuet. recti Feudi. Hac scripta postea Fridericus junior Bononiam misit legum Professoribus, ut illa sub congruis juris titulis disponerent. Illi in divi Petri templum convenientes Cæsaris præcepto paruerunt, ac multa ex jure Feudali variis Codicis titulis inseruerunt, ut auth. Cassa, C. de SS. Ecclesiis &c. & alia præterea, quæ postea remota fuerunt. Postremo Hugolinus Glossator omnia illa jura Conradi, & Frid. II. leges, quæ extravagantes appellantur, in unum collegit, qui liber Feudorum dicitur,* eum-

eumq; post Authentica statuit, & 10. Collationem vocavit. quod refert etiam Odofredus in dicta Auth. Cassa. Docuit autem Hugolinus à porta Ravenata patria Bononiensis Bononia: summo à civibus odio habitus, quòd fuisset publicanus. Sed quoniam nonnullæ rubricæ incongruo ordine illatæ fuerant, nec nigro respondebant, Antonius de Prato veteri Bononiensis nullo addito, sed superfluis recicis feudorum volumen reformavit, & in breve compendium redegit. Hæc ille.

II. Feudum, quando pro jure vasallo in re concesso accipitur, optimè definitur per utile dominium.

III. Divisio feudi in hæreditarium ac ex pacto & providentia juri feudali contraria non est.

IV. Molendina in aquis natantia ad certum locum destinata in feudum dari possunt.

V. Procurator universalis Feudum dare non potest.

VI. Feudum haud rectè extra commercium esse dicitur.

VII. Filius patris hæreditatem retento feudo repudiare nequit.

Ex jure Canonico.

c. 6. de major. & obed.

I. JUs Canonicum quando hodie usu receptum esse dicitur in terris Augustanæ Confessionis, Juris Canonici vocabulo non omnia capita Decreti & Decretalium, quæ sæpe cum religione nostra & ratione pugnant, ut c. sollicita: sed ea demum, quæ cum divinis, naturæ, ac civilibus legibus, tum ratione etiam conveniunt, hoc nomine censentur; ita ut & hæc sola nobis jus Canonicum constituant, & aliter juris Canonici vocabulum ab Augustanæ Confessioni addictis JCtis, aliter ac latiùs à pontificiis accipiatur.

c. 12. de Except.

II. In terris Augustanæ Confessionis (secus ac opinantur plurimi etiam nostri juris interpp.) non prohiberi excommunicatum agere in judicio, magnis rationibus defendi posse videtur. Per ordinationes Ecclesiasticas n. licet Excommunicato libere contrahere, contractus autem obligationis, hæc actionis mater est. Aliter autem jure Canonico res sese habet, ubi contrahere omnino prohibetur.

CXII. Xtra de sepulchris.

III. Non omnis sepultura, sed saltem Ecclesiastica Excommunicato majori Excommunicatione negatur.

C. 1. de frigid.

IV. Ob frigiditatem naturalem non dissolvitur matrimonium, sed per sententiam retro nullum fuisse declaratur.

Ex jure publico.

Ad personati Hippolithi de Lapide præfat. §. Basin.

I. Recessus Imperii basis ac fundamentum Juris publici bene dici possunt: at non

non item scripta polemica, sive hoc, sive superiori seculo edita, ut exstimat Hippolithus. Partium enim studio hæc serviunt, & vera falsis miscent. Unde nec diffitetur Hippolithus, *ea se indè decerpere, quæ ipsius proposito inserviant*. §. *Vbi hoc unicum* & vel absque hac confessione esset, res ipsa tamen loquitur. Plura enim ex hujusmodi scriptis, quàm Imperii Recessibus adducit.

Pag. 28. ejusdem Hipp. §. *Quod verò.*

Manifesta est ejusdem autoris contradictio, quando Bodini sententiam, qui negat Imperium mixtum ex diversis formis, Monarchia Aristocratia vel Democratia, lib. 2. de Rep. c. 1. exemplo etiam nostri Imperii refellit, p. 28. & deinceps tamen Imperium nostrum merè Aristocraticum dicit, neque aliam in eo mixtionem, quam ex variis Aristocraticis formis agnoscit p. 322. Qualem mixtionem si p. 28. intelligit, immeritò dicam scribit Bodino, qui id nunquam negarat, ac ineptè adeò disputat; sin mixtionem ibi ex specie diversis formis intelligit, tum Bodino quidem, sed & sibi ipsi p. 322. contradicit.

P. 40. Ad part. 1. cap. 3. sect. 2.

Imperium, ubi is, qui præesse existimatur, lege civili & coactiva ad reddendas proceribus rationes obstrictus est, ab iisq; jure deponi, etiam ob leves aut nullas causas potest, merè Aristocraticum est. Id autem de Imp. Romano utut summa ope annisus sit, nondum tamen probare potuit Hippolithus à Lapide. *P. 1. c. 3. sect. 2.* Cùm enim hæc ipsi probanda esset Enuntiatio: *Imperator Ordinibus adstrictus est lege civili ad reddendas rationes.* & altera: *Imperator ob leves vel nullas causas deponi jure potest.* Has tamen ille solummodo, quæ ad propositum non valde faciunt, probat: *Imperator aliquando rationes reddidit. Imperator aliquando depositus est.* Quorum prius non dissentiente Imperatore, vel vi coacto etiam; posterius itidem de facto accidere potuit. Et his tamen ille assertionibus totam partis primæ doctrinam satis securè superstruit.

P. 53.

Id verò non minus ineptum, quod vult in Recessu Imp. de anno 1542. §. Würde sich jemand. in his verbis: Alle und jede so ungehorsam in der Käyserl. Mayt und des H. Reichs Acht gefallen seyn. Vocem Alle etiam reduplicativè explicandam per vocem singuli. secus si foret, inquit, totum imperium incurrere posse bannum. At datur tertium. Alle ibi nec totum Imperium, nec singulos, sed Universitatem delinquentium notat; jede singulos delinquentes. quomodo intelligenda esse recessus verba, nescio an sit qui dubitare queat.

Opusculorum atque Dissertationum

FINIS.

INDEX

Rerum præcipuarum & Verborum, quæ in hoc volumine continentur, copiosus.

Prior numerus Romanus thesin seu Paragraphum, secundus, qui est barbarus, paginam indicat.

A.

Acht.

Quod sit? definitur. 854. pr. **Aber-Acht** / **Ober-Acht** & quid **Unter-Acht** / sint? 853. in fin. pag. & seq. ad pœnam banni requiritur sententia declaratoria 854. in med. pag. qui casus excipiantur ubi eâ non opus? 16. in fin. an Camera Imperialis in irrogando banno Electorum consensum adhibere teneatur? 855. princ. pag.

Adel-Schälck.

Qui sic dicti? 289.

Ægyptii.

Eorum sententiæ de Jure Naturæ X. 30. 31. XI. 32. quid sit illorum mundus sensibilis & intelligibilis? X. 31. Coluerunt animalia contra legem naturæ XI. 32. ideo hæc juris naturæ perita censebant ibid. agnoverunt Metempsychosin ibid.

Alsatia.

Elsäß. Landgraviatus superior, & inferior, ut & præfectura decem Civitatum Imperialium, quâ lege translata sint in Regem Galliæ? 810.

Angliæ.

Jus Publicum unde petendum, & qui ejus Authores? III. 14. an Protectot Cromwellus tyrannidem exercuerit? ib. ſalmaſii lepida reſponſio de Anglia ib.

Annatæ.

Quid ſint? origo eorum. 840. in fin. Evangelici ab annatis an ſint immunes? 841.

Appellatio.

Summa appellabilis in Camera Imp. hodie quæ? 831. in med. in quibus cauſis poſſint ſubditi ſtatuum Imperii, citra appellationem ad Cameram vel Aulicum Judicium evocari 829. in med. Privilegia de non appellando ſunt duplicia, vel limitata, vel illimitata 830. in fin. utraque definiuntur: ibid. 831. illimitata quibus competant? ibid.

Appetitus.

Quid? I. 933. unde proveniat? ibid. quomodo, ſtoici eum, vel inclinationem naturalem ad bonum & fugam mali, appellent & explicent? II. 934. diverſus eſt appetendi modus hominum & brutorum, quem communem habent ad ſui conſervationem III. 935.

Archi-Cancellarii.

Imperii noſtri qui ſint? origo. 779. in med.

Ariſtoteles.

Quid de Jure naturæ ſenſerit XXXI. 83. ejus ſententia, Jus naturæ eſſe, etiamſi nulla ſocietas fuiſſet, defenditur XXXII. 84.

Auguſtus.

Imperatoris titulus unde, & quid denotet? 770.

Aula.

In Aula Imperatoris quot conſilia ſeu judicia ſint? 874. & ſeq. breviter ibidem deſcribuntur.

Aulicum Judicium Imperiale.

Iſtius ſynonyma III. 389. deſcribitur & diſtinguitur ab aliis IV. 389.

vid. 875. pr. origo Judicii hujus V. 390. VIII. 596. quare vocetur Reichs-Hoff-Raht? VI. 391. Imperatori soli juramenti vinculo est adstrictum. ib. an ei Imperator huic Judicio solus præscribat Ordinationes ib. 392. Caput & Judex est Imperator VII. 392. vid. 877. in fin. pag. Præses ejus ex quo ordine & quis hodie sit? ipsius officium ib. huic in quibusdam se opposuit Vice-Cancellarius ibid. Imperator solus Consiliarios hujus judicii constituit. Assessores verò Cameræ præsentantur à statibus Imperii &c. 878. in fin. de numero Assessorũ Judicii aulici, & cui religioni hi sint addicti? vide VIII. 394. seq. & 878. distinguuntur Consiliarii hi aulici in illos qui sunt Equestris Ordinis, & in literatos vel in die Ritter-Banck und gelehrte Banck. IX. 396. vid. 875. in fin. Omnes sint Germani & quales porrò? ib. & 875. in med. pag. horum dignitas quanta? ib. 397. de Salario ipsis solvendo vide ib. huic Judicio Fiscalis est & de aliis personis necessariis vide ib. & seq. conveniuntur in hoc judicio omnes Imperio tam im̃ediatè, quàm mediatè subjecti, reservatis tamen statuum privilegiis primæ instantiæ X. 398. Reges Sueciæ ratione eorũ quæ possident in Germania, & Duces Brunowicenses & Luneburgenses quomodo in eo conveniantur XI. 399. hoc judicium cum Camera habet concurrentem Jurisdictionem XII. 400. seq. hujus ergo ritè sunt observandæ hæ quæstiones? an Aulicum Judicium concurrat ratione causarum cum Camera? vel an Camera in omnibus cum judicio aulico concurrat? XIII. 402. vid. 875. prin. pag. de præventione ejus, & quo tempe illa incipiat? an e etiam per literas pro Informatione Judicis inducatur? XIV. 402. seq. de causis quæ in hoc Judicio ventilantur vide XV. 405. an causa Pacis Religiosæ huc spectet? ibid. 406. de Criminalibus, feudalibus, & de Appellationum causis vid. XVI. 407. Causæ spirituales quorsum? XVII. 408. locus hujus Judicii ubi? XVIII. 408. Ordinationes hujus Judicii tres recensentur. XIX. 409. seq. an non & Ordinatio Cameræ Imp. quo ad processum in hoc judicio sit observanda? 876. in fin. visitatio hujus Consilii aulici, an ab Electore Moguntino fiat 878. in fin. quomodo agantur & insinuentur causæ. XX. 411. de modo referendi v. XXI. 412. seq. de procesŝus hujus Judicii forma v. XXII. 414. seq. XXIII. 417. differt Processus

Aulici & Cameralis XXIII. 418. XIX. 366. processus lingua latina vel Germanica expediuntur XXIV. 418. Causæ politicæ graviores ante sententiam prius cum voto mit einem Gutachten referuntur ad Imperatorem ib. & vid. 875. in pr. an hoc in judicio aliquod remedium supplicationis seu revisionis supersit XXV. 421. & qualem effectum an suspensivum habeat ib. 422. quomodo differat hoc remedium à revisione Camerali? 880. in med. pag. de Executione? XXVI. 423. mortuo Imperatore quomodo hic & in Camera procedatur? XXVII. 424. an inter Imperii Judicia, Aulicum præcipuum sit? XXVII. 424. VIII. 596.

Aulæ Marschallus.

Hoff-Marschall. Qualem & in quos Jurisdictionem habeat in aula Imperatoris. 888. in med. ab ipsius sententia peti potest revisio in Aulico Judicio. ibid.

Aurea Bulla.

Quid eo nomine intelligatur? & unde sic nomen sortita? 783. in fin. an Aurea Bulla mutari possit? 784. in med. exemplar ejus reservatur Francofurti & quare? ib. in fin. an inter Imperii Recessus referenda? VII 130. seq.

Austregæ.

Appellatione Austregarum quid significetur? 831. in fin. & quid sint? ib. quæ occasio videatur dedisse Austregas constituendi? XLI. 911. Astregæ sunt duplicis generis 832. pr. an Judices hi sint ordinarii an verò delegati? ib. in med. quibus competant? & in quibus causis? ibid. in fin. an & Civitates Austregas Judices habeant? 833. pr. modus, eos constituendi, & coram iis procendi ibid. in med. an ab iis ad Cameram vel Judicium Aulicum detur provocatio? ibid. in fin.

Austriaca.

Familia à quo originem habeat? 773. in fin. familia hæc superiori seculo in duos ramos divisa 774. pr. & 823. in fin. unde potentiæ Austriacæ initium? ib. in med. 774. an ad continuandam in sua domo, dignitatem cæsaream perpetuos successores sibi destinare possit,

ſit? 866. in med. pag. & quare illa familia, Clavum Imperii tanta continua ſerie tenuerit? 773. in med.

B.

Belgium Novum.

Iſtius Incolæ quid de Jure naturæ ſentiant. XXIII. 45.

Belgii Provinciarum.

Unitarum Jus Publicum unde hauriendum? & qui ejus ſcriptores? IX. 17. 18.

Burgundia.

Burgundiæ Ducatus, quâ ratione ad Imperatorem Maximilianum I. pervenerit? & quomodo poſtea Rex Galliæ Ludovicus IX. eum occupaverit? 775. princ.

C.

Camera, Camerale Judicium.

Cameræ Imperialis praxis ſive proceſſus quomodo hic addiſcendus? XIIX. 355. ſeq. ubi contineatur ib. & X. 598. Receſſus An. 1654. circa proceſſum hunc eſt præcipuè per legendus ib. 357. cætera huic proceſſui inſervientia, ut Receſſus Viſitationis, Memorialia, Decreta &c. ubi invenienda? ibid. an in hoc proceſſu diſcendo primò ad ipſos fontes eundum, vel an initium à commentariis faciendum? 858. in fin. an prius requirat proceſſus Cameralis. Ut quis Juris ſyntagma eruditum aliquod evolverit? 359. pr. Commentatores & ſcriptores hujus ergo recenſentur, quidam laudantur, quidam recommendantur 359. ſeq. ſumma praxeos Cameralis addiſcendæ, breviter indicatur 365. an judex & Cameræ Aſſeſſores Proceſſum decretis ſuis emendare aut mutare poſſint? 358. in med. Camerale Judicium quo tempore ordinatum? IX. 597.

Cammer-Gerichts-Ordnung.

Circa ordinationem Cameralem emendandam quomodo variè labo-

laboratum fuerit? 356. cujus conceptum & elaboratum opus (ut vulgò etiam vocatur Cammer-Concept) exhibet Blumius ibid. & 829. & seq. an & hujus emendatio proximis Comitiis speranda? 829. 830. XIIX. 356. seq.

Canonicatus.

Vide Præbenda.

Canonici.

In Ecclesiis Cathedralibus non recipiuntur nisi sint ferè Nobiles, qui longam avorum proavorum seriem recensere possint. 876. pr. pag.

Capitulationes.

Capitulationes Imperatorum an inter Recessus Imperii computentur VIII. 131. seq. de origine Capitulationum vide 767.

Carolus Magnus.

Cujas fuerit? corol. 1. 85.

Carpzovius.

De eo judicatur & suis libris 373. in fin.

Castrum.

Castro in feudum concesso, an jurisdictio concessa? VII. 714. VI. 760. & concessa Jurisdictione an & merum Imperium? VII. 761.

Chinenses.

Chinensium seu Sinensium opinio de Jure naturæ, eorumque sex præcepta quibus illud exprimunt. XIV. 35. in ea doctrina ipsorum Philosophus Princepi Confutius versatus ib, illorum errores circa Jus naturæ præsertim fœdissimum libidinis crimen vid. XV. 36.

Circuli.

Quot circuli Imperii primò fuerint & postea quot adjecti? 803. possunt eligere Ducem einen Kräiß-Obristen/ cui adjunguntur quidā, qui dicuntur die zugeordnete 804. habent directores suos germ. Außschreibende Fürsten/ illorum munus ibid. quomodo differant Duces & Directores 805. princ. pag. possunt circuli conventus, qui dicun-

dicuntur Kräiß-Tage instituere, qui triplicis sunt generis ibid. unius autem Circuli conventus sunt vel ordinarii vel extraordinarii ib. in med. pag. Num distributio Circulorum utilis sit Imperio ibid. in fin. de Circulo Burgundico vide an adhuc membrum Imperii sit 822.

Citatio Citare.

Quid significet? I. 548. Citatio per præconem in Camera? ibid. Citatio ad Reassumendum sortitur varias appellationes & definitur. III. 550. Citatio illa non videtur fuisse juri civili cognita IV. 551. sed verior contraria sententia V. 553. hujus citationis origo refertur ad consuetudinem VII. 555. quo tempore initium sumserit disquiritur VIII. 557. an Citationes ad reassumendum in Camera receptæ? IX. 558. X. 560. XXIII. 577. XXIV. 579. an & in Judicio aulico? XI. 506. an in statuum Imperii Judiciis XII. 562. causæ hujus citationis introducendæ quæ? XIII. 562. quid Gailius de usu hujus citationis sentiat? XIV. eas decernit Judex XV. 566. an Citatio ad Reassumendum requiratur si Judicis persona mutetur. 567. mors actoris vel rei locum facit huic citationi XVII. 569. an etiam si mors litigantium ante litis contestationem interveniat, opus sit hac citatione XVIII. 571. an & post causæ conclusionem ante sententiam? XIX. 573. XX. 574. an post sententiam ante executionem? XXI. 575. an hoc casu opus sit eâ, si, moriente Principalium altero, procurator post litem contestatam Dominus factus sit? XXII. 576. quid si mors procuratoris contingat? XXV. 580. & quid hujus ergo in Camera observetur. XXVI. 582. si mors Civilis interveniat? an locum habeat hæc citatio? XXVII. 582. an propter causæ abdicationem Principalis, reassumtio præsertim an in causa feudali requiratur XXVIII. 583. de abdicatione Procuratoris, tutoris vel curatoris vide XXIX. 585.

Clerici.

Feuda accipere VI. 710. & per substitutum servire possunt II. 728.

Codex.

Præter tres Codices Gregorianum, Hermogenianum & Theodosianum, an fuerit etiam quartus scil. Papirianus. IV. 93. Codex Theodosia-

dosia-

dosianus genuinus non exstat, & qui libri in illo non sint legitimi & genuini, V. 94. quo anno hic Codex promulgatus? mendum circa hoc indicatur VI. 95. Codicis leges an Pandectarum legibus derogent? XIV. 101. seq. Authenticas an Irnerius Codici inseruerit? & quam Autoritatem habeant? XV. 103.

Collecta.

Collectandi Jus vid. Regalia.

Collegia.

Ut Ecclesiæ, Universitatis &c. quomodo illa feuda acquirere possint? X. 711.

Comites.

Imperii Comites immediati hodie dividuntur in quatuor Classes seu scamna. 776. in med. pag. 144. pr.

Comites Palatini.

Germanice Käyserl. Hoff- und Pfaltz-Graffen vel Hoff-Graffen / scil. qui non sunt de Principatu qui Palatinatus dicitur, quid sint? 884. in med. ab Imperatore ipsis quædam communicata sunt vulgaria, vel quædam quæ majoris sunt momenti. ibid.

Comitia.

Seu Conventus, Germani an habuerint? an & comitiorum decreta, quæ hodie Recessus dicimus I. 124. an ab iis ad originem nostrorum comitiorum & Recessuum concludere possimus ibid. Goldasti hac de re opinio II. 125. quæ corrigitur ibid. Francorum conventus an speciem Universalium comitiorum referant? III. 126. Germanorum universales conventus quo tempore originem sumserint? IV. 127. V. 128. Comitiorum decreta barbaro vocabulo hodie dicuntur Recessus Germanice Reichs-Abschied VI. 129. vid. vox Recessus. Quot comitia habenda sint XVII. 142. Status Imperii comitiis præter necessitatem non sunt gravandi & quare? 826. in med. pag. quis indicat comitia? 827. & quæ negotia in iis tractanda. 827. in fin. quo in loco an etiam in Bohemia? 828. pr. qui? & quomodo, ad ea vocentur

tur ibid. in Comitiis status Imperii distinguuntur in tres Classes ut Electorum, Principum (& qui sub nomine Principum veniant) & Civitatum. XVIII. 142. de eorum suffragiis ferendis vide ib. & XIX. 144. quid faciendum si dissentiant suffragia? vel Imperator & ordines? XX. 145. seq.

Comitia Electoralia.

Wahltäge quid sint? I. 265. vide Electores.

Concordata.

Per ea quæ intelligantur 836. in med. summa eorum quæ sit breviter indicatur 839. in fin. occasio horum qui sic evenerint pag. 836. in fin. & seq.

Cyclopes.

Qui? & eorum vita. *XLIV. 972.*

D.

Dania.

Daniæ Jus Publicum unde hauriendum & qui ejus scriptores. IV. 15.

Decimæ.

An in feudum dari possint. VI. 714.

Decreta.

Decretorum Juris Canonici Collectores ante Gratianum fuerunt plures. *XXVIII.* de opere Jarlandi Chrysopolitani [cui titulus est Candela] quod continet Pontificum decreta &c. vide ibid. Decreta Gratiani qualem authoritatem habeant? ib.

Defensio Defendere.

Defensio vitæ quid? *II. 892.* est Juris Naturæ & Gentium, & Juris Civilis ratione comprobationis ibid. 893. qua ratione bruta se defendant? ibid. & vid. *XXVI. 923.* fuerunt quidam qui negarunt nullum dare casum, quo liceat hominẽ occidere *III. 893.* & hi qui fuerint? ib. eorum argumenta vide ib. 894. an Deus mandaverit ut potiùs patia-

 mur

mur nos occidi, quàm injustum occidamus invasorem pag. 896. respondetur ad loca SS. in contrarium allegata ibid. & V. 896. ut & ad Patrum dicta VI. 897. defensionem esse Juris præceptivi non permissivi, quibus argumentis probetur? VII. 898. & statuitur cum aliqua tamen insigni charitatis exceptione *IX. 901.* vid. *XXV. 951.* justa defensio duplici modo dici potest, ubi justum propriè sumitur vel impropriè &c. *XXV. 951.* casus examinatur, ubi quis aggressorem cum moderamine trucidare potuisset, sed noluit, potiùs se interfici passus, ne adgressoris anima ad infernum mittatur *VIII. 899.* Qui se defendere possint, an & Banniti? *X. 901.* an quibuscunque armis fiat defensio? *XI. 903. XXII. 948.* pr. contra quos? an contra furiosum, ebrium, fœminam, Papam, Imperatorem, Patrem &c. *XII. 904.* seq. an Magistratus qui per falsum processum aliquem opprimit vel hujus Ministri publici, an sint injusti aggressores *XIII. 906.* defensio ut fiat ad nullum locum est restricta *XIII. 907.* objectum defensionis est nostra vita & aliorum *XIV. 907.* præprimis illarum personarum, quæ necessariæ sunt, ut parentes, liberi, fratres, conjuges, affines &c. *XV. 909.* an etiam pudicitia huc spectet, ut is qui pudicitiam alicujus expugnare attentet, & illa vis alia ratione averti nequeat licitè interfici possit? *XXIII. 949.* an etiam propter membrum aliquod nobilius, si quis in præsente periculo sit, ne membro privetur, vel illud mutiletur, aggressor injustus interimi possit? *XXIV. 950.* an etiam ob Res & bona fortunæ, quæ nobis à furibus raptoribus & latronibus eripiuntur, ad illa conservanda liceat illos interficere? *XXVI. 952.* seq. quid in illos grassatores liceat? qui cursores publicos, Postas, sive equis sive curribus vehantur, spoliant, equos hominesq; prosternunt. XXVII. 955. quæritur utrū is, qui aliter innocentem aggressum, vitæ periculo eripere nequeat, quàm aggressorem trucidando ad id teneatur? & si omittat interficere illum, an sub reatu lethalis peccati sit? XVI. 910. Doctores moderamen inculpatæ tutelæ in tribus consistere docent requisitis. XVII. 911. XX. 946. duo requisita explicantur, unum XVIII. 912. alterum XXI. 915. Vis qualis? XX. 914. an quis in defensione primum ictum sustinere debeat ib. & XXII. 948. num viro honorato ita se liceat defendere & occidere eum, qui ipsi alapam impingere

re nititur V. 86. de fuga, an & fugiendum, vel turpe sit fugere vide XXI. 916. seq. si innocens quidam interpositus, defensionem aut fugam, sine qua evadi mors, ab injuste aggresso non potest, impediat, an ille transfodi aut obteri possit? XXII. 917. seq. ut quis moderamen inculpatæ tutelæ egressus sit, observanda sunt quatuor. XXIII. 919. qua pœna afficiendus? qui moderamen transgreditur? distinguendum prius putat Carpzovius, inter moderamen defensionis, & inter moderamen inculpatæ tutelæ XXIV. 920. quæ distinctio tamen non approbatur XXI. 947. an is qui arbitrariè punitur, ad omnia damna, expensas, curationes Medicorum & Chirurgorum hæredibus defuncti teneatur XXV. Inspectio vulneris an semper necessaria? XXX. 928. ut de vulnere constet an fuerit lethale vel non? ib. defensio inculpatæ tutulæ pro fine ultimo habet vitam innocentis injustæ morti eripere. XXVI. 923. pro fine intermedio an occisionem aggressoris habeat? XXVII. 924. defensionem allegans duo probare debet XXXI. 930. qui cum moderamine aliquem interfecit, an in foro soli & poli ab omni pœna liber sit? XXVIII. 926. in foro Saxonico an à pœna Wergeldi? ib. XXIX. 927. qui aliquem vulneravit aut mutilavit tenetur jure Saxonico ad tria, ad emendam, interesse, & pœnam. XXIV. 951.

Democritus.

Hujus doctrina de jure naturæ à Petro Borello explicanda expectatur XXIV. 77.

Denunciatio.

Seu nominatio sagarum difficilis est materia I. 1106. quidam DD. denunciationi sagarum nihil planè tribuunt, ut nec ad torturam nec capturã nec inquisitionẽ sufficere velint. II. 1107. alii ad torturã sufficere denunciationes pluriũ sagarũ si accedant indicia. III. 1109. alii sine aliis indiciis unius complicis denunciationem ad torturã sufficere IV. 1111. alii pluriũ denunciationes sufficere ad condemnationẽ judicant. V. 1112. Domini Taboris sententia de denunciatione VII. 1114. denunciatio sagarũ *alia vel est simplex*, ubi nulla adhibita tortura, nec observata requisita Carolinæ Ordinationis sunt. VIII. 1115. *vel est alia* ubi tortura huic simplici accedit, deficientibus tamen requisitis

 ibid.

ibid. *denique vel illa* ubi simplici denunciationi, & tortura & requisita accedunt. ibid. hæ autem omnes sunt vel unius vel plurium. ibid. simplex unius sagæ denunciatio non est sufficiens ad torturam indicium. *X.* 1116. neque ad capturam. ibid. 1117. an verò ad inquisitionem sufficiat? vide ibid. in fin. nec ad torturam nominato irrogandam sufficiunt, etiamsi sint plurium sagarum denunciationes *XI.* 1117. nec ad capturam vel citationem *XII.* 1119. an, ut valeat denunciatio requiratur tortura? *XII.* 1118. an etiam sit licitũ, ut quis in alterius caput torqueatur? *XIII.* 1119. & quid in praxi observetur? *XIV.* 1120. & dict. *XII.* 1119. nec illa denunciatio unius sagæ ubi tortura accessit, est sufficiens ad torturam denominati *XV.* 1121. nec ad capturam & inquisitionem formandam ut inquisitio nominato transmittatur, ut personaliter is compareat ibid. 1122. nec est sufficiens indicium, etsi plures in tortura sint denunciantes *XVI.* 1122. an verò hic capturæ ac citationi personali locus sit? *XVII.* 1123. illa denunciatio, quæ torturam & requisita artic. 31. Carol. V. Ordinat. adjuncta habet, & ad torturam denominati sufficit, explicatur. *XVIII.* 1123. & seq. quid ratione denunciantis & denunciati sit observandum? *XIX.* 1125. quinq; requisita breviter indicantur ibid. in secundo requisito quæ circumstantiæ observandæ? *XX.* 1127. ad circumstantiarum expressionẽ quas denuncians indicat, requiritur, ut inquiratur an veræ vel falsæ sint? ib. 1128. quæ sententiæ insuper probatur. *XXI.* 1128. Tabor circa hoc 2dum membrum quatuor observanda docet *XXII.* 1130. frustra huic est quæstio, an nominatio quæ facta cũ requisitis art. 31. absq; tamen indiciis, sufficiat ad torturã? *XXVII.* 1135. si enim falsæ reperiantur circumstantiæ tortura locum non habet. *XXIII.* 1130. & si veræ sint de saga circumstantiæ, tum de tortura non dubitatur. *XXIV.* 1131. quid verò si neque veræ neque falsæ, sed dubiæ, ut Judex fluctuet, an ad torturam procedi possit? *XXVI.* 1133. quales denunciantes an viri vel fœminæ, & quot? *XXIX.* 1136. si unius sit denunciatio, decisio petenda ex indiciis. *XXX.* 1136. an denunciatus, qui alioquin est bonæ famæ torqueri possit. *XXXI.* 1137. si socii criminis sint impliciti, etiam aliis præter veneficium, criminibus, an indicium ad torturam faciant si sint eorum plures? *XXXII.* 1137. an à denunciante requiratur juramentum? *XXXIII.* 1138.

1138. an igitur ex denunciatione, cujus mentio in Art. 31. Judex tutò ad torturam pervenire possit? *XXVIII.* 1135. omnis denunciatio quæcunque sit, sive vel unius vel plurium sociorum, neutiquam sufficit ad condemnationem, nisi quis necessariis argumentis, vel legitima confessione criminis alicujus convincatur. *IX.* 1115. de Inquisitione contra sagas videatur vox Inquisitio, de *tortur.* indiciis sagarum, vide Indicia, de tortura vide hanc vocem.

Deputations Täge.

Quid sint? *X.* 134. origo, modus eorum tractandi: qualem authoritatem habeant? *XI.* 134. seq.

Diffidationes.

Olim in Germania quæ? 786. in med. pag.

Doctores.

Bullati quare sic dicantur? 884. in fin. an privilegiis fruantur illorum Doctorum, qui ritu solenni in Academiis promoti sunt. ibid. & 885.

Duellum.

Quid significet? hujus vocis origo *XIX.* 945. Duellum quando monomachia dicatur? ibid. Duellum aliquod esse justum vel injustum remonstratur. ib. *Duella* quædam *necessaria* dicuntur ob defensionem ib. in fin. *XXII.* 947. tria ad hanc defensionem ut sit justa requiruntur, *XX.* 946. vid. suprà defensio an hastiludia Torneamenta seu Duella ludicra propriè sint Duella? *XXVIII.* 957. vid. Torneamenta. *Duella Judicialia* quæ? *XXIX.* 958. *LXXVII.* 1011. illa Duella dicebantur Kampff/ oder Kampff-Recht *XXXII.* 962. priscis Germanis fuerunt frequentia *XXX.* 960. fiebant illa Duella Judicialia tam inter actorem & reum, quam & inter testes *XXXI.* 961. & sic dubiæ quæstiones Juris & facti decisæ XXXII. 961. Goldastus testatur de illorum usu in Judicio Rothwilensi XXXIII. 962. non est justus probandi modus per illa Duella, quibus probatur innocentia XXXV. 965. nec talia à judicibus decerni potuisse argumentis ostenditur XXXVI. 966.

XXXVII. 967. potiùs superstitiosa, quàm Judicialia Duella dicenda. XXXVIII. 968. hæc Duella olim in Judiciis usitata peperere das Faust- oder Kolben-Recht. XXIX. 969. Maximilianus I. hosce mores barbaros, Regimento deinde Camerali Judicio, successores ejus pacis publicæ legibus & sanctionibus repressere. XL. 970. XLII. 971. *Duellum Cyclopicum* quid? XLIII. 971. duellatores comparantur Cyclopibus XLIV. 972. causa hujus Duelli & personæ quæ? XLV. 974. an ordinaria L. Cornel. pœna sit afficiendus, qui injuria lacessitus adversarium suum provocat & obtruncat? XLVI. 975. quid sentiendum de eo homine? si is non tantùm injuriâ alterum lacessiverit sed insuper provocaverit ad Duellum? XLVII. 976. an provocantis & provocati animus occidendi semper præsumatur, & eorum conatus puniendus? XLVIII. 977. sed si quis sine animo occidendi alterum gladio adortus, & præter intentionem ei vulnus lethale inflixerit, an is pœna adficiendus ordinaria XLIX. 978. de iis personis, quæ inter provocantem & provocatum intercedunt, quæ sunt internuntii vel arbitri &c. quâ pœnâ afficiantur vid. L. 978. LI. 980. Causæ, propter quas ejusmodi Duella condicuntur, quæ sint? LII. 980. omnes hæ causæ spectant ad judicem LIII. 981. quomodo injuriæ & calumniæ ulciscendæ? LIV. 982. temerararia quorundam Theologorum inprimis Jesuitarum Judicia, qui innocenti Duellum concedunt. LV. 984. si alapa alicui impingatur, liceatne Duello illam ulcisci juxta illud auff ein Maulschell gehört ein Dolch? distinguitur LVI. 986. Grotius differens hac de re an ille probetur LVII. 987. si alapa per fugã declinari possit? an fugiendum? LVIII. 987. Jesuitarum dogmata impia hujus ergò improbantur. LIX. 988. fugæ videtur obstare artic. 140. Const. Crim. Carol. cui tamen respondetur LX. 989. seq. de Nobilibus an illis duellis ludendũ? LXI. 992. rejiciuntur rursus Jesuitarum improba placita. LXII. 993. an militibus Duella licita? LXIII. 994. de Duellis studiosorum: vide quæso causas propter quas digladiantur, eleganter depictas? LXIV. 997. adhortatio ad abroganda illa Duella in Academiis. LXV. 998. Argumenta quædam in forma syllogistica, quæ duellorum injustitiam remonstrant, referuntur. LXVI. 1000. LXVII. 1001. LXVIII. 1002. neque Duella esse licita, licèt à ci-

à civili Majestate permittantur, neque ea posse permitti, probatur argumentis in forma LXIX. 1003. LXX. 1003. LXXI. 1004. LXXII. 1005. LXXIII. 1005. Duellorum exempla adferuntur permissa à Scipione, Regeque Daniæ LXXIV. 1006. à Carolo V. LXXV. 1007. Ludovico Bavaro & Senatu Spirensi LXXVI. 1008. quædam civitates sibi vindicant quoddam Judicium duellicum Kampff-Gericht ibid. duellatores si rationibus non commoveantur, fiat exemplis. LXXIIX. 1012. Duella Cyclopica multis pœnis coërcuerunt Pontifices LXXX. 1013. quâ sub pœna in Gallia fuerint & jam sint vetita? LXXXI. 1013. LXXXII. 1014. in Belgio quæ lata edicta contra duellatorum furorem? LXXXIII. 1015. in Suecia? vide ibid. in Comitiis Ratisbonensibus concepta est propter Duella constitutio. ibid. 1016. seq.

E.

Ecclesia.

Romanæ Ecclesiæ defensorem seu Advocatum se promittit Imperator in capitulatione, quomodo illud limitetur? 782. 783. ad Ecclesiæ sustentationem bona quædam sunt necessaria I. 496. seq. differentiam inter Res sacras & bona Ecclesiastica vide ib. I. 521. bona Ecclesiastica sunt vel veræ vel falsæ Ecclesiæ III. 522. primis mundi seculis qualis status Ecclesiæ ratione sustentationis? II. 497. qualis tempore Christi III. 498. quo tempore Ecclesia bona immmobilia possidere cœperit? ibid. qualis status tempore persecutionum? IV. 498. quomodo largitiones, quæ Ecclesiæ factæ, creverint, & denique prohibitæ fuerint? V. 499. in Germania quales reditus & fundationes Ecclesiarum? VI. 500. VII. 501. an abundantia opum semper proficua Ecclesiæ? VIII. 501. reformationes propter Anti Christum variæ IX. 502. Ecclesiæ quare vocentur manus mortuæ VIII. 507.

Ecclesiastica bona.

An Commendæ seu Commendaturæ ad bona Ecclesiastica referendæ? 819. in med. pag. bona Ecclesiastica regulariter alienare prohibentur I. 504. omni jure, Naturæ, Gentium. II. 504. Jure divino III. 505. item Civili IV. 505. Canonico, V. 505. Imperii constitutionibus

nibus VI. 506. cujus sententiæ hodierni nostri Juris consulti responsa dederunt VII. 506. bona Ecclesiastica, quæ ad superstitiosum & impium usum collata, an in meliorem & pium converti possint? IX. 508. quales pii usus an & multi sint? X. 509. possunt B. E. variis ex causis alienari, I. 511. ut. Necessitate II. 511. I. 535. seq. ex utilitate Reipublicæ II. 512. vel propter Rationem status II. 537. abundantiam bonorum Ecclesticorum. IV. 513. III. 538. si pax redimenda V. 513. I. 537. item si cum certa pernicie Reipublicæ sint subtracta VI. 514. probatur licitam esse bonorum alienationem Ecclesiasticorum jure Naturæ VII. 515. Exemplis sacrarum literarum VIII. 515. Jure Civili IX. 516. & in specie Instrumento Pacis Osnabrug. X. 516. attamen de bonis alienandis veræ Ecclesiæ potiùs quantum fieri potest abstinendum III. 522. an Principes protestantes superiori seculo occupare & fisco vindicare potuerint? IV. 523. quis alienare possit Bona Ecclesiastica, Papa vel Princeps secularis? I. II. 517. bona quæ Ecclesiæ data & dominio privatorum exivêre, an & dominio eminenti & superiori exiverint? III. 517. IV. 518. hodie in terris Augustanæ confessionis statibus, qui territorialem jurisdictionem habent, competit jus secularisandi VI. 520. sive sint Electores, Principes, Comites, Baronis, Nobiles Immediati, Civitates Imperii liberæ. VII. 520. an Imperator & ordines Imperii feudalia illa bona quæ Episcopatibus & Monasteriis olim data per instrumentum pacis statibus protestantibus concedere potuerint? V. 525. exempla alienationis ex sacra & profana historia exhibentur I. 527. pontificum. II. 528. & superioris seculi III. IV. 528. Bona illa Ecclesiastica quæ in Instrumento pacis secularisata sunt, & quæ sint? vide V. 529. alienantur B. E. per certos modos ut Occupationem I. 531. per Concessionem superiorum vel Jure Allodiali vel Feudali II. 532. vel per Præscriptionem III. 535. qualis solennitas Canonica requiratur ad alienationem bonorum Ecclesiæ? IV. 533. item qualis ad Bona Ecclesiastica Imperii immediata? ibid. an & Papæ consensus ad secularisationem bonorum Ecclesiæ Germanicæ requiratur? V. 534. qui Bona E. alienata accepit in ipsius sunt dominio I. 538. an etiam illa bona Ecclesiastica alienata in censum referantur: II. 539. bona illa Eccl. secularisata, an instar

alio-

aliorum secularium nunc præscribantur? III. 540. B. E. Imperii alienata quid in Comitiis operentur? IV. 541. argumentis contra alienationem allatis respondetur. 541. in fine pag.

Ehehafften.

Quæ sint in foro Saxonico? & quid in Judicio Rothwilensi sub isto nomine intelligatur IV. 618.

Electores. Electio.

Originem septem Electorum ad Caroli Magni ætatem referri, nulla fide nititur. II. 254. communis & vulgata opinio est ab Ottonis III. & Gregorii V. Pontificis temporibus officia Electorum provenisse. III. 254. vid. 777. argumenta hujus opinionis recensentur, IV. 255. ex hac opinione adducuntur nonnulla, quæ ante Fridericum II. Electores fuisse ostendant, IV. 257. in fin. pag. V. VI. 257. VII. 258. referuntur illi, qui illam communem sententiam suspectam fecerunt VIII. 259. eorum præcipua in hanc rem argumenta sex adducuntur IX. 259. seq. vid. 777. utraque dissentientium opinio componitur distinctione aliquâ. X. 260. seq. & vera sententia indicatur XI. 263. seq. Electorum Comitia sunt vel Wahltäge quæ definiuntur, vel Collegial-Tage I. 265. vid. 802. in med. Electio Imperatoris an necessaria Francofurti fieri debeat? ibid. 265. Comitia illa Electoralia sunt vel ordinaria vel extraordinaria ordinaria fiunt tribus casibus II. 265. seq sicuti Electio est vel ordinaria vel extraordinaria 779. pr. an & sine consensu Imperatoris nondum vacante imperio Electores Regẽ Romanorum eligere possint ibid. 265. vid. 865. in fin. Electores antehac septem nunc octo. III. 268. v. 778. in med. Bavarus in locum Palatini successit & Palatino octavus Electoratus, seu ultimus locus concessus cum munere Archithesaurarii ibid. de vicariatus controversia inter Palatinam & Bavariam domum videatur. voc. Vicariatus. Electores habent suos subofficiorios, quando hi exerceant sua officia? 887. Imperator an natione Germanus eligendus? quo Jure, & quare? 781. an Imperatoris, qui Augustanam confessionem vel Reformatorum Religionem sequitur, eligi possit? IV. 270. Elector Moguntinus indicit conventum ad electionem, si unus omittatur quid juris,

 V. 271.

V. 271. vid. 780. prin. ſede vacante non poteſt Capitulum, ibid. nec intereſt an Eccleſiaſtici Electores ſint à Pontifice confirmati priùs, vel non: ibid. an autem priùs neceſſaria ſit inveſtitura disquiritur? ibid. 271. & ſeq. an Moguntinus in Electione extraordinaria ſcil. Imperio non vacante, poſſit Electores convocare VI. 273. quo tempore convocare debet Electores, & quot dies electioni deſtinati? *VII.* 274. Electoribus præſtatur ſalvus conductus, *VIII.* 275. de Comitatu v. *IX.* 276. legati loco Electorum mitti poſſunt ibid. nec juramento juſtum impedimentum affirmare tenentur ibid. & ſeq. mandatum, quod legato datum, an debeat conceptum eſſe in certam perſonam? 277. vid. 779. proceſſus Electionis X. 278. Electores Auguſtanæ Confeſſionis ſalva conſcientia Miſſæ intereſſe poſſunt. ibid. de juramento ab Electoribus ante electionem præſtando vide ibid. an Electoribus competat jus eligendi ut ſingulis, vel ut collegio? *XI.* 280. Cui competat primum votum? ib. v. 780. pr. ſi duo, votis æqualibus, Imperatores eligantur, quid juris? *XII.* 282. an & Elector ſemetipſum voto donare poſſit? ibid. quomodo abſolvarur Electio ib. 283. utrùm coronatio peragenda ſemper ab Electore Colonienſi an verò à Moguntino? 872. pr. de urbe Aquisgrano, quæ in Aurea Bulla coronationi deſtinata vid. ibid. in fin. pag. olim Imperatores triplici corona inſigniti fuêre. 773. pr. num Electio propter Auſtriacorum continuam (per 230. annos) ſucceſſionem, adhuc vera ſit electio, 865. in med. Electores, an confœderationes ſeu pacta unionis excluſo Bohemo inire poſſint? 803. illorum pactorum capita, circa quæ fiant, recenſentur. ibid.

Epicurus.

Ejus de Jure naturæ ſententia explicata reperitur apud Gaſſendum. XXIV. 78.

Epiſcopi.

Eligendi jus Epiſcopos Imperatoribus competit. 836. in fin. Henricus huic juri renunciavit 837. pr. an hoc in utilitatem vel detrimentum Imperii verſum? ibid. Epiſcopi conſtituuntur (1.) Electione, quæ ſit tribus modis, per Inſpirationem, per Scrutinium vel per Compromiſſum 838. in fin. (2.) Poſtulatione (3.) Collatione ſeu proviſione. 839.

839. in pr. Lutheranos non posse eligere Episcopos, sed postulare, dicunt Pontificii ibid.

Ertz-Truchseß.

Minus commode latine redditur per Archidapiferum, Truchseß/ quid, eo nomine indigitetur? 780. in med.

Executio.

Tertius, qui rem possidet in quam executio est facienda, potest eam impedire sive dominium prætendat XLIV. 487. sive possessionem tantùm. XLV. 488. imò si possessio vacet XLVI. 489. quid verò si penes reum sit possessio, an executio in favorem tertii suspendenda? XLVII. 489. sic potest mulier in re sive dotali, sive hypothecaria, quâ dotem salvam habeat, executioni obstare XLVIII. 490. an etiam possit is, cui res oppignorata, eam impedire? an & Colonus? &c. XLIX. 491. Dominus rei usufructuariæ: dominus Feudi, Agnati an & hi possint? dict. XLVIII. 490.

Executor.

In executione qualem cognitionem habeat? L. 492. potest de jure tertii cognoscere ibid.

Exemptio.

Definitur quid sit. XLIV. 224. modi exemtionis sunt propriè vel impropriè tales, illi sunt quando quis seipsum eximat, & quomodo hoc fiat? ibid. vel quando ipsum alius; & hoc fit [1.] per Imperatoris specialem concessionem, [2.] per gravissimi alicujus delicti commissionem ibid. (3.) per status alicujus superioris exemtionem XLV. 223. & hæc exemtio rursus fit triplici modo. ibid. & seq. Impropriè modi sunt vel præscriptio XLVII. 228. vel præteritio seu omissio. XLVIII. 230. de exemtionibus probè, an illæ sint juris dubii & in lite pendente, vel sint firmi ac certi juris, observandum. XLVI. 227. Exemtiones an pernitiosæ sint Imperio XLIX. 231. contra exemptiones, in Camera, Fisco Imperii facultas agendi concessa. L. 233. actio illa dicitur Condictio ex lege Imperii ibid. procedendi modum vide ibid.

Expectiva Investitura.

Videatur Investitura.

Expeditio Romana

Römer-Zug describitur XXIV. 194. usque ad tempora Caroli V. obtinuit, XXV. 196. qualis numerus militum in expeditione indicebatur ibid. & XXVI. 198. quomodo hodie expeditio fiat ibid. an semper in imperio contribuatur secundùm summam, quam ad Expeditionem Romanam des Römer-Zugs contribuebat quisque statuum? XXVII. 199. Jurispublici scriptores duos faciunt modos contribuendi seu collectandi: per æs & libram & per expeditionem Romanam ibid.

F.

Fahn-Lehn.

Sunt Regalia illa feuda, quæ describuntur III. 702. & sunt secularia. 838. pr. an hæc hodie per vexillum conferantur, ibid.

Fatum.

Stoicorum, Juri naturali adversum. XXV. 78. 79. & quare cum Jure naturæ consistere non possit? ibid. Autores, qui id confutarunt, qui sint? XXVI. 79.

Faust-Recht.

Oder Kolben-Recht quid? XXXIX. 969.

Feuda.

Feudum definitur I. 699. feudorum origo unde petenda? IV. 699. seq. VII. 87.

Feudum *Antiquum* strictè dictum quid? IV. 703. an inter antiquum & paternum distinctio? ibid.

Feudum in Curte quid? ex quid extra curtem? IV. 706.

Feudum *Ecclesiasticum* unde æstimandum? V. 703. & quomodo à seculari differat? V. 706.

Feudum *Fœmininum* an impropriè feudum? VI. 703.

Feudum *Hæreditarium*, & feudum ex pacto & providentia an hodie distinguantur. VIII. 704. definiuntur. IX. ibid.

Feudum *Ligium* & feudum non Ligium defenduntur. X. 704.

Feu-

Feudum *Mixtum* an agnoscendum? VII. 703.

Feudum *Nobile* definitur. II. 702.

Feudum *Regale* quomodo differat, à Non Regali III. 702. Feuda Regalia majora an per Imperatorem vel Regem Romanorum vel per procuratorem conferri possint? X. 727. an vicarii Imperii durante vicariatu? IX. 756. & vid. 871. in med. pag. feuda Imperii sunt vel majora, vel minora si aperta, non illa sed hæc in feudum Imperator dare potest, & quare? 857. pr. & I. 708. Electoratum autem vacantem denuò alii conferre debet 857. in fin. sed an solus, vel cum consensu Electorum hoc possit? 858. pr. Imperii feuda extra Germaniam quæ? 858. in fin. seq.

Feudi

Accessio. accessiones naturales ad Vasallum spectant. II. 746. Thesaurus in fundo feudali inventus, cujus? I. 745.

Feudi

Acquisitio: modi acquirendi & constituendi feudum differunt. I. 721. modi acquirendi qui sint? VII. 723. Investitura est modus acquirendi II. 721. successio est modus acquirendi feudum. V. 722. Præscriptio inter modos acquirendi feudum refertur. VI. 723. IX. 723. ad præscriptionem feudi in republica vel Ecclesiastica quot anni requirantur? X. 723. sententia Judicis non est modus acquirendi feudum VIII. 723. testamento constitui potest feudum *III.* 722. si vasallus feudum legaverit quid debeatur. *VII.* 731. Collegia ut Ecclesiæ, Universitatis quomodo feuda acquirere posint? X. 711. Clerici feudum accipere *VI.* 710. & per substitutum servire possunt, *II.* 728. an pupillus & minor accipere *VII.* 711. & per substitutum servitia præstare possint? *IV.* 742. si filius familiâs feudum acceperit, usus fructus an ad Patrem spectet? *VIII.* 711.

Feudi

Actio: an actio præjudicialis Domino feudi competat? *I.* 753. Interdictum unde vi an detur vasallo, contra dominum. V. 742. Reconventio an in causa feudali locum habeat? *VII.* 755. an in jure feudali, actore non probante reus absolvetur? vel juramento se purgabit? V. 754. an Vasallo dominum suum in judicium vocandi licentia sit, antequam veniam impetrarit? V. 743.

Feudi.

Feudi

Alienatio: Subvaſallus alienare feudum cupiens cujus conſenſum requirere debeat, an ſubinfeudantis vel domini directi, à quo primus Vaſallus feudum habet *VIII.* 748. an Vaſallus ſine conſenſu domini, incultas terras alii in Emphyteuſin dare poſſit? V 750. ſi dominus feudi ſine conſenſu vaſalli, alii proprietatem cedat, an feudo cadet? vel an ſolùm alienatio irrita pronunciabitur? *VII.* 751.

Feudi

Amiſſio. ſi vaſallus manum ſaltim contra dominum levaverit, tanquam percuſſurus, nec percuſſerit, an feudum amittat? *I.* 749. Viduam Domini, ſi Vaſallus ſtupro maculaverit an feudum amittat? *II.* 749. ſi Vaſallus inimicis Domini, ſuas amicitias copulaverit an feudo privandus? *IV.* 750. an per inceſtum Vaſallus feudum perdat? *VI.* 751. an ex cauſis propter quas Vaſallus feudum amittit, ipſo Jure amittat, an verò per ſententiam judicis? *VIII.* 751. ſi Vaſallus in præſtatione Canonis annui quem debet, per triennium ceſſaverit, an feudo privandus? I X. 751. antiquum feudum quod ex culpa Vaſalli amiſſum, an ad dominum redeat? ita ut non tantùm liberi ſed & agnati excludantur? X. 752. an cauſæ illæ omnes, propter quas liberi rectè exhæredantur, etiam ad privationem feudi ſufficiant? *III.* 750. quando Vaſallus vel ſubditus alicujus ſtatus Imperii, vel feudum ſuum, vel bona allodialia propter Crimen læſæ Majeſtatis aut aliud delictum, amittat, an Fiſco Cæſaris, vel liberæ diſpoſitioni Domini territorii, addicantur? 880. pr.

Feudi

Bona: de quibus controverſia eſt an potiùs Allodialia, quàm feudalia præſumantur? *IV.* 754.

Feudi

Contractus. an ſit diſtinſtus ab aliis contractibus. *IV.* 722.

Feudi

Expectativa Inveſtitura. Promiſſio feudi facta ſub conditione, quæ in caſum mortis certi Vaſalli poſſeſſoris concipitur, non eſt improbanda. *I.* 733. an Dominus ex hac promiſſione conditionali, exiſten-

ſtente conditione præciſe ad feudum tradendum obligetur? *II.* 733. ſed ſi certus caſus exprimatur, puta ſi Vaſallus ſine liberis deceſſerit, ſed alio modo feudum revertatur ad Dominum &c. an Dominus obligatus ſit ad feudum tradendum? *III.* 733. quid verò ſi liberos habeat Vaſallus an rectè concedetur expectativa? *IV.* 734. ſed ſi is cui Dominus promittit feudum, ante moriatur quam Vaſallus, an etiam hæredibus iſtius ad promiſsionem adimplendam Dominus ſit obſtrictus? V. 734. ſi Prælatus aliquem, cui Expectivam conceſsit aperto feudo, abuſivè inveſtiverit, ante traditionem deceſſerit, an ſucceſſor ad inveſtituram implendam & feudum tradendum teneatur? *VI.* 734.

Feudi

Fides. Si plures ſint domini hæredes, uni omnium nomine præſtanda eſt fides *VIII.* 726. ſed quis ille unum eligat IX. 727. Vaſallus qui juravit Domino ejusque ſucceſſoribus, ſed mortuo domino, hæredibus defuncti an iterum teneatur jurare. *VII.* 739. an Vaſallo liceat contra dominum teſtimonium dicere? *I.* 741.

Feudi

Inveſtitura. Inveſtitura eſt modus acquirendi feudum *II.* 721. & non eſt contractus, *I.* 724. eſt duplex propria & abuſiva. *II.* 724. expectiva an ſit tertia ſpecies? *III.* 725. Vaſallus poſt inveſtituram abuſivam, an propria authoritate vacuam poſſeſsionem apprehendere poſsit *IV.* 725. ſi Dominus priùs aliquem inveſtiat, mox alterum ignorantem, & huic poſſeſſionem tradat, hic poſterior præfertur. V. 725. Inveſtitura ſimultanea conſuetudine eſt recepta. VII. 735. ſimultanei inveſtiti mutato domino inveſtituram petunt. VII. 735. an propriores & remotiores ſimul petant? IX. 735. quæſtiones circa Expectivam inveſtituram vide ſupra Expectiva &c.

Feudi

Iudex. Quis Judex, ſi de poſſeſſione feudi quæſtio ſit, an Judex ordinarius vel Judex feudalis. I. 753. Pares quando in cauſa feudi judicant, an Juramentũ præſtare teneantur? III. 753. an conſuetudo induci poſſit, ut ſol⁹ Dominus pares curiæ eligat. VI. 755. perſonæ miſerabiles, viduæ, pupilli &c. an Domini feudi Juriſdictionẽ in cauſa feudali declinare

nare & adversarium coram superiori convenire possint. VIII. 755. an Vicarii de feudo cognoscere possint tempore vicariatus. IX. 756. an etiam Dominus, qui Vasallam investire coactus est, Judex feudi esse possit. X. 756.

Feudi

Refutatio. an Vasallus nolenti Domino feudum refutare possit? IX. 748. si Vasallus omnia feuda Domino refutet, an etiam impropria feuda refutatio contineat. X. 749.

Feudi

Renovatio. in petenda renovatione, quantum temporis concessum, I. 736. tempus illud nec minuere II. 737. nec prorogare Dominus potest. III. 738. mortuo Vasallo ante anni exitũ, an integrum tempus successori detur? IV. 738. quomodo renovatio petenda? V. 738. sicuti Vasallus si intra legitimum tempus renovationem non petierit, feudi jure cadet, an etiam ita Dominus petente Vasallo, intra tempus renovationem si eam recuset, proprietate carebit? VI. 739.

Feudi

Res: pecunia ex feudo redacta, an res feudalis? IV. 713. III. 757. an pecunia in feudum dari possit? IV. 758. an fructus? V. 714. V. 759. an decimæ? VI. 714. an Molendina? IX. 715. IX. 763. an servitutes. X. 716. an Vasallus servitutem feudo imponere possit IV. 746. an Res mobilis in feudum dari possit? I. 712. I. 756. an & Res quæ usu consumantur? II. III. 713. II. 756. ut Res in feudali solita dicatur, quid requiratur? VIII. 715. X. 763. an mulierem suam in feudum dare possit. III. 709. an Minoris & pupilli res? IV. 710.

Feudi

Servitia: si feudum accessione magna augeatur an servitia augeantur? III. 742. si Vasallus plures habet dominos tum antiquiori Domino ipse præsens, recentiori verò per substitutum servitia præstare debet, quid verò si hi domini inter se bellum gerant? VII 743 an adversus Patrem, Domino Vasallus servitia militaria præstet? VIII. 743. Vasallus Domino servitia præstans cujus sumtibus? IX. 744. an Vasallus dominum ob æs alienum in vincula conjectum liberare teneatur? X. 745. an & Dominum alere? II. 741.

Feu-

Feudi

Sub in feudatio. Pacto expresse adjecto de non alienando an subinfeudandi facultas Vasallo adempta sit? V. 747. an subinfeudatio in infinitum fieri possit VI. 747. an feudum regale in subfeudum dari possit VII. 747.

Feudi

Substantialia, Naturalia, accidentalia: differunt VIII. 700. ad substantialia quæ referantur? VIII. IX. 707. & quæ ad altera duo? X. 708.

Feudi

Successio. Collaterales in feudis succedunt IV. 730. an fratres consanguinei à Germanis excludantur? V. 730. soli si sunt fratrum liberi in capita succedunt X. 732. fœmina ad successionem semel admissa, si deinceps nascantur masculi, an excludatur? VIII. 731. & licèt semel per masculum exclusa non tamen in perpetuum exclusa est. IX. 732. legitimati per subsequens matrimonium an in feudo succedant. *I.* 728. an Spurii? *IX.* 711. si Vasallus duos habeat filios, unum alterum ante, sed alterum post acceptum feudum in lucem editum, prior primogenitus ratione successionis dicendus? III. 729.

Franci

Olim multas ditiones Imperii detinebant & quas? *III.* 126. ipsorum conventus an originem Comitiorum nostrorum universalium referant? ibid. IV. 127.

Fürsten-Recht.

Quale Judicium? 851. in fin. an superiori seculo illud observatum. 852. quis hodie Principum sit Judex in causis, quæ eorum vitam & bona feudalia concernant? ibid. 853.

G.

Gailius.

An illi inter scriptores & observatores Juris Cameralis princeps locus tribuendus *XIIX* 359. in med. pag. judicium de Gailio & ipsius scriptis in fin. ibid. qui ad Gailium commentati? 360. an Cameralis Advocatus propter adscriptas margini Remissiones ad Wurmseri &

Hartmanni observationes, hisce Autoribus carere queat? ibid. in fin.
Gailii Authoritas, quanta valeat in Judicio Aulico? *XIX.* 366.

Gallia.

Jus Publicum Galliæ unde discendum? II. 13. Gallorum Scriptores ad illud nonnulli recensentur, II. 13. laudatur Limnæus ad hanc rem ibid. an hodie licitum in Gallia de Potestate Regis & reliquorum Principum quid scribere? II. 14.

Germania.

Germani, originem, linguam, gentem an cum aliis habuerint communem? *I.* 124. è Celtis quidam populi olim Theutisci nato nomine, hodie Germani dicuntur. ibid. Germaniæ Imperium an ab initio fuerit hæreditarium. *I.* 252. quando electitium esse cœperit? *II.* 253. *II.* 253. Germaniæ Imperium an successerit in locum antiqui Romani Imperii, ut hoc in illo continuetur? 772. in med. quæ provinciæ Italicæ olim ad Imperium Germaniæ pertinuerint? 816. pr. an jus recuperandi adhuc supersit nostris Imperatoribus ibid. & pag. 817. quid verò si provinciæ quædam Imperii à statibus teneantur, num illæ Imperio restituendæ? ibid. in fin. quare deliberationes de finibus recuperandis hactenus caruerint successu? 818. in med. Germanum Imperium an electitium? 864. quando electio cœperit? ibid. & 865. *II.* 253. Germaniæ jus publicum unde depromendum pag. 788. in med. Juris publici Germanici definitio & descriptio XV. 22. Fibigii definitio examinatur. Quinque observationes necessariæ ad cognitionem Germanici Juris publici. *XII.* 18. *XIII.* 19. *XIV.* 20. *XV.* 21.

Glesen.

Hæc vox evolvitur? *XXV.* 196.

Goldastus.

An omnia vera orbi reliquerit? *XII.* 181.

H.

Hansee Städt.

Hujus vocis explicatio 812, fœdus ipsarum Civitatum ibid. in quot Classes seu ut vocant Quartir divisæ? ibid. illarum Emporia quot? & quæ? ib. 813. pr. an hodie fœdus harum Civitatum sit solutum ibid.

Helvetii.

Helvetiorum Jus publicum unde discendum? X. 18. qui ejus Authores. ibid.

Hispania.

Unde hujus Jus Publicum hauriendum? *VII.* 17. qui ejus Scriptores? ibid.

Hobbeus.

An asserat vel neget leges naturæ? XV. *65. XIX.* 913.

Holsatiæ

Jus. vide Jus Holsatiæ in lit. I.

Hyppolithus à Treißbach.

Scripsit tractatum im Unvorgreifflichen bedencken/ über etliche Fragen der Reichs Ritterschafft Stand und session betreffend. Quis fuerit. *XXIX.* 309.

I.

Indi.

Indorum sententia de jure Naturæ *XII.* 32. 33. eorum errata in jus naturæ. *XIII.* 34. an Indi hodie adhuc vescantur hominibus: ibid. Mulieres mortuo marito, qui igni traditur, hujus flammam ingrediuntur, ut comburantur. ibid.

Indictio.

(Anschlag/) an ad numerum expeditionis Romanæ des Römer-Zugs redacta? XXVI. 198.

Indicia.

Contra Sagas an reliquantur arbitrio Judicis VII. 1090. Indicia quæ inquisitioni sint idonea? vid. Inquisitio. Indicia ad torturam vid. Tortura. indicia qualia ad Capturam? XV. 1097. an sit indicium licitum aquæ frigidæ proba? XVII. 1099. item quid sentiendum de purgatione per aquam ferventem vel ferrum ignitum vel per lancem & stateram. ibid. 1100. vide etiam de iis. XXXIII. *962.* XXXIV. *963.* seq. quale indicium ex stigmatibus à Dæmone impressis? XVIII. 1101. vid. 1158. quale illud si Saga lacrymas in conspectu

Judicis fundere non possit? XIX. 1102. quid sentiendum de singularitate, quam Sagæ exercent in actibus Religionis. XX. 1104. de falsis aliis indiciis, ut si quis à parentibus falsis natus? vel ex patria in qua multæ sagæ igni traditæ? si Physiognomia sit mala, si torvo aliquo aspectu sit, si oculos in terram defigat, si pupilla in oculo non appareat, aut inversa sit? &c. vide XXI. 1105. quale indicium si quis blasphemias obscœnissima verba & juramenta proferre consueverit. 1159. de denunciatione seu nominatione Sagarum vid. denunciatio.

Instrumentum Pacis.

Duplex est: 787. in med. pag. an obscurum ibid. qui instrumento pacis contradixerint? & quare? 789. in med. pag.

Instrumentum Publicum.

Quibus modis fiat? XIX. 201.

Interventio.

Hujus vocis Grammaticæ & variæ significationes. I. 427. varia interventionis exempla in sensu juridico ubi de jure tertii agitur, II. 428. de finitio interventionis III. 430. genus examinatur. IV. 430. interventio à consortio litis est diversa V. 430. quomodo differat à laudatione & nominatione auctoris VI. 431. Interventio Juri Gentium adscribitur & Civili, & hoc probatur multis exemplis adductis VII. 433. fundamentum interventionis est jus & interesse tertii, VIII. 435. interventio est articulus præjudicialis IX. 436. hoc jus tertii est probandum & qualis probatio esse debeat? ibid. 437. an illi intervenientes ad interesse probandum teneantur, qui non sponte, sed à Judice vocati, e. g. qui autor laudatus vel nominatus, vel jactator cujusdam interesse? X. 438. probata interventionis causa, interveniens admittitur judice interloquente. XI. 489. & ubi quæritur si Judex per injuriam, intervenientem admittat, vel repellat, an pars læsa appellari possit? ibid. & seq. quale interesse requiratur in interventione? XII. 441. seq. Negotia per quæ interesse tertii læditur vel fiunt extra Judicium quod exemplis illustratur XIII. 443. vel fiunt in judicio XIV. 444. uti directò fit per sententiam & quare hoc? ibid. 445. prin. sententia autem inter alios facit præjudicium vel ratione meræ præsum-

ſumtionis. Et quantum huic præſumtioni tribuendum? Et an ſit juſta cauſa interventionis vide ibid. in med. & ſeq. vel ſententia plenius præjudicat naturâ ac vi ipſius ſententiæ, & quomodo hoc fiat explicatur & illuſtratur exemplis. XV. 447. ſeq. vel ſententia non propria vi ſed ſcientiæ tantum nocet XVI. 450. quomodo & quare hoc fiat? ibid. oſtenditur exemplis ex lege 63. ff. de Re judic. XVII. 451. & præſertim ex hac l. exemplum creditoris evolvitur XVIII. 453. ſeq. vel ſententia nocet tertio per indirectum. XIX. 456. quomodo hoc fiat in exemplis explanatur. ibid. Interventio etiam conſideratur ratione finis vel ultimi XX. 457. vel intermedii ſeu ſubalterni, ibid. ſcilicet ut vel interveniens alterutri litigantium adſiſtat eumque defendat ib. ex quo jure hoc eveniat? XX. 458. formula ſententiæ hujus ergò quomodo concipiatur. ibid. velut tertius actorem reumve à lite removeat, ipſe vicem ejus quem amplitur ſubiturus. XX. 457. ex quo fundamento hoc fiat? XXII. 459. vel denique ut interveniens ſalvâ utriusque perſonâ, jus proprium aliquod circa iſtam cauſam proſequatur XX. 457. qua ratione hoc fiat? XXIII. 460. formula ſententiæ, quomodo hìc concipienda ibid. 462. quid obſervandum, quando interventio in judicio ſit admittenda nec ne? XXIV. 462. ſeq. perſonæ intervenientes quænam eſſe poſſint? XXV. 464. quales cauſæ? XXVI. 466. Interveniens an eo ſtatu, quo tempore interventionis reperitur, litem teneatur aſſumere? XXVII. 467. quo tempore judicii intervenire debeat. XXVIII. 468. de Judice interventionis quis? vid. XXIX. 469. de Judice prorogato & delegato vide XXX. 471. in ſummis imperii Judiciis quid ſpecialiter hic obſervandum circa interventionem, ſi interveniens vel litigantes ſint diverſæ religionis *XXXI.* 472. ſi coram arbitro res agatur, an tertius intervenire debeat? *XXXII.* 473. de exceptionibus tertii contra ſuſpectum judicem vide *XXXIII.* 474. an interveniniens libellum exhibere litemque conteſtare debeat? *XXXIV.* 475. quomodo ulterius illi in judicio procedendum? *XXXV.* 476. an Interventio proceſſum ſuſpendat? *XXXVI.* 477. an interventio in ſecunda Inſtantia locum habeat? *LXXVII.* 479. quid ſi in prima Inſtantia interventio facta, & pars litigans appellaverit, an interveniens intra fatale

tale tempus appellationi debeat adhærere? *XXXVIII.* 480. à quibus sententiis fieri debeat Appellatio? *XXXIX.* 481. vid. *XI.* 439. à quo tempore interponenda appellatio *XL.* 483. quando tertius appellari, principalis verò litigans non possit? *XLI.* 484. an post rem judicatam locum habeat interventio? *XLIII.* 486. si tertius rem possidet in quam executio est facienda, an possit eam impedire XLIV. 487. & quomodo hoc ulterius extendatur, & de aliis, qui executionem impedire possunt? vide sub. seq. videatur etiam Executio.

Inquisitio

Contra sagas, est vel generalis vel specialis V. 1087. Initium semper fiat à generali inquisitione ibid. quomodo fieri debeat? ibid. seq. 1088. quando non opus generali inquisitione? ibid. quando specialis inquisitio succedat. VI. 1088. qualis probatio ibid. an etiam per literas veneficii delictum probari possit ibid. 1089. qualia indicia ad inquisitionem sint idonea? XIV. 1097. pr. pag. *XVI.* 1098. an indicia relinquantur arbitrio Judicis & quomodo arbitrium hìc intelligatur VII. 1090. an simplex unius sagæ denunciatio sufficiat ad inquisitionem? X. 1117. in fin. pag. vid. Denunciatio.

Johanniter Orden.

Quando cœperit? 818. Johannitæ qui fuerint? & qui nunc sint? 819. 820. habent Magistrum in Germania. ibid.

Judæi.

Judæorum sententiæ de juræ naturæ XVI. 37. habent septem illustriora Noachidarum præcepta *XVII.* 38. horum interpretatio ibid. 39. adjiciunt quidam Judæorum duo adhuc præcepta de usu sanguinis & sabbath: observatione *XVIII.* 39. quomodo cognita fuerint hæc præcepta Adæ & posteris ejus? *XIX.* 40. an sint juris naturæ hæc præcepta? *XXII.* 42. 43. quales pœnæ in violatores septem horum præceptorum. *XX.* 41 præter hæc addunt Judæi alia minora seu obscuriora præcepta Juris naturæ. *XXI.* 42. & quare obscura vocent? ibid. rejicitur illorum sententia, qui tripliciter Jus Naturæ putant cognosci ex hisce illustrioribus, & obscurioribus præceptis. *XXIII.* 44. seq.

Judex. Judicium.

Judiciorum in omni Republica necessitas. I. 388. à civitatibus instituta sunt Judicia & quare? *XI. 939. XII.* 940. pr. quare nemo possit esse judex in propria causa? probatur. ibid. in med. dictum hoc procedit tam in contractibus spontaneis quàm invitis *XIII.* 941. quare Judices seu Magistratus vocentur Dii? *XIV.* 922. ipsorum officium quàm religiosè facere debeant? *XV.* 942. semper meminisse debeant dicti Sapient. 6. v. 2. seq. judicia omnis generis facinora & bella prohibent *XVII.* 923. seq. deficientibus Judiciis incipiunt bella. XVIII. 944.

Judicia.

Germaniæ sunt tria Judicia, II. 388. Judicium Aulicum (de eo vide in Lit. A. Aulicum) Judicium Camerale (videatur vox Camera) & Judicium Rothwilense, (de eo vide in Lit. R. hoc vocabulum.)

Juncker.

Quasi Junge Herrn. qui sic dicti fuerint? VI. 290.

Jurisdictio.

Quomodo plerumque in jure Civili sumatur? XXIV. 646. estque vel Civilis vel Criminalis XXV. 646. hæc dicitur Merum Imperium, describitur ibid. an merum Imperium consistat in sola executione? ibid. objectum hujus Jurisdictionis quodnam? XXVI. 646. gradus meri Imperii quot? XXVII. 647. cui competat merum Imp. XXVIII. 648. an mandari possit? XXIX. 649. Civilis Jurisdictio est vel ordinaria XXX. 649. alia propria alia non propria, hæc vel mandata vel prorogata XXXI. 649. an prorogatæ quatuor species sint? examinatur. XXXII. 650. XXXIII. 651. an moribus nostris prorogatio obtineat locum? VIII. 88. de divisione jurisdictionis contentiosæ & voluntariæ vide XXXIV. 652. hæc distinguitur rursus in duas species à DD. XXXV. 652 an rectè? XXXVI. 653. XXXVII. 654. qualem Jurisdictionem hodie Magistratus Municipales habeant? XXXVIII. 654. à Jurisdictione an distinguatur mixtum Imperium. *XXXIX.* 655. à quibus olim collata est Jurisdictio, & quomodo hodie status Imperii eam habeant? *XL.* 655. juris dicendi potestas duplici modo conceditur,

Jure Civili XLI. 657. moribus, quomodo Jurisdictio in Altam & Bassam distinguatur? XLII. 657. Jurisdictio propria morte solvitur, an & hodie? XLIII. 657. quibus actionibus vindicetur? XLIV. 657.

Jurisprudentia.

Est disciplina practica I. 337. quomodo hodie ex usu sic recepto, illa dicatur etiam Theoretica? ibid. in hanc rem explicantur vocabula theoriæ ac praxeos II. 338. & quis in Jure sit dicendus Theoreticus vel Practicus? ib. quâ ratio ne differat Theoria à praxi? III. 340. an Cujacius & Bachovius Celeberrimi illi Juris periti, fuerint practici? IV. 341. è Theoria & Praxi constare verum Jurisconsultum. V. 342. an is dicendus Practicus, qui mores Provinciæ, stylum curiæ vel modum procedendi in Judicio, & formulas petendi excipiendi &c. calleat? VI. 342. seq. an Theoria à praxi separata, ut ita necessaria non, vel nec utilis sit? VII. 343. seq. VIII. 345. an Advocati tantùm sint dicendi practici? IX, 346. an in Judice plus doctrinæ, quàm in Advocato requiratur? ibid. 347. Praxis dupliciter addiscitur ex experientia & libris X. 347. an praxis ut & stylus curiæ literis comprehendi possit? ibid. an praxis una seu varia sit? XI. 348. scriptores praxeos sunt duplicis generis, ut vel qui ex Jure Civili & Canonico generaliter, vel qui ad certum Judicium scripserint XII. 349. prioris generis recensentur Authores, & quidam inter eos commendantur ibid. 380. seq. recommendantur praxeos causa ulterius, statuta, consuetudines, quædam materiæ & argumenta Juris & hujus ergo scriptores. XIII. 352. sic commendantur præjudia XIV. 353. & Authores, qui exiguæ Bibliothecæ practicæ loco esse possunt. XV. 354. item tractatus quidam de legibus abrogatis & usu non receptis XVI. 354. & denique ut studiosus praxeos, per temporis intervallum curiam adeat, suadetur. XVII. 355. posterioris generis autores, qui ad certa Judicia praxin scripserunt, vide voc. Processus.

Jurisprudentia Publica.

Differt à Politica. XIV. 20.

Jus.

Juris vocabuli explicatio an necessaria, I. 2. Juris vox septem habet

bet ſignificationes, II. 3. plures ſignificationes Juris commodè ad ſemptem eas rediguntur: III. 3. 4. ſeq. videatur Vox Lex. quare Grotius tres ſaltim tradat diverſas ſignificationes Juris. VI. 6. Jus vocatur etiam quod legibus non eſt vetitum. II. 3. Jurisdiſtinctio in ajente & negante ſenſu probatur. ibid. & Grotius hujus ergo vindicatur à Feldeni nota ibid, juſtum dicitur proprie vel improprie XXV. 951.

Jus Naturæ.

An ſit principium Juris publici, II. 25. 26. VIII. 29. quod eleganter defenditur, ib. ſeq. vid. infra Jus Publicum. Orientalium diverſarum Nationum ſententiæ circa jus naturæ evolvuntur. Ut Ægyptiorum X. 30. ſeq. Indorum XI. 33. ſeq. Chinenſium. XIV. 35. Judæorum. XVI. 37. ſeq. vel Æropæarum, & quidem Græcorum Philoſophorum ex Italica ſecta ut Pythagoræ. I. 48. ſeq. & Philoſophorum ex Jonica ſecta ut Archelai, Ariſtippi Carneadis &c. XIII. 62. vel ex aliis præcipuis ſectis Philoſophorum Græcorum ut Democriti XXIV. 77. Zenonis XXV. 78. Platonis. XXVII. 80. ſeq. Ariſtotelis XXXI. 83. videantur quælibet hæ voces commodo in loco Indicis poſitæ. Exempla Gentium Orientalium, quæ contra Jus naturæ deliquerint, à quibus Authoribus collecta? XXIV. 46. qui Jus naturæ brutis cum homine commune dicunt, id vel ſtatuunt propter cultum ipſis præſtitum. XI. 32. vel propter Metempſychoſin ibid. & IV. 50. vel ob rationem, quam multi etiam præter antiquiores Philoſophos illis tribuunt V. 51. Chryſoſtomi Judicium hac de re ibid. & XXVI. 923. in med. Jus naturæ in bruta cadere videntur etiam Patres Eccleſiæ crediſſe: qui fuerint? VI. 53. recenſentur etiam Veteres & Recentiores Juriſconſulti pro eadem ſententia ibid. JCti, qui in diverſa eunt, faciunt duplex naturæ Jus vel diſtingunt materialiter & formaliter, &c. VII. 54. Juris naturæ non eſſe capaces beſtias probatur. VIV. 55. VIX. 55. nec rationis XXVI. 923. conſentiunt in hanc ſententiam Ebræi, Græci, Theologi, Juris Conſulti, Philoſophi. X. 56. & ſi lex & jus brutis tribuatur, fit modò impropriè ibid. in fin. beſtiæ an puniantur? ſicuti ex S. literis quoque videtur, & quare? XI. 58. XII. 59. ſeq. qui Jus naturæ olim negârunt, recenſentur. *XIII. 62.* & qui noſtra ætate? *XIV. 63.* Hobbeſius an neget illud? *XV. 65.* probatur neceſſariò da-

ri jus naturæ, ex Existentia, Omnipotentia & Prudentia divina. *XVI.* 66. qui Authores hac de re? ibid. Jus naturæ à posteriori arguit conscientia *XVII.* 67. insuper probatur exemplis *XVIII.* 69. seq. probatur eo Jus naturale ex societatibus naturalibus *XIX.* 70. 71. *XX.* 72. ut ex consensu tot Gentium & singulorum hominum *XXI.* 72. *XIX.* 914. imò defenditur Jus naturale, etiamsi nulla societas fuisset *XXXII.* 84. Carneadis & aliorum argumentis in contrarium ab utilitate, *XXII.* 73. seq. & ab mutabilitate quarundum Gentium deductis, respondetur. *XXIII.* 75.

Jus Canonicum.

Vide Decreta.

Jus Feudale.

Ut in corpore juris, est sinè ordine conscriptum XXIV. 117. quantæ desiderationes Eruditorum Juris Consultorum propter Antonii Mericutii de Prato Veteri Opus? quod B. Dominus Author possidet ibid. & IX. 701. describitur aliquatenus *XXV.* 119. libri Feudorum an in Germania Authoritatem habeant? VIII. 700. qualem & Capitula extraordinaria? X. 701. an jura feudalia sola sint & fuerint Longobardica? quæ in Corpore Juris exstant? VII. 700. si diversæ sententiæ in uno textu Juris feudalis occurrant, & natura harum probata, cui standum? XXVI. 120.

Jus Holsatiæ.

De Jure Holsatiæ ipsius Ordinatione Provinciali, Judiciis & Processu vide? XXII. 382. & seq.

Jus Justinianæum.

Quamdiu usum tam in Oriente quàm Occidente retinuerit? XVIII. 107. in Occidentalibus, præter Exarchatum, partibus Codicis Theodosiani, leges diutius valuere, quàm Justinianæ. ibid. & XIX. 109. Jus Justinianæum tamen planè ignotum non fuit XX. 110. quando rursus in Italia invaluerit? XXI. 111 seq. communis illa Opinio tempore Lotharii II. istius lege Jus Justinianæum revocatum &

con-

confirmatum, ut & ad petitionem Mathildæ Comitissæ, Irnerium renovâsse ibid. ventilatur quomodo in Imperio Romano introductum? XXII. 114. quis primus in Italia, an Irnerius vel Pepo Jura docuerit? XXXIII. 115. qui lege aliqua Justinianea nititur, an ejus observationem probare debeat? XXVII. 121. de Codice de Novellis vide horum voces in indice.

Jus Lubecense.

Lubecensi juris initia ad quæ tempora referenda? XXII. 378. seq. distinguitur Jus illud in duas partes 380. pr. scriptores & commentatores ejus præsertim Mevius indicantur ibid. & seq.

Jus Publicum.

Publici juris definitio ex §. ult. J. de Just. & Jur. examinatur sed perfecta non invenitur IX. 8. 9. liberatur tamen ab ambiguitate, & accuratior redditur, I. 11. 12. Principia Juris publici sunt duplicis generis Essendi & Cognoscendi I. 25. principium hic quid denotet? ibid. Principium primarium est Jus naturale II. 25. & seq. VIII. 29. argumento Locameri quæst. Just. 6. in contrarium, & quod firmissimum putat Biccius, adducto, respondetur. III. 26. IV. 27. V. 28. & reliquis argumentis. VI. 28. VII. 29. Jus publicum differt à Jurisprudentia Jurispublici XIII. 19. Jurispublici Germanici definitio videatur in voce Germania. de Jure publico Angliæ, Belgii, Daniæ, Galliæ, Germaniæ, Helvetiæ, Hispaniæ, Boloniæ, Romani, antiqui, Sueciæ, vide cuivis nomen suum proprium.

Jus Saxonicum.

A quo tempore repetatur? XXI. 367. an ætate Friderici II. speculum Saxonicum confectum ibid. in fin. & seq. quando constitutiones celeberrimæ Augusti Electoris promulgatæ 368. in fin. an eo Jus Saxonicum extra Electoratum in aliis provinciis observandum? 369. in med. interpretes & Commentatores Juris Saxonici recensentur, quidam commendantur & laudantur. 370. pr. & seq.

K.

Kampff-Recht.

Quid eo nomine veteribus venerit? XXXII. 962. vide Duellum.

Käyserliche Geheime Raht.

Describitur. 874. in fin. pag.

Käyserliche Reichs Hof-Raht.

Quid? 875. vid. in lit. A. Aulicum Judicium.

Klockius.

Caspari Klockii, liber Relationum, Votorum, decisionum &c. ut & ipsius consilia laudantur 362. in med. pag.

Knechte.

Knechte des Reichs olim dicebantur Nobiles, IV. 289.

Komter.

Komtereyen quare sic vocentur? 817. in med.

Krum-Stab Lehn.

Quæ dicantur? 837. princ. pag.

Landgraffii.

Quare sic dicantur, & quot sint? 776. in fin.

Lands-Tag Abschied.

Quid sint? XXXV. 164.

Landsaß.

Quomodo definiantur? XXX. 309. vid. 808. princ. in Saxonia dividuntur in Amptsassen & Schrifft oder Cantzeleysassen/ describuntur XXXI. 310. vid. 808.

Landstând.

An dentur? 798. in fin. seq.

Laudare.

Laudare autorem quid sit? VI. 432. differt à nominare autorem. ibid.

Laudemium.

Jure Feudali nullum debetur laudemium VIII. 739. an laudemium

um ante investituram nondum expeditam debeatur, IX. 740. omnes illi ad solutionem laudemii tenentur qui investiturâ indigent, X. 740.

Legati.

Quos Papa mittit sunt vel Cardinales vel non Cardinales, describuntur &c. 843.

Lex.

Lex si pro Jure sumatur complectitur consuetudinem II. 3. item bonum & æquum, sive id sit ex lege naturæ, sive positione tale. III. 4. item id quod lege præscriptum, mandatum & jussum. IV. 4. 5. item sententiam ibid. ut & sanctionem V. 5, Lex, æterna quomodo intelligatur? XXVIII. 81. quomodo Lex æterna communicata creaturis? XVI. 67. de quatuor legibus Platonis vid. vox Plato.

Lex Regia.

Lex Regia quid sit? IX. 635. ejus variæ appellationes ibid. sunt quidam qui Legem Regiam fuisse negant, an cum fundamento? XI. 635. Leges Regias sextus Papirius collegit, postea Granius Flaccus illustravit. I. 91. quis nunc eas accurate illustraverit? ibid. quot Regum leges exstant? ibid. Leges duodecim Tabularum an juxta Pomponium l. 2. §. 4 ff. de O. J. in eboreis, vel verius in æneis Tabulis insculptæ? II. III. 92. exstant hodie Romæ æneæ Tabulæ in Capitolio & incisa verba Legis Regiæ. IX. 635. quæ verba enarrantur. X. 635. Lex Regia duo continet capita, XII. 638. quæ duo requiruntur ad Regnum. ib. XIII. 638. quod definitur ibid. an populus qui per Legem Regiam, potestatem omnem Principi concesserit, major sit Rege? juxta illud Constituens est major constituto. XIV. 639. effectus legis Regiæ XVI. 641. vid. Majestas. de derogatione legum Codicis vid. Codex.

Lubecense Jus.

Vide Jus Lubecense in lit. J.

M.

Magenhorst.

Julianus Magenhorst ad ordinationem Cameralem edidit Commentarium. an ipse autor fuerit? 359. pr.

Ma-

Magia.

Vocabulum Magiæ, quale? I. 1037. II. III. 1038. magia estque licita vel illicita, illa estque vel naturalis, qui periti istius indicantur, vel est Artificialis, & qui hujus periti. IV. 1039. illicita, & hujus Professores ibid. differentia inter sagam & Magam. II. 1063. V, 1064.

Majestas.

In definienda majestate quid notandum? II. 631. unde dicatur majestas? III. 632. in majestate duo considerantur. (1) Amplitudo dignitatis & splendoris (2) summa potestas, IV. 632. quomodo priori sensu describatur? V. 632. alterius definitionem vide ad vocem. Potestas. Majestas ex virtutibus Imperantium paratur. VI. 633. & quomodo? ibid. VII. 634. Principes Romani per Legem Regiam majestatem accepêre IX. 635. Majestas habet potestatem ferendi leges, XVI. 641. Magistratus creandi XVII. 642. an etiam Imperium circa sacra habeat? XVIII. 643. Majestas quibus legibus sit soluta. XIX. XX. 644. XXI. XXII. 645. majestas habet potestatem jus dicendi tam in civilibus, quàm criminalibus XXIII. 645. quando illa potestas magistratibus defertur, dicitur Jurisdictio. vid. hæc vox Jurisdictio.

Mandata.

Cum & sine clausula quid sint? 835 in fin.

Margräffe.

Qui ita dicantur? 776. in fin.

Marschall.

Quale vocabulum? 780. in fin.

Martinus (Cornelius)

Cornelii Martini Philosophi laus, & judicium de ipsius Theologiæ Compendio. XVI, 66.

Mare.

Vide Regalia.

Matricula.

Imperii, hujus Etymologia, synonyma & stomonyma. I. II. 169. seq. definitiones variæ Jurisconsultorum III. 171. examinantur, IV. 172.

172. Domini Authoris definitio. V. 173. Matriculæ origo VI. 173. VII.174. VIII. 175. ſeq. Limnæi diſtinctio & obſervatio circa Matriculas. IX. 177. itẽ iſte Matriculas dividit in generales & ſpeciales ib. diſtinguuntur in Antiquiores & Recentiores. X. 178. de ea diſtinctione inter Matriculam Imperii, & Cameræ Imperii vide ibid. 179. expenditur & illa diſtinctio inter matriculas, quòd vel aliæ ſint quæ tantùm ſtatus Imperii exprimant, vel aliæ quibus notentur die Anſchläge des Reichs XI. 179. XII. 180. quâ Authoritate confecta eſſe debeat matricula. XIII. 181. an ſtatus Imperii in matriculam referantur. XIV. 182. requiſita quæ ſtatum faciant, adducuntur ibid. XV. 184. XVI. 185. XVII. 185. XVIII. 186. quæ tamen partim non probantur. XX. 188. verum requiſitum vide XIX. ſeq. videatur vox Status. An præter ſtatus etiam alii in matricula inveniantur? XXI. 190. Limnæus adhibet ſuam diſtinctionem hac in cauſa XXI. 190. ad extricandam hanc quæſtionem quid obſervandum? XXII. 191. in Matriculis etiam deſcriptum legitur, quid tempore neceſſitatis quis ſtatus contribuere debeat. XXIII. 193. Caſus contributionis neceſſaria varii referuntur ib. inter illos, eſt expeditio Romana der Römerzug. XXIV. 194. vid. Expeditio Romana. quæ matricula ratione contributionis præcipuè ſit obſervanda? XIII. 182. in fin. Matriculæ requiſita examinantur, XXVIII. 200. XIX. 201. excutitur & Gylmanni opinio. XXX. 203. de effectu Matriculæ, an probationem præbeat, vel præſumtionem, vel neutrum? XXXI. 204. pro hoc, argumenta quæ? XXXII. 205. pro illa quæ? XXXIII. 206. & pro iſta quæ faciant? vide XXXIV. probatur illorum ſententia, qui præſumtionem Matriculæ tribuunt. XXXV. 208. & pag. 234. quàm multæ & plures Matriculæ exſtent? XXXVI. 209. præſtat tamen illa, quæ Wormatiæ anno 1521. confecta eſt. XXXVII. 210. & recepta ibid. ſed cum exceptione propter quaſdam cauſas. XXXVIII. 212. an antiquis matriculis omnis authoritas ſit deneganda? XXXIX. 213. quare tanto tempore in imperio nulla exacta nobis ſit matricula XL. 216. de querelis eorum qui in Matricula Wormatienſi de Anno 1521. inæquali & majori onere contribuendi gravati, & de correctione hujus rei tandem ad Comitia Ratisbonenſ. rejecta vide. XLI. 218. XLII. 219. XLIII. 221. ſeq. qua ratione ſtatus eximantur è matricula? vid. Exemtio.

Meichs-

Meichsnerus.

Johannes Meichsnerus Cameræ Assessoris decisiones laudantur, commendanturque 361. in med.

Metallum.

Metalli fodinæ vide Regalia.

Merum Imperium.

Videatur Jurisdictio.

Moguntinus.

Elector providet Cancellariam & Lectoriam Cameræ Imperialis & Judicii Aulici. 779. in fin. aliaque ipsius munera vide ibid.

Molendina.

Navalia, Ventilaria seu Pneumatica & Bannalia an in feudum concedi possint? IX. 715. IX. 763.

Moneta.

Jus cudendæ monetæ an ad Regalia referatur? 861. in fin. qui in re monetaria peccant, cudendo falsam vel probam monetam adulterando, Crimen læsæ Majestatis comittere dicuntur. 862. pr. qui hoc jure gaudeant? ibid. quædam Civitates Provinciales cum quodam moderamine jus monetandi habent. ibid. quomodo in re monetaria variè peccetur? 860. in fin. Electores Rhenani tempore Nundinarum Francofurtensium, cum Commissario Cæsareo in rem monetariam inquirunt? 861. pr. omnes Xygostatæ jurare Circulo debent in quo sunt. ibid. quomodo contra abutentes procedatur. 863. pr.

Monopolia.

An omni de Jure sint prohibita? 844. in med.

Münster.

Hujus Civitatis fatum. 811.

Mynsingerus.

Joachimus Mynsingerus à Frundeck an præstiterit ingenio Gailium. pag. 360. pr.

Nobi-

N.

Nobiles Nobilitas.

Nobilitas cui Juri an Gentium vel Civilium adſcribatur I. 286. etymologia hujus vocis ibid. nobiles florente Roma qui dicebantur? II. 287. nobiles non erant unius generis, erat enim Nobilitas alia Patricia, alia plebeja XXII. 305. olim Imperatores & Cæſares Nobiles ſunt dicti, II. 287. ſic Principes & Comites. III. 287. Pontifex Electores & Duces hoc titulo mactabat ibid. 288. in Gallia quid per vocem Nobilis intelligatur, IV. 288. & quotuplex ſit nobilitas? XXV. 305. Hebræis, Nobiles qui ſint? V. 289. Nobiles olim famuli Knechte item milites &c. dicebatur ibid. hodiernis moribus quomodo apperuntur? VI. 290. de Nobilitate naturali, ſpirituali, Civili, & quæ ex divitiis oriatur? vide VII. 291. definitio Nobilitatis. ibid. 292. confert eam Imperator VIII. 292. an etiam poſſit Rex Romanorum Nobilitare IX. 298. Electorale Collegium an poſſit? X. 293. & vide 883. an Vicarii Imperii? ibid. 293. recenſentur illi, quibus Imperator hoc reſervatum communicavit XI. 294. Principibus Imperii Jus Nobilitandi non competit ibid. & vide 883. ubi argumentis in contrarium productis reſpondetur. an Papa poſſit nobilitare? XII. 295. de Regibus Hiſpaniæ, Galliæ, Daniæ, Poloniæ & liberis Rebuspublicis, nullum dubium quin poſſint nobiles creare XIII. 295. an Nobilis in uno Regno talis, etiam debeat eſſe talis in altero? XIV. 296. propter quam cauſam nobilitas conferatur? XV. 296. Turcæ laudantur ratione acquiſitionis Nobilitatis XVI. 297. an Veneti mereantur laudem? qui dignitatem hanc vendere ſoleāt ibid. Nobilitatur quis vel expreſſe vel diploma et XVII. 298. adhibitis inſigniis & indiciis XVIII. 299. quæ illa fuerint? ibid. tacitè confertur Nobilitas hodie Imperatoris Conciliariis Aulici, & Cameralis Judicii Aſſeſſoribus XIX. 300. Nobilitatur tacitè m: fœmina plebejæ conditionis, ſi viro nubat nobili. XX. 301. ſi quis inveſtiatur de feudo nobili, an is Nobilitatis jura tacitè conſequatur? ibid. de Nobilitate quæ ad poſteros transmittitur, vide quomodo hi nobiles fiant? XXI. 302. apud Turcas an poſteri nobiles æſtimentur? XXIII. 304. an ſufficiat ut quis ex Patre nobili generetur. vel an mater nobilis requiratur, ad generoſam Nobilitatem? XXII. 303.

303. de spuriis & liberis naturalibus vide XXIII. 304. & de ignobilibus, à nobilibus adoptatis. XXIV. 304. Nobiles nostri Imperii sunt vel mediati vel immediati XXVI. 306. & hi distinguuntur ratione loci in tres Classes Suevicam, Franconicam, & Rhenanam. ibid. quæ dignitate superior sit? ibid. Suevica dividitur in quinque loca ib. Franconica in sex. XXVII. 306. Rhenanam quomodo Limnæus eam dividat? ibid. 307. Nobiles Alsatici an sub Rhenano Circulo comprehendantur? vel quartam Classem immediatorum constituant? XXVIII. 307. vid. 796. pr. an omnes sint Nobiles immediati, qui incolant terras, quæ tribus Classibus immediatorum adscribantur? XXIX. 308. quare autem in istis districtibus nobiles sint immediati? in reliquis verò Germaniæ Provinciis non nisi mediati & sub aliis Principibus & Comitibus sint? pag. 749. in med. an immediati Nobiles sint status imperii. 790. in fin. pag. & 791. Immedietas an privilegium personale vel reale. 791. in fin. Mediati Nobiles definiuntur XXX. 309. in Franconia dividuntur im Lehnleut und Landsassen ibid. quomodo in Saxonia? vid. Vox Landsaß. Effectus nobilitatis an consistat in privilegiis? XXXII. 310. multi ridicula & falsa privilegia nobilibus tribuunt ibid. & XXXIII. 311. sic etiam dubia, & quæ sint? XXXIV. 312. privilegia Nobilium sunt vel propria Nobilibus unius Regni, vel communia Nobilibus plurium Regnorum. XXXV. 312. vide Privilegia. Nobiles Pontificiæ Religionis in Germania quale fulcrum familiarum habeant? 876. pr.

Novellæ.

Harum variæ editiones & versiones, tam antiquiores, quà recentiores XVI. 104. quarum versio probata ibid. Numerus Novellarum. XVII. 106. quare varius? ibid. Nulla ex Novellis quæ in Corpore Juris ut nunc inveniuntur, suspecta aut supposita est. 107. de authenticis videatur Codex.

P.

Pacta.

Confraternitatis hæreditariæ definiuntur. 806. in med. cum his non sunt confundenda pacta unionis hæreditariæ ib. an confraterni-

nita-

nitatis pacta jure valeat? ibid. in fin. an Imperatoris consensu & confirmatione opus habeant? 807. an hæc pacta Imperio nocere possint? ibid.

Pandectæ.

Quot Editiones Pandectarum exstent & quæ? VII. 95. seq. Pandectæ ad ordinem perpetui Edicti sunt compositæ, in iis an hic ordo semper sit observatus? VIII. 96. Florentina editio, an reliquis Digestorum exemplis, quæ hodie supersunt, antiquitate & integritate præferatur? IX. 97. mendis tamen non omnino vacat. ibid. ostenditur præstare Florentinam, Haloandrinæ & Vulgatæ. *X.* 98. *XI.* 99. seq. Florentinæ Pandectæ an absque interpunctionibus scriptæ? *XII.* 100. Pandectæ in Græcum, Codex in Græcum Turcicum & Arabicum sermonem translata. *XIII.* 101.

Patronatus.

Jus Patronatûs definitur. 842. in fin.

Pax.

Circa pacem Religiosam, quàm variè laboratum fuerit? 785. pr. quibus partibus constet pax Religiosa? 786. in med. pag. prophana pax quæ dicatur? 786. in med. utriusque hujus pacis Violatores in Camera conveniuntur etiam si sint mediti subjecti ibid. in fin.

Pittacium.

Quid significet? II. 170.

Plato.

Platonis & Platonicorum sententiæ de lege in genere, & de quatuor ipsorum speciebus legis *XXVII.* 80. vid. *X.* 31. prima species, quæ divina dicitur, approbatur. *XVIII.* 81. secunda, Cœlestis quam Fatum Plato vocat repudiatur *XXIX.* 82. de tertia, Naturali, & quarta scilicet humana quid dicatur? vid. *XXX.* 83.

Pœnæ.

An secundùm proportionem Aritmeticam vel Geometricam irrogentur? *XLI.* 320. pœna quid? I. 1085. de pœnis Sagarum vide Sagas.

Poloni.

Polonorum Jus publicum unde discendum VI. 16. seq. qui ejus scriptores? ibid.

Postæ.

Jus Postarum an Reservatum Imperatoris? *III.* 720. in Germania duo sunt Præfecti Postarum, & qui? 863. qualis controversia inter hos? 864. an statibus postas provinciales constituendi competat? *IX.* 720.

Potestas.

Summa potestas quid sit, definitur, & explicatur. *VIII.* 634. vide Majestatem.

Præbenda.

Definitur. 841. in fin. differt à Canonicatu. 842. pr. Canonici an sint homines Ecclesiastici vel Politici. ibid.

Præcedentia.

De præcedentia Legatorum Electoralium, in aula Imperatoris, qualis regula posita. 800. in fin. seq. de præcedentia Comitum quid cautum? 802.

Præjudicia.

An in Camera dentur & exstent præjudicia contraria? XIV. 353. an exemplo ostendi possit justa de causa & post maturam deliberationem, judicia & decreta contraria in Camera locum habuisse? 361. in med. pag.

Prælaxare.

Vocabulum hoc explicatur. X. 261.

Processus.

Processus Criminalis duplex est. *II.* 1085. Processus Criminalis ordinarii, & Inquisitionis seu summarii, & in specie de Processu sagarum, Authores quidam recensentur & commendantur. *III.* 1086. de processu seu praxi forensi addiscenda, videatur Jurisprudentia. De Processu Aulico *XIX.* 366. vide Judicium Aulicum. De Processu Camerali discendo vid. vox Camera. De Processu Saxonio vid. *XXI.* 367. seq. vide Jus Saxonicum. De Processu Lubecensi vid. *XXII.* 378.

&

& vid. Jus Lubecense. de processu Holsatiæ vide XXIII. 382. & vid. Jus Holsatiæ. De processu Judicii Rothwilensis vid. in voce Roth-weil.

Profanum

Hujus vocis significatio I. 503.

Protestantes.

Qua ratione hoc vocabulum invaluerit? 788. in fin. eo nomine Reformati continentur ibid. & 785. in fin.

Privilegia.

Privilegia Nobilium sunt vel propria Nobilibus unius Regni, vel communia pluriumRegnorum. XXXV. 312. hæc consistunt partim in præsumtionibus virtutis, & indè ortis consectariis, partem in honore, reverentia ac iis quæ indè dependent, partem in immunitatibus, ac denique in pœnarum temperamento ibid. 313. de iis quæ in præsumtione virtutis consistunt, vide XXXVI 313. XXXVII. 314. de istis quæ in Reverentia & honore consistunt vide XXXVIII. 314. de illis scil. immunitatibus, ut de collectis muneribus publicis? XXXIX 316. & de vectigalibus vid. XL. 317. seq. de his quæ in pœnarum temperamēto consistunt vid. XLI. 320. & in specie de pœna laquei an afficiantur? XLII. 321. de fustigatione XLIII. 321. de tortura XLIV. 322. de carcere XLV. 323. de Palinodia XLVI. 323. Exceptiones quatuor ubi Nobiles mitius non puniantur. XLVII. 324. specialia & propria privilegia Imperii nostri Nobilibus sunt, quòd immediatè Imperatori subjecti nec alteri Imperii statui pareant. XLIX. 325. [si Nobilis Immediatus in territorio Principis delinquat, an Imperator vel Dominus territorii sit judex? ib. 791. in fin. & 792.] habeant Jurisdictionem territorialem dict. XLIX. 325. an jure superioritatis reali vel personali eam habeant? 795. in fin. seq. ad regalia admittantur L. 325. gaudeant beneficio Pacis Religiosæ ibid. 326. fruantur Jure Austregarum ibid. nihil ad Cameræ sustentationem contribuant. LI. 327. nec ad exsolvendas contributiones, de quibus in Comitiis Imperii status convenerunt, adiguntur ibid. quomodo tamen ein Ritter Steuer solvere teneantur? vid. ib. & XL. 317. an judæis prohibitum cum illis contractus celebrare? LII. 328. habent Jus Retractus. LII. 328. & de

multis aliis privilegiis vide LIV. LV. 329. Amittitur Nobilitas. Ob Juris Infamiam LVII. an hâc præjudicetur liberis? ibid. LVIII. 331. LIX. 332. an per exercitium vilis artificii perdatur? LX. 332 quæ sint vilia artificia? ibid. an per Mechanica artificia? LXI. 332. & quid in aliis provinciis hac de re observetur? ibid. an per mercaturam? LXII. 334. amittitur quando Nobilis fœmina plebejo nubat. LXIII. 335. an procuratoris officium, ars media & alia nobilitati noceant? ibid. Authores qui de nobilitate scripserint? LVI. 330.

Privilegium de non appellando.

Vide Appellationem.

Publicum.

Quâ ratione & quàm variè, quid ita dicatur? VII. 7. vide Jus publicum.

Purgatio.

Per aquam frigidam qualis probatio? XXIII. 963. vid. XVII. 1099. de purgatione poculi Zelotypiæ ex Num. 5. X. 11. seq. de probatione per pondera & lancem vide ibid. purgatio per aquam ferventem, & ferrum candes describitur XXXIV. 963. rejiciuntur omnes tales probationes dict. locis.

R.

Regalia.

Quomodo describantur. I. 716. quomodo distinctè & optimè considerari possint. II. 717. Regalia an omnia in Cap. 56. feud. 2. enumerentur, V. 718. Regalia privatis an concedi possint? VII. 719. Mare an inter Regalia referatur. III. 717. Metalli fodinæ an ad Regalia spectent. VI. 719. an Collectandi Jus? X. 720. an Jus Venandi? VIII. 720. An Jus Postarum? VIII. 720. Regalia feuda, vide Feuda.

Reassumere.

Vocis hujus Etymologia & significationes. II. 548. de processu seu Citatione ad reassumendum. vide Citationem.

Recessus.

Germani olim an habuerint conventus & Comitiorum decreta, quæ hodie vocamus Recessus germ. Reichs-Abschied/ I. 124. Goldasti

sti opinio hac de re. II. 125. Franci quales conventus habuerint? an ab iis origo nostrorum Recessuum, petenda? III. 126. an vel potiùs à Caroli Magni tempore? IV. 127. V. 128. definitiones quædam Doctorum examinantur. VI. 129. quomodo ab Authore Recessus definiantur? ibid. 130. pr. unde sic dicantur Recessus ibid. in med. & quibus nominibus aliis appellentur? ibid. in fin. Recessus potiùs leges Imperiales quàm Imperatoriæ vocantur XIV. 137. an Aurea Bulla referatur inter Recessus Imperii, vel an potiùs Recessibus opponetur. VII. 130. seq. an etiam Capitulationes VIII. 131. Constitutiones Pacis Religiosæ & Profanæ, ut & Instrumentum Pacis &c. Ordinationes Cameræ, & aliæ Ordinationes, quæ vocantur Policey-Ordnung/ Müntz-Ordnung/ Regiments-Ordnung rc. ad Recessus Imperii pertineant? IX. 132. seq. Recessus sunt vel comitiorum universalium vel particularium. X. 133. & hi continent conclusa in Comitiis deputatorum sub nomine Abschied der deputations-Tagen ibid. à quo tempore Recessus deputationis originem habeant, & quam ob causam hi conventus instituti? XI. 134. modus tractandus in illis qualis? ibid. 135. Recessus Visitationis (Visitations-Abschied an locus illis inter Recessus debeatur? XII. 135. an Recessus visitationum sint sperandi? ibid. 136. pr. vid. 829. seq. distinguuntur Recessus in primarios & secundarios. XIII. 136. ratione materiæ partitur Goldastus Recessus seu leges has in æternas, mutabiles & mixtas. ibid. Athores, qui condunt Recessus, sunt Imperator, Electores, Principes & status alii Imperii. XIV. 137. an Rex Romanorum vel alius Vicarius? XV. 139. an etiam defuncto Imperatore, quo tempore penes Imperii Vicarios, Comitem Palatinum & Electorem Saxonicum, Imperii vacantis administratio est, cum Statibus, Recessus condere possint? XVI. 141. quomodo status Imperii qui in Classes divisi, vota seu suffragia conferant? XVIII. 142. & quomodo hæ Classes vota sua inter se communicent? XIX. 144. & si in diversa abeant? quid agatur? ibid. si dissentiant Status seu Ordines & Imperator? quid tunc? XX. 145. quot Recessus condi possint? XVII. 142. de quibus negotiis fiant? XXI. 146. de forma eorum substantiali. XX. 147. de conscriptione seu conceptione & prælectione, XXIII. 149. de subscri-

ſcriptione XXIV. 151. an Rex Bohemiæ ſubſcribat? vel illi, qui in Receſſum non conſenſerant, ſubſcribant? *XXV.* 152. ſeq. de ſubſignatione *XXVI.* 154. de Publicatione. *XXVII.* 155. duo originalia ſcribuntur, unum Imperatoris, alterum Moguntiæ Cancellariæ infertur & Moguntinus Exemplar Cameræ Imperiali admittit ibid. Receſſus qua lingua ſcribantur. *XXVIII.* 156. *XXIX.* 157. quos obliget Receſſus? *XXX.* 159. ſecundùm Receſſus jus redditur in judiciis Imperii ſummis. *XXXI.* 160. Receſſus tam vim contractus, quàm vim legis habent. *XXXII.* 161. quando eorum obligatio ceſſet? & ex quibus cauſis *XXXIII.* 162. & *XXXIV.* 163. differunt à conſtitutionibus Imperatoris à Receſſibus conventuum Circularium (hi definiuntur) à Receſſibus particularibus cujuscunque Germaniæ Provinciæ germ. **Lands-Tag Abschied.** *XXXV.* 164. an omnes Receſſus hodie collectos habeamus? *XXXVI.* 164. vid. pag. 788. pr. laborant etiam vitiis. *XXXVII.* 165. nec hæc correcta ſunt *XXXVIII.* 166. de Goldaſti collectione Receſſuum qui tentavit eos ab Origine Imperii Germanici colligere vide *XXXIX.* 167. an etiam fides antiquioribus, præter eos, qui ab anno 1442. uno Volumine editi, habenda? 788. pr. an Receſſus Imperii à Pontificibus inter libros prohibitos ſint relati? *XL.* 168. Pontificiæ proteſtationes qualem vim habeant? ibid.

Regimentum

Imperii, quid fuerit? *II.* 589.

Regnum

Proprie dictum, definitur & explicatur. *XIII.* 638.

Rex

Romanorum, vox hæc duobus modis uſurpatur, 770. an Rex Roman. abſente Imperatore, munia & jura Imperatoris vel etiam quædam propria authoritate exercere poſſit? 867. an nondum vacante Imperio eligi poſſit Romanorum Rex? *II.* 266. an per Electionem Regis Romanorum, vivente adhuc Imperatore, videatur coarctari libera Electionis poteſtas. 865.

Römerzug.

Vid. Expeditio Romana.

Romanum

Jus publicum antiquum ubi reperiatur? & qui ejus Commentatores? *XI.* 18. Romanum Imperium ab initio tempore Julii Cæsaris, Augusti, Teberii, fuit hæreditarium. *I.* 252. an etiam postquam Franci seu Carolingi Romanum Imperium obtinuerint, fuerit tale? ibid. Conringius dissentientes in hac re componit ibid. 253. quo tempore Romano-Germanicum Imperium electitium esse cœperit? *II.* 253. an continuetur in Germanico? 772.

Rosenkorb.

Hermanni Esaiæ Rosenkorb Syntagma observationum practicarum quare commendetur ad usum juris Cameræ Imperialis? 361. pr.

Rothweil.

Rothwilense Judicium das Rothweilische Hoff-Gericht unde sic appelletur? *I.* 600. describitur, *II.* 601, origo hujus Judicii. *III.* 601. *IV.* 602. seq. vid. 834. in med. hoc judicium an Imperatoris solius, vel Imperii sit? V. 604. Judex seu Præses & perpetuus quis? & quales Assessores? *VI.* 607. districtus ejus Judicii quousque extendatur? *VII.* 607. v. 834. qualis ipsius Jurisdictio *VIII.* 608. Jurisdictio in quas personas exerceatur? *IX.* 610. quæ personæ eximantur? ibid. quæ Civitates. &c. *X.* 611. ad Jurisdictionem Rothwilensem referuntur tam causæ, quæ sunt jurisdictionis contentiosæ, quàm quæ sunt voluntariæ. I. 615. II. *616.* an in Exemtionis privilegio ratione hujus Judicii, omnes causæ contineantur etiam die Ehehafften? X. *612.* III. 618. IV. *618.* seq. quid in hoc judicio sint Ehehafften definiuntur. dict. pag. *612.* enumerantur. V. *619.* seq. Hoc judicium an Cameræ cedat? I. *622.* secundùm quas Ordinationes, Rothwilenses jus reddant, II. *623.* Processus ejus, III. *623.* si privilegiati seu Exempti citentur? quomodo procedatur? IV. *624.* an ab hoc judicio vel ad Cameram, vel Aulicum judicium appelletur? V. *625.* & 835. pr. quærelæ circa abolitionem hujus Judicii, VI. *626.* VII. *628.* seq.

Rusticus.

An feudum concedere possit. II. 709. an inferior dignitate superiori? II. 710.

Pythagoras.

Hujus Præceptores qui? X. 31. Italicæ sectæ auctor fuit, quid de jure naturæ & ejus sectatores senserint. I. 48. II. 49. III. 50. in quibusdam cum iis conveniunt scholastici ibid. Jus naturæ bestiis, cum homine commune statuit Plato & quare? IV. 50. vide Jus naturæ.

S.

Sagæ.

Quomodo apud Latinos, Italos & Germanos dicantur? V. 1040. an Homerus sagas esse sciverit? an Hyppocrates? VI. 1040. quid Plato de iis senserit? quid Aristoteles? VII. 1041. quid Virgilius? VIII. 1041. quid Plinius? IX. 1042. quid Seneca Philosophus? quid Apuleus? X. 1043. quid Arnobius & Augustinus? XI. 1044. quid Hieronymus? XII. 1045. Scholasticorum mens hac de re. XIII. 1046. quid Romani Episcopi? XIV. 1046. quid Alciatus? XV. 1047. Hieron. Cardanus Mediolanensis Medicus quid ille senserit de lamiis, XVI. 1048. quid Bodinus? XVII. 1049. quid Wierius? XVIII. 1049. quid Thomas Erestus Heidelbergensis medicus? XIX. 1051. Michael Seignecor de Montaigne quid ille? XX. 1052. quid Lombertus Danæus? XXI. 1053. Binsfeldius, Delrico, Godelmannus quid illi? XXII. XXIII. 1054. quid Reinhard Scotus? XXIV. 1055. quid Joh. ab Hermskerck. XXVI. 1058. Theodorus Thummius Theologus quid ille? XXVII. 1059. quid Gabriel Naudæus? XXVIII. 1060. Communis Eruditorum sententia est sagas dare in Anglia testatur Rex Jacobus XXIX. 1060. in Hispania Don Francisco Torreblanca Villa. XXX. 1061. in Gallia Petrus de l' Ancre, ibid. in Græcia Leo Allatius. XXXI. 1061. in Germania Communi Consensu, Magos, Sagas, striges, dare, traditur XXXII. quàm variè tamen viri docti de lamiis senserint? I. 1062. de Sagis observandum, quædam esse Communia omnibus sagis quæ ab ipsis fiant, nec unquam à saga abesse, & esse quædam, quæ non ab omnibus fiant? II. 1063. prioris generis sunt, *Pactum cum Diabolo inire* ib. & *III. 1063. Deo & cultui Reiligionis renunciare. IV. 1064. & noxiam rebus creatis inferre seu saltim animum nocendi habere. V. 1064.* differentia inter sagam & magam ibid. an etiam ad ea requiratur signum seu stig-

ſtigma? quod à Dæmone Sagis impreſſum ſit. *VI. 1065.* ea ſupra dicta probantur non tam ex ſacra ſcriptura, uti videre eſt apud Authores hic citatos *VII.* 1065. quàm experientia & multis exemplis adductis ex Paulo Grilando. *VIII. 1066.* ſeq. ex Bodino *IX. 1068.* Nicolao Remigio. *X. 1069.* Petro Binsfeldio *XI. 1069.* Balduino Ronſſejo. *XII. 1069.* Cumano. *XIII. 1071.* Petro Gaſſendo. *XIV. 1072.* Henrico ab Heers *XV. 1072.* Hermanno Gœhauſen XVI. 1072. Carpzovio. XVI. an Authorum hiſce exemplis credendum. XVII. 1075. probatur etiam tot Gentium conſenſu &c. *XIX.* 1075. *XX.* 1076. tot legibus multisque conſtitutionibus latis. *XXI.* 1076. qui dubitat hac de re, legat ſaltim Carpzovii Juris prudentiam Criminalem & Bodini Dæmonologiam, *XXII.* 1077. Inſuper certum rei argumentum præbent, in Judiciis tot condemnationes ſagarum. *XXIII.* 1077 Authores, qui hac de re accuratè ſcripsêre, indicantur, XXIV. 1078. quæ, negantes ſagas, objiciunt, refutantur, XXV. XXVI. 1079. ſeq. usque ad finem hujus Capitis. pœnæ ſagarum quæ? 1141. quid ſi concurrant cum veneficio & alia delicta ibid. in fin. quousque in delicto veneficii gratiæ locus eſſe poſſit? 1164. in fin. an effodiendum è ſepulchro ſit corpus Sagæ, contra quam mortuam multa & gravia producebantur indicia? 1166 in fin, quomodo procedendum ſi infantes didicerint artem Magicam? 1167. in med. de proceſſu contra ſagas vid. Proceſſus vox Inquiſitio & de denunciatione ſagarum, vide hanc vocem Denunciationem. de Indiciis contra ſagas vid. Indicia, de tortura ſagarum, vide hanc vocem.

Saxonicum

Jus, vide Jus Saxonie. ſub lit. J.

Scaligeri

Laus. III. 92.

Seculariſatio.

Hujus vocis explanatio. I. 502. ſeculariſatio bonorum Eccleſiaſticorum quid. II. 503. ea duplex eſt vel Rerum ſingularum, vel Univerſita-

ſitatis. ibid. rurſus eſtque vel ſecularisatio illicita. I. & ſeq. §§. 504. ſeq. vel licita, qua multis ex cauſis demonſtratur. I. & ſeq. §§. 511. Singularia exempla licitæ ſecularisationis vide in Inſtrumento Pacis. V. 529. vide Eccleſiaſtica bona.

Schneidwinus

Hujus Commentarius ad Inſtitutiones Juris commendatur. 375. pr.

Sententia.

Quo reſpectu Jus dicatur? IV. 5.

Stapula.

Stapula quid? 845. in fin. & jus Stapulæ **Staffel-Gerechtigkeit.** quid? 846. Civitates quæ hoc jure in Rheno, Viſurgi, Albi, & in Danubio gaudet, indicantur. ibid. ab hoc jure diverſum eſt Jus Geranii **Gran-Recht.** ibid.

Status.

Status Imperii. vox an ſumatur generaliter vel ſpecialiter. XIV. 183. requiſita quæ Imperii Statum faciunt ſeu probant ſunt varia ut Knipſchildt refert ſex. ibid. Reinking facit quatuor. XV. 184. Gailius tria. XVI. 185. Becker duo ibid. Mylerus quoque duo habet XVII. 185. & Schultz. duo ibid. 186. alii unum eſſe volunt XVIII. 186. Dominus Author verum, neceſſarium & eſſentiale requiſitum facit ſeſſionem & votum in Comitiis XIX. 187. ſeq. hinc cœtera requiſita pro eſſentialibus non admittunt XX. 188. an non ſit is ſtatus dicendus? qui in matriculam relatus XXI. 190. XXII. 191. ſtatum eſſe, & eſſe immediatè Imperio ſubjectum, an differant? 791. in fin. Status Imperii habent poteſtatem duplicem, utraque deſcribitur 796. in fin. & 797. an Status Imperii Imperatori obſtricti ſint, inſtar aliorum Vaſallorum? 798. pr. an Status Imperii exterorum protectioni ſe committere queant? 809. pr. an ſubditi ſtatuum, alterius Status defenſioni ſe tradere poſſint? vid. ibid. in med. Status Imperii diſtinguuntur in tres Claſſes, Electorum, Principum & Civitatum. XVIII. 142. ſeq.

Stifftmäſſige

Vom Adel qui dicantur? 876. pr.

Suecia

Sueciæ Jus publicum unde petendum, & qui ejus Authores? V. 15. 16.

Sylva.

In feudum concessa, quid eo nomine veniat? VIII. 762.

T.

Territorium.

Superioritas territorialis describitur. 787. in med. in Principe vocatur Lands-Fürstliche/ in Comite Gräffliche/ in Nobili inmediato die Frey Adeliche Obrigkeit. XLIX. 325.

Titulus.

In distributione Titulorum, Curia Romana quid præcipui habeat! III. 288. in fin. de Titulo Imperatoris vide 768. seq.

Thesaurus

In fundo feudali inventus cujus? I. 745.

Torneamenta.

Seu hostiludia an sint licita? XXVIII. 957. à quo originem ferant? ibid. si quis in tali ludo aliquem oppresserit, an is teneatur ex Leg. Cornelia ad homicidii pœnam? ibid.

Tortura.

Est subsidiaria probatio. VI. 1089. qualis probatio requiratur in delicto veneficii, ut tortura locum habeat. ibid. deficiente probatione ad Indicia currendum VII. 1090. an autem indicia torturæ Judicis arbitrio reliquantur? ibid. Indicia ad torturam quæ sint indicantur ex Artic. 44. Carol. Imp. 1091. primum idoneum requisitum explicatur, ut si quis docere alterum velit artes magicas IX. 1091. ad quod requisitum requiritur etiam diffamatio X. 1092. diffamatio autem ab honestis & fide dignis personis orta sit. ibid. quæ non sint inimici ibid. 1093. & ratione rei diffamati ut vilis & levis persona sit ibid. & requiritur etiam ut quis hæc judicia ante quæstionem elidere non possit? ibid. & vide pag. 1143. alterum indicium est, si quis hominem incantationibus & fascinationibus se læsurum minetur, & minas malum imprecatum quod magicum videri possit, mox insequatur. XI. 1093. minæ autem debent probari per duos testes ibid. requiritur etiam

am ut fama accedat. ibid. & alia addita requisita ibid. vide. Tertium indicium ex 44. artic. si quis familariter converſetur cum maleficis, an ſufficiat ad torturam? XII. 1094. videtur nimis generale, ibid. ideo huic vel ſecundum indicium, vel alia indicia adjungenda ſunt ib. 1093. perſonæ autem infamatæ cum quibus converſatur non convictæ, ſed famâ communi ſaltem pro talibus habitæ intelliguntur. ibid. denique examinatur illud indicium, ſi quis res de veneficio ſuſpectas ſecum habeat, & alioquin de maleficio diffamatus ſit? XIII. 1095. res ejusmodi eſſe videntur ſi penes ſagam in illius conclavi reperiatur olla impleta, bufonibus, hoſtiis, membris humanis, imaginibus cereis acubus transfixis, &c. ibid. item libri magiæ huc referuntur qui docent artem magicam, non tamen illi qui in deteſtationem magiæ ſcripti, & vitam magorum Fauſti vel aliorum continent ibid. an præter illa indicia in Carolina Ord. Crim. expreſſa alia admittantur? XIV. 1096. quando tortura locum habeat in denunciationibus ſagarum, videatur vox Denunciatio. Quid obſervandum antequam torqueatur ſaga 1143. in fine ferè pag. per torturam, ſi delictum neget reus, indicia purgantur. 1144. nec repeti poteſt tortura, niſi nova rurſus & indicia urgentiſſima proferantur. 1145. qualia eſſe debent illa indicia nova ibid. in med. confesſio rei facta in tortura 1147. in fine pag. ſeq. Ratificationes confeſſionum in tortura factarum in quo loco fieri debeat? 1148. in med. & ſeq. confesſio rei ipſis cruciatibus facta non attenditur. 1149. in fin. Confesſio facta in tortura, extra eandem eſt ratificanda & quando? 1151. in fin. 1160. in fin. variatio rei ex qua tortura irrogatur qualis eſſe debeat. 1158. in fine & ſeq. ſenes quomodo torquendi? 1161.

V.

Vehem-Gericht.

Vocabulo hoc Saxones quid indigitare voluerint? V. 593.

Venatio.

Venandi Jus vide Regalia.

Veneficium.

An per Inſtrumenta ſeu ſcripturam probari posſit? VI. 1089.

Veneti.

Venetorum Jus publicum unde petendum & qui ejus ſcriptores? VIII. 17.

Vicariatus.

De Vicariatu contraverſia inter Electorem Bavariæ & Palatinum adhuc hodie durat, III. 269. Authores pro Palatino recenſentur ib. vide argumenta hujus controverſiæ pro & contra. 868. pr. 869. Vicarii qui ſint, 867. in fin. quomodo adminiſtratio Imperii inter iſtos Vicarios ſit diviſa 870. pr. & quare vicarii conſtituti ſint in Imperio? 867. in fin. Dux Sabaudiæ in Italia eſt vicarius perpetuus. 800. in med. Regnum Arelatenſe Palatino vicariatui ſubjectum d. 870. vicariatus officium an ſe extendat ad ea quæ in conceſſione vicariatus non ſint expreſſa. 871. in med.

Vindicta.

Privata an ſit Jure naturali & Civili prohibita? XVIII. 912.

Viſitations-Receſs.

Vide XII. 135.

W.

Wahl-Tag.

Vide Electores.

Wappengenoß

Nobilis eſt. XVIII. 300.

Weingartiſche

Gericht / à quibus exerceatur? & in quo diſtrictu? 838. pr. an ab eo ad judicium Aulicum vel Camerale appelletur? ibid. in fin.

Weſtphalicum

Judicium deſcribitur, III. 190. origo. IV. 591. de Judice & Aſſeſſoribus hujus Judicii vide V. 593. reformatum aliquando fuit, VI. 594. quando abolitum? VII. 595.

Württenberg.

Hertzog zu Württenberg quare hoc titulo Imperator utatur? 775. in med. pag.

Z.

Z.

Zeno.

Stoicus agnovit Jus naturæ. XXIV. XXV. 78.

Zepter

Lehen quæ dicantur? 888. pr.

FINIS.

Edocet hic meriti tanti liber aurea Juris
Virtute Illustris, varia scripta viri.

J. H. D.